Phrygius, Petrus Franciscus

PETRI FRANCISCI PHRYGII,

COLLEGII TICINENSIS MEDICI,

PRACTICAM MEDICINAM ordinariam vespertinis horis primo loco profitentis,

COMMENTARII

IN HISTORIAS EPIDEMICAS HIPPOCRATIS,

IN TRES PARTES DIGESTI.

Opus omnibus Medicinæ studiosis vtilissimum.



LVGDVNI,

Sumptibus IOAN. ANTONII HVGVETAN, viâ Mercatoriâ, ad insigne Sphæræ.

M. DC. XLIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



AD EXCELLENTISSIMVM

SENATVM

MEDIOLANENSEM.

CVM primùm singulari vestra (Illustrissimi & Excellentissimi Patres) benignitate, in celeberrimo Ticinensi Gymnasio in Professorum numerum fui cooptatus, & haud multò pòst, ad supremum inter illos gradum euectus; cœpi, quæ meæ, adepta in hac dignitate, erga Amplissimum vestrum

Ordinem, quæ ſuſcepto in hoc munere, erga diſcipulos eſſent partes, attentiùs cogitare; ac tenues ingenioli mei vires ab ardentiſſimo affectu nimis admodum degeneres accuſare. Verùm, ne aut mihi omninò, aut honorificæ de me conceptæ opinioni & expectationi deeſſem; atque ne iuſtiſſimum veſtrum erga publicos progreſſus defraudaretur deſiderium; nihil prorſus omittere, nihil non tentare propoſui, quod vel ad communem ſtudentium vtilitatem, vel ad demandatum mihi prouinciæ regimen ſpectare videretur. Subciſiuas igitur à quotidiano profitendi munere horas ne fruſtrà

ſtrà contererem,hoc Opus,quale quale ſit,Epidemialium Hiſtoriarum Commentarium continens, incœpi, & abſolui. Iam è tenebris, licèt non ſine verecundia, in lucem prodit, vt non aliunde, quàm à clariſſimo nomine, & fulgentiſſimis veſtris radiis (Viri Excellentiſſimi) quibus ſe totum dedicat, lumen recipiat. Hoc vnum vehementer doleo, præſenti opuſculo, nec debito meo immenſo,nec excelſis Dominorum meorum meritis eſſe ſatisfactum: attamen, hoc mihi veſtra pollicetur humanitas, vos ſi minùs,quod pro virili debeo, ſaltem quod pro viribus offero eſſe recepturos.

Ego intereà vobis parem, obligationi animi, affectum ſemper duraturum exhibeo, atque ab Omnipotenti Deo perfectam precor felicitatem.

DD. VV. Illuſtriſsimarum & Excellentiſsimarum

Humilimus Seruus,

PETR. FRANCISC. PHRYGIVS.



CLARISSIMO VIRO

D. CAROLO SPONIO,

DOCTORI MEDICO MONSPELIENSI,

Practico Lugdunensi Aggregato, S.

MULTÆ sunt causæ, (VIR CLARISSIME) *quæ me adducunt, vt Doctißimi Phrygij Commentarios inclyto tuo nomini dicem atque dedicem; non quidem vt te munere prosequar, quem probè noui abundè poßidere quoscunque doctrinæ thesauros illi complectuntur. Eruditio tua singularis mihi semper digna visa est hoc publico honoris & obseruantiæ monimento. Humanitas in me tua, meritaq; innumera, iure meritoq; iamdudum postulabant, vt hanc posteritati syngrapham relinquerem, qua testatum facerem animum non ingratum, quantum tibi debeam, & quanti te faciam.*

bantur elicere, postmodum insatiabili auiditate, quasi diuturnam sitim explere cupiens, illas ex professo explanare, adeò vt commentum in non exiguum creuerit volumen. Talem ingenij, & studij mei partum non abs re duxi peritorum censuræ subiicere, vt cognoscerent laudabilísne, an monstruosus editus esset, sícque excellentissimis viris Sanctorio, & Lancettæ in dominio Veneto eminentissimis artis Medicæ professoribus exhibitus, fuit ab iis, & aliis non vulgaris famæ Doctoribus non indignus typis existimatus. Nullo tamen pacto id mihi persuasum fuisset, nisi communia discipulorum meorum vota, & iteratæ preces apertam voluntati meæ vim intulissent. Nonnulli præ cæteris non minus existimationis meæ, quàm sui progressus rationem habentes, hoc arguto argumento faciliorem apud me inuenerunt persuasionis aditum. Hæc vnica tibi restat via, qua æmulorum calumniæ refellantur, qui te maledico dente venatorem appellant, quasi verò tempus studiosis occupationibus ereptum largè nimis venationibus impertiaris. Hinc toto patebit orbi, quàm mendaciter loquantur, qui te potiùs foris mortem venando, quàm hominibus vitam, & valetudinem, Medicinam exercendo procurare dictitant, quamuis nō abs re, nec falsò venator possis appellari, dum nos te duce, & socio in vastis Medicinæ campis, feris ignorantiæ peremptis, copiosam virtutem prędam in dies singulos reportamus. Non potui itaque non iis morem gerere, quos non minùs de mea fama sollicitos, quàm ego semper de illorum profectu fuerim, apertissimè cognoui. Si hoc opus qualecunque sit placebit, gaudebo: lætabor pariter si displicebit, modò tamen sentiam au-

daciæ

daciæ meæ accuſatores, dum irrident ingenij mei debiles vires, promptiſſimum erga Medicinæ ſectatores animum commendare, talíque exemplo accerſitos, ad communem ſtudentium vtilitatem maiora parare. Nec me parum feciſſe & profuiſſe exiſtimabo, ſi hùnc inutilem, & infructuoſum laborem ſubtilia peritorum ingenia ad vtilia peragenda, & componenda excitaſſe cognouero. Vos verò, ſtudioſi adoleſcentes, reſpicite precor ſerena fronte hoc minimum beneuolentiæ argumentum, & in eo attendite potiùs animi affectum, quàm rei effectum, dicitéque hoc volumen legendo, modeſtam venationem relaxandi animi gratia factam, non eum à ſtudiis abdicare, ſed ad ea promptiorem, & alacriorem reddere. Valete.





INDICVLVS

ÆGROTORVM HVIVS Commentarij.

EX PRIMA PARTE.

EX SECVNDA PARTE.

Ex tertia & vltima parte.



APPROBATIO.

EGo infrascriptus attestor, me legisse *Commentaria in Epidemicas Historias Petri Francisci Phrygij, Medici Ticinensis collegi practicam Medicinam ordinariam vespertinis horis primo loco profitentis*, & nihil inueni contrarium Catholicæ fidei, morum integritati, & digna censeo, quæ prodeant, ac typis mandentur.

FR. FELIX M. CAFFVS Consultor S. Officij Papiæ Theologus Barnab.

CONSENSVS.

MAximè laudamus, vt Egregius iste Galeni Interpres, imò veriùs Galenus alter, non Pergamensis ille quidem, sed PHRYGIVS in lucem prodeat, luce sanè dignus, qui suæ vi artis luci plures seruauit ægros.

IMPRIMATVR.

FRANCISCVS CVCCINVS Magister & Inquisitor, manu propria.

Comes Maioragius pro Excellentissimo Senatu.

Priuilege

Priuilege du Roy.



OVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, à nos Amez & Feaux les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes Ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leur Lieutenans, & à tous autres nos Officiers & Iuſticiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien amé IEAN ANTOINE HVGVETAN marchand Libraire de noſtre ville de Lyon nous a fait dire & remonſtrer, que luy eſtant tombé entre les mains vne copie nouuelle en Medecine, intitulée, *Petri Franciſci Phrygij Commentarij in Hiſtorias Epidemicas Hippocratis*, qu'il deſireroit faire imprimer pour le bien & vtilité du public. Mais d'autant qu'il luy conuient faire des frais pour l'impreſſion dudit liure, & craignant que par enuie & concurrance quelques autres perſonnes le vouluſſent imprimer, ce qui luy cauſeroit vne grand' perte, au lieu de receuoir le fruict de ſon labeur. Il nous a requis humblement nos lettres de Priuilege: A ces cauſes deſirans fauorablement traitter ledit expoſant, & qu'il ne ſoit fruſtré des fruicts de ſon labeur. Luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces preſentes, de l'imprimer, & faire imprimer, vendre & debiter, tant en ce Royaume, que par tout où bon luy ſemblera, en tel charactere & marge qu'il voudra, ſans qu'il luy ſoit donné aucun empeſchement; & ce pour le temps & terme de dix ans, à commencer du iour & datte que ledit liure ſera paracheué d'imprimer, & ſans qu'autre que luy, ſoit de nos ſujets, forains, ou eſtrangers en puiſſent faire imprimer, vendre & debiter d'autre impreſſion que des ſuſdits: à peine de trois mil liures d'amende, & conſiſcation deſdits exemplaires contrefaits, payable ſans depoſt, & applicable le tiers à Nous, le tiers aux pauures de l'aumoſne generale de ceſte ville, & le tiers au ſuppliant; à la charge qu'eſtant paracheué d'imprimer, il en baillera deux exemplaires pour noſtre Bibliotheque, & vn

autre

autre pour celle de noſtre tres-cher & feal Cheualier de nos Ordres Chancelier de France le ſieur Seguier, auant que de les expoſer en vente, ſur peine de nullité des preſentes. Si vous mandons que de tout le contenu en ces preſentes vous faſſiez jouïr plainement & paiſiblement ledit HVGVETAN, ſans ſouffrir qu'il luy ſoit fait ou donné aucun trouble ou empeſchement. Mandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution des preſentes tous actes & exploits neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, Viſa, ny Pareatis; nonobſtant oppoſitions ou appellations, Clameur d'aro, Chartre-Normande, & autres lettres à ce contraires. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit liure copie ou extrait des preſentes, elles ſoient tenuës pour bien & deüement ſignifiées: Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Lyon le ſixiéme iour d'Octobre, l'an de grace mil ſix cens quarante deux, & de noſtre regne le trentetroiſiéme.

Par le Roy en ſon Conſeil,

LE BRVN.

Acheué d'imprimer le 10. *May* 1643.

Leſdits exemplaires ont eſté fournis.

PETRI



PETRI FRANCISCI PHRYGII

COMMENTARIORVM in Historias Epidemicas Hippocratis

PARS PRIMA.

IN QVA

Historiæ ægrorum XIV. ab Hippocrate propositæ, Sectione tertiâ, libri primi Epidem. accuratè explanantur.

PROOEMIVM.



IRABITVR fortasse quispiam, quòd ego ad studium eorum, quæ ab Hippocrate in epidemicis libris obseruantur, animum contulerim: nam cùm hîc Hippocrates non doctorem, vt in prognosticis agat, in quibus, certus iam rerum, sententias verissimas, ac maximè vniuersales liberè, ac sine vlla verborum circuitione affirmatè pronunciat, sed historicum potiùs, cùm, non quæ omnino certa erant, sed quæ in dies frequentiùs explorabat, in his libris habeantur, pauca propterea

communia artis præcepta tradantur: perſequitur enim in primis, quæ acciderunt, aut omnibus in communi tempeſtatibus vulgaribus, aut cuique priuatim, vt conceptis verbis affirmat Galenus *in lib.* 1. *de diebus decretorijs cap.* 3. dum ait: Demonſtratum eſt nobis alibi: nec iam minùs ex ſequentibus clarum fiet, priùs epidemion libros ſcripſiſſe Hippocratem, dùm adhuc ſpeculationes experimentis exploraret, nec generatim ſententiam de eis proferre auderet. His igitur de cauſis, inquam, me fruſtrà hunc laborem ſuſcepiſſe putabit, cùm nihil firmi in his libris contineri videatur; ſciat tamen is, me hoc onus libentiſſimè fuiſſe aggreſſum, quia ita diligenter obſeruata omnia ſymptomata, quæ vnicuique ægrotanti euenêre, conſpicio, vt ſi animum attendamus ad ea, certò poſſimus contingentes in dies morbos inter ſe diſtinguere, eoſdémque iurare. Nam, vix crederem, aliquas eſſe febres, aliquos eſſe affectus præter naturam, quibus aut omnia non inſint ex eis, quæ particulari ægrotanti contigiſſe videmus, aut ſaltem ex his aliqua. Quòd ſi liberè, quid ſuper hac re ſentiam, dicere licet: crederem minùs bene poſſe morbum cognoſcere, (præcipuè auctum) illum, qui in hoc ſtudio non ſe diligenter exercuerit; imò neque tutò morbi euentum prædicturum, quod tantopere Medicos extollit: nam, quid eſt quod ægrotantem faciat Medico obſequentem, & ab adſtantibus obſeruetur magis, quàm prædictio? cuius rei occaſione habemus Hippocratem *ſtatim in veſtibulo lib.* 1. *prognoſt.* tantopere eandem commendantem. Neque propterea nego, quin omnia hæc vnuſquiſque diſcere poſſit ex multis, & Hippocratis & Galeni locis; ſed tamen non æquè

æquè in vnum collecta, neque etiam meo quidem animo tam facilè: nam in historiis ab Hippocrate relictis ponitur ante oculos ægrotans: recensentur, quæ passus est symptomata singulo die, & per totum morbi decursum. Additur tandem euentus, quæ omnia non incommodè possunt ægrotis, quos ad curandum suscipimus adaptari. His obseruatis, vt decet, poterimus morbos, qui habent periculum, ab iis, qui omnino vacant periculo, & ab iis, qui certam minantur perniciem distinguere: nam hæc exactè attendentes, qui hoc, aut illud patiuntur symptoma, lethaliter se habere: quibus hoc, aut illud deest, hos minimè grauiter affectos affirmabimus. Dicant igitur alij quidquid velint. Ego non possum non consulere, hortari, &, quantum in me est, Medicinam profitentes (adolescentes dico) ad hoc studium impellere. Si me audiuerint, non eos malè consuluisse confiteri erunt coacti, cùm has historias attentè percurrerint. Et, vt dicta confirmemus, examinemus diligenter primam historiam, quæ sic habet.

ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΠΡΩΤΟΣ.	ÆGROTVS I.
ΦΙΛΙΣΚΟΣ ᾤκει παρὰ τὸ τεῖχος, κατεκλίθη. τῇ πρώτῃ πυρετὸς ὀξύς. ἵδρωσεν ἐν νυκτὶ ἐπιπόνως. δευτέρῃ πάντα παρωξύνθη. ὀψὲ δὲ ἀπὸ κλυσματίου καλῶς διῆλθε. νύκτα δι' ἡσυχίης. τρίτῃ πρωῒ, καὶ μέχρι μέσου ἡμέρης, ἔδοξε γενέσθαι ἀπύρετος. πρὸς δείλην δὲ πυρετὸς ὀξὺς, μεθ' ἱδρῶτος. διψώδης. γλῶσσα δὴ ἐπεξηραίνετο. μέλανα οὔρησεν. νύκτα δυσφόρως. οὐκ ἐκοιμήθη. πάντα παρέκρουσε. τετάρτῃ, πάντα παρωξύνθη. οὖρα μέλανα. νύκτα εὐφορωτέρην. οὖρα εὐχρούστερα. πέμπτῃ περὶ μέσον ἡμέρας, μικρὸν ἀπὸ ῥινῶν ἔσταξεν ἄκρητον. οὖρα δὲ ποικίλα, ἔχοντα ἐναιωρήματα στρογγύλα, γονοειδέα, διεσπαρμένα. οὐχ ἵδρυτο. προσθεμένῳ δὲ βάλανον, φυσώδεα σμικρὰ διῆλθε νύκτα ἐπιπόνως. ὕπνοι σμικροί λόγοι. λῆρος. ἄκρεα πάντοθεν ψυχρὰ, καὶ οὐκ ἔτι ἐπαναθερμαινόμενα. οὔρησε μέλανα. ἐκοιμήθη σμικρὰ πρὸς ἡμέρην. ἄφωνος. ἵδρωσε ψυχρόν. ἄκρεα πελιδνά. περὶ δὲ μέσον ἡμέρης, ἑκταῖος ἀπέθανε. τούτῳ πνεῦμα	*PHILISCVS* [a] *propè mœnia habitabat, hic morbo decubuit. Primo die febris acuta, sudauit,* [b] *noctem habuit laboriosam. Postridie omnia exacerbata sunt. Vesperi à clystere meliùs habuit, nocte quieuit. Die tertio manè, & ad meridiem vsque visus est febre liber esse, sub crepusculum verò, febris eum acuta corripuit, vnà cum sudore, sitibundus erat, lingua præterea exaruit, nigram vrinam reddidit: noctem habuit grauem, non dormiuit, omnino delirauit.* [c] *Quarto, cuncta sunt exacerbata, vrina nigra: nox molestior, vrina melioris coloris.* [d] *Quinto ad meridiem parum de naribus, ídque merum stillauit:* [e] *vrinæ variæ, in quibus erãt suspensiones rotũdæ,* [f] *geniture similes, dispersæ non subsidebãt:* [g] *subdito balano pauca retrimẽta* [h] *flatuosa exierunt, nocte se grauiter habuit, somni pauci, verba, deliramẽta,* [i] *extremitates vndequaque frigidæ, nec iam ad calorem illæ re-*

uccari ampliùs poterant, minxit nigra, aliquantum dormiuit, sub diem obmutuit, frigida sudauit, extremæ partes liuescebant, die

sexto

sexto ad meridiem est defunctus. Spiritus erat huic, quasi reuocanti perpetuò rarus, & magnus. Lien in tumorem rotundum erat elatus. Sudores perpetuò frigidi. [k] *Accessiones diebus paribus.*

διὰ τέλεος ὥσπερ ἀνακαλουμένῳ ἀραιὸν, καὶ μέγα. σπλὴν ἐπήρθη περιφερεῖ κυρτώματι. ἱδρῶτες ψυχροὶ διὰ τέλεος. οἱ παροξυσμοὶ ἐν ἀρτίῃσιν.

COMMENTARIVS.

QVANTA diligentia vti expediat in morborum idea inuestiganda, discat modò vnusquisque ab Hippocrate, qui cùm Philiscum acutè laborantem ponat, statim quæ singulo die acciderunt exactè admodum obseruat ad finem vsque, quod factum ab eo puto, vt confirmaret rem esse perinde ac dixerat,& nobis facilem relinqueret modum,quo duceremur in cognitionem affectuum,à quibus quotidie diuexamur, & etiam, vt difficiliùs possemus aberrare à via in prædicando. Et quoniam multa continet hæc historia, quæ digna sunt non mediocri consideratione, propterea expedit omnia,quæ hîc ponuntur annotare,eadem examinare, memoriæ mandare, vt, si quando contingat (quod tamen sæpissimè euenit) ægrotantes eodem morbo laborantes curare, iisdem præsto simus, aut saltem, quid futurum sit prædicentes,culpa vacemus. Neque est, vt in examinandis symptomatibus, tempus conteramus in perquirendo, cur Hippocrates dicat habitasse prope mœnia, aut quæ sint ista mœnia; quoniam credo hanc inquisitionem nullam afferre vtilitatem, quòd si quam fortasse afferat, eam tam paruam esse,vt possit præteriri, præsertim, cùm Galenum Hippocratis diligentissimum expositorem videam minimè de hoc sollicitum, immò tanquam superuacaneum hoc prætermittere, & negligere, vt habemus apertissimè in expositione adolescentuli, qui in mendacium foro habitabat, quæ historia legitur 2. *in 3.epid.comment.*5. Ibi hæc sunt. *Nam inuestigare, qua in ciuitate vocetur aliquod mendacium forum, vt Athenis astutorum forum est appellatum, & quæ id genus in singulis ægris alia, quidam interpretes scripserunt, si quid in ijs sit, quod ad artis opera faceret, non prætermitterem.* Re igitur hunc in modum se habente, superuacaneis omissis, quæ magis ex vsu esse videbuntur insequar,hanc methodum seruans in exponenda Hippocratis sententia, vt priùs ideam morbi aperiam: secundò causam inuestigem: tertiò euentum considerem: vltimò curationem instituam: & hanc esse credo veram methodum consultandi, & breuiorem: etiamsi multi viri grauissimi sint, qui circa hoc non parum elaborarunt, nimirum in docendo methodum,qua debent vti Medici in consultationibus:nam quantumuis cõtumax,& difficilis sit morbus,nemo tollet morbum priùs,quàm eundem cognouerit: ergo necessaria est morbi cognitio imprimis: Hæc

habetur per propria signa: ergo inquirenda sunt hæc, videlicet symptomata, quorum cognitione innotescit idea morbi, vt habetur ex Galeno 3. *lib. de crif. cap.* 4. Post hæc inquirenda est causa, & videndum est an simplex sit, an multiplex; neque hoc difficilè acquiritur ab eo, qui accidentia morbum insequentia perpenderit. Quo præstito, antequam curationem aggrediatur, considerat an benè, an malè sperandum sit de ægrotante: nam pro ratione status ægrotantis etiam variatur curatio, aut sæpissimè non tentatur, aut saltem ea adhibet remedia, quæ minùs efficacia sunt, animum adhibens ad virtutem. Quare summa curationis est cognitio morbi, qua habita statim inueniuntur remedia, dicente Galeno *lib.* 1. *de aliment. facult. cap.* 1. *Affectuum cognitio est materia remediorum.* Si hæc vera sunt, incipiamus percurrere præsentem historiam, quæ sese nobis offert, vt ad vnguem examinatis accidentibus, eliciamus an verè acutè laborauerit, & etiam quomodo, & quibus remediis esset occurrendum: Incipit autem sic Hippocrates.

[a] *Philiscus morbo decubuit. Primo die febris acuta.*] Morbi acuti sunt, qui celeriter mouentur, & cum periculo, ita sentit Galenus *lib.* 2 *de diebus decret. cap.* 12. cùm scribit: *Nam acutum hunc esse aiunt, cui motus velox, & subitò pericula adueniunt*, addit, *& subitò pericula adueniunt*; vt distingueret acutum à febre diaria, quæ velociter mouetur, sed non cum periculo, vt annotatur à Galeno *in lib.* 1. *de differentijs, febr. cap.* 7. à quo tanquam à præceptore desumpsit Auicenna *lib.* 4. *Fen* 1. *tractat.* 1. *cap.* 5. Quòd febris à qua fuit correptus Philiscus velociter sit mota, ex textu constat, cùm sexto die obierit & hoc denotat celeritatem, & periculum euidens. At quòd res non posset aliter euenire, apparebit etiam, si animum ad ea, quæ scribit Hippocrates attendamus: nam statim inquit sudasse, sed noctem habuisse laboriosam. Hoc loquendi modo nobis ob oculos ponit, quàm malignè haberet, cùm sudor sit euacuatio maximè conueniens febribus intendentibus. Si nullum sequatur commodum, pessimum, & eam ob rem vos moneo (adolescentes dilectissimi,) vt in euacuationibus in principio factis sitis oculati. At dicetis cur non iuuit hic sudor, qui ex sententia Galen. *lib.* 3. *de crif. cap.* 3. solet in huiusmodi febribus tam esse salutaris, quia intempestiuè facta est hæc euacuatio: intempestiuè autem dicitur illud factum, quod non tollit noxium, ita Galen. *lib. de sympt. differentijs, cap.* 6. his verbis. *Aliqua enim, quamuis etiam toto genere præter naturam sint, veluti sanguinis per nares profusio, vel vomitus, vel sanguinis deiectio, hæmorrhois, vel aliud huiusmodi, tamen præter naturam adhuc non sunt, si modò tempestiuè fiant:* statim subdit: *Fiunt autem tempestiuè, cùm id quod contristat expellitur*; sed non poterat fieri tempestiuè, quoniam in principio morbi apparuit. Id denotat nobis Galen. 1. *de crif. cap.* 7. *&* 1. *in* 1. *epid. text.* 24. ibi ponit Hippocrates, quæ in illa constitutione eueniebant, & inquit. *Sudabant semper quidem, sed non toto corpore: multùm extremitates frigebant vt vix calorem reciperent*, quem sudorem malignarum febrium esse accidens subdit Galen. *text.* 26. quod desumpsit ex Hippocrate 1. *progn.* ita de sudore loquente: *Sudor*

bonus est, qui ex toto corpore prodit, & facit, vt æger ferat faciliùs morbum, si verò nihil horum efficiat, nequaquam vtilis est; sed pessimarum febrium etiam indicium; & ratio est, quia quotiescumque ex indicatoriis aliqua superueniunt, & non indicant morbi malignitatem, aperiunt, vt *lib. 1. prorrhet. comment.* 33. habetur, & hac ratione dicebat Hippocrates *lib. de humoribus* 2. *Indicantia in melius ne statim appareant*. Quibus addit Galenus: *Quòd ait*, statim, *hoc loco idem intelligit quòd in principio, & explicans quid intelligat per principium, se totum illud tempus intelligere ait, quod terminatur per signa cruditatis*; (videbitis enim à Galeno triplex principium poni: Vnum quod sumitur pro primo insultu: Alterum quod sumitur pro spatio trium, vel quatuor dierum: Tertium, quod terminatur signis coctionis, & cruditatis, hocque maximè artificiosum nuncupat *in lib. 1. de cris. cap.* 8.) Quare neque sudores, neque vomitus, & alia, si in principio apparuerint, statímque, morbum vnquam indicarunt; si absque signis coctionis appareant, notæ sunt pessimarum affectionum. Verùm hæc omnia, & quæ tanquam causæ, & quæ tanquam signa indicationis sunt, ne statim appareant, hoc est in principio morbi, si enim tunc apparebunt, profectò non boni quid, sed mali indicabunt. Neque tamen nego quin aliquando euacuationes symptomaticæ iuuent, si non vt signum, saltem vt causa, si non per se, saltem ab effectu. In hoc ægrotante non iuuit, vt ex euentu patet: nam non fuit bonus sudor vt signum, quia quæcumque euacuatio in principio facta significat malam humorum qualitatem, aut quantitatem, semper fit irritata natura. Illud quidem certum est, minus malos esse sudores, qui naturæ morbi sunt congruentes, quàm qui non congruunt: si quis enim tertiana laborans in principio sudauerit, ille non dicetur malignè affectus, etiamsi sudor appareat in principio, & nihilominus perseueret affectio, quia sudor ille tunc sequitur morbi figuram, etiamsi & in hac significet abundantiam excrementitiæ humiditatis: in febribus autem continuis, non videtur sequi morbi figuram, sed malignitatem epidemiatam, quæ omnia apertissimè visus est Hippocrates innuere 1. *in 2. epid. text.* 2. Quo in loco ad verbum scribit: *In ardoribus siccitates, maxima ex parte absque sudore contingunt. In his autem si superrorauerit, sudatoria magis fiunt in principiis*. Hæc difficiliora iudicatu manent, quàm aliter, tamen minus, si non sit ob hæc, sed ob morbi modum, id est, ob morbi figuram. Neque fuit bonus vt causa, quia nihil contulit: neque enim diminuta est febris, sed sudabat, crebrò febricitans, immò videbatur incrementa suscipere, quod erat indicium factum fuisse hunc sudorem, non ob humoris copiam præcipuè, sed ob colliquationem factam à calore perurenti, quod desumitur pariter ex Hippocrate 1. *lib progn. textu cit. Considerare conuenit in vniuersum sudores*, (sunt verba Hippocratis:) *fiunt enim aliqui ob corporum exolutionem, aly ob inflammationis magnitudinem, vt in hoc ægrotante*. Quòd ista euacuatio fuerit inutilis, verba Hippocratis fidem faciunt, dum subdit,

[b] *Noctem habuit laboriosam*.] Minimè obscurum indicium non fuisse conferentiam, neque tolerantiam, præcipuè cùm addat, *Postridie omnia fuisse*

fuisse exacerbata; quam tamen conferentiam, & tolerantiam in omnibus euacuationibus esse spectandam monet 1. *Aphorism. comment.* 3. sed apertiùs, meo quidem animo *lib.* 1. *de humoribus, comment.* 22. *Verùm*, inquit ibi, *si cruda sint, tunc habe in memoria eas conditiones, quarum suprà mentionem feci, hoc est facilitatem tolerandi, & difficultatem: siue enim sint cruda, siue frigida, siue fœtida, siue sicca, quoties verò tolerant, cohibenda non sunt*, ex quibus Hippocratis verbis elicere possumus, etiam euacuationes symptomaticas iuuare, quia si spectanda est in his tolerantia, hæc conferentiæ est indicium; itaque sequitur quod est dictum, quemadmodum è conuerso, si post euacuationem non sequatur tolerantia, noxæ est signum, vt in præsentia contingit. Et quamuis circa vesperas meliùs habuerit, iniecto clystere, hoc non alia ratione factum apparet euidentissimè, nisi quia inclinabat accessio, quo tempore Hippocrates arripuit occasionem operandi, qua euacuatione facta, tum quia iam declinauerat accessio, tempus opportunum administrandi remedij, nisi aliter cogatur Medicus facere; tum etiam, quia facta est aliqua euacuatio, & cum hac reuulsio materiæ euaporantis, meliùs se habuit, & ita tota nocte minus est malè affectus, & vsque ad meridiem tertij diei, quo tempore dicit visum fuisse factum sine febre. Pulchrè dictum, *Videbatur*, quoniam non erat fidendum, cùm moneretur per pares, quibus diebus vehementiùs affligebatur, per impares autem minùs. Quòd verum sit, dicit, sub crepusculum rediisse febrem, vnà cum sudoribus, quo tempore erat credendum aucta esse omnia: nam sitibundus erat, non quia anteà esset sine siti; neque enim fuisset febris aucta, cuius proprium esse sitire cum vigiliis monebat Hippocrates cum Galeno 2. *in* 1. *epid. comment.* 75. sed hoc scripsit, vt denotaret auctam esse sitim, ad febris magnitudinem, quod ponitur à Galeno 1. *lib. de humoribus, comment.* 23. *Si sitis, quæ prius non erat, nunc magis infestum habeat hominem, adauctum esse calorem significat*; & hoc apertissimum est, cùm fiat à duabus præcipuè causis, vel à penuria humoris, vel à copia caloris, vt idem Galenus docet *in lib.* 1. *de simpl. medicamentorum facult. cap.* 30. Neque tantùm fuit sitibundus, sed prætęr id arida facta est lingua, ex qua re maiorem vim caloris arguere potestis, cùm soleant linguæ aridæ à perurenti calore sic fieri, vt quotidiana demonstrat experientia, & Galeno 1. *in* 6. *epid. comment.* 14. Huic addamus vrinarum nigredinem: neque enim ita excernebantur, quia natura euacuaret materiam melancholicam per vias vrinæ, vt Horophonti, Mulieri in Thaso, Heropytho, Metoni, Nicodemo. Isti habuerunt priuatam quandam morbi solutionis causam: nam si sanatus est Horophon, quia lien excepit maximam partem malorum humorum: Mulieri in Thaso suppressi erant menses melancholici; & sic de aliis, vt videbimus, Deo fauente, suo loco. Hic autem ægrotans tales habuit propter incendium internum, & erat ex iis signis, quæ ægrotantibus in illa tempestate solebant fieri, vt *ex* 2. *in* 1. *epid. tex.* 75. elicitur. De huiusmodi vrinis tractans Galen. *in illo loco*, dicit illas fieri adusto iam humore bilioso. Itaque iam innotescit per accidentia, & idea morbi, & causa. In *lib.* 1. *prorrhet. comment.*

ment. 4. hæc sunt : *Demonstratum autem est nigras vrinas ob serum bilis atræ vnà cum excrementis aquosis emissum procreari.* Gemina verò est atræ bilis generatio, nempe ex flaua bile supra modum assata, exustáque, vel ex crasso sanguine : supra modum verò assatur propter vehementem caliditatem. Subdit postea : *Iure ergo in febribus, quæ causi appellantur, & phrenitidibus talia meiuntur, cùm tum calidæ, tum siccæ affectiones eiusmodi existunt.* Fiunt pariter propter mortificationem ex vehementi refrigeratione, sed vtcumque fiat, lethales admodum sunt, & semper ab Hippocrate improbantur 2. *progn. text.* 32. Exitiosiores, inquit, vrinæ sunt, si aquosæ, fœtidæ, nigræ, crassæque sunt, quod idem confirmat *in sequenti text.* in cuius *comment.* Galenus appellat exitiosas. *Primo de cris. cap.* 50. non tantùm dicit esse crudam, sed etiam lethalem. *lib.* 2. *prorrhet. text.* 4. Perniciosa quidem, & absque aliis est vrina semper nigra, & tota denigrata, vt, eodem Galeno annuente, nemo quisquam cum tali vrina conualescat. Cùm huiusmodi vrinis obierunt Silenus, Apollonius, Mulier Cyzici, & mulier quæ apud frigidam aquam habitabat. Nostris temporibus obierunt multi, præsertim nobilissimus, & doctissimus Dominus Cæsar Augustus in hoc Ticinensi Gymnasio primus Pontificij Iuris interpres, Ioannes Angelus, & alij, ita vt in dies experiamur vera esse quæ ab Hippocrate sunt relicta, & etiam à Medicis magnifacienda. Itaque paucissimis verbis Hippocrates ob oculos ponit etiam euentum, etiamsi ipse non scripsisset. Hæc igitur cùm ita sint, non est mirùm, si noctem habuit grauem, & insomnem : est autem satis grauis nox illa, quæ insomnis est, sed longè grauior, quia delirauit, grauiùs affecto cerebro, ídque non difficilè euenit, humoribus biliosis prædominantibus, qui sua natura ad supernas partes solent ferri, & sua acrimonia ad caput elati, horum, & grauiorum aliquando sunt causa.

c *Quarto cuncta sunt exacerbata, vrina nigra : nox molestior, vrina melioris coloris.*] Peruentum est ad quartam, quomodo se habuerit hæc dies, textus docet, cùm omnia in peius ruerint : nam vrinæ erant nigræ & nox solito molestior, hoc autem ita fiebat, quia dies motus erat ; est tamen quarta, quæ à Medicis solet quàm maximè obseruari, cùm indicet septimam. Itaque prauum erat hæc fieri, & nihil boni apparere : nisi fortasse ad pauca respiciens, de facili enunciauit Medicus conualiturum ægrotantem, quia vrina fit eodem die facta melioris coloris. Poterat id quidem multos decipere, cùm die quarto euenerit, verùm semper animaduertere oportet ad ea, quæ docent Hippocrates, & Galenus, nimirum non esse fidendum iis, quæ præter rationem eueniunt : plurima enim stabilia non sunt, vt 2. *Aphor. text.* 27. legitur, neque multùm durare, & permanere consueuêre, in cuius *commentario* hæc leguntur. *Cùm morbus inuadit vehemens, & mox subitò quiescit, non modò per sudorem, aut vomitum, aut alui excretionem, aut sanguinis profluuium, corpore non euacuato, sed ne visis quidem coctionis signis, existimandum est talem quietem signum esse infidum, suntque non bona signa, sed malignitatis indicia.* Quod exemplo Hermocratis confirmatur, 1. *in* 3. *epid.* de quo sic scribitur.

Quarto decimo à febre liber, non ſudauit, dormiuit, omnino mente conſtitit. Galenus exponens textum, ſiue particulam *non ſudauit:* ita etiam inquit, *Hic non dubitauit cumulum addere, non ſudauit, vt ob oculos poneret, quàm ſit infida remiſſio morbi.* Nam ſi quæ poſtularat res quarto decimo eueniſſent, conſeruarant hominem. Itaque quia non apparuerunt, hinc malignitatem nobis morbi ſubiecit, quos quidem affectus ignorat Medicorum vulgus, & gaudet, ſi qua fiat morbi alleuatio, tametſi hæc ex ſignis exitioſis, & ſymptomatibus prioribus proficiſcatur, neſciunt cùm natura extinguitur, & enecatur inſitus calor, tales ſolere affectiones incidere. Et 2. *prorrhet. text.* 13. *Pernicioſa ſine ſignis leuantia mortem indicant:* ſine ſignis coctionis, aut excretionis, ſubiungit Galenus. His addi poteſt auctoritas ab Hipp. deſumpta *ex lib.* 3. *progn. text.* 12. *Si quibus febris deſinit non cum iudicijs ſolutionis, neque in diebus indicatorijs, recidiuam expectare oportet. Quæ*, inquit Galenus in comment. *non ex ratione leuant, recidiuam facere conſueuerunt, etiamſi diebus iudicatorijs id accidat:* & tandem 4. *acut. text.* 12. ſermonem habens de cauſo, ait: *Verùm, ſi abſque his ſoluatur, ægritudo reuertetur.* Galenus vbi de ſanguinis eruptione, & ſudore egit, ſi abſque his cauſus deſierit, ſuſpectam ait eſſe ſolutionem: nam paulò poſt reuertetur, & quod dicitur de ſudore, febre, & aliis, de vrinis etiam intelligas licet, quotieſcunque meliores apparent ſine ratione, quemadmodum contingit in hoc ægrotante, quæ cùm nigræ eſſent, tamen ſtatim factæ ſunt melioris coloris: verterem ego factas eſſe tenuiores: nam videmus ſæpiſſimè, etiamſi vrinæ ſint nigræ, & craſſæ, tamen aliquando mutari de repente, & fieri tenuiores, propterea vulgus putat eſſe meliores, ignorans craſſiorem materiam aliquando detineri, quia præ imbecillitate non poſſit natura à corpore deturbare, aut quia adſint ingentes obſtructiones, quo tempore humor percolatur; aut quia, vt ſæpiſſimè euenit in febribus acutis, humor feratur ad ſupernas partes, & ita reddantur tenuiores: quemadmodum etiam euenit ægrotanti *ſuprà* narrato, Ioanni Angelo, qui cùm vrinas emitteret nigras, de repente circa nonam factæ ſunt clariores, & tenuiores, ita vt putarent adſtantes longè meliores eſſe, cùm tamen ego longè deteriores iudicauerim, veritus, ne quamprimum inſtaret delirium, ſicque delirauit in vndecima. In hoc autem ægrotante dicetis, cur factæ ſunt melioris coloris? Quia humores ferebantur ad partem principem, anteſignanæ delirij. Et notandum eſt hîc quarto malè habuiſſe perinde, ac tertio die circa veſperas, quia id magni facit Galenus, cùm *in comment.* ſcribat: *Fac memineris, vbi quartus, perinde, ac tertius grauia habeat ſymptomata, & ſigna in morbo acuto, breui eſſe expectandum iudicium ſi paribus diebus inuadebat, potius in paribus ſi verò imparibus, in his.* Atque vbi iudicium, illic ſcilicet, & mors in morbis quidem exitialibus.

[d] *Quinto ad meridiem parum de naribus ſtillauit.*] Si vrinæ factæ eſſent melioris coloris ſuperante natura, quomodo apparuiſſet ſtilla ſanguinis è naribus: hanc enim dant, vt vbique Galenus, vt quæ tria ſignificet: vel enim fit propter naturæ infirmitatem, vel propter ſanguinis craſſitiem, vel

vel partium densitatem, vel quædam ex his, vel simul omnia, dicente Galeno *lib.4.de ratione victus in acutis*, *comment.67.* & ibi monet longè magis esse prauum si æstiuo tempore fiat, aut initio autumni, propterea quod illis temporibus flaua bilis redundat, ambiénsque nos aër calidus est; quo fit, vt sanguinem vtramque ob causam bene fluentem esse oporteat: quòd si non fiat, magnitudo causæ arguitur, propter quam fluere inhibetur. Esse sanguinis stillam prauam, repetit Galenus *prorrhet. comment.1.* præsertim, si quarto die fiat, his verbis: *Cùm igitur stillatio sanguinis è naribus semper malum sit signum, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto die fiat:* reddit statim rationem sic: *Videtur siquidem natura collectam in cerebro abundantiam esse conata vt expelleret, sed nequiuisse. 2.in 1.epidem. comment.75.* Non tantùm prauum, sed perniciosum esse vult, & cum ratione: nam cùm febres ardentes soleant per sanguinis profluuium indicari, si non fiat, deterrimum est, Galeno dicente hunc in modum. Quin etiam stillasse nares, quod perniciosissimum est signum tum aliis, cùm maximè febribus ardentibus: nam ardentibus febribus hoc perniciosissimum esse patet, si quidem eis familiarissimum est sanguinis profluuium è naribus. Præter ea, quæ dicta sunt, habes Hippocratem idem comprobantem *in lib.1. Coacarum text. 37.* quo in loco legimus, melius esse non fieri euacuationes, quàm fieri imperfectè, &, vt meliùs dicam, vix incipere, hócque securius esse, videlicet non fieri euacuationes, quàm fieri, vt dictum est, tribus modis. Vna est, quia in cessatione naturæ actionem quandam coctionis coniicimus, quæ paulatim fit. Altera, quia inde intelligimus materiæ morbificæ vim mitiorem, quæ nec sua copia, nec maligna corruptione naturam irritat ad excretionem ante tempus. Tertia, quia abest suspicio translationis materiæ in nobiliores partes, quæ frustrà tentata crisi fieri solet. Quare concluditur ibi, paucam excretionem malignitatis esse signum, pertineréque ad axioma illud Medicum: *Decretoria non decernentia.* Notat Galenus *in comment.3.* modum loquendi Hippocratis, quando scribit, *idque merum*, monétque non esse intelligendum sanguinem sincerum, rubrum videlicet, proprium ipsius colorem, sed intelligendum esse sanguinem nigrum, quando rubri sanguinis stilla visa est vnquam in morbo exitiali: ita enim reliquit scriptam ipsius sententiam. In stilla enim, si accipiamus purum sanguinem, rubrum, quando eius hic est peculiaris color, non rectè cogitemus. Rubri enim stilla haud est in morbo exitiali visa vnquam, sed atri semper, proinde verisimile est, hunc ipsum atrum dicere Hippocratem merum, interpretaríque vehementer atrum, quod idem habemus confirmatum *1.in 3.epidem.comment.16.* Vtcumque sit, prauum admodum, & exitiosissimum fuit signum.

[c] *Vrina varia*] Hoc non aliunde proueniebat, nisi ab humorum varietate, cuius causa morbus erat longè grauior, quia natura tanquam cum multis pugnatura difficilius erat causam morbificam euictura: habebant suspensiones rotundas, quæ sequuntur excessum caloris, idque crederem posse desumi ex Hippocrate *3.in 6.epid. text.36.* vbi reddens causam rotunditatis

tunditatis sputi, refert in intensam caliditatem, ita scribens: Sputorum rotundorum veluti materialis causa crassitudo est, atque tenacitas humorum in fibris pulmonum collectorum. Causa autem veluti effectrix, est loci caliditas. Itaque duplicem assignat causam, materialem & efficientē.

[f] *Genituræ similes.*] Id est albæ, respondentes semini, dicente Hippocr. *lib. de semine*, vitiosúmque id esse Hippocrates idem confirmat 2. *progn. cap.* 1. in quo textu ait admodum candidum esse vitiosum, veluti erant suspensiones istæ, quas cùm habuerit & Philista, quinto summa luce defunctus est, vt 2. *in* 1. *epidem. text.* 1. legimus. Fuisse postea dispersas, & non subsedisse, non alia ratione fiebat, quàm ex vrinarum cruditate: nam coctio cogit, & incrassat, & coctione resoluuntur flatus, sícque sedimenta non subleuantur, statuente Galeno 2. *progn. comment.* 36. his verbis: *Quod igitur exquisitè concoctum est, & secretum æquale, ac similare, vtpote nullum habens flatum, in fundum descendit vasis vrinam continentis. Quod verò permistum est aëreo quodam, ac vaporato flatu, id subductum ab eo, quod proportionale est quantitati subducentis, minúsque, & magis sursum fertur.* Quibus omnibus exactè perpensis apparet has vrinas fuisse pessimas, & acutiem morbi denotasse, quod etiam *in comment. ad historiam Philistæ* docuit sic: *At acuitatis quidem morbi sunt vomitus, qualitásque vrinarum.*

[g] *Subdito balano, pauca retrimenta flatuosa exierunt.*] Non miror balano pauca fuisse excreta, tum quia non magnam vim euacuandi habent, tum etiam, quia in vehementi interna adustione minùs facilè educi poterant, etiamsi paulo validiore vtamur medicamento. Hîc expedit consideretis vos modum curandi Hippocratis: vidistis enim à principio vsum fuisse clystere, nunc abstinet, & balano contentus est, nonne indigebat euacuatione? Indigebat, sed virtus erat depressa, & ne aliquo præter expectationem contingente ipsi adscriberetur, leuissimè tractat ægrotantem, quod vos obseruare debetis in morborum curationibus, præcipuè acutis; iubere etiam expedit, vt decumbens excrementa reddat ægrotans, quotiescunque vires habet fractas, ne surgens animo linquat, quod sæpissimè euenire videbitis, & quod maius est, ne moriatur, vt non semel contigisse scio. Hanc curationem commendat idem Hippocrates *lib.* 1. *acut. text.* 45. his verbis: *At si nuper cibato, cibus prior non descenderit, sitque virtus valida, & floruerit ætas, subluere oportet: si verò virtus imbecilla fuerit, glande est vtendum, nisi aluus sua sponte probe iuerit.*

[h] *Erant quæ exierant flatuosa.*] Propter excessum caloris, humidum omne in flatus conuertentis; sed pauca, ex qua euacuatione nihil est iuuatus, quemadmodum contingit in pauca euacuatione. Habuit noctem insomnem, & cum delirio, non diminuta priore causa, sed potius magis aucta, quæ omnia humorum adustionem demonstrabant, vt habetur *in historia Cleonactidis, &* 2. *de sympt. causis, cap.* 7. nam vigiliæ comitantur signa, & causas phreniridis, quia siccitatem, & calorem in cerebro, biliosum sanguinem, acrémque exhalationem & denunciant, & sua vi

efficiunt

efficiunt cùm accesserint, quod apertissimè videtur posse desumi ex lib.1.*Coacarum,text.20.* *Qui in dolore capitis æruginosa vomunt, accedente facultate, & vigilia, celeriter in vehementem insaniam incidunt.* In huius commentario addit Iacotius: *Vigiliæ verò ab intemperie cerebri calida, aut sicca, & ab exhalatione acri, & biliosa phrenitidem prænuntiant, comitantur, & augent*, redditque rationem, quoniam exsiccant, & sanguinem reddunt biliosiorem, etiamsi, vt notat Hollerius doctiss. non semper sit necesse hominem insanire. Præter febrem acutam, habuit etiam internam inflammationem; sed hinc acuties febris, dicet aliquis, ostendunt tamen vrinæ in genere venoso maximam adfuisse perturbationem.

[1] *Erant refrigerata extrema.*] Hoc sequitur aliquando extremam virtutis imbecillitatem, sed in hac huius symptomatis causa erat internum incendium, quod ritu cucurbitulæ totum sanguinem trahebat ab externis ad internas partes, vti annotatum habemus à Galeno *in 7. Aphorism. Hippocr.* sic ait: *In morbis acutis frigus partium extremarum, malum.* Galenus *in comment.* *Acutos ipse ait morbos, quorum febres maxima ex parte continuæ sunt, in quibus cùm fuerint sine magna inflammatione, ne dum extrema frigescere, sed exuri continget, cùm verò inflammationis calor adeò vehemens fuerit, vt ad se trahat per modum cucurbitulæ ex toto corpore sanguinem.* Iis, qui ita se habent interna peruruntur, extremæ autem partes frigescunt, propter defectum sanguinis ad viscera se recipientis, & eorum plerique neque tegumenta tolerant propter incendium, quod in visceribus sentiunt, quod idem 2.*progn.text.*4. vbi affirmat fieri etiam propter imbecillitatem natiui caloris, vt in morbis diuturnis; esse signum etiam malignitatis testatur *lib.4. acut. text.16.* sic scribens: *Verùm, si malignus euaserit morbus, refrigerantur extrema ob virtutis imbecillitatem, phlegmonésque totum ad se sanguinem trahentis magnitudinem.* subdit: *Nam absque his, nunquam lethalis efficitur morbus.* In *lib.2.Coacarum, text.*13. hæc sunt: *Extremæ corporis partes, si in vtramque conditionem celeriter permutantur, sitis quoque huiusmodi, malum.* lib.2. *prorrhet. text.*31. *Ex rigore perfrigerationes, quæ non recalescunt malæ.* Addit Galenus: *Languorem natiui caloris extinctionémque talis refrigeratio indicat.* Si igitur res ita habet, maximam caloris extinctionem denotauit, non recaluisse extrema in hoc ægrotante, quemadmodum contigisse legimus Hermoptolemi vxori *lib.7.epid.text.*12. Itaque erat incendium, sed eo creuerat, vt simul cum imbecillitate esset coniunctum; quàm sit pessimum perpendite vos, quando nunquam videbitis grauissimos morbos in virtutis iactura euinci, & superari. Et si quid aliud huius poterat nobis fidem facere, postquam de pulsibus non agitur, est verbum illud, *dormiuisse.* Aliquando quidem videbitis ægrotantes post longum, & grauem laborem oculis conniuere, vt aliquo modo, si non verè dormiant, saltem quiescant, quo fit, vt virtus firmetur aliquantulum, sed in hoc ægrotante crederem fuisse impotentiam quandam vigilandi, & ad id credendum magis adducor ex sequentibus, quando obmutuisse scribit,

quod symptoma, etiamsi ex Galeni decreto aliquando fiat propter solam læsionem instrumentorum voci deseruientium, subnectit tamen eodem loco fieri propter euidentem virtutis exolutionem, quod apertissimè deducitur ex verbis Galeni, quæ habentur *lib.*4. *acut. comment.* 25. hunc in modum: *In ægris autem vocis priuatio huiusmodi fieri potest, laxis duntaxat ijs, quæ respirationi natura deputauit*: potest quoque contingere propter recentem quandam exolutionem, & afflictionem virtutis, estque signum admodum lethale, si credendum est Hippocrati *in lib.*2. *Coacarum, text.*20. qui sic legitur: *Quibus vox in febre intercepta sine iudicatione, cum tremore moriuntur*, & clarè etiam *in eodem lib. text.* 28. *Quæ cum exolutione mutitates fiunt, pessimæ*, in cuius expositione addit Hollerius. Duplici nomine æger periclitatur, quia morbus omnis cum exolutione virium lethalis est, sed multo magis, si quæ interna inflammatio, aut vehemens morbus sit: quoties enim vel sine naturæ conflictu, id est, sine crisi: vel post malam crisim lethalia symptomata, quæ quieuisse debuissent, superueniunt, aut ingrauescunt, vt vocis priuatio, vtrumque significatur, & ægrum moriturum, & materiam in cerebrum conuersam, quæ facultatem animalem, qua musculi intercostales mouentur ad materiam vocis præparandam, interceperit: fit etiam nonnunquam in conflictu, vt calor natiuus extinguatur, & suffocetur; & sic aphonia fiat, & aliquando videtur febris defecisse cum perfrigeratione ægri, & pulsu omnino languescente. In *lib.*3. *prorrhet. text.*4. hæc continentur in confirmationem eorum, quæ dicta sunt: *Quæ cum exolutione fiunt, & catoche, & aphoniæ perniciosæ sunt*, qualis fuit hæc Philisci: nam & frigida sudauit, & etiam per totum morbi decursum, quod euidentissimè indicabat, nihil defuisse ad omnem perniciem, & malignitatem, posteáque mortem indicari statuebat Hippocrates 4. *Aphorism. text.*37. in his: *Frigidi sudores cum acuta febre mortem significant.* Quomodo id ita fiat docet Galenus. Cùm ergo hæc aliquando contigerint, humores, qui sunt in vasis putrescere, & eam, quæ solida regit corpora, naturam, quæ, secundùm Hippocratem, est calor naturalis, vel extingui omnino, vel proximam esse extinctioni, quæ quidem ex his vacuantur, frigida sentiuntur, eam verò, quæ fit ex putredine caliditatem, nihil prohibet esse vehementissimam, atque ideo signum est exitiale, ostendens in animalis corpore tantam esse humorum frigiditatem habentium multitudinem, vt neque à calore natiuo, neque à febrili calefiat. At, quid etiam deterius erat, cùm non tantùm partes extremæ frigescerent, sed liuerent. Hoc euidentis prostationis erat argumentum, præcipuè si in ætate iuuenili fiat, vt de Adolescentulo, qui in mendacium foro habitabat, legimus: sed & non deest euidentissima Galeni auctoritas, qua nos docet sic affectos, moto diebus paribus morbo, diem sextũ vix attingere, vt modò contigisse ex textu elicimus. Referam verba Galeni, quia digna sunt memoria, desumpta ex 2. *in* 1. *epid. text.*75. ibi narrat accidentia, quæ fiebant illis ægrotantibus in illa tempestate, in quibus refrigerabantur quoque extrema. Et ad verbum hæc habet, post multa. *Iam accessiones cum*

diebus

diebus paribus fiunt à principio ſtatim, interim ad ſextum diem peſſimum iudicium fore prænunciant : interim in longum producendum morbum. At ſi quidem admodum moueantur, quarto die prauam acceſſionem habente, ad diem ſextum de vita decedunt, vt hi de quibus ſermo habetur. Ad quartum igitur diem eos habuiſſe dixit maximos labores, hoc eſt dolorifica omnia ſymptomata, & ſudores diutiſſimè ſubfrigidos. Quare liquet diem ſextum mortem his cum ſudoribus allaturum. His poſtea addit : *Quòd verò extremitates liueſcerent, neque eis amplius calor rediret, demori eos indicat* ; & eſt argumentum conſtans, non poſſe vltra diem ſextum vires ſuſtinere. Et notate verba Hippocratis, quando ſcribit fuiſſe liuida, non nigra, quia deterius eſt partes liueſcere, quàm nigreſcere, & ideò euenit, quia nigredo eſt ambiguum ſymptoma, quod bonum poteſt ſignificari, liuor autem ſimpliciter malus eſt. Ambiguum eſt ſymptoma: quia poteſt prouenire ex robore naturæ expellentis materiam aduſtam, & melancholicam ad infernas partes, ad pedes, vel, quod ſemel vidi in Xenodochio maiori Papiæ, ad extremitates digitorum criticè. Huic poſt acutiſſimam febrem facta humorum tranſpoſitione ad pedes, digiti carne ſunt omnino nudati, vt oſſa inſpicerentur ſine carne, & tamen non progreſſo morbo, reſtituta caro eſt, & integrè conualuit. Hippocrates appellat hæc formidabiliora, quàm deteriora, propterea quod, etiamſi fiant criticè, nihilominus timorem incutiunt ægrotantibus, & aſſiſtentibus, quia ſunt aſpectu terribilia ; minimè tamen deteriora, quoniam ſuperſtites ſunt ægrotantes : hac igitur ratione, cùm ambiguum ſymptoma ſit, & poſſit eſſe decretorium, minus malum cenſetur, quàm liuor, quoniam hoc accidens ſemper eſt malum ; nam, vel fit ab immodico externo frigore, vel à maxima viſcerum inflammatione, vel ab extinctione caloris natiui, vel à nigra bile partem occupante. Si primis modis fiat, malum, ac lethale eſt ſine dubio ; ſi vltimo modo, prauum etiam, quia ſemper eſt exiguus humor melancholicus, qui liuorem inducit ; quæ verò exigua ſunt, bonam indicationem afferre non poſſunt. Quòd ſi poſtea dicatis, quomodo cognoſcere poſſitis, an criticum ſit, an ſymptomaticum hoc ſymptoma? vobis pauciſſimis reſpondebo cum Hippocrate & Galeno. Nimirum, ſi febris ſoluatur, æger fortior reddatur, leuiter ferat abſceſſum, nullúmque vitium appareat, neque in functionibus naturalibus, tunc his exiſtentibus reſtituetur æger, ſin contra, nihilo leuior, vt iam ægrotans dolore partis infeſtetur, adſit difficultas ſpirandi, & tandem deterius, quàm prius ſe habeat, aut ſaltem nihil alleuatus, morietur ægrotans, vt accidiſſe videmus Phanodico 4. *epid. text.* 1. Rem ita eſſe, vti dictum eſt, ſi quis ambigat, videat Hippocratem eadem confirmantem 2. *progn. text.* 9. *Si digiti, ac pedes omnino nigreſcunt, minus peſtiferi ſunt, quàm ſi liueant, ſed alia ſigna conſideranda ſunt : ſi enim facilè ferre morbum appareat, & aliquod aliud ſalubre fuerit ſignum, morbum verti ad abſceſſum ſpes eſt, ita vt æger ſit conualiturus, corporis verò nigredo caſura.* Subdit Galenus : *Interdum pars nigreſcit, quia eò materia decumbit*, interdum, quoniam emoritur, ſed quonam modo aliquis

inter

internoſcat eam rem, perſpicuè iudicabit. Si enim ferre malum facilè appareat, id eſt, facilè ſe habeat æger, & item aliquod aliud ſalutare affuerit ſignum, materiæ decubitus eſt: ſin contrarium, mortificatio. Quam eandem ſententiam ad verbum habemus *in lib. 2. Coacarum text.* 23. Quo in loco ita ſcriptum eſt: *Si verò etiam ad prauitatem liuidi accedant digiti, & vngues, mors eſt in propinquo.* Sequitur in textu adducto: *Si verò penitus nigreſcant, minus pernicioſi ſunt liuidis.* Verùm, & reliqua conſiderari oportet, & quæ ſequuntur. Cùm igitur liueſcerent in hoc ægrotante partes extremæ, meritò obiit, & ſexto die, quoniam omnia habuit quarto deteriora, vt notat Galen. 1. *lib. de dieb. decr. cap.* 4. Præterea inquit, *qui quarto die ad perniciem, ſiue ad peiorem ſtatum recidunt, plerique ſexto moriuntur, & fortaſſe ad meridiem, tanquam totius diei vehementiorem, perinde, ac totius anni æſtas.* Pergit modò narrare Hippocrates, quæ per totum morbum eſt paſſus, ſubdens;

k *Spiritus huic erat perpetuò rarus, & magnus, quaſi reuocanti. Lien in tumorem rotundum elatus erat. Sudores perpetuò frigidi. Acceſſiones diebus paribus.*] Quæ omnia morbi vehementiam denotant: nam habuiſſe ſpiritum magnum, & rarum, inſignem cerebri affectionem denotabat, quo ſpiritu ſic exiſtente obiit Silenus: vxor Dromeadai, vxor Dealus. Sudaſſe frigidum per totum morbi decurſum, denotabat, nihil defuiſſe ad omnem perniciem. Habuiſſe lienem rotundum in tumorem elatum, inflammationis id erat nota. Videtur hic Philiſcus eſſe ille, de quo iam antea verba fecerat 2. *in* 1. *epid. text.* 63. vbi ſcribit, nullum eorum, quibus ſanguis largiter è naribus fluxit, eſſe defunctum. Philiſcum autem, Epanenonem, Silenum ideò obiiſſe, quia parum ſtillauit. Et hæc dicta ſufficiant donec meliora habeamus.

Curatio.

EX iam enarratis vnuſquiſque poteſt non difficilè coniectare, qualis, & quantus fuerit affectus, à quo Philiſcus detinebatur: nimirum erat febris putrida, acuta; eſt autem omnis febris acuta, putrida; non è conuerſo, quia poteſt humor concipere putredinem, ſed non tam excellentem, vt febris vehemens concitetur. Præterea ex ſuperuenientibus, vt ex vrinis nigris, extremorum refrigeratione, ex ſtilla, malignam fuiſſe conſtat. Cauſa, ſi credendum eſt Galeno, erat quidem portio humoris craſſi, ſed tamen hunc ſuperaſſe bilem, conſtat ex ariditate linguæ, ex ſiti, ex delirio. His propterea diligenter animaduerſis, non potuiſſet non peſſimum euentum expectare Medicus, etiamſi Hippocrates id non adderet. Reſtat modò, vt videamus quomodo: quantum ad rem Medicam ſpectat: poſſet debellari iſte affectus. Et vt à Galeno exordiamur, rem pauciſſimis verbis videtur perſtringere *in lib.* 11. *meth. cap.* 10. dum inſtituens curationem febribus putridis conuenientem, inquit, oportere vt putredinem inhibeamus, quod vt aſſequamur, expedit duo attendere, nimirum febrem, & putredinem: & quoniam febris partim eſt in generatione,

ratione, partim eſt genita, hinc duæ inſurgunt indicationes, vt febris facta curetur, quæ futura eſt, inhibeatur: perinde à putredine duæ exurgunt: id eſt à re putrida, quia putredo eſt ſemper in fieri, ſic ſtabilientibus viris grauiſſimis, qui dicunt Galenum *hoc loco* non velle intelligere putredinem diuidi in factam, & in fieri, ſed loqui de re putreſcente, vt ita ſit ſenſus, quod factum eſt putredinis, debet euacuari, quod eſt in fieri, debet inhiberi. Sed quia putredo ſequitur impeditam tranſpirationem, hac de cauſa hæc tollenda eſt: & ex hoc etiam duæ oriuntur indicationes: vt quod in corpore retentum eſt, euacuetur; quòd verò retinendum eſt, prohibeatur. Id aſſequemur iis præſidiis, quæ obſtructioni medentur, & quoniam obſtructio habet eſſe in facto, & in fieri, eam ob rem duplex intentio Medici, vt quod factum eſt ſanetur, quod futurum eſt euitetur. Primò ſatisfaciemus iis, quæ obſtructa liberant. Secundò, ſi à corpore deturbemus, quæ continuò ad partem fluunt. Quare, etiamſi hoc ſit vltimum in inuentione, debet tamen eſſe primum in executione: quomodo enim obſtructa liberabimus, niſi humorum affluxum tollamus quamprimùm, immò humorum copia in corpore ſtagnante, deobſtruentibus vſi, obſtructionem maiorem reddemus, & ſic curatu difficiliorem, quod his verbis nos docet Galenus *loco adducto. Niſi enim vniuerſum corpus priùs euacues, fieri non poteſt, vt obſtructa liberes, quin potius ea impingas, & affectum maiorem reddas.* Quòd ſi vacuata priùs multitudine, iis poſtea vtamur, quæ obſtructionem tollere queant, conueniens tunc erit curatio. Alterum etiam addit maximè obſeruandum *in lib.*8. *meth.cap.*4. Non eſſe quibuſcumque deobſtruentibus vtendum in febribus putridis, quia habenda eſt ratio febris, ne augeatur, & obſtructio magis impingatur, à calidioribus materia veluti exſiccata. *Quippe*, (ſunt verba Galeni.) *niſi vitioſus ſuccus penitus tranſpiret, neceſſe eſt putrefiat. Ergo vt tranſpiret, maiore iam auxilio opus eſt. At ſiquidem vel puer, vel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet. Inter has ætates, vbi robur ægro non deeſt, ſecanda vena eſt, etiamſi plenitudinis ſigna non ſint*, & quæ ſequuntur. *Quòd ſi obſtructionibus laborantes, per venæ ſectionem curantur, quomodo poterat differri id remedij genus in morbo tam graui*; magnis enim morbis magna debentur remedia, quæ euacuent, aut per ventrem, aut per venæ ſectionem, eodem Galeno confirmante 2. *Aphor.* 29. & 2.*acut.comment.*1. Verùm, cùm purgatio non niſi morbis iam coctis debeatur, vt omnibus iam eſt in confeſſo, & decantatum ab Hippocrate 1.*Aphor.text.*22.his verbis. *Concocta medicari, non cruda.* & *lib.*2 *text.*9. *Corpora, cùm quis purgare voluerit, oportet fluida facere.* Neque tempus eſt hoc loco diſputandi, vtrùm ſemper in morbis expediat coctionem expectare, quando tot ſunt viri graues, hanc quæſtionem agitantes, vt doctiſſimus Valleſius, & Septalius *in lib. quinto ſuarum cautionum, caut.*47. Ego igitur in huiuſmodi morbo, nulla interpoſita mora venam ſolui iuſſiſſem, & ſanguinem extraxiſſem ad vncias ſex, vel paulo plus, ſi ita virtutem poſſe perferre animaduertiſſem, ex brachio dextro priùs, poſtea ſequenti die, nullo impediente, ex ſiniſtro, præſertim affecto liene:

minùs tamen in magna humorum malitia detrahere decet, etiamsi magis morbi magnitudo expostulare videatur, quia ex Vallesij consilio citiùs ex malignitate, & euacuatione virtus deprimitur, eam tamen prætermittere non oportet in his casibus, tanquam necessarium remedium in omnibus inflammationibus, sed præcipuè lienis, dicebat Trallianus. Interim iniecto clystere fæces emolliendi vim habente, citra euidentem calorem, quales sunt, qui parantur ex decocto violarum, maluarum, hordei, cum melle violaceo, saccaro rubeo singulorum ad ℥. *ij*. decoctionis ad ℥. *vj*. cassiæ ad ℥. *j*. cum modico salis, & oleo violaceo ad ℥. *iij*. præparato clystere. Neque eorum attendite scrupulum, qui indiscriminatim venæ sectioni præmittunt clysterem, quia in morbo inducias dante, hoc quidem admittitur, vrgente autem morbo attendere oportet, quod magis vrget, & eam ob rem vtilius est statim sanguinem mittere, postea clysterem iniicere. Hoc monet etiam doctissimus Septal. *in lib. 4. suarum cautionũ, caut.* 1. his verbis: *In sanguinis euacuatione per sectam venam licèt illud sit obseruandum, vt ventriculo, & venis mesenterij crudis humoribus, & excrementis repletis non priùs fiat, quàm ea abstergente aliquo, aut leniente subducantur:* cauendum tamen est, ne si morbus ita vrgeat, vt mortis periculum immineat, id faciamus: statim enim missione sanguinis illi est occurrendum, vt in angina, & vehementi aliqua inflammatione, & febre: meliùs enim est imminentem mortem præuertere cum aliquo damno, quàm ægrotantem à morbo opprimi sinere, potissimum cum leuioribus iis noxiis non difficili negotio occurrere possimus. Hoc paucissimis verbis concludit Hippocrates *lib. 4. acut. text.* 75. dum ait: *Clysterem postea inijcies.* Addit Galenus: *A sanguinis missione clysterem exhibere iubet. Sed melius erat adiecisse, si non sponte probè deiecerit aluus.* Quibus nos monet vanam esse eorum opinionem, qui semper ordinatim procedendum autumant: hoc idem repetit *eodem lib. text.* 21. *Venæ sectio*, inquit, *in his præferenda est, deinde clysmis opus est, si vehemens est morbus, & magnus.* Quare parum refert, imò vtilius est aliquando præmittere venæ sectionem clysmatis, quando morbi vehementia sic postulat. Clystere igitur dicto, aluo minimè mota, vtendum est tertio quoque die, quia tutior est curatio, vti etiam visus est Auicenna dixisse, *lib. 4. Fen* 1. *tract.* 2. *cap.* 7. sic, Docens curare in genere febres putridas: & non solutio sit tibi laboriosa, & magis dilectum est apud me administratio clysterum. Idem sentit Aëtius *Tetrab. 3. serm.* 2. cauentibus nobis largam sanguinis detractionem, vt lien apostemaretur, vt sentit Auicenna *lib. 3. Fen* 15. *tract.* 2. *cap.* 1. Quòd si ex vsu fuisset aliquod leniens medicamentum transcendissem cassiam ad ℥. *j*. ß. cum portione pulueris seminum anisorum. In hoc casu libentissimè abstinuissem à dulcibus, ne inflammatio inualesceret, nisi aliquando dissolueretur manna cum sero lactis secundùm artem parati, aut serum lactis cum succo rosarum, vt doctissimo Septalio felicissimæ memoriæ magis arridet, *lib. 7. cautionum, caut.* 23. Hoc peracto statim erat deueniendum ad medicamenta, quæ meatus reserare obstructos valent, inter quæ oxymel in primis laudatur,

quod

quod medicamentum modicè detergat, neque febres accendit; attamen tam æstuante corpore, vsus essem syrupo acetoso simplici, de acetositate citri cum succo cichorij depurato diluissem syrupum aquis stillatitiis cordialibus, videlicet rutæ, caprariæ, acetosæ, scorzoneræ, pentaphylli, & id genus aliis: posset etiam parari stillatitium ex iisdem rebus, & repleto pullo extrahere aquam vitreis organis, sed quando morbus vehemens est, præstat vti iis, quæ maiorem habent vim, quia etiamsi iucundius sit stillatitium, in delicatioribus minus est potens, & non tantùm cura habenda est de morbo, & eiusdem causa, sed & de symptomatibus oportet esse solicitos Medicos, quæ aliquando ita vrgent, vt ad se trahant curationem, quia tunc, etiamsi à symptomate nulla desumatur indicatio, habent rationem causæ, vt Galenus 12. *methodi cap.* 1. Quare & horum habenda erat ratio: & quoniam, si quid vrget in morbis, sunt vigiliæ, cùm ab iis nimis infestantibus multa non aspernenda mala fiant, eam ob rem has attendere oportebat. In hunc vsum multa veniunt, sed inter cætera syrupus papaueris albi ad ℥ *j*. vel *ij*. cum aqua lactucæ ad ℥ *iij*. quàm maximè commendatur, assumptus per horam post cibum: iactat enim se Galen. hoc medicamento multos iam ferè se vigiliis consumptos in pristinum restituisse *lib. de theriaca ad Pisonem, cap.* 10. Neque enim rarò, inquit, phreneticorum amentiam strenuè curauit, aut vires impotentia dormiendi labefactatas cum omniũ admiratione somno reuocato solidauit. Vtiles etiam sunt mucilagines seminum melonum, papaueris albi cum ferculis. Exterius odores, vnctiones vt ex vnguento populeonis inunctis temporibus, & naribus, & ab his semper inchoandum, tanquam à leuioribus, nisi nos vis symptomatis ad maiora trahat. Et lotiones idem sæpissimè præstant factæ ex foliis nympheæ, lactucæ, salicum, vitium, ex capitibus papaueris, ex his omnibus, aut aliquibus parata decoctione, & hac lotis partibus extremis. Oxyrrhodina derasis capillis ex lacte muliebri recenter mulcto, ex oleo nenupharino, aut oleo in quo decoxerint cicuta, semperuiuum, mandragora. Vel quod tutius esset violati partem vnam, aquæ rosarum partes duas, cum modica aceti portione, aut seorsum à lacte, aut simul cum lacte mistis. Et quoniam vix fieri poterat, quin cum vigiliis sitiret etiam multum, neque huius symptomatis erat negligenda curatio, sed succurrendum quàm citissimè, & quemadmodum sitis, vel est naturalis, vel est non naturalis, vel præternaturalis, non est dubitandum quin hæc diceretur præternaturalis, insequens caloris febrilis vim. Huic hunc in modum esset prouisum, postquàm supponere oportet factam esse non à pituita salsa, sed à bile, vt demonstrant accidentia, hac de causa non inutilis fuisset aquæ frigidæ haustus: ita etiam & æstum extinguimus, & sæpissimè aluus mouetur post largam aquæ potionem, expedit autem semper aliquid miscere, quod tenuium sit partium, vt citius penetret, neque tam facile moretur in hypocondriis, vt est succus limonum, citri, mucilago seminum melonum, syrupus acetosus simplex. Aquæ stillatitiæ acetosæ, cichorij, rutæ, caprariæ, & hæ laudantur: placet autem permittere, vt ægrotans sustineat quantum potest sitim, in-

terim colluendo os, assumendo radices lactucæ conditas, & id genus alia vrgenre postea siti bibat, quantum vno haustu assumere potest, cum portione acetositatis citri: ita enim sitis commodè extinguitur per multum tempus, vt in dies obseruamus, paulatim etiam lambere, & potionem assumere, perinde crederem esse, ac sensim oleum super flammam infundere, quo tempore vehementior excitatur flamma, si verò paruæ flammæ olei multam quantitatem infundas, sæpissimè extingues ignem. Sat est in præsentia hæc proponere, vt aliquid relinquamus imposterum dicendum. Restat modò videre, quomodo esset occurrendùm delirio, quod nullo modo erat prætermittendum, cùm indicet affectionem partis principis, & propterea magni semper faciendum: Iisdem remediis tollitur aliquando delirium, quibus vigilia, sed non inutiles sunt tunc temporis reuulsiones factæ per frictiones, ligaturas, cucurbitulas: aliquando etiam cogimur ad vesicantia deuenire, quibus feliciter sæpissimè sum vsus: aliquando secantur venæ post aures, hirudinibus applicitis: sæpissimè venis sedis, & cum iuuamento, etiamsi priùs non fuerint ægrotantes tali euacuationi assueti.

Quæretis fortasse, an licuisset quinto die sanguinem extrahere ex brachio, vt imitaremur motum naturæ, & adiuuaremus etiam eandem tentantem per nares euacuare, moti auctoritate Hippocratis *in Aphor. Quò natura vergit, eò ducere expedit.* Respondeo igitur solere Medicos tunc imitari naturam bene operantem, &, quando virtus ita valet, vt possit sustinere euacuationem, quod in hoc ægrotante desiderabatur, cui vires erant ita languidæ, vt mors iam extaret præ foribus, cum sexto die obierit. Et si veritus est Hippocrates miscere clysterem, & vsus est balano ad virtutem respiciens, quantò minus erat cogitandum de valido præsidio: nam si de quo magis videtur inesse, & non inest: ergo nec de quo minus: sic magis videbatur inesse, vt clysterem sustineret ægrotans, & non poterat: ergo multo minus venæ sectionem, medicamentum robur naturæ expostulans. Quòd si extrema ita erant frigida, vt calor non posset reuocari, nihilominus ego pedes, & extrema sæpius fouissem panno calido, vt & videamur aliquid operari, & etiam calorem imbecillum foueremus. Cùm autem obmutuerit, non amplius remediis erat insistendum, cùm ad extremum esset ventum, quo tempore si aliquid moliêtes ęgrotans haud multo pòst moriatur sêper malus euentus adscribitur Medico. Quare iis in casibus pernecessarium est abstinere à validioribus, & prædicto periculo, aliquid leuius moliri, tum ne ægrotantis curam omnino negligere videamur, & vt faciliùs mortis accidentia perferre possit: id semper præ oculis habentibus nobis, vt à principio nulla personarum ratione habita, admoneamus peccata confiteantur, vt decet optimum Christianum, & quoniam non raró incidimus in hominum genus quoddam, qui hoc in principio renuunt, libenter procrastinantes, quod maximum est, propterea illi sunt priùs blandè, postea asperiùs admonendi, quòd si nihil proficere Medicus animaduertat, relinquat ægrotantem, ne si fortè, qui morbus à principio leuis est, Deo permittente,

in

in malignorum naturam degeneret, pessimi Medici nomen adipiscatur: longè enim melius est animam corporis commodis præponere, quàm multas diuitias acquirendo, Dei Optimi Maximi benignitate carere. Multa essent dicenda de victus ratione, quæ procul dubio debebat esse refrigerans, & humectans, tenuissima tamen, quoniam morbus fuit breuissimus, de qua, & alexipharmacis nihil in præsentia dico, cùm morbus vix dederit tempus excogitandi remedij; debebant tamen statim inuadente morbo exhiberi. A dulcibus abstinendum erat propter inflammationem, ita consulente Galeno *lib. 2. de aliment. facult. c. 16.* Quo in loco, inquit. *Iecori, & lieni inflammatione obsessis esse noxios cibos omnes, aut potiones dulces.* Quod idem repetit, 13. *meth.* 6. *cap.* 17. De medicamento purgante nihil dicendum, cùm tempus non expectauerit, sed mors præueniens ægrotantem hunc ab omni affectu liberum reddiderit. Et quoniam lien erat inflammatus, vti dictum est, statim huic erat prouidendum externis medicamentis, qualia describunt Aëtius, & Alexander *locis adductis*, videlicet adstringendi facultate præditis, qualia sunt oleum rosaceum, vehementi existente inflammatione, vel lentiscinum: sic enim in principio poterat, quod in lienem influebat reprimi, & splenis firmitas conseruari, quæ omnia, cùm sudasse frigidum perpetuò, ponat, posse prætermitti diceret aliquis, quando sudor erat adeò vehemens, vt ipse solus esset sufficiens ad resoluendas vires, quæ omnia antedicta, & alia huiusmodi administrabit Medicus adolescens (neque enim alios ad horum lectionem voco) quando illi continget huiusmodi affectus curare, quod sæpissimè solet euenire Medicinam facientibus. Vtcumque sit, habebunt iuuenes quomodo possint deuenire in cognitionem ideæ morborum: quomodo causam possint dignoscere: euentum prædicere, & etiam opportunam curationem administrare. Hæc igitur legant, donec facti seniores, meliora inueniant. Sitque Laus Deo.




ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ.



ΣΙΛΗΝΟΣ ὤκει ἐπὶ τοῦ Πλαταμῶνος πλησίον τῶν Εὐαλκίδου, ἐκ κόπων, καὶ ποτῶν, καὶ γυμνασίων ἀκαίρων, πῦρ ἔλαβε. ἤρξατο δὲ πονεῖν καὶ ὀσφῦν, καὶ κεφαλὴν εἶχε βάρος. καὶ τραχή-

ÆGROTVS II.



SILENVS [a] *qui in Platamonis ædibus propè filias Eualcidis habitabat, ex lassitudinibus, potationibus, & exercitationibus intempestiuis, ignis corripuit. Cœpit simul ex lumbis laborare, & capitis grauitate tenebatur, collúmque contendebatur.*

λυ ἦν ξύντασις. ἀπὸ δὲ κοιλίης τῇ πρώτῃ χολώδεα, ἄκρητα, ἔπαφρα, κατακορέα, πολλὰ διῆλθεν. οὖρα μέλανα. μέλαιναν τὴν ὑπόστασιν ἔχοντα. διψώδης. γλῶσσα ἐπίξηρος. νυκτὸς οὐδὲν ἐκοιμήθη. δευτέρῃ, πυρετὸς ὀξύς. διαχωρήματα πλείω, λεπτότερα, ἔπαφρα. οὖρα μέλανα. νύκτα δυσφόρως. μικρὰ παρέκρουσε. τρίτῃ, πάντα παρωξύνθη. ὑποχονδρίου ξύντασις ἐξ ἀμφοῖν παραμήκης, πρὸς ὀμφαλὸν, ὑπολάπαρος. διαχωρήματα λεπτά. ὑπομέλανα. οὖρα θολερά. ὑπομέλανα. νυκτὸς οὐδὲν ἐκοιμήθη. λόγοι πολλοί. γέλως. ᾠδή. κατέχειν οὐκ ἠδύνατο. τετάρτῃ διὰ τῶν αὐτῶν. πέμπτῃ, διαχωρήματα ἄκρητα. χολώδεα. λεῖα. λιπαρά. οὖρα λεπτά. διαφανέα. σμικρὰ κατενόει. ἕκτῃ, περὶ κεφαλὴν σμικρὰ ἐφίδρωσεν. ἄκρεα ψυχρά. πελιδνά. πολὺς βληστρισμός. ἀπὸ κοιλίης οὐδὲν διῆλθεν. οὖρα ἐπέστη. πυρετὸς ὀξύς. ἑβδόμῃ, ἄφωνος. ἄκρεα οὐκ ἔτι ἀνεθερμαίνετο. οὔρησεν οὐδέν. ὀγδόῃ, ἵδρωσε δὲ ὅλου ψυχρόν. ἐξανθήματα μετὰ ἱδρῶτος ἐρυθρά. στρογγύλα. σμικρὰ οἷον ἴονθοι παρέμενεν. οὐκ ἀφίστατο. ἀπὸ δὲ κοιλίης ἐρεθισμῷ σμικρῷ κόπρανα λεπτὰ, οἷα ἄπεπτα, πολλὰ διῄει μετὰ πόνου. οὖρει μετὰ ὀδύνης δακνώδεα. ἄκρεα σμικρὰ ἀνεθερμαίνετο. ὕπνοι λεπτοί. κω-

Primo die aluus biliosa, mera, spumosa, affatim colorata, multa reddidit: vrina nigra, in qua nigra subsidebant: [b] sitibundus erat, lingua arida. Nocte nihil dormiuit. Altero die febris acuta, retrimẽta plura, tenuiora, spumosa, vrina nigra. Nox grauis, aliquantulum delirauit. Tertio cuncta exacerbabantur, hypochondriorum contentio submollis, vtrinque promissa ad vmbilicum: aluus tenuis, subnigra: vrina turbida, nigra. Noctem insomnem duxit. [c] Multa verba, risus, cantus, moderari sibi non poterat. Quarto die eadem erant. [d] Quinto deiectiones meræ, biliosæ, læues, per quam pingues: vrina tenuis, perlucida, pauca: mente constitit. [e] Sexto parum caput sudauit, extremitates algebant, liuescebant, multum sese iactauit, aluus nihil excreuit, vrinæ restiterunt, febris acuta. [f] Septimo die obmutuit. Extremæ partes non amplius redierunt ad calorem, nihil minxit, [g] Octauo frigidus toto corpore sudor: papulæ cum sudore rubentes, rotundæ, paruæ, varis similes permanebant, nec abscessum efficiebant: alui irritationes paruæ, stercora tenuia, veluti cruda, multa cum labore reddebantur: vrinam reddebat cum dolore mordacem meram: [h] extrema parum recalescebant, somni tenues, comatosi,

ματώδεες. ἄφωνος. οὖρα λεπτὰ. διαφανέα. ἐννάτῃ, διὰ τῶν αὐτῶν. δεκάτῃ, ποτὰ οὐκ ἐδέχετο κωματώδης. οἱ δὲ ὕπνοι λεπτοί. ἀπὸ δὲ κοιλίης ὅμοια. οὔρησεν ἀθρόον ὑποπαχὺ κείμενον. ὑπόστασις κριμνώδης, λευκή. ἄκρεα πάλιν ψυχρά. ἑνδεκάτῃ, ἀπέθανεν. ἐξ ἀρχῆς τούτῳ καὶ διὰ τέλεος, πνεῦμα μέγα, ἀραιόν. ὑποχονδρίου παλμὸς ξυνεχής. ἡλικίη, ὡς περὶ ἔτεα εἴκοσι.

matosi, obmutescebat: vrina tenuis, perlucida. Nono nihil mutabatur. [i] *Decimo potum non sumebat, comatosus, & somni tenuis, similia alui excrementa: minxit multum, quod subcrassum in matella euadebat: quod subsidebat erat simile farinæ craßioris, album: extrema membra iterum frigebant.* [k] *Vndecimo obijt. A primo die ad finem vsque spiritum magnum habuit, rarum: hypochondrij perpetuam palpitationem. Annum ætatis agebat circiter vigesimum.*

COMMENTARIVS.

TRIA esse prima febrium genera, vnum earum, quæ diariæ appellantur, alterum hecticarum, tertium earum, quas acutas vocant, comites putridorum humorum, scriptum nobis reliquit Galenus 1. *in 3. epid. comment. 5. & lib. etiam 1. de different. febr. cap. 1.* Febrium autem istarum singillatim tradens signa, quibus possunt cognosci, & inter se distingui, dicebat putridarum indicia à multis desumi, videlicet à qualitate vrinarum, à calore, ita *in lib. 1. de different. febr. cap. 7.* Maximum verò, & harum febrium indicium existit, cruditas vrinæ, & debilis coctio proprium est indicium earum febrium, quæ humorum sequuntur putredinem: neque enim cruda, neque debiliter cocta in ephemeris apparet, sed perinde ac in sanis cernitur. A qualitate caloris, quia in huiusmodi febribus nihil est suaue, neque moderatum, neque vllo pacto similis ei, qui in diariis persentitur, sed mordax potius, & tactui molestus, cuius sunt verba hunc in modũ. *Maximum autem est earum, quæ ex putredine fiunt febrium indicium, qualitas caliditatis.* Subdit. *Nihil enim est in ea suaue, neque moderatum, neque vllo pacto similis ei, quæ in ephemeris sentitur*, sed quemadmodum est, & ab optimis ante nos Medicis dictum, mordax quodammodo potius existit, tactuíque molesta sentitur, ac quemadmodum fumus oculos, ac nares; sic ipsa tactum erodere videtur: addit postea submissionem pulsuum, quam prætermitto ponere, quia in hac historia non agitur de pulsu, quemadmodum nec in aliis, non quia Hippocrates pulsus non cognouerit: aliter enim est credendum, cùm eos in ægrotis obseruasse constet *ex 4. lib. epid. text. 31. & alijs*, sed quia eam

artis

artis partem minimè omnium excoluit: verùm non eſt tempus de hoc diſputandi, cùm animus ad alia ſit conuerſus. His ita cum Galeno ſtabilitis, nemo quiſquam ambiget febrem à qua detentum apparet hunc ægrotantem, fuiſſe putridam; nam, ſi ſpectemus qualitatem caloris iſtius febris, erat, vt ait Hippocrates, vehementiſſima, quia *igne fuit correptus*, quo verbo ſignificatur febris intenſiſſima, vt Galenus monet *in comment. & alijs in locis*, quid autem aliud, quàm mordaciſſimam fuiſſe caliditatem? Quod ſpectat ad vrinas, erant nigræ, quas crudas diximus. At non ſat eſt Medico cognouiſſe febrem eſſe de genere putridarum, ſed vt conſulat ſaluti ægrotantis, debet nouiſſe vtrum ſit continua, an intermittens, quod non eſt difficile: præterea quantus ſit morbus, an magnus, an paruus. Vlteriùs an celeriter moueatur, nec ne: ſed & amplius, an ſit benigna, an mali moris febris. Quare cùm vigiliæ vrgerent, ſitis vehementer infeſtaret, poterant reponi inter magna ſymptomata, magnum morbum indicantia. Habuiſſe vrinas nigras, & alia, malum eiuſdem febris morem euidenter denotabant. Itaque potuiſſet quiuis animosè affirmare, non tantùm fuiſſe inter acutas reponendam hanc febrem, ſed etiam mali, & peſſimi moris. Eſt fortaſſe quòd quis iuuenis dubitet, quomodo talis fuerit febris, cùm incœperit à cauſis externis, quæ non putridam, ſed diariam faciunt, vt Auicenna ſentit *lib* 4. *Fen* 1. *tract*. 1. *cap*. 5. & Galenus *tot in locis*, quomodo igitur, ſi ab hac cauſa ortum duxit, dicetur putrida, aut quomodo, ſi putrida, excitari potuit à cauſis externis? Fuit quidem cauſa externa non immediata, vt in ephemeris, ſed mediata, nimirum genitis à mala, & intemperata victus ratione prauis humoribus, à quibus tanquam à veris cauſis huiuſmodi febris fuit excitata, & eam ob rem Auicenna *in lib. adducto tract*. 2. *cap*. 1. appellabat cauſas remotas, alij diſpoſitiuas, quia diſponunt humores ad putredinem: cauſæ enim externæ quantum in ſeipſis eſt, nunquam excitabant febres putridas, dicente Galeno *in lib*. 2. *de criſ. cap*. 17. *&* 1. *de different. febr. cap*. 7. Si verò occurrant corpori iam malè affecto, non putridas tantùm, ſed malignas etiam concitabunt, vt præſens Hiſtoria fidem facit: inquit enim Hippocrates.

[a] *Silenum ex laſſitudinibus, potationibus, & exercitationibus intempeſtiuis ignis corripuit.*] Hæc omnia ſunt cauſæ externæ. Sed quoniam ex his ortum habuerunt cauſæ internæ, propterea tam grauiter fuit affectus: ab his enim producta eſt cauſa mediata, obſtructio ſcilicet, quæ dicitur cauſa mediata interna, ab hac autem non ventilato calore naturali, præternaturalis inuentus eſt, qui ad cor delatus, viſcus affecit vaporibus putredinoſis, & febrem, qualem deſcribit Hippocrates procreauit. Galenus appellat cauſas has externas, occaſiones, cauſas manifeſtas. Fuerunt, inquit, hæc cauſæ manifeſtæ, id eſt morbi occaſiones. Subdit ſtatim. Nam ſi quis laborando, & operando ſeſe ad laſſitudinem vſque affligat, potat autem largiùs, aut intempeſtiuè exercitationes habeat, id eſt, aut à cibo, aut vbi tardiùs concocti ſint cibi, antequam probè ſit verſum in ſanguinem nutrimentum: hic, tum bilem, propter labores acceruet; partim crudos, & incoctos humores ex potu, & intempeſtiuis exercitationibus. Quòd ſi res ita

eſt,

ita est, quid mirum humoribus istis à causa externa genitis, validissimam nacti causam ad putrescendum, si morbum grauissimum generarunt, corpore iam ad patiendum disposito, vt Galenus videtur confirmare, dum hæc profert verba. [Illud nonnunquam vsu venit, vt aliqua ex præincipientibus causis sui ratione febrem accendat ephemeram, subsequatur autem altera ex humorum putredine, quando quod afficitur ad id habile fuerit, hoc est, quando impurum fuerit, ac materia superflua redundans: hæc enim, cùm in ephemeris immoderatum calorem contraxerint, atque hinc putrescendi principium susceperint, alteram febrem succendit, priore desinente.] Quibus omnibus iam satis constare credo, quomodo à causa externa tam malignè ægrotauerit Silenus iste. Hinc etiam innotescit causa, quam duplicem constituere debemus, cùm ex anteacta victus ratione, & bilis, & crudorum humorum copia sit coaceruata: nam præter id quod legitur *in comment. Galen.* habemus etiam eundem à se ipso minimè dissentientem *in lib.* 4. *de sanitate tuenda cap.*4. his verbis. *Qui in otio degunt, ij pituitosum solent aceruare succum, quos multus labor exercet, ij biliosum, & quantò longiores, tantò sunt ad atram bilem generandam procliuiores.* Quod verò legitur *in lib. de succorum bonitate, & vitio cap.*3. ita se habet. *Sicuti namque quies corporis deses prorsus maximum est ad salutem incommodum, sic planè maximus fuerit in mediocri motione vsus, quandóve ægrotaturus quisquam sit, qui ne quando cruditate laboret curam gesserit, nec commotionem vehementiorem à cibo aliquando aggrediatur.* Quemadmodum enim omnium maximè ad sanitatem commendatur exercitatio ante cibos, ita à cibis motus vnusquisque, vel in primis damnatur, eo quòd alimentum à ventre ante coctionem distribuatur, crudorúmque ita vis humorum colligatur in venis, vnde omne genus morborum progigni solet, & *lib. eod. cap.*1. scribit. [Adhibita itaque diligenti de exercitatione cura, tum ne quid cruditate laboraremus, immunes hactenus à morbis perseuerauimus, annorum multorum spatio.] His satis credo esse notum veram esse sententiam Galeni *in comm.* nimirũ duplicem fuisse causam internam, quæ febrem hanc excitauit, bilem, & pituitam. Pessimus fuit hic morbus, vt euentus indicat, neque mirum, cùm à varietate humorum penderet; nam quemadmodum simplex morbus faciliùs euincitur, ita etiam complicatus semper deterior euadit, non potente natura humorum varietatem æquè bene euincere, vt Galenus 1. *de crif. cap.*11. notat, quod idem apertissimè confirmat 2. *lib. prog.* vbi hæc leguntur. *Deiectio versicolor, multas adesse affectiones significat, & eam ob rem tractu temporis eget ad concoctionem; si enim multæ existunt affectiones, aliquas earum diutinas esse verisimile est, si secus, ac prorsus occurrunt naturæ, quæ tanquam cum multis pugnatura inimicis, multum tempus consumat necesse est: nam deiectiones variæ diuturniores semper sunt, quàm vniusmodi, cùm non possit natura in paruo tempore multas conficere dispositiones.* & 4. *Aphor. comm.*40. Et si cum signis malignissimis fiant, etiamsi virtus videatur valida, & ætas florens, tamen facile est naturam succumbere, antequam morbus concoquatur, quod Sileno accidisse perspicuum

D est,

est. At quoniam hucúsque loquuti sumus de idea, causa, & euentu, sed minùs accuratè, quàm sit conueniens, eam ob rem singula accidentia veniunt expendenda, vt eorum, quæ diximus certiores fiamus. Hoc quidem certissimum est, febrem hanc fuisse vehementissimam, vt symptomata, quæ passus est, & excrementa denotant, neque nos esse nostra opinione frustratos animaduertemus, si quæ euenêre in toto morbi decursu spectentur, statutum etiam est causam fuisse duplicem, bilem, & pituitam: Neque sic quis quærat, quomodo possit vnus, & alter humor putredinem concipere aliis intactis, quia non est inconueniens id fieri propter dispositionem humorum ad putrefactionem, & alterationem, veluti videmus euenire in mistione: aliquando enim possunt misceri multa simul, quæ si comburantur, non omnia combustionem pati animaduertemus, quia aliqua erunt in mistione, quæ non sunt apta ad combustionem recipiendam. Hic igitur erat vterque humor bilis vt prædominans, subdominans pituita. Bilis prædominium cognoscebatur ex lumborum dolore, si credendum est Galeno, qui affirmatè tenet lumbos in huiusmodi febribus dolere propter bilis mordacitatem: hæc enim dum per lumbos transit, vellicat, & dolorem infert, quod verum sit dicit aluum reddidisse biliosa, hæc omnia probantur 1. *prorrhet. comm.* 21. his verbis: *Quòd spuma, tum propter frigiditatem, tum propter caliditatem fiat, indicium faciunt, tum venti in aquis ipsis spumam concitantes, tum efferuescens ea, quæ in lebete est caliditas.* In biliosis igitur deiectionibus spumosum ἐπάνθισμα, idem veluti flos supernè incumbens huiusmodi feruorem, non modicum ostendit: subdit: *Sed lumbis ante dolent,* propterea quod bilis per intestina penetrans acris fit, & mordax, talibus siquidem excrementis per intestina deductis, translatísque, non modò lumbos, sed etiam & reliquas partes dolores subsequuntur, compatientéque cerebro, & collo, vtraque dolebant. At non tantùm erant biliosa, sed mera, ex quibus vehemens incendium arguebatur, veluti & fuisse spumosa, colorata. Præter malam qualitatem erat etiam quantitas, quando multa fuisse scribit. Euacuatio, quæ potius colliquationem arguebat, quàm naturam dominantem: nam ab hac euacuatione apparuit vrina nigra, in qua residebant nigra, cuiusmodi solet fieri in vehementi caliditate, dicente Galeno *lib. de vrinis cap.* 23. *Nigrescit vrina, vel per admistionem nigri humoris melancholici, aut sanguinis crassi, vt in quartanis, lienosis, morbis longis, nephritide, suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus, aurigine magna, ídque periculo non ita graui, si tenues, & albæ præcesserint, copiosa, & liberè fluat, & cum alleuamento ægri:* Fiunt præterea propter adustionem febrilem, aut propter mortificationem partium, & caloris insiti: nam à frigore effectus idem, qualis & ab igne, arefactio, color ater, mortificatio. In hoc ægrotante erant sine dubio tales propter adustionem febrilem, & ideò poterant censeri lethalis, & non tantùm erant vrinæ nigræ, quoad substantiam, sed etiam quoad sedimentum, quæ multo magis periculosæ censeri debebant, si Galeno credendum est.

Sitibun

b *Sitibundus erat, lingua arida, nocte nihil dormiuit.*] Hæc noua non sunt, neque quid habent admirationis in huiusmodi febribus: sequuntur enim vim caloris, & malitiam humoris: neque diminuta sunt hæc accidentia, sed in dies ingrauescebant, cùm præter alui excrementa, & vrinas, etiam caput fuerit malè affectum, & delirauerit, in consensum tracto cerebro; & præter id, habebat etiam inflammationem hypochondriorum, quod denotat per particulam illam: *Hypochondriorum contentio submollis.* Idque confirmat Galen. *in comment.* Et ex hoc etiam vnusquisque videre potest quanti faciat Hippocrates hypochondriorum affectionem, vt apertissimè colligimus *in* 1. *prog. text.* 27. & præcipuè si dextrum malè habeat, vt *eodem lib. text.* 29. colligitur sic. *Oedema in hypochondrio durum, & dolens, pessimum est, si in vniuerso sit hypochondrio: si verò altera parte sit, sinistra minori cum periculo est.* Galen. *Si dextra affligat parte periculosior est, propter iecur; indulgentior, si sinistra, propter lienem: si vtraque simul lacessit, pessima.* Propterea vos semper debetis tangere hypochondria, quia non parum refert benè, an malè se habeant. Itaque omnia tendebant ad perniciem, cùm nihilominus eadem perseuerarent excrementa alui, & vrinæ, videlicet nigra omnia, & turbida: scimus enim turbationem vrinarum significare maximam agitationem in genere venoso, magis quidem, & minus pro specie turbatæ vrinæ: est enim triplex vrinarum turbidarum differentia; vna earum, quæ minguntur turbidæ, & remanent turbidæ: Altera quando minguntur turbidæ, haud multo post resident: Tertia quando minguntur claræ, haud multo post turbantur, ita 1. *de cris. c.* 12. *Inter has, tertia deterior: bona secunda: media prima,* Audite verba Galeni ne dictum fide careat. Nam cùm triplex sit vrinarum turbidarum differentia, quia, vel cùm tales mictæ fuerint, semper similes permanent: vel cùm tales mictæ fuerint, paulò pòst resident: vel puræ equidem minguntur, posteà verò conturbantur: praua quidem ex dictis tertia: media prima, mitis autem secunda. Quoniam, quæ statim quidem resídet, parum aliquid inæqualis turbulentiæ superesse demonstrat; quæ verò semper manet similis, vigere adhuc, quæ est in sanguine, agitationem ostendit: quæ verò extrà conturbatur, debet incipere concoqui, quare optimo iure pessima est: nam & longiori tempore, & virtute forti indiget ad coctionem. Sed quæ turbulenta mingitur, statímque subsidentiam habet bonam, morbum haud ita multo post concoquendum significat, atque idcircò mitior. Medio autem modo se habet altera: nam ea, vt quæ vigente fit conturbatione, quantum malitia differt ab ea, quæ adhuc futuram perturbationem significat, tantum superat eam, quæ iam quiescentem obtinet. Quæ verò ad summum incocta est, has omnes vincit, & quæ sequuntur. Repetit hoc idem 4. *Aphor. comment.* 70. sic: *Nonnullæ igitur vrinæ longo tempore manent perturbatæ, nonnullæ verò citò sedimen crassum habent, & citò solutum morbum iri significant. Quæ verò non resident, si vires affuerint, longum fore morbum ostendunt, si imbecillitas ægri, mortem prænuntiant.* De vrina turbida meminit Hippocrates etiam sic *lib. 3. Coacarum, text.* 65. Qualis esset hæc vrina non describit Hippocrates,

sed tamen ponamus fuisse ex iis, quæ remanerent, quales mingebantur, ex quibus non omninò esset desperanda salus, nisi etiam fuissent nigræ quibus nihil deerat ad euidentem perniciem, cùm turbata nigresceret, hinc insomnia,& deliria,cuius solent vrinæ dictæ esse nunciæ,& perpaucos vidimus cum huiusmodi vrinis,quibus aut non fuerit concitatum delirium vehemens, aut saltem aliquo modo mente non vacillarint, nisi aut aliqua præuenerit euacuatio, aut aliam habuerit causam, quàm internam adustionem, vt vesicæ vitium,aut renum, in iis præsertim, qui nephriticis doloribus sunt obnoxij, qui caruncula laborant, aut renum vlcere, aut gonorrhœa. Hoc animaduertens Hippocrates monebat, illud in primis esse considerandum, an vesica laboraret,& ideò nos deciperet 2.*prog. text.* 37. Ne te fallat, si ipsa vesica ægrotans, aliquam talem reddiderit vrinam: non enim totius, sed ipsius per se vesicæ indicium est. Si igitur tales appareant ex vi morbi,non aspernendam capitis læsionem minantur, & multo magis,si vigiles sint ægrotantes plus iusto: nam Hippocrates de vxore Oecetai sic scripsit 2. *in* 3. *epid. text.*8. *Nocte nihil dormiuit, innuit mox deliraturam, & ita euenit.* Clarè etiam mihi videtur Galenus hoc idem confirmare *in lib.* 1. *prorrhet. comment.*4. Textus sic se habet. *Vrinæ in turbulentis, vigilibúsque decolores, nigræ, sublime petentes, atque in sudoribus phreniticæ.* Addit Galen. *in comment. Vigiliæ igitur, & turbationes ægrotantium reuera sunt phreniticæ. Pessimum est non dormire, neque die,neque nocte, quia aut præ dolore, & afflictione vigilant,aut ab hoc signo delirabunt,*ita Galenus 2. *in* 7.*Coacarum, comment.*1. *text.*35. Ratio huius esse videtur, quoniam cùm aliquis febre acuta diuexatur,in qua somnus, si quid aliud requiritur, & desideratur, si aliter fiat, & ægrotans neque noctu, neque die dormiat, oportet adsit aliquis continuò affligens dolor, quòd si hoc absit, oportet adsit sicca cerebri intemperatura,propter acres fuligines elatas, & ita vigilias,simúlque delirium excitari: nam quemadmodum somnum dolor arcet, ita in delirio somni absunt causæ naturales, nimirum bona cerebri temperies,& suauis euaporatio.Quare perpetuæ vigiliæ pessimæ sunt, vt causa, & vt signum. Vt causa, quia prohibent coctionem tum humorum, tum etiam alimentorum. Vt signum, quia eam cerebri indicat læsionem, vt haud multò pòst in delirium incidere possit. Confirmat hæc quæ dicta sunt, casus Illustrissimi Marchionis Ioannis Baptistæ Bellisomi,qui à primo die cœpit de vigiliis conqueri, quibus,adueniente septima, superuenit vrina turbida, haud multò pòst delirium furiosum,quod memoriâ debetis tenere,& diligenter obseruare,vt hoc symptoma semper magni faciatis, quia vigiliæ, quò infestiores, eò magis timendæ, & ne longiùs exemplum petamus, sit vobis in præsentia hoc quod habemus præ manibus instar omnium,qui post vigilias delirauit, vt verba Hippocratis fidem faciunt,dum inquit.

[c] *Multa verba,risus,cantus, moderari sibi non potuit.*] Hæc omnia possent dici prouenisse ab imaginatione deprauata: videmus enim sæpissimè delirantes modò ridere,modò lugere,modò canere,aut quid aliud facere, & tamen si interrogentur, respondent ad ea, quæ petuntur, aut nomina

etiam

etiam assistentium in memoria habere, eosdémque nomine proprio vocare. Neque propterea quòd rideret delirans, erat ipsius bona spes concipienda, quòd velit Hippocrates desipientias cum risu esse securiores, quia perinde est, ac si diceret minus periculosas: verum, etiamsi sint cum risu, expedit videre, an quid aliud deterius sit coniunctum, quoniam tunc nihilominus sunt mortiferæ, etiam cum risu. Hoc ad verbum possumus videre apud Galenum *in 6. Aphor. comment.* 53. qui sic legitur: *Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores, quæ verò cum studio periculosiores.* Subdit Galenus: *Nulla quidem desipientia secura est; minus periculosa, quæ cum risu est; sicuti temerariæ omnium periculosissimæ: in medio autem amborum sunt, quæ cum studio sunt.* Fiunt autem omnes compatiente cerebro, vel primariò, vel secundariò. Causa postea, cur quæ cum risu fiunt, sint securiores, est, quia indicant humorem benigniorem, sanguinem scilicet, qui omnium humorum est mitissimus; cùm igitur calefit sanguis, blandiores vapores ad cerebrum transmittuntur, & ita fit desipientia cum risu. Quòd si cum studio, tunc deterior est humor, qui peccat, vt *multis in locis* ex Hippocrate, & Galeno colligitur. Vtcunque sit, semper malæ sunt desipientiæ, etiam cum risu, quomodo etiam obiisse Dealcis vxorem apparet ex iis, quæ scripta reliquit Hippocrates 3. *in* 3. *epid. text.* 86. *Illa delirans ridebat, tamen vigesima obijt*, quia, vt dictum est, aliquando aliud adiungitur symptoma, quod præeminet aliis, sed multò magis augetur periculum, si adsit cum delirio, virtutis imbecillitas, quia tunc est pessimum signum, si credendum est Galeno 1. *prorrhet. text.* 8. sic dicenti: *Prælanguentium desipientiæ sunt pessimæ*, & ita, vt cum huiusmodi affectione nullus vnquam conualescat, ita Galeno confirmante *in comment. Et quid mirum, si obijt hic ægrotans: magis mirandum eum tot symptomatibus tandiu vitam protraxisse, præsertim cùm quartum non minus habuerit grauem, quàm tertium*, quod quanti faciat Galenus *in comment. antecedente* vidimus. Cur igitur non euenit iudicium, & mors in septima? Quia natura detrusit partem materiæ peccantis ad cutim, vt videbimus, postquam obseruauerimus quæ die quinto, & sexto euenêre.

[d] *Quinto die deiectiones erant meræ, biliosæ.*] Hæc excrementa flammidam significabant dispositionem, quia præter sanguinem, quiuis alius humor syncerus apparens, prauam significat affectionem, flammido calore obtinens generationem, Galeno confitente 2. *prog. comment.* 47. ídque non tantum de excrementis per aluum, sed etiam de quacunque alia euacuatione, tam per vomitum, quàm per sputa, & vrinas facta, intelligendum est, ex eiusdem Galeni mente 2. *prorrhet. text.* 26. in his. *Non solùm igitur vomitiones syncera, & implacidæ malæ sunt; verùm quoque & deiectiones, & sputa, & vrinæ, & quiduis aliud.* Verùm nescio an simpliciter sit intelligenda Galeni sententia, quando videmus apparere pituitam syncerain; quæro modò, an hæc significet flammidam dispositionem? cùm tamen humor sit frigidus. Si Galeni locum respiciamus, cùm dicat: *Quiuis humor, sanguine excepto, syncerus, habet generationem à flammido colore*, non est dubium intelligi etiam de humore frigido, & tamen in

aliis locis videtur aliter sentire : primum enim syncerum vocatur illud quod impermistum est, ita Galenus 2.*prorrhet.comment.*15. dum ita scribit : *Praua igitur affectionis signa sunt spumosa, & syncera*, si memoria tenuerimus, deiectiones ἀκράτας, id est, synceras appellari, quæ duntaxat vnum, qui excernitur humorem cæteris impermistum habent. Ita describit humorem syncerum, sed quomodo synceritas cuiusuis humoris flammidam significet dispositionem, non intelligo. Dilectissimus pater meus *in progn.* dicit ideo fieri, quia priuantur proprio ichore, à quo solent castigari, & ideo malum esse syncerum humorem duplici ratione, vt signum, & vt causam : vt signum, quia ingens incendium ostenditur, vt causa quia succi effrenes redduntur, præsertim calidi, quasi intelligat etiam pituitam effrenem reddi, & ingens incendium significari, at quomodo à pituita potest vehemens incendium accendi, nisi sit salsa, à qua ardentem febrem procreari iam habemus, ex Hippocrate *in vestibulo* 4.*acut.* si verò non sit salsa, frigiditatem significat, vti apertissimè testatus est Galenus *lib.2.prog.comment.*36. sic : *Biliosus enim syncerus multam caliditatem, pituitosus indicat frigiditatem.* Hîc sine dubio loquitur de humore pituitoso syncero, & tamen significare frigiditatem apertissimè dicit : non igitur flammeam dispositionem significat quiuis humor, sed tantùm intelligendũ crediderim de humoribus calidis, qui efferuntur magis, quo magis ichore proprio destituuntur : ídque colligo ex eodem Galeno *loco adducto*, dum inquit *in eod.comment. Quin etiam synceri humores crassiores existunt, pituitosus quidem propter frigiditatem quasi concretus : biliosus verò propter exuberantiam caloris euaporatus, & tanquam assatus.* Ergo aut propositio Galeni intelligenda est tantùm de humoribus calidis, aut vult dicere, non posse fieri istum humorem syncerum, nisi à caliditate segregante, & veluti absumente serum. Qui meliora habet in medium ponat.

[c] *Fuisse postea perpinguia leuia*,] colliquari corpus arguebant : nam quemadmodum optimum est, quidquid salubre est, si æquale sit, ita quidquid malum est, id omne euadit deterius, si inæquale existat : dicitur autem læue, quod habet æqualem coctionem, vt nulla pars effugerit naturæ alterationem, dicitur etiam læue, propter vehementem corruptionem, vt nulla materiæ pars imperpessa maneat, aut supersit, ita dicente Galeno 2.*progn. comment.*21. fuisse tandem pingues, argumento erat corpus colliquari, si credendum est Galeno *loco* nuper *adducto*, & 1.*de cris. cap.*1. Fiunt huiusmodi colliquationes, cùm recens compacta substantia pinguedinis, ac carnis ab ardenti febre resoluitur, & colliquatur, quod contingit præcipuè in febribus pestilentibus, vt legimus 3.*in* 3.*epid.* his verbis : *Quæ euacuabantur erat colliquatio*, quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris ardentis, quam pestilentem priuatim vocitant, cùm mortales, vel citra pestem corripiat. Illud autem scire oportet aliud esse carnem colliquescere, aliud adipem : nam calor est feruentissimus, qui carnem fundit : moderatur, qui adipem. Sed neque propterea statim prædicendum malum, etiamsi pinguia videamus excrementa;

crementa : nam aliquando fiunt propter calidam rerum intemperiem, túmque enatabit in vrinis, neque necessarium est illos febrire. Nunc sermo est de febre pestilente, quam non difficilè potuit sequi colliquatio, quæ mortem attulerit, vt & Pario, & adolescentulo Mœlibeæ contigisse videbimus. Dicetis : si tam æstuans erat interna dispositio, vt videretur corpus colliquari, quomodo vrina ex nigra, & turbida facta est tenuis, perlucida, pauca : si hoc factum est, quia humores non expurgarentur amplius per vias vrinæ, quomodo non delirauit, vt sæpissimè contingit in huiusmodi casibus : nam ex nigra facta est perlucida, ex turbida tenuis: præsertim cum Larissa 3.*in* 3.*epid.text*.83.tenuibus vrinis existentibus delirauerit, & Nicodemus. Profectò hoc non rarò obseruatur in praxi, si vrinæ fiant ex crassis tenues, facilè imminere delirium. At non est propterea mirum, si hæc non fiant semper, cùm vrinæ per se non indicent affectionem capitis, per accidens aliquando. Ita 1. *prorrhet. comment*.4. Vigiliæ, & turbationes re vera sunt phreniticæ : vrinæ verò, & sudores nequaquam,& clariùs 2.*prorrhet. comment*.2. hunc in modum: *Rursus, & in præsentia memoria tenere tyrones oportet, nullum in vrinis esse signum, quod delirium prænuntiet.* Nempe hæc, partium hepatis, & renum, & vesicæ affectionem indicant, vasorúmque sanguinem continentium, & virtutis succos generantis tum robur, tum imbecillitatem. Nec obstat *Aphor.* 4.*text*.72.particulæ, qui sic legitur: *Quibus vrinæ albæ,& perspicuæ,malæ,*præsertim si in phreniticis fiant, quia Hippocrates hîc non vult dicere huiusmodi vrinas esse delirij notas, sed esse malas, quia indicent extremam cruditatem, ad quam remouendam facultas requiritur validissima, & tempus longum, proptereáque esse admodum lethales in phreniticis, quia fieri non potest, vt phrenitici cum huiusmodi vrinis seruentur, iam ex facultatis animalis affectione debilitati, quo fit, vt priùs moriantur ægrotantes, quàm vrina concoquatur, & Galenus ipse testatur se nullum phreniticorum vidisse cum huiusmodi vrinis seruatum, repetítque non dissimile 2.*prog.comment*.32.quod idem visus est innuere Hippocrates 3.*in* 3. *Coacarum* his verbis: *Vrina aquosa, & alba ab initio ad finem difficilis indicij est, nec periculo vacare solet, periculum enim est, ne æger succumbat priùs, quàm morbus maturetur.* Quòd si res ita est, & vrinæ per se nihil conferunt ad capitis affectionem indicandam, quid mirum si non delirauit in tanta vrinarum mutatione ad tenuius. Quæ igitur erit causa huius ? Multa possent dici, nimirum retentam esse crassiorem materiam intra corpus, & vrinæ tenuiorem partem esse euacuatam, & paucam, quia præ imbecillitate natura non posset consuetam euacuationem moliri, neque secundùm quantitatem, neque secundùm qualitatem ; scimus enim in extrema virtutis imbecillitate, aut immodicè euacuari corpora,præ facultatis retentricis languore, aut nihil omnino excerni propter impotentiam illius facultatis, cuius munus est à corpore deturbare noxia, quo tempore etiam si adsit mala humorum qualitas, ad extremum redacta, non sentit irritamentum. Perinde senes decrepiti non discernunt acria à dulcibus,neque offenduntur à vehemẽter acribus,quia

eorum facultas veluti emortua est. Ita in suppressione vrinæ: aliquando enim hæc fit propter extinctionem facultatis, vesicæ, quod apertissimè à Galeno habetur *lib.2.prorrhet.text.16. Vrinarum* inquit Hippocrates *in morbis acutis ex refrigeratione interceptiones, pessima.* Addit Galenus: *Morbi acuti ex calidiore materia ortum habent: si ergo vrinarum retentio ex vesica refrigeratione fit, malum.* Nempe ex tali intemperie, secretoriæ, quæ in vesica est facultatis factam imbecillitatem, vel sensus, ob refrigeratum ipsius neruum priuatione, neruúmque ipsum quòd cōtristat haudquaquam sentire ostendit. Testatur idem Hippocrates 2. *in* 2. *Coacarum, text.* 10. sic. *Vrina intercepta significat dolorem, atsi sudor accedat, malum:* Est autem malus tunc sudor, quia fit inclinante ægro ad exitium, & significat naturæ dissolutionem. Quare cùm post vrinæ retentionem sudauerit Silenus, & frigidum, videtur id factum propter extremam imbecillitatem, præsertim cùm non obscura prostrationis virtutis signa extent. Hoc etiam potest addi in confirmationem, quod habetur 3. *in* 3. *Coacarum, text.* 73. *In biliosis vrina intercepta celeriter interficit.* Tamen etiamsi hæc & similia possent addi, ego existimo istam vrinæ paucitatem, & mutationem aliam habuisse causam, & tandem suppressionem omnimodam. Natura haud multò pòst erat expulsionem factura, quo tempore colligit se, & omnia retinet, vt maiore conatu, & impetu insurgat aduersus causam morbificam. Tunc fiunt vrinæ, & alui suppressiones, & cessat quæcumque euacuatio, quandiu natura instaurata finem suum assequatur, & materiam peccantem euacuet per eam partem, quam habet faciliorem. Hoc colligitur ex Galeno *lib.*3. *de cris. cap.*2. quo in loco docet, quæ soleant crisim præcedere, & inter cætera supprimi vrinam notat, vti etiam testatum habemus 1. *in 6. epid. text.*10. sic. *Ante rigorem, vrinarum suppressiones si ex optimis fluxerint.* In quorum confirmationem subnectuntur hæc. *Tanta enim signorum in acutis vis est, vt & soli ipsi credendum sit, alijs verò accedentibus, etiam diuinatio tibi erit firmissima, perpetuóque veridica.* Verùm vrinam, etiam aluo fluente largiter, supprimi contingit, illuc serosam humiditatem vergente, cuius redundantis triplicem esse euacuationem dedicisti per aluum, per lotium, per sudores. Ergo si aluus plura deiecerit, vrinæ suppressæ ad futurum rigorem, præsertim dum fidere non conuenit. At si aluus fluxa non sit, proximúmque esse indicium noueris, ægrotum rigere, sudaréque necesse est. Vult per hæc verba innuere, quomodocúmque fiat crisis, semper à natura fieri motus quosdam, cùm haud multò pòst natura erat euacuationem tentatura, dum autem præpararet se ad expulsionem, hinc vrinæ tenues, crassiore materia retenta, paucæ: aliò conuersa: Verum est hoc, non posse Medicum, neque integrum, neque bonum iudicium expectare in virtute languida, veluti erat huius ægrotantis, præsertim cùm in dies deteriorem fieri ægrotantis statum ex sexto die constaret, dum inquit.

[c] *Sexto die parum sudauit caput, extremitates algebant, liuescebant, multum se iactauit, aluus nihil excreuit, vrinæ restiterunt, febris acuta.*] Hæc omnia si post euidentem, aut perfectam coctionem essent facta, non

non adeò perniciosa eadem censeri debebant, (etiamsi ante bonam crisim non liuescant extrema) quoniam grauia symptomata præcedunt crisim, quæ non debet Medicus generosus pertimescere signis coctionis præcessis. At quia in hoc ægrotante ne vestigium coctionis cernebatur, sed omnia coctioni contraria, quibus indicabatur non potuisse expectari bonam crisim, sed fortasse naturam in tentata futura euacuatione casuram: Et quo magis procedebat morbus, magis ægrotantis ruina patefiebat, cum maiore periculo, & euidentiore pernitie, cùm quo die debebat expectari signum aliquod alleuationis, eodem maius videbatur prostrationis: nam ait;

[f] *Septimo die obmutuit, extremæ partes non amplius ad calorem redierunt: nihil minxit.*] Debebat fieri iudicium in septima, cùm morbus esset vehementissimus, & per impares moueretur, sed non tantùm apparuit minimum virtutis robur, sed potius omnimodæ prostrationis euidentissimum fuit argumentum, obmutuisse in hoc die, & partes extremas non tantùm esse refrigeratas, sed etiam tales permansisse, cùm amplius non recalescerent, præsertim cùm antea etiam liuescerent: liuida enim facta corpora in breui mortem denunciant, vt 2. *Coacarum text.* 31. Quibus sic stantibus, quæ fida crisis poterat expectari, cùm ferè iam ventum esset ad vltimum, etiamsi ætas id ferret, vt diutius produceretur mors, vt solet fieri in ætate florentibus: attamen omnes naturæ conatus irritos futuros putandum erat, tali existente morbi constitutione in iuuene: Quò enim magis sua natura vim morbi sustinet, eò grauior censetur causa, quæ iuuenilem ætatem deprimit, ita, vt etiam superueniens euacuatio tunc possit esse suspecta, & omninò inutilis: inutilis, quia in cruditate nulla euacuatio bona: suspecta, quia quæuis euacuatio in virtute languida, pessima; & ideo tunc non est cur Medicus expectet crisim: non perfectam, quia hæc est subita mutatio ad melius, ita Galenus 3. *de cris. cap.* 2. sola subita mutatio ad sanitatem simpliciter crisis dicitur, fit autem omninò manifestis quibusdam excretionibus, aut effatu dignis abscessibus. At dicetis, nonne effatu dignæ factæ sunt euacuationes in Sileno, cùm Octauo die multæ superuenerint euacuationes: nam sudauit, papulæ eruperunt, aluus est mota: & etiam per vias vrinæ fiebat excretio. Istæ sunt euacuationes, quæ morbos sæpissimè tollunt. Vos hîc volo cautos, & attentos, vt semper inspiciatis modum expulsionis: si enim optimè fiunt, tollitur, aut diminuitur morbus: si verò aliter, non tantùm non tollitur affectus, sed perniciosæ sunt, quia regurgitante materia à circunferentia ad centrum, non potente natura expellere ad cutim, celerrimè mortem inferunt, quod apertissimè videmus in hac variolarum constitutione. Iis, quibus erumpunt validè, febris sensim definit aut euidenter diminuitur: quibus autem lentè mouentur, aut aluo mota, non amplius erumpunt; ij omnes periclitantur, factámque vidi in multis hanc expulsionem, aut in quarta, aut in tertia, multis etiam incensa est febris, quæ spatio octo dierum perdurauit, posteà eadem conquiescente integrè, de repentè eruperunt variolæ, quæ tamen, vt à materia benigniore, omnes

securæ fuerunt. Itáque non est simpliciter verum, quod aliqui pro certissimo ponunt [1], fieri scilicet non posse vt variolæ erumpant octaua à febre die, cùm ego id obseruauerim hoc anno sæpiùs; verum est, quamplurimis tertia die erupisse. Habui in hoc Xenodochio maiori Papiæ multos pueros, qui cùm febricitarent, expurgati sunt integrè, & deferbuit omnino calor; postea nulla noua succensa febre eruperunt variolæ, cùm tamen etiam decima dies à febre prætererit; perinde in Cœnobio Diui Thomæ contigit in iuuene annorum viginti quatuor. Prætermittimus nunc quærere, an variolæ necessariò proueniant à sanguine menstruo, necne, ego quidquid alij dicant, puto esse constitutionem similem aliis, fieri scilicet hos affectus, quando corpus ad hos suscipiendos morbos fuerit dispositum, sunt autem maximè disposita puerorum corpora, quia in ipsis abundat humiditas, & propterea hæc putredo in pueris frequentissima est, in adolescentibus autem, & senibus, quia minor est humiditas, etiam rariùs fiunt, vt quotidiana experientia confirmat, et si fiant, sunt hi morbi periculosiores, quia non conueniunt ætati, & ex hoc apertissimè constat omnibus in ætatibus fieri posse, quando adsit dispositio, & proinde etiam non crederem tribuendum hoc esse sanguini menstruo, sed causæ, quæ potest generari in omnibus, minus autem in hoc, quàm in illo generatur; quia non adest æqualis dispositio, vti etiam de peste dici potest: neque enim sæpissimè hæc contingit corruptio, sed semel aliquando in hominum vita continget, quia tantam corruptionem non patitur natura tam frequenter generari, & quando generatur, natura patitur maximam vim, quia semper tuetur corpus, quantum potest, à putredine, & quia dicunt omnes pati variolas, etiam possemus dicere omnes pati pestem, patiuntur variolas, quando fit constitutio, quæ admodum sit humida, quia pueri præ cæteris excedentem habent humiditatem, non quia id habeant ab vtero matris ex sanguine menstruo: quomodo enim esse potest, vt puer qui per annos ægrotabit, non expurget malam illam qualitatem, quam contraxit ab vtero. Demus iuuenem viginti quatuor annorum corripi variolis; antea autem ex prægressis morbis fuerit repurgatus, nonne potuit euacuare materiam illam.

Quare cùm videamus aliquos si pertranseant pubertatem, aut variolis amplius non corripi, aut in adolescentia corripi, sed tamen rarò contingere in illa ætate, dicendum erit, ideo fieri, quia cessauit illa dispositio, quæ reddit aptum corpus ad variolas: fieri autem in aliquibus, quia aliqua corpora sunt, quæ æqualiter sunt disposita, vt pueri propter excedentem humiditatem, quidquid alij dicant. Sed veniamus ad textum.

[g] *Octauo frigidus toto corpore sudor: papulæ.*] Quot euacuationes tentauerit natura, & quid commodi attulerint, ostendit sanatio: nam, nihil iuuamenti attulerunt, itáque fuerunt malæ euacuationes; quia erant inordinatæ: erant malæ, quia paucæ: erant malæ, ratione qualitatis. Primo igitur modo, quia natura tentauit quatuor euacuationes eodem die, vnam per aluum, duas per cutim, quartam per vrinam, & quo tempore tot euacuationes natura tentat, non potest tot motibus satisfacere, itáque

que pluribus tentatis euacuationibus, illarum aliqua fiat imperfecta necesse est. In hoc fuerunt omnes imperfectæ, & per consequens malæ, quia paucæ: paucam autem damnari à Galeno iam constat tanquam virtutis deficientis indicium: sed & ratione qualitatis, quia sudor erat frigidus, papulæ abscessum non faciebant: Excrementa erant cruda. Quod scribit excrementa, quæ per aluum euacuabantur, esse tenuia, & multa, sed cum labore fuisse euacuata. Ita interpretarer, fuisse multa, & cum labore excreta, id est, sæpiùs irritasse ad expulsionem, sed tamen paulatim fuisse emissa, ita vt potius posset dici irritamentum, quàm secus; præsertim cùm simul posset misceri portio materiæ crassæ, & salsæ, quæ vt stimulat sua salsedine, ita sua crassitie prohibet facilem euacuationem, vt tenesmo laborantes experiuntur. Quidquid esset, improbatur ab Hippocrate hic euacuationis modus 2.*in 6.Coacarum text.* 31.*In biliosis turbata aluus reddens parua genituræ similia, mucosa, quæ dolorem faciant, vrinæ quoque non facilè prodeuntes, vt, ne in hydropicum malum desinat, metuendum.* Super quo textu notat doctissimus Hollerius vidisse se acuta febre laborantes cum huiusmodi alui perturbatione esse mortuos. Itaque euacuationes per aluum, & per vrinam erant malæ, vt dictum est, sed neque bonæ erant, quæ per cutim tentatæ sunt: non illa per sudorem, quia præter id quòd paucus erat, etiamsi toto corpore, & frigidus: neque altera expulsio, quia, etiamsi esset materiæ crassioris, tamen non erat sufficiens euacuatio, & scribit fuisse rubentes, tanquam à sanguine pendentes. Hic sunt, qui defatigantur, quærentes, quomodo non fuerint bonæ, cùm fuerint rubræ: sanguis enim mitissimus est. Sed ad quid hæc quærere, & in his immorari, nonne scimus attendi qualitatem humoris euacuati, & modum euacuationis: si enim non euacuatur pro ratione morbi, etiamsi humor euacuandus sua natura sit placidus, si tamen non possit à corpore deturbari, deterior redditur. Præterea in morbis non attenditur signum vnum, sed omnia expenduntur, & considerat Medicus cumulum accidentium, vt inde discernat ex quo magis timendum, neque enim quia vnum bonum sit, propterea conualescet ægrotans, quando alia extant annexa, quæ sua natura lethalia sunt, ita in hoc inspicimus, qui papulas habuit rubentes: cuius causa si minus timendum propter colorem, mista scilicet sanguinis portione, tamen erant timendæ ratione motus, quia expulsio non fiebat integra: sed hoc dato, erat sudor frigidus, extrema frigida, postea sequuta obmutescentia, & alia, quæ certam ægrotantis perniciem minabantur. *Erant rotundæ:* id sequebatur vim caloris, quoad causam efficientem; quo autem ad causam materialem erat hæc materia crassa: ita enim de varis scribit Galenus, qui ait esse tumores rubros in faciei superficie nascentes, rotundos, paruos, eorum causam materiam crassam statuebat *lib. de remedijs facilè parabilibus cap.* 1. & sunt tumores illi, vulgo torli dicti. His ita constitutis, quæ spes salutis suberat ex hac euacuatione & aliis, cùm non perficiuntur: nam habemus à Galeno *lib.* 2. *prorrhet. text.* 47. *Si vomitus exigui, biliosique fuerint, malum: tum aliàs, tum si superuigilauerint ægri:* Addit Galenus. Pauca

excerni in ægris vnum quoddam ex iis, quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nares excernatur, siue deorsum per ventrem, siue per vomitus tale quippiam, quod superfluum sit excernatur. Idem & in sudoribus est, & in his, quæ per vterum excernuntur. Nihil enim eorum, quæ decretoria existunt exiguè excerni conuenit, sed quæ ita euacuantur, omnia duorum alterum subeunt. Nam, vel quòd non queant tolerare ob copiam ab affectis partibus effunduntur, vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proposuit quidem superflua excernere, sed nequit. Idem contigit Sileno huic, quod contigisse monet Hippocrates ægrotis illis, de quibus fit mentio 2. *in* 1. *epid. text.* 38. Illis etiam inutiles apparebant papulæ, quæ cùm essent paruæ, non erant morbis excernendis, statímque euanescebant, proueniebántque, ex sententia Galeni, ex crudis humoribus: quòd si quando natura per vim ad aliquos eorum excernendos aggressa esset, nihil proficiebat, immò verò ab iis superata, aut in profundum recurrere permisit, aut propter paucitatem excretionum abscessum moliebatur, qui nihil decernebat. Non immeritò igitur *in loco adducto de cris.* addit. *Quicunque enim aliter quieuerint: id est quicunque sine manifestis, & effatu dignis excretionibus fiunt, malignius retrocedunt*; quod videtur annotatum 2. *in* 1. *Coacarum, text.* 21. *&* 22. Vbi subdit Hollerius spectandam esse tolerantiam, & conferentiam, vti *suprà* dictum est. Ergo in omnibus euacuationibus attendere debetis quid commodi sequatur, & quorsum euadat euacuatio, antequam iudicium feratis; & hoc maximè timendum videbitis in praxi, quando natura eodem tempore tot tentat euacuationes, quia, vt fiant perfectè, requiritur magna virtutis vis, & ideò, vt plurimum suspectæ. Sed addamus & diem, cur non in septima, aut nona facta sunt hæc, qui dies fidum afferunt iudicium? Respondete vos, quia cùm natura non potest malitiæ humorum dominari, omnia peruertuntur, veluti milites sine duce dispersi irruunt huc, & illuc inordinatè moti, ita & humores sine duce natura, hinc, & hinc prodeunt sine ordine, sine commodo ægrotantis. Octauus dies in iudicando respondet sexto, qui tyrannus à Galeno dicitur, & propterea, si in his diebus fiant euacuationes, nunquam fiet id operante natura, quæ solet quando potest tempestiuè mouere. Hoc apertissimis verbis confirmat Galenus *lib.* 1. *de diebus decret. cap.* 5. Si aliquando autem in octauum diem, vel decimum subita morbi solutio incidat, similis ferè est ei, quæ in sexta accidit: quomodo autem in sexta iudicari soleant ægrotantes, legite caput, quod omnia continet, & vtilia. Infidè octauum iudicare etiam confirmat *lib.* 2. *de diebus decret. cap.* 6. his verbis, *Ad iam factam vero crisim iudicandam omnes semper sunt cognoscendæ: vt v. g. tutiorem esse crisim, quæ nono, quam quæ octauo die accidit: minus fidam quæ octauo, quam quæ nono contingit, iudicemus.* Non est igitur mirum, si inutiliter prodiere euacuationes, cùm octauo die sint factæ. Id boni attulit, quòd distulit propterea mortem, vt quemadmodum debebat mori in septima, superuixerit vsque ad vndecimam, quod tamen non parum potuit ætas, sed tamen superuixerit miserrimè cum grauissimis nihilominus symptomatibus:

matibus: nam papulæ illæ absceſſum non faciebant, id eſt, inutiles erant, veluti & aliæ euacuationes, quod vt denotaret, addit;

[h] *Extrema parum recaleſcebant,*] id eſt, in tot euacuationibus natura alleuabatur, quòd tamen debuiſſet fieri, quomodo id cognoſcemus? ex recaleſcentia extremorum, quæ modica fuit, indicium quòd euacuationes erant inutiles, vti dictum eſt, quia debebant multùm recaleſcere: ita enim ſignum fuiſſet naturam eſſe alleuatam, & calorem euentatum. Præterea ſomni erant tenues, comatoſi, id eſt, impotentia vigilandi tenebatur, ſed tamen non dormiebat, vt ſunt illi, qui à mala qualitate humorum infeſtantur, ij vigilant, ſed tamen præ imbecillitate non poſſunt oculos apertos tenere, & ita videntur comatoſi: ſi autem voces, ſtatim palpebras attollunt; & ita dicuntur ſomni tenues, quia ex leui occaſione oculos aperiunt, comatoſi quia non poſſunt, non conniuere oculis præ virtutis infirmitate, quos aliquando vulgus putat dormire: cùm tamen ſequatur illud naturæ infirmitatem. Niſi dicamus etiam delatam fuiſſe ad caput miſtam materiam, quæ adderet ægrotantem coma vigili affectum, vt eueniebat ægrotantibus in tempeſtate recenſita ab Hippocrate 3. *in* 3. *epid.text.*63. Habet *in textu. Pleriſque vel grauis ſopor comes erat, vel tenues, atque parui ſomni.* Notat Galenus grauem ſoporem eſſe à quò quis grauiter excitatur, contrarios eſſe his, qui tenues, & paucos habent: illis accidit, qui abundant frigida materia, his propter putrefactam tenuitatem, quando autem miſcentur, coma vigili tentantur ægrotantes, & ſic deſcribit Galenus 1. *prorrhet.*1. & 3. *prorrhet. text.*1. Placet autem mihi magis credere ſequuta eſſe hæc ſymptomata extremam virtutis proſtrationem, & ad hoc credendum multò magis adducor, quia ſubdit obmutuiſſe ſtatim, ſi vera ſunt Galeni dicta *in* 1.*prorrhet. comment.*31. hunc in modum prolata. *Qui ἄφωνοι, id eſt, ſine voce fiunt, quidam horum non ſentiunt propter principij affectionem, vtriſque ipſos ſequentibus ſymptomatibus, alij duntaxat voce priuantur, atque horum quidam læſis quoque & alijs omnibus, quæ ex arbitrio ſunt functionibus, alij ſola voce oblæſa.* Si igitur cum vocis, tum functionum aliarum oblæſio fiat, eſt principij neruorum affectio, ſi verò ſoliùs vocis, ſolorum voci aſſeruientium organorum. Subdit. *Sed in prædicta concurſione, cùm iam prope mortem ventum ſit, aphoniæ conſequitur ſymptoma,* & 2.*in* 2. *Coacarum,text.*18. *Quæ cum exolutione fiunt mutitates, peſſimæ,* & *lib.*3. *prorrhet.text.*4. *Quæ cum exolutione fiunt catoche, & aphoniæ, pernicioſæ ſunt,* vti iam annotatum fuit in hiſtoria Philiſci. Quibus ſic ſtantibus concludendum eſt, hoc ſequutum eſſe extremam imbecillitatem, & propterea vrina erat tenuis, & perlucida, non potente natura craſſiorem materiam euacuare. Hæc cùm talia eſſent, non poterat fieri mutatio in melius; neque parum fuit non eſſe mutata in deterius, cùm Galenus *in comment.* ſcribat debuiſſe mori, ſaltem in nona, niſi euacuatio illa diſtuliſſet mortem. *Cùm igitur:* ita Galenus *: virium robore ſeptimum diem, vt dixi, potuerit ſuperare, octauo papulas cum ſudore habuit rubentes, rotundas, paruas: natura eius morbo repugnante, & humorum ſuperfluitatem malorum ad cutem propellente,*

idque fuit causæ, cur die nono non sit mortuus, sed vndecimo. Quòd si die octauo nihil horum accidisset, restabat vt nono ille obiret, cùm is certè septimus, quem dixit, fuisset. Itaque sat est nihil esse nono die immutatum, quia poterat quid deterius contingere: id autem factum crediderim conquiescente natura propter ipsius impotentiam. Sed antequam vlteriùs progrediamur, scribit Galen. distulisse mortem propter papulas, quæ apparuêre. Sunt qui tenent exanthematum expulsionem nihil conferre ad salutem, quia sint tantum tanquam cinis humoris facientis morbum, & propterea parum referat apparere, aut non; attamen si consulamus Galenum 5. *meth. cap.* 12. videbimus vtilitatem afferre, quando ipse sic habet. *Caterùm, qui ex pestilenti hoc vitio laborarunt, propterea mihi facilè videntur sanati, quod præsiccatum ijs, præpurgatúmque totum corpus fuerit.* Quippe, cùm & vomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit. Atque cùm ita iam vacuati essent, qui erant euasuri, iis pustulæ, quas exanthemata vocant, nigræ toto corpore confestim multæ apparuerunt, vlcerosæ quidem plurimis, omnibus certè siccæ: non enim sunt eiusdem generis semper exanthemata, & eiusdem formæ, sed nonnunquam decidunt ex illis resiccatis furfuracea quædam, potissimum cùm scalpuntur, quæ gratiâ similitudinis cum scabie, scabiosa dicuntur exanthemata, alia quidem liuida, alia nigra; quæ, quia cutem, vt lepra maculant, leprosa etiam dicuntur. Sequitur Galenus *in loco citato*, & hæc habet, *Erátque intuenti perspicuum reliquias esse eas sanguinis, qui in febre putruerat, quas veluti cinerem quempiam natura ad cutim trusisset, sicuti alia ex superuacuis trudit nonnulla:* Quod si idem euenisset Sileno, quemadmodum distulit mortem ipsis erumpentibus, ita si perseuerasset, & bene erupissent, hominem vindicassent à pernicie: nam, non sat est apparere, sed melius est perdurent, & sensim soluantur. Solent exanthemata aliquando morbum præcedere, aliquando apparere post morbum: si morbis superueniunt, sine dubio malignitatem ostendunt: ante morbos facta: magnum ad morbos apparatum: quòd si statim ac apparuêre euanescant, deteriora sunt, quàm si per morbum durent, vsque dum cum ipsis febribus cessent, ante morbos verò tanto tempore, vt quod in cutem immerserat, putetur meritò per cutem ipsam esse paulatim resolutum: nam, si breui euanescant, apertum est non resolutum, quod ad cutem erat detrusum, sed reconditum potius in altum esse, atque ita interna grauiùs affici. Quare in ægrotantibus mors, in nondum ægrotantibus morbus timetur grauis, quemadmodum huic ægrotanti contigit, cui post morbum apparuêre, sed materia introcessit, & potius est delata ad vias vrinæ, & alui, vt irritamentum denotabat. Quòd si ante morbos fiant, indicant prauum corporis apparatum. Testatur satis clarè historia Euphranonis filij, cui non febricitanti apparuêre exanthemata, & haud multò post febrire cœpit. *Euphranonis filio*, inquit Hippocrates 5. *in* 5. *epid. text.* 92. *Exanthemata velut morsus culicum, exiguum autem tempus, postridie febricitauit.* Quæ sententia hunc habet sensum. Euphranonis filio apparuêre exanthemata, sed breue tempus perdurarunt, propterea

pterea ægrotauit, quia introceſſit materia cutem occupans, quod idem videtur probare Hippocrates 2.*in* 1.*epid.text*.38. his verbis: *Exanthemata parua, & non pro dignitate excretionis morborum, & citò rurſus euaneſcentia*, quæ verba iam dicta comprobant. Poſſum de meipſo idem teſtari, nimirum apparentibus exanthematibus bene, commodum ægrotantibus ſequi, qui cùm anno ſalutis noſtræ,1615. in febrem inciderim malignam (vagabantur enim illis temporibus) à nullo magis extorquebar, quàm ab incredibili capitis dolore, qui per quatriduum ita me malè affecit, vt breui moriturum certò crederem, quod futurum erat fortaſſe, niſi Dei omnipotentis benignitate, qui pro ſua clementia, quo tempore minor eſt noſtræ ſalutis ſpes, eò maior eſt ipſius ad ſanandum promptitudo, & benignitas, exanthemata apparuiſſent (mirum dictu!) Statim ab expulſione, non dico eſſe diminutum, ſed quod maximum eſt, omnino ſublatum eſſe capitis dolorem, ita vt impoſterum, cùm ſpatio dierum ſexaginta, & hoc amplius decubuerim, ne minimam capitis læſionem perſenſerim. Quare ab eo die certò credidi hanc exanthematum eruptionem validè factam, & perſeuerantem, non eſſe ægrotantibus inutilem, id expertus & dico, & confirmo. Sed reuertamur ad propoſitum noſtrum. Debebat Silenus mori nono die, cùm ſeptima fuerit peſſima, quoniam iſte dies à Galeno 2.*Aphor.text*.24. dicitur contemplabilis, quia non raró futuras criſes in vndecima, ipſa præoccupat: imperfectas in ſeptima perficit ipſa: mediat enim inter iſtos duos dies, eodem Galeno confirmante 3. *lib.de diebus decret.cap*.8. Iam verò, & nonus, inquit, inter dies decretorios duos ſeptimum, & vndecimum medius, vel non factum in ſeptimo die iudicium, vel vndecimo futurum ipſe ſibi vendicat, rariùs quidem ſeptimi, ſæpe vndecimi criſim aſſumit, Sed quamuis ſuperuixit pluſquam ratio morbi poſtulabat, tamen vitam degit miſerrimam, vt propterea magis mortem appeteret, quàm vitam, veluti lethaliter affecti ſæpiſſimè faciunt: iacebat enim vt mortuus, cùm decimo die potum non aſſumeret.

[1] *Decimo potum non ſumebat.*] Id non ratione febris fiebat, quia cùm eſſet admodum acuta, & ardens, non poterat non ſitire. Sed id eueniſſe credendum eſt propter ingentem virtutis elangueſcentiam, quæ cùm iam propè extinctionem eſſet, non ſentiebat indigentiam: nam extincta erat iſta ſitis præter rationem. Non ſitire ægrotantem, ſæuire autem concluſum ardorem pernitioſum eſt, quia ſignificat aut delirium, quo tempore parum bibunt ægrotantes, quia mens vacillat, nec quæ illis ſunt neceſſaria animaduertunt, qua ratione idem Hippocrates delirantes nuncupabat paucicibas 1.*prorrhet.text*.16. & 1.*lib.de difficult.reſpirat.cap*.12. quo loco inquit, delirantes, neque cibum, neque potum appetere. Aut ſignificat languorem extremum virtutis. Meritò igitur 2.*in* 2.*Coacarum text*.23. hæc habet. *In acuto morbo ſitis præter rationem ſoluta, malum.* Addi poteſt & tertia cauſa, quando videlicet humiditas quædam ad fauces defluit, quæ irrigans fauces, prohibet exſiccationem; & ſic non ſitiunt, niſi deſtillatio fuerit ſalſa. Quapropter, etiamſi quis ardenti febre laboret, & non ſitiat, quod

quod tamen est inter accidentia acutæ, & ardentis febris, non oportet statim malè ominari, sed considerandum an alicui destillationi sit obnoxius, quia sæpissimè sitis diminutio, aut ablatio, causam potest habere destillationem ad fauces delabentem, quòd clarè annotatum habemus ab Hippocrate 2. *in 6. epid. text.* 24. Cuius hæc sunt verba. *Tusses aridæ parum irritantes in febribus ardentibus, etsi non secundum proportionem siticulosi.* addit Galenus *in comment. Quibuscunque diutius tusses aridæ parum irritant in febribus ardentibus, non multum siti infestantur.* Idem 4. *Aphor. text.* 54. Galenus siccas tusses illas nominat, in quibus nihil excernitur. Fiunt autem aliquando ob intemperiem instrumentorum, quæ respirationi obseruiunt: aliquando faucium asperitate, vel aliquo tenui, & pauco humore destillante. Quidquid horum acciderit, aliquo modo madescunt loca, quæ ad asperam arteriam pertinent; & ideò minùs siticulosi fiunt. In hoc autem ægrotante ideò hoc accidens esse sequutum crederem propter rationem, iam antea adductam: vt Hermocrati: Erat præterea comatosus, & vigil, id est, coma vigili laborabat, de quo iam dictum est: similia alui excrementa, id est tenuia: cruda, id est corrupta, & fortasse etiam fœtentia: ad quid enim dicere tenuia, cruda, si quæcumque tenuia sunt, eadem cruda, vt videbimus Galeno dicente, *Et quando erat expectanda coctio, si decimum attingens diem ita lethaliter erat affectus, vt mortem haberet præ foribus.* Minxit subcrassum multum, tenuiori parte à vi caloris soluta, Galeno dicente 2. *prog. comment.* 21. & quod subsidebat erat simile farinæ crassioris, & album, quoniam crudus erat humor, & colliquatio in hac materia sequebatur eodem Galeno confirmante *loco* nuper *adducto. Crassior*, inquit ibi, *farinæ pars appellatur, quæ effracto inuehitur hordeo grandiuscula, refugiens scilicet mole confectionem exquisitiorem.* Hæc igitur, quoties inuehitur vrinæ sedimento, indicium non bonum est, si enim farina non affringitur in partes admodum tenues, species farinæ redditur crassioris: In vrina verò quoties alimoniæ pars haud sanè diducta insuper duriuscula permanet. Sed afflato sanguine crassiore, vel consumptis inæqualiter carnibus ita contingit. Idem ad hunc modum scriptum reliquit nobis Hippocrates 7. *Aphor. text.* 31. *Quibuscumque febricitantibus in vrinis sedimenta, veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat.* Huiusmodi erant sedimenta Illustriss. Marchionis Ioannis Baptistæ Bellitomi, quas vrinas exitiales esse Galenus vult, neque immeritò, quoniam indigent virtute valida, vt possint concoqui, quam cùm non haberet hic ægrotans, certò eundem moriturum concludendum erat, quemadmodum etiam contigit enarrato Marchioni. Sanatus est cum huiusmodi vrinis quadragesimo die ille, qui in Dealcis horto habitabat, & est illud quod scribitur à Galeno *in comment. adducto*, nimirum tardè sanari eos, qui tales habent vrinas. Liquet igitur, ait, ex his exemplis, (nam ibi citat historiam hanc, eius scilicet, qui in Dealcis horto) quòd quicumque mingentes vrinam similem farinæ crassiori, si saluari debent, tardè liberantur. Quicunque verò exitialiter se habent, contingit hos quàm citò interire. Rem esse, ac dixi, postquam

membra

membra extrema erant refrigerata iterum, extincto omnino calore natiuo, nihil aliud reliqui erat, nisi, vt finem imponeret miseriis, moriendo, quod vndecimo euenisse scribit. [k] *Vndecimo obijt.*] Id citius non euenisse crederem potius beneficio ætatis, quàm alia de causa: scimus enim omnia irrita esse, nisi naturam habeamus aptam ad sustinendum morbi impetum, cuius ratione, aut euincuntur morbi, aut saltem in longius protrahuntur, vt huic contigit. Præter iam dicta, quomodo malè afficeretur fidem facit spiritus, quem habuit à principio ad finem, magnus, & rarus. Quid significet iste spiritus, iam vidimus. Habuit perpetuam hypochondrij palpitationem, quæ denotabat internam inflammationem, & hoc idem videtur Hippocrates confirmare 2. *in* 3. *Coacarum. text.* 14. His verbis. *Oris ventriculi dolor, cum hypochondrij palpitatione, refrigerata febre, malum:* Refrigerari autem illas febres dicimus, quæ ad manum videntur mites, quum tamen ardeant interiora, quális erat hæc, vt ex accidentibus apertissimum fuit. Hæcque dicta sint de Sileno satis. Hinc enim vnusquisque non difficilè coniicere potest quis fuerit morbus; quæ causa; quem euentum habuerit, & quomodo ex Medicinæ documentis non posset alium habere euentum. Restat modò vt aliqua dicamus de curatione.

Curatio.

AVicenna *Fen quarta, lib.* 1. *doctrina* 1. statim in initio tractatus, scribit omnem curationem tribus modis perfici, diæta, pharmacia, & chirurgia. Diæta virtutem respicit, alia morbum: quidquid enim molitur Medicus circa ægrotantem ad hunc dirigit finem, vt eundem à morbo liberet, & sanitati restituat: id autem minimè assequi potest sine virtutis medio, quæ morbos curat: Medicus enim est naturæ & virtuti inseruiens, subministrans auxilia, & hoc Hippocrates ipse docuit, dum 1. *in 6. epid. text.* 1. scriptum reliquit. *Naturæ sunt morborum medicæ.* Est igitur in curatione duplex Medici finis, vnus vt seruet virtutem, alter vt morbum tollat. Seruatur facultas, seruatur virtus, seruatis, retentísque iis, quæ homini sunt necessaria, & secundùm naturam, vt temperamento, partibus, succis, spiritibus: seruantur hæc refectione, quæ non aliter fit, quàm cibis, potibus, & commodo vsu rerum omnium necessariarum. Quòd si res ita habet, in primis agendum nobis erit de victus ratione, quæ propterea omnium est præstantissima, quia sine illa curatio non potest perfici, ipsa autem per se multos curat morbos, sine aliorum medicamentorum auxilio. Hinc est, quod Galenus ait, esse nullum tam validum medicamentum, quod suo munere fungi possit, si victus ratio obstet, quod in dies experimur, quia multos videmus à mulieribus præsertim iugulari ægrotantes plus iusto nutritos, aut intempestiuè, aut cibis nocuis altos: nam etiam si facultas sit, quæ petit cibum: morbus enim à cibo augmentum suscipit, nisi sit alimentum medicamentosum, ipse enim petit auxilia, vt 1. *acut. comment.* 44. legimus, sic. *Nempe morbus suæ affectionis indicat auxilia,*

phlebotomiam, clysma, cataplasma, purgationem, oxymeli, aquam mulsam, atque aliorum vnumquodque. Virtutis verò custodia solam indicat alimoniam. Si igitur morbosam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos vtique virtuti soli attendentes, ægros, ac sanos aleremus, sed quoniam sæpius, vt dixi, noxam affert, ob id morbi affectionem, non tanquam sibi indicatricem, sed tanquam prohibitricem contemplamur. Vbi ergo non prohibuerit, facultásque præceperit, tunc nutrimus. Neque enim cibus sua natura morbosam affectionem iuuabit. Id sanè dixi, quoniam sæpenumero materia vna vim habet cibi, & medicamenti, vt ptissana. Nempe quòd virtutem roboret, id ea efficere, tanquam alimentum nata est, sed quoniam & siccat, & humectat, quæ expui oportet; ideò medicamenti habet rationem. Hæc Galenus. Quare cùm virtus, vt dictum est, petat alimentum, morbus medicamentum: & quemadmodum morbus curatur auxiliis, virtus autem ab iisdem debilitatur, oportet cautus sit Medicus, cùm vtrisque vti sit coactus, cibis scilicet, & medicamentis, vt mediocriter in vtrisque se gerat, neque cibi plus exhibeat quàm par est, vt facultas bene, ac sine periculo duret, donec morbus concoquatur, & corpus expurgetur: neque auxiliis vtatur pluribus, quàm opus sit, vt homo liberetur, & quàm facultas ferre possit: nam si res posset transigi sine cibo, & sine remediis, profectò bene ageretur cum ægrotante, sed quia id est impossibile, propterea oportet ea Medicus procedat via, vt si non prosit, saltem ne noceat, semper virtutem ægrotantis attendens, & morbi speciem. Virtutem ægrotantis, quia si vires valere cognouerit, cum morbo, qui celeriter debeat iudicari, diuersimodè se geret, quàm si virtus sit quidem valida, sed cum morbo contumaci, qui sit futurus diuturnus, aut cum virtute imbecilla, & morbo solutu difficili, aut etiam veloci: nam cibum dari sola facultas petit, tamen eius quantitatem simul cum facultate indicat morbi tempus, non quidem per se, & petens, sed propter facultatem, ac permittens. Hæc cùm tam clara sint, quis non videt potuisse Medicum vti tenuissimo victu in hoc ægrotante florentis ætatis, morbo laborante peracuto. Cùm igitur dixerimus seruari facultatem cibis, & potibus, & vsu rerum non naturalium, imprimis expediens erat parare victum, qui omnino esset morbo contrarius, facilè distribueretur. Ptissana in hunc vsum venisset, & etiamsi statim obiicientem aliquem audiam, quia videar vulgi opinioni potiùs, quàm Galeno aduersari, tamen quidquid dicant alij, exhibuissem libentissimè: quæ enim commoda præstet huiusmodi alimentum nemo ignorat, qui ea, quæ à Galeno tum 1. *acut. text.* 18. tum etiam *alijs in locis* scribuntur, legerit attentè. Ibi hæc sunt. *Ptissana frumentaceis gustamentis rectè præferri debet in acutis morbis, eósque qui eam prætulerunt laudo: nam viscositas eius læuis, continua, iucunda, lubrica, & mediocriter humens: sitim minimè infert, & si quid ablui eget, probè abluit: non adstringit, non turbat malè, neque in ventre tumescit. Nempe inter coquendum, quoad maximè potuit intumuit.* Hæc vltima verba sunt obseruanda, quia per hæc Hippocrates monet maximam esse adhibendam cautionem in præparanda ptissana: neque enim quodcunque à quocunque ritè fit, sed

oportet bene sit exercitatus artifex, optimum sit hordeum. Doctissimus Septalius *in lib. 2. suarum cautionum cap.* 40. docet quomodo sit conficienda. Sed ante eum Galenus: ipse enim 1. *de aliment. facult. cap.* 10. scribit laudatissimum esse hordeum, quod candidum apparet, vbi pinsitum est; densum, ac ponderosum, quantum hordeo potest conuenire, quod plenum est, & circunscriptionem externam habet tensam, non sit gracile, neque rugosum, hócque est eligendum in paranda ptissana. Præterea oportet plurimum intumescat, & succum habeat plurimum, hoc enim est stabile, ratúmque facultatis ipsius argumentum, dicente Galeno 1. *acut. comment.* 18. Neque satis est hordeum inuenisse, oportet postea sit, qui rectè eandem præparet, quia non omnes eodem modo conficiunt. Sunt qui postquam decoxerunt hordeum, contundunt in mortario, & postea exprimunt succum. Hic conficiendi modus à Galeno improbatur, quia impossibile est totum hordeum æqualiter esse coctum, itáque crudum, & coctum contundunt, quo fit, vt flatuosa reddatur ptissana. Alij contundunt hordeum crudum, postea cum iure dissoluentes, sic ægrotantibus exhibent. Alij amylum etiam iniiciunt, & hunc modum improbat Galenus 1. *de aliment. facult. c.* 9. Sic præfatus: *Video à cocis omnibus ptissanam pessimè comparari: in mortario namque crudam ipsam contundentes, non ad ignem coquentes dissoluunt. Sunt qui amylum etiam inyciant, vt per coctionem in chylum copiosum videatur esse redacta.* Talis certè ptissana meritò maximè est flatulenta, & concoctu difficilis admodum. Quomodo igitur erit præparanda? Vidi semper cum delectu assumptam ptissanam sic confectam. Hordeum in sufficienti aquæ quantitate infundunt, vt possit cùm intumuerit ferè totam aquam absorbuisse, quod in optimo hordeo solet fieri spatio horarum duodecim plus, minus, pro quantitate ignis, si enim aqua seruetur semper calida, facilius hordeum intumescit. Hoc peracto leuiter ebulliri permittunt, & lẽto igne tandiu decoquunt, quandiu optimè crepuisse animaduertunt, quo facto exprimunt panno lineo succum, aut cribro, & eundem excipientes cum iure optimo pulli, aut vituli consumpto super cineres detinent, vt leuiter ferueat, & addito saccari parum, aut succi limonum pro diuersitate ægrotantium, sic exhibent minimè flatulẽntam, & commoda multa præstantem: quòd si habeamus hordeum, quod sine cortice nascitur, neque hoc inutile est; etiamsi primum abstergentem maiorem facultatem habeat. Sic in dies parari video, & ægrotantibus exhiberi. Qui igitur omnia hæc diligenter obseruauerit, commodam conficiet ptissanam. Dixi autem me vulgi opinioni aduersari, quia exhibeam id medicamenti genus aluo fluente. Ego autem quidquid alij sentiant libentissimè vtor in febribus acutis, aluo biliosa excernente, nonne, & serum lactis etiam exhibemus cum iuuamento, præter id, quod ipsa nutrit; neque sua natura aluum mouet, si attendamus verba Hippocratis, abstinerem quidem in facultatis concoctricis imbecillitate: Parassem in iure optimo, aut vituli, aut pullorum, aut columborum longa coctione consumptorum, vt illi maior esset vis nutriendi, addita seminum melonum mucilagine: exhi-

bitis simul ouis sorbilibus, quæ cùm recentia assumuntur, habent vim refrigerantem, Galeno testante, *in lib. de remed. facilè parabilibus, cap.* 4. & *in cap. de dolore capitis ex vini potu*, & 1. *ad Glaucum in cap. de tertiana exquisita curatione*. Manè dedissem hora quietiori contusum carnis vitulinæ ad vncias sex, vel septem, aut ouorum lutea duo, vel tria cum optimo iure dissoluta, aut cremorem farris, aut panem tritum cum ouis, habito respectu ad ægrotantem, ad virtutem, & ad morbum; arausiorum, aut limonum succo nunquam prætermisso. Tale igitur fuisset alimentum huic ægrotanti exhibendum. Et quoniam in huiusmodi febribus lingua exsiccatur, expedit ante cibum eandem humectare, aut si quæ pituitosa materia eandem inficiat, eam abstergere, & mundare, vt commodius alimentum ægrotans assumat. Et propter infestantem sitim, ex vsu fuisset aërem ducere in contrarium statum: est enim aër ex necessariò alterantibus corpus nostrum. Est aër, sine quo non potest morbus tolli, nec conseruari sanitas 9. *meth. cap.* 14. nam si contrariam morbo temperiem habet, è præsidiorum numero vnus est, sin similem, ægritudinalium causatum est vnus. Quare hic erat aër ad frigidum reducendus, & humidum. Id fiet in his casibus, si aspergatur aqua sæpiùs in cubili, & omnibus iis, quæ aërem refrigerare possunt. Hoc præstito, si vrgeat vehementer sitis, expedit stillatitias exhibere aquas, refrigerandi vim habentes, aut aquam dulcem. Hanc sitim extinguere dicebat Galenus 1. *de simpl. medic. facult. cap* 7. aliquando crudam, si æger huic fuerit assuetus, qualis est, quæ ex fontanis hauritur, cisternis. Nostris regionibus desiderantur istæ aquæ, & eam ob rem coctis vtimur, ita enim minus nocua censetur à Fabio Pacio *in lib. meth.* Sed quia, quemadmodum ipsa calorem extinguit, siccitatem morbosam remoratur, fumos in caput ascendentes reprimit, & succos omnes in quiete continet, fluxiones cohibet, ita in hypochondriis moratur, nisi sit optima, flatus excitat, ventrem distendit, vrinas, neque sudores promouet, facultate nulla medicinali: propterea non est ab re, quod sternat viam immiscere. Huiusmodi fuisset syrupus acetosus simplex, limonum succus, neque veritus essem aluum motam, sed vrgente siti, satis largam aquæ copiam dedissem, nisi tamen virtus fuisset iam languida admodum: nam cum aluo mota infesta est multæ aquæ potio. Inter cætera quę videntur sitim demulcere, est, si ægrotans silentium seruet, quod obseruatum est ab Hippocrate 3. *in 6. epid. text.* 33. Siti carentem, os claudere, ac tacere, aurámque frigidam cum potu introducere, id est, ventrem vnà cum potu frigidum attrahere. Laudat Galenus acetum cum aqua 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 30. quam strenuè refrigerare in febribus ardentibus vult. At qui aliter siti premuntur, id est qui siti infestantur à calore, non ab humoris inopia, puta in febribus ardentibus, & adustis; quíque æstate laborant, ac in graui æstu composita est iis affectio, & siccitate, & caliditate simul. Quare non iniuria composita illis medela est acetum, vt quod strenuè refrigerat, & quouis expeditè permeet, & aqua, quæ super quàm quòd refrigeret, omnium sit vel humidissima: nihil enim est aquâ humidius. Potest igitur in

huiusmodi

huiuſmodi caſibus acetum cum aqua exhiberi, tantum tamen aceti miſcere oportet, quantum faciat ad aquæ penetrationem. Laudatur pariter aqua hordei, ſed tamen bene cocti, donec crepuerit hordeum: ita enim flatuoſitatem deponit, & ad extinguendam febricitantium ſitim apprimè vtilis, dicente Hippocrate 4. *acut. text.* 71. Quòd ſi ſupra modum ſint ſiticuloſi, bibant aquam hordei, dicit Hippocrates. Poſſumus etiam cum aqua hordei bene cocti miſcere conſeruam roſarum, violarum, boraginis, bugloſſæ. Vel ℞. *ſeminis citrulli domeſtici, ſeminis portulacæ vna* ʒ. *vj. dragacanthi frigidi* ʒ. *iiij. diſſoluatur dragachantum cum albumine ouorum recentium conquaſſatorum, & colatorum, & additis reliquis fiant pilulæ in forma lupinorum, & exſiccentur in vmbra*: teneat ſub lingua vnam iſtarum pilularum per interualla; tamen vrgente ſiti, nullum maius remedium inuenio, quàm aquæ magnum hauſtum, cum acetoſitate citri, aut ſyrupo acetoſo ſimpl. aut ſaccaro ſpongioſo dicto. Hæc de potione in præſentia ſatis: nam antequam opus ad calcem redigatur, dabitur occaſio alquid aliiud excogitandi. Præſcripto victu ad vniuerſalem totius corporis euacuationem deueniendum erat ſtatim: nam ex iis fuit morbus, in quorum euacuatione tardare maximè eſt pernitioſum. Quare ex accidentibus, cùm omnibus in conſpicuo eſſe poſſet, vehementiſſimam fuiſſe febrem, & ex putridarum genere: & in febribus putridis omnibus ſaluberrimum ſit ſanguinem mittere, etiam vſque ad animi deliquium, ex Galeni decreto 1. *meth. cap.* 15. iis tamen ſeruatis conditionibus, quas ibi ponit, videlicet, ſi nec ætas, nec vires prohibuerint, redditque huius rationem ſtatim: Leuata námque, quæ corpus regit natura, exoneratáque eo: quo veluti ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt vincet. Itaque & proprij muneris haud oblita, & coquet, quod coqui eſt habile, & excernet quod poteſt excerni. Quare ſtatim ad hoc remedij genus erat deueniendum: nam nec ætas prohibebat, & morbus petebat. At aluus erat mota: videtur enim hæc euacuatio ſola ſufficiens ad prohibendum id remedij genus: nam ſtatutum eſt à Galeno ſine verborum circuitione, aluo fluente abſtinendum eſſe à quauis alia euacuatione, 1. *ad Glauc.* ſic: *Sed neque ſi fuerit febris cum alui profluuio, alia eſt opus euacuatione: verùm hæc ſola ſufficit, quamuis non ſit pro multitudinis ratione.* Subdit: *Quicunque enim plus adimere fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut ventrem mouere tentarunt, in grauiora pericula duxerunt.* Auctoritas magnifacienda, cùm apertiſſima ſit, & maximè videatur adaptata Sileno: tamen neque me ita terret hæc Galeni auctoritas, quin experientiæ credendum ſit, & aliquando liceat aberrare à via, dummodo non fiat cum ægrotantis pernicie. Ego teſtari poſſum me non ſemel ſanguinem miſiſſe, aluo fluente, & vniuerſo corporis habitu refrigerato, ſuppreſſam fuiſſe aluum: cùm enim æſtuante interiùs hepate huiuſmodi euacuationes ſuperueniunt, quę nihil iuuare cernuntur, tunc non abſtinerem à moderata euacuatione, potius iteratò facta, ſi priorem iuuiſſe animaduerterem, hoc tamen non poteſt æquè bene deliberari, niſi ab iis, qui tangunt pulſum, & omnia diligenter examinant; hanc rem

inferiùs fortasse clariùs determinabimus. In hoc igitur cum ex potationibus ægrotasse scribat, & esset iuuenis, robur non deerat, quantum ex ætate coniectamus: copia humorum extabat: feruor ingens: ab euacuatione per aluum nullum iuuamentum, propterea ego sanguinem extraxissem, si statim ægrotantem inuisissem, antequam virtus ab euacuatione deprimeretur; modicè tamen, semper pulsum spectans: ita enim moderata humorum acrimonia à iecore proueniente aluus poterat supprimi, vt mihi sæpiùs contigisse testari possum: solet enim potius tunc temporis fieri reuulsionis gratia, quàm euacuationis, res tamen hîc non potest æquè benè terminari, ac si pulsum pertractaremus: medemur enim potius homini, quàm Sileno. Quòd si erat missio sanguinis admittenda: hæc per venam internam facienda, ita Hippocrate suadente 4. *acut. text.*24. hæc enim velocissimè, & plurimum ex iis, quæ principes sunt partibus euacuat, atque ob id in acutissimis morbis ad eam confugimus. Hoc, si poterat, admisso: posteà attemperantia in vsum venissent, tam per os assumpta, quàm iniecta, quibus posset humorum acredo demulceri. Hoc potuisset commodè præstare syrupus huiusmodi, qui reciperet succum cichorij, acetosæ, endiuiæ depuratum ad ℥. *j*. pro singulo, cum portione acetositatis citri, diluto syrupo cum aquis cordialibus, rutæ, caprariæ, acetosæ, graminis, & etiam plantaginis, si vrgeret alui motio, ante oculos ponens, quod magis vrgeret. Fortasè habuisset maiorem vim, parare decoctum cum foliis cichorij, acetosæ, boraginis, pentaphylli, tormentillæ, graminis, plantaginis, & id genus aliis, quæ iam esse in vsu pluries vidistis. Solemus etiam in his casibus, aluo mordacia excernente, vti sero lactis cum syrupo rosaceo soluto. Attamen attendere oportet tunc modum excretionis, & virtutem; priùs tamen clysteribus insistendum erat refrigerandi vim habentibus, quales parantur ex ptissana, ex aqua hordei cum saccaro rubro, ex iure pulli, cum saccaro, & vitellis ouorum ex lacte ipso aliquando etiam chalybeato. Quod si his manè, & sero etiam peractis, nihilominus alui motio perseuerasset, in illo casu non essem veritus exhibere serum lactis ad ℥. *xij*. & hoc amplius, quòd si priùs per alembicum extraheretur, non esset abs re, & perspecta materia fluente, quam tamen scribit fuisse biliosam, & mordacem, addidissem syrupum rosaceum solutiuum ad ℥. *ij*. vel *iij*. Videbitis enim facta tempestiuè hac euacuatione, sæpissimè aluum valenter motam, fuisse suppressam. Ego enim syrupum solutiuum cum modica seri portione dissoluo, quo assumpto, denuò haustum seri optimè clarificati, & præcipuè, vt Quercetanus docet, exhibeo: ita enim mordacitas humorum cùm euacuatione demulcetur, neque ab hoc medicamento tam larga fiat euacuatio periculum est, qua possit virtus concidere: serum enim solùm potest exhiberi tutò, etiam ad ℥. *lx*. neque respicit ætates, quia senibus concedit Aëtius, & omnibus ætatibus, citra ventriculi læsionem: syrupus rosaceus euacuat roborando. Et hac præcipuè curatione vti debetis, cùm videbitis ab attemperantibus nihil iuuari ægrotantes, documentum à Galeno relictum pulcherrimis verbis, 2. *de simpl. medic. facultatibus*, *cap*.12. quæ ita leguntur

guntur. *Vnumquodque attemperantium medicamentorum*, Græcè ἐπικεράννυντα, siue ἐπικεραστικὰ, nuncupant, *vbi valentius euasit humoribus mordicantibus, morsum eorum retundit. Verùm si, aut valentioribus facultatibus, aut multis paucum fuerit mistum, vnà & ipsum corrumpitur, alitque cacochymiam, siue succi malignitatem.* Subdit. *Quamobrem protinus euacuandi sunt, qui ab iis, quæ temperandi naturam habent irritantur, atque exasperantur, vtpotè qui multa, nec facilè solubili humorum corruptione laborant.* Hoc igitur vti poteritis in huiusmodi casibus, quia ego sæpissimè feliciter vsus sum, virtutis non immemor, vti etiam à patre meo felicissimæ memoriæ factum obseruaui. Cùm verò perseuerare adhuc feruorem videremus, insistendum erat in iis, quæ deobstruerent citra caliditatem, & humorum malitiam respicerent, addito syrupo de portulaca, cum seminibus frigidis, vel stillatitio parato, vt ægrotantis gustui gratificaremur, quando scilicet ægrotantes alia medicamenta abhorrent, hunc in modum. Sumpsissem limonem, aut citrium malum, & cortice dempto, aut etiam cum cortice contundendum totum curassem, postea cum foliis cordialibus, foliis auri, & margaritis priùs succo limonum dissolutis stillatitium parassem repleto omnibus capone, & extracta aqua vitreis organis. Hoc medicamentum est, & alimentum, commodum in iis, qui virtutem habent imbecillam, & qui alia omnia contemnunt, vt non rarò in iis, qui malignè sunt affecti, obseruabitis. Sed quoniam non tantùm debemus respicere morbum, verumetiam & attendere symptomata pernecessarium est, & quia, quæ iam facta tollunt, ante facta prohibent, eam ob rem non oportet expectare, vt morbus vim acquirat eundo, sed statim accensa febre oportet occurrere imminentibus ruinis, & præcipuè expedit obseruetis, an constitutio sit maligna, necne, quia in maligna constitutione etiam tertianas febres curabitis, vt malignas, quia in huiusmodi temporibus non est difficile, qui morbi videntur leues, in malignorum naturam verti. Alexipharmacis igitur erat insistendum quàm celerrimè, cùm morbus sese proderet, vel idiotis, & ne etiam videremur defecisse in curatione. In hunc vsum multa veniunt. Smaragdus, lapis Bezoarticus, margaritæ, sapphyri, coralia, & id genus alia, quibus nostris temporibus etiam in leuissimis morbis, vt aliquid fecisse videantur, Medici vtuntur. His an tantopere sit fidendum dicant illi, qui iisdem sunt vsi. Quid si vix inueniatur fidelis smaragdus: de lapide Bezoartico, an sit fidelis videbitis vos, ego quidem adhæreo opinioni Doctissimi Vallesij, qui dicit. Nullus apud me non est fictitius, & si iuuat, opinione iuuat. Attamen, si cum nobilioribus res sit, statim proponite multa, magnificate morbum, ne adueniens aliquis ex istis Æsculapiis, qui nihil rectum putant, nisi quod ipsi faciunt, vos deprimant, reprehendentes, quia abstinueritis ab huiusmodi medicamentis. Propterea cùm diuites curabitis, omnia hæc proponite, quia vobis maximam parabitis laudem: nam si toties erraret Medicus, quoties ad ægrotantem veniat, tamen bene curatum censent, si modo iugiter pulueres dicti fuerint exhibiti: è conuerso, etiamsi conualescat æger, tamen peccauit grauiter, qui benè curationem dispo-

nens, nihil horum dedit: Quanti autem ſint iuuamenti, norunt exactè, qui ſine fuco, & fallacia medentur. Qui ad gratiam loquuntur, & ſciunt vultum è vultu commutare, ij ſibiipſis multas parant diuitias, quod genus medendi non omnibus familiare eſt. Sed ad rem. Ego quidem libentiſſimè vtor puluere margaritarũ Orientalium diſſoluto cum ſucco limonum, quem aliquando etiã infundo per noctẽ in ſyrupo; & ſic exhibeo, aut immediatè ante ſyrupum, aut etiam per horam ante cibum: parum enim refert ad ſanitatem, modò exhibeatur. Alios pulueres exhibemus, certè non vt tales, ſed quia non habemus fideles, Dom. Doctor à S. Petro, & D. Bellinona, & ego abſtinemus vt plurimum, quia re vera cenſemus meliùs nõ proponere, quàm dare adulteratos, vt ſæpiſſimè ſumus experti. Hos iugiter dediſſem in huiuſmodi caſibus ad reprimendam excellentem illam putredinẽ, non prætermiſſis aquis cordialibus, ſcorzoneræ, acetoſæ, rutæ, caprariæ, & aliis. A calidis, quidquid alij dicãt, abſtineo libentiſſimè. Accidentibus, quoniam multa erant, ſingillatim prouidendum. Vigiliæ, vt accidenti minimè aſpernando prouidendũ erat, vti iam dictũ eſt, *in antecedenti historia*. Cùm lumbi dolerent: his poteramus ſuccurrere inũctione ex vnguentis ſantalino, roſaceo, cerato Galeni refrigerante, & madefacto linteolo in aqua roſacea ſæpiùs admoto cum albumine ouorum bene ſimul omnibus agitatis, & renibus applicitis: ſic enim vnguentum, quod oleoſum eſt difficiliùs, & tardiùs accenditur, quia citò à calore renum calefiunt huiuſmodi medicamenta, & propterea ſæpiùs ſunt madefacienda aqua roſacea dicta, folia vitium, nympheæ ſuo adhibita tempore iuuant, ſi priùs in aqua immergantur, & applicentur, tandiu detenta, donec incaleſcant: Alia multa ſunt quæ idem præſtare poſſunt. Collo dolenti inunctio ex oleo liliorum alborum commoda fuiſſet, aut alterius, quod primum gradum non excederet caliditatis. Hoc ſemper ante oculos habẽtes vt inſtrumentorum coctioni deſeruientium rationem habeatis, ventriculi, vt concoquat alimentum: iecoris, vt ſanguinem generet minus acrem, quia in febribus patiũtur hę partes non mediocriter, ſi Galeno credendum eſt *lib. 2. de natural. facult. c. 8.* Statim, inquit ac febris apprehendit hominem, coctio vitiatur: fieri enim non poteſt, vt qui ægrotat, acutè præſertim, ventrem habeat robuſtiorem, quàm ſanitatis tẽpore, cùm bene operaretur cum eo, ſi non multo eſſet imbecillior, eodem Galeno confirmante 1. *de criſ. c.* 11. Ventriculũ igitur expediebat vel fouere, decocto parato ex foliis abſinthij, roſarum, meliloti: Huic etiã poterant addi olea abſinthij, maſtichis, roſarum, vel poterant ſumi eorundem pulueres, cum portione corallorum rubeorum, florum lambruſcæ, & cum cera, & reſina ceratum ſecundùm artem conficere, pro ore ventriculi, aut additis oleis ad proportionem, linimentum parare. Hypochondriis æſtuantibus non incommoda fuiſſet inunctio ex oleo roſaceo, cum ſucco cichorij, miſto, & portione addita aceti albi ad penetrationem, poterat calidum hypochondrio dextro applicari. Commendatur etiam ſuccus agrimonij, quia præter id quod citra calorem deobſtruit, etiam robur addit viſceri, Galeno confirmante *in lib. de ſimpl. med. cap. proprio.* his verbis:

bis. *Agrimonium, siue eupatorium, herba est tenuium partium, incidendique, & abstergendi facultatem habet citra manifestum calorem.* Quocirca obstructiones liberat, inest itidem ei & adstrictio quædam, per quam robur visceri addit. His igitur essem vsus, saltem bis in die, ne viscerum robur exolueretur, quod perniciosissimum est, cùm istarum partium operatio toti corpori sit communis. Sic docet Galenus 11.*meth.cap.*15.*&* 16. huncin modum scribens. *Si quidem in iecinore, & ventriculo exolui robur perniciosissimum est, rationémque reddit sic.* Præcipuéque adstringentibus est vtendum, vbi in iecur, aut ventriculum superuacaneum profluit, quando & è primoribus admodum hæ partes sunt, & munus suum obeant, vel in ipsis morbis necesse est. Porrò, est non exiguum eorum munus, qualéque reliquarum partium, quibus illud modò negotium est, vt id quo nutriantur conficiant: verùm, quod tantopere animalis intersit, vt si neque in ventriculo probè alimentum fuerit concoctum, nec in sanguinem in iecinore mutatum, vtique quod in fame nobis accidit, vt cibi penuria degere in abstinentia cogamur, idem tum omnibus animalis partibus accidat. Non enim ex iis, quæ deuorauit quis, sed ex iis, quæ in iam dictis visceribus confecerit, alimentum toti corpori suppeditatur. Atque ob hæc nimirum impensius, quàm cætera membra ventriculus, & iecur adstringentia desiderant. His igitur, & non dissimilibus medicamentis vti potuissetis ad Sileni curationem: Insistendum denuò clysteribus iam dictis, non adstricta aluo. Erumpentibus papulis, nullo modo erant prætermittendæ cucurbitulæ, quas singulo die admouere à principio eruptionis, etiam cum scarificatione commodum fuisset, quantum fert ars medica, sat enim est fieri cum ratione, etiamsi euentus aliter sequatur: neque enim omnes ritè curati, sanantur: ita enim fuissemus imitati naturæ motum ad cutim inclinantis; præsertim, cùm sæpissimè gerant vicem venæ sectionis. Aliquando etiam vtile est inungere dorsum, fricare cum re extergente, & poros deobstruente, non quòd ea exanthematum eruptio iudicetur à Medicis critica, & propterea sit iuuanda à Medico: plerúmque enim est merè symptomatica, sine facultatis expultricis opera, & ebulliendo facta, sed quia maligna vtiliter euocantur ad cutim, postquam maior pars per maiores euacuationes est educta. Hac curatione animosè vtor, quidquid dicat doctissimus Massaria. Modo enim hac curatione in eadem domo septem restitui ægrotantes acutè, vnus ex his obiit errato non leui commisso, quia vinum nullo aduertente liberaliùs assumpsit. Alij fuêre superstites, & in dies videmus, hoc curandi modo vniuersalibus euacuationibus præmissis, manifestè iuuari ægrotantes. Ita conualuit Fullo in Syro phreneticus. Nicoxenus in Olintho, vt refert Hippocrates 7. *in* 7.*epid.*78. *text.*79. Erat igitur imitandus naturæ motus, cucurbitulis præcipuè admotis, quæ validissimum dicuntur remedium ad attrahenda ea, quæ in intimis extant partibus ad extima, vt 13.*meth.c.*19. legitur, repetendæque erant, vt maior fieret attractio, cùm verò scarificantur, non multo igne opus est: nam præterquam quod sæpenumero generantur vesicæ, quæ aqua replentur, ex quibus sacrifica-

tio impeditur, attractum etiam sanguinem reddunt crassiorem, quò fit, vt aliquando incisa cute non effluat, præsertim per aliquot tempus adhærentes. Habenda etiam est ratio cutis, & humoris peccantis: nam in cute subtili, & humore tenui mediocris sectio sufficit: in crasso autem humore, & cute dura satis profunda, & apparens sectio facienda est, neque permittantur diutius carnosæ parti adhærere, ne, quod aliqui se vidisse affirmant, pars in gangrænam vergat, quæ omnia habebunt per capita à Doctiss. Septalio annotata *in lib. 4. suarum cautionum, circa finem.* Et cùm modò comatosus esset, modò vigil, si factum fuisset ex mistione humorum, non ex imbecillitate virium, oxyrrhodinum conuenisset resoluens ex aqua rosacea, & chamemælo. Sunt qui capiti crematos pilos admouent, derasis capillis in portione aceti: habet enim hoc medicamentum non leuem exsiccandi vim, vt Alexander Trallianus vult. Partes refrigeratæ sæpiùs erant fouendæ pannis calidis, aut oleis calidis inungendæ. Quòd si virtutem deficere vidisset Medicus, vt factum est octauo, & decimo die, cùm obmutuerit, & potum non assumpserit, crederem dicendum, iam redactum esse ad extremum, & medicamenta fuisse prætermittenda his temporibus, ne viderentur infamari remedia, quæ multis profuisse conspeximus, curam imponentes assistentibus, quibus imposterum curatio fuisset demandata, vt nihilominus non desinerent sustinere ægrotantem nutrimento in quantitate pauco: in qualitate multo: huiusmodi sunt stillatitia, aqua carnis, succus carnis assæ, ius consumptum longa coctione, & alia id genus, quæ à Medicis in virtutis exolutione solent parari ad ægrorum extremam imbecillitatem reparandam, quod fieri debet, etiamsi omnino esset ægrotans deploratus, vt tandiu seruentur viui, quandiu Deo Opt. Max. placet, in cuius manibus vita, & mors semper consistit, propterea in omnibus morbis quantumuis leuibus, necessarium est statim ad ipsum confugere, vt nobis concedat quæ ad corporis, si ita expediat, & animæ sanitatem faciant. Hæc de Sileno hactenus.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΤΡΙΤΟΣ.



ΡΟΦΩΝΤΙ πυρετὸς ὀξύς. ἀπὸ κοιλίης ὀλίγα. τεινεσμώδεα κατ' ἀρχάς. μετὰ δὲ ταῦτα λεπτὰ διήει χολώδεα, ὑπόσυχνα. ὕπνοι οὐκ ἐνῆσαν. οὖρα μέλανα λεπτά. πέμ-

ÆGROTVS III.



EROPHONTEM[a] *febris acuta corripuit: primo pauca, & cuiusmodi in tenesmo solet, deiecit:[b] deinde tenuia, biliosa, plura:[c] non dormiuit: vrina nigra:*

πῆ περὶ κώφωσις. παρωξύνθη πάντα. σπλὴν ἐπήρθη. ὑποχονδρίε ξύντασις. ἀπὸ κοιλίης ὀλίγα. μέλανα διῆλθε. παρεφρόνησεν. ἕκτη ἐλήρει. ἐς νύκτα ἵδρως. ψύξις. λῆρος παρέμενεν. ἑβδόμη, περιέψυκτο. διψώδης. παρέκρουσε νύκτα. κατενόει. κατεκοιμήθη. ὀγδόη ἐπύρεσε. σπλὴν ἐμειοῦτο. κατενόει πάντα. ἤλγησεν κατὰ βουβῶνα. ἔπαρμα τὸ πρῶτον σπληνὸς κατ' ἴξιν. ἔπειτα ἐπόνει ἐς ἀμφοτέρας κνήμας. νύκτα εὔφορος. οὖρα εὐχρέστερα. ὑπόστασιν εἶχε σμικρήν. ἐννάτη, ἵδρωσεν. ἐκρίθη, διέλιπεν. πέμπτῃ ὑπέστρεψεν. αὐτίκα δὲ σπλὴν ἐπήρθη. πυρετὸς ὀξύς. κώφωσις πάλιν. μετὰ δὲ τὴν ὑποστροφὴν, τρίτη σπλὴν ἐμειοῦτο. κώφωσις ἧσσον. σκέλεα ἐπωδύνως. νύκτα ἵδρωσεν. ἐκρίθη ἑπτακαιδεκάτη. οὐδὲ παρέκρουσεν ἐπὶ τῇ ὑποστροφῇ.

gra: tenuis. [d] *Quinto die mane obsurdescebat, omnia exacerbabantur, lien intumescebat,* [e] *hypochondrium contendebatur, pauca, & nigra aluus excreuit, desipuit.* [f] *Sexto delirabat, sub noctem sudabat, frigebat, in delirio perseuerabat.* [g] *Septimo extremis membris frigebat, sitiebat, desipiebat: sub noctem ad mentem redijt, obdormiuit: Octauo febricitabat, lien residebat, omnia intelligebat, doluit ei inguen primum secundum lienen, deinde in vtramque tibiam dolores demigrauerunt: noctem facilem habuit: vrinæ erant melioris coloris, & residebant in his pauca.* [h] *Die nono sudauit, iudicatus est: intermisit:* [i] *Die quinto redijt, simúlque splen intumuit, febris acuta, surditas iterum. Post recidiuam, tertio die residebat lien, imminuebatur surditas:* [k] *crura dolebant, nocte sudauit. Iudicatus est ad diem septimum decimum, neque in recidiua delirauit.*

COMMENTARIVS.

NON obscurè patet Herophontem febrem habuisse, qualis summa cum ratione describitur ab Hippocrate, videlicet acutam; nam accidentia huic febri annexa apertissimè id comprobant: in febre en[l]m continua esse accidentia, quæ enarrantur, quid aliud est, quàm patefieri febris ideam, vt Aëtius, & alij magni nominis Medici confirmant. Habuit febris hæc, quantum coniectare possum ex textu, mistam causam: quando apparent indicia humoris, vt ex vrinis nigris, & lienis intumescentia, melancholici: ex alui excrementis, & delirio, humoris

 biliosi,

biliosi: ex modo excernendi, humoris pituitosi, quod nobis clarum fiet magis, quando causas symptomatum perquiremus. Conualuit æger, cùm scribat Hippocrates iudicatum fuisse decimoseptimo die: sed tamen non ita frequens est iudicari integrè ægrotantes morbo crudo, & vehementi existente. Cur autem ita euenerit, fortasse etiam præter Hippocratis expectationem, haud multo pòst videbimus: nam, etiamsi scriptum sit à diuino Sene *in lib. 2. Coacarum text. 40.* Sic: *In febribus, siquidem iudicia non existunt, diuturnitas quidem laboriosa relinquitur, sed non lethalis,* quod est perinde ac si dixisset cruditates in morbis neque mortem, neque salutem pollicentur, sed tantùm morbi longitudinem, vt Galenus *in lib. de cris.* testatus est: tamen, si ad cruditatem signa malignitatis accedant, etiam lethales fiunt morbi. Quia quædam cruda tantùm sunt, in quibus tempore solum opus est ad coctionem: alia & cruda, & praua, & hæc sunt lethalia, vt sunt vrinæ nigræ præ cæteris. Sed tempus est vt totam examinemus Historiam.

[a] *Herophontem febris corripuit acuta.*] Hoc modo loquendi nobis ob oculos ponit morbi ideam & quantitatem, quod vt magis clarum fiat, sequitur recensere symptomata singula, inter quæ fuit alui motio, sed quomodo fluebat aluus? Cuiusmodi solent in tenesmo, id est, excernebat pauca, rubra, & cum difficultate; ita enim solent excerni in hoc affectu. Paulo dicente *in lib. 3. de re medica cap. 41.* Vbi hæc leguntur: *Tenesmus aliquando dysenteriam præcedit, aliquando etiam ipse solus non diu durans cessat: est autem affectio ad excernendum promptitudo quæ differri, ac deuitari non potest, nihil educens, præterquam pauca, cruentum aspectum habentia, aut etiam mucosa, quæ ferè totius morbi causa sunt.* Quod idem est confirmatum à Galeno *6. de locis malè affectis cap. 2.* qui de tenesmo verba faciens, ponit & qualitatem excrementorum, & etiam excernendi modum, sic: *Atque vlcera, quæ in recto intestino oriuntur, tenesmum vocant, vehementi quidem tensione, & prompta deiyciendi cupiditate infestant, paucis admodum sequentibus excrementis, quæ quidem ab initio pituitosa, & pinguia, progressu verò temporis etiam abrasionis specie deiyciuntur, sed per totum morbi spatium iis, quæ à supernis descendunt, haud quaquam misceri videntur.* Hanc affectionem appellat Galenus 3. *in 3. epid. comment.* 53. dolorificam, & molestam: dolorificam propter tensionem; molestam, propterea quòd assiduè sit desidendum. Quare cùm excerneret, qualia solent in tenesmo, oportet essent rubro colore infecta, & difficulter excernerentur, cùm pauca essent; fitque hoc aliquando propter qualitatem humoris euacuandi, qui cùm crassus, & pituitosus sit, adhærens, difficilè se trahi sinit, qui autem mordax, & acris est, non cessat irritare, & hinc fortasse dicebat Galenus 3. *in 3. epid. comment. 70. Tenesmo laborantes longè maiorem habere deiyciendi cupiditatem, quam dysenterici,* subdens: *neque enim vt flaua bilis statim permeat, quoniam sunt illa mucosa.* Quod idem confirmat Aëtius *sermone 1. cap. 43.* Hoc esse, vti dictum est, constat ex euacuatione subsequuta: nam quemadmodum à principio erant pauca, ita haud multò pòst erant plura, humoris

moris mutata qualitate, biliosis scilicet existentibus excrementis, quod ex verbis Hippocratis colligitur, quæ sic leguntur.

[b] *Deinde tenuia biliosa, plura.*] Illud fuisse tenuia non affert quid admirationis, quoniam erat morbus adhuc in principio, quo tempore excernuntur cruda, non cocta, & erant ex iis, quæ robustam naturam requirebant, vt euincerentur, annotatum à Galeno 1. *in* 1. *epid. comment.* 25. Hoc quidem mirum videtur tam largam euacuationem materiæ peccantis nihil commodi attulisse ægrotanti, signum non obscurum, & quantitatis, & malæ qualitatis, cùm essent biliosa, & plura. Quòd si verum est Galeni dictum; Decretoria, non decernentia, aut difficile iudicium, aut mortem significare, non erat hic ægrotans sine manifesto vitæ periculo. Nihil vtilitatis attulisse, id satis est argumenti, quòd post euacuationem visa sunt omnia aucta, vt patet ex textu: nam statim addit:

[c] *Non dormiebat: vrina nigra, tenuis.*] Debebat fieri reuulsio humorum ad infernas partes, quod tamen non est factum, vt ex vigiliis apparet, ex quo indicabatur non esse nisi ingentem ardorem huius symptomatis causam, qui ab illa euacuatione non poterat sedari, facta propter humorum malam qualitatem, qui ad caput elati, calidam in cerebro inducebant intemperiem, à qua vigiliæ, vt *tot in locis* habetur à Galeno. Neque erat de nihilo apparuisse vrinas nigras, quas internas sequi ebullitiones iã vidimus, & præter cruditatem, mortem etiam indicare iam statutum est. Verùm, in hoc ægrotante diuersam habuisse causam existimarem, quando ita factas crediderim, quia pars humoris melancholici ad vias vrinæ fuerit transmissa, moueórque ad hoc credendum, quia lien intumuit: est autem hæc pars post glandulas, & pulmones apta ad recipiendas fluxiones. Et si quemadmodum lien excepit humores melancholicos, ita euacuatio per aluum fuisset copiosa, fortasse non obsurduisset quinto die, quia facta esset ingens reuulsio à capite, & fortasè sufficiens ad prohibendam surditatem: nam surditatem ex febribus fluor è naribus soluit, ac alui perturbatio, inquit Hippocrates *lib.* 1. *Coacarum, sect.* 2. *text.* 25. *com.* 1. Quoniam verò purum excreuit, humores impetum fecerunt ad supernas partes, & caput afficientes, surditatem induxerunt, nisi velimus dicere, propterea suppressam esse aluum, quia surditas superuenerit: nam eodem Hippocrate confirmante. *Surditas in febribus aluum sistit, eodem loco Coacarum, text.* 4. Loquitur autem ibi Hippocrates de temporaria surditate, quæ translatam ad aures, nimirum ad meatus auditorios bilem ostendit: nam surditas, quæ sequitur extinctionem facultatis audiendi, illa planè lethalis est: Inueterata non curatur. Quæ autem firmata est, illam neque tollit alui fluxus, neque ipsa sistit aluum. Sed præter id quod obsurduit, desipuit etiam, quod solet ad huiusmodi surditates sequi, nisi humor citissimè excludatur. Hæc igitur cùm talia essent, meritò scribit;

[d] *Quinto die mane obsurdescebat, omnia exacerbabantur.*] Quæ euenêre quinto die, meritò timorem incutiebant, quia malignam affectionem solent sequi: nam surditas, & desipientia, partem principem, animalem

scilicet esse læsam ostendunt, quod in morbis magnifaciendum est: Excretio nigra quid significet, iam vidimus. Quantum postea possit hypochondriorum constitutio, ex Hippocrate colligitur 1. *prog.text.* 31. his verbis. *Hypochondrium autem optimum est, si dolore vacet, si molle, & æquale est in dextra, aut sinistra parte. Si verò inflammatione vexetur, aut dolore, aut inteztum sit, aut æqualiter affectum dextra, aut sinistra parte, hæc omnia animaduertenda sunt,* quod idē habetur *in Coacarum text.* 1. *sect.* 2. Quare expedit in omni morbo Medicum contrectare hypochondria, vt inde eliciat quales sint partes principes, & quomodo se habeant partes internæ tam vnius, quàm alterius visceris nostri corporis. In hoc ægrotante non bene se habuisse ex eo patet, quòd hypochondrium sinistrum contendebatur, ita interpretarer, etiamsi dicat,

[e] *Hypochondrium*] sine addito, quo tempore intelligit dextrum, vt Galenus vult 1. *in* 3. *epid. comment.* 1. in historia Hermocratis, quando dicebat: *Quia enim singulari numero, quem vocant, dixit hypochondrium, alterum tantum indicat, non vtrumque fuisse intentum, quando autem aut dextrum, aut sinistrum hypochondrium accipere nos sit necesse, dextrum fuisse intentum sit verisimilius, propter excellentiam, qua præstat alteri.* Quare ita verterem hypochondrium contendebatur, quia lien intumuerat. Quòd si euacuatio fuisset maior, quæ per aluum tentabatur: cerebrum, aut non fuisset affectum, aut longè minus, sed quia fuit pauca, recurrentibus ad partes supernas humoribus illis acribus, & adustis, & surditas, & desipientia superuenit: quod præter auctoritatem, *ex Coacis* adductam probatur pariter à Galeno *in comment.* his verbis: *Etenim nigra minxit, & excrementa alui biliosa repressa, insequuta surditas est, quæ in caput ascenderant, vnde non immeritò desipuit.* Rem ita esse confirmatur *ex* 1. *prorrhet. text.* 32. Vbi sic notatur.. *Surditas in acutis, & turbulentis succedens, mala,* cui addit Galenus sic: *Indicat enim inuasisse humorum quandam in caput abundantiam,* confirmatum ab eodem Hippocrate 4. *Aphor. text.* 28. *Quibus* inquit, *biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant, & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.* Itaque, quia, quæ ad aluum debebant deferri, ad caput sunt delata: ideo insurduit, & si surditas indicat affectionem capitis factam ab humoribus adustis, nihil miri, vti iam statueramus, etiam desipuisse, loquor modò de surditate Herophontis, cùm sciam fieri etiam ab humoribus pituitosis, quod neque negauit Galenus *in lib.* 3. *prorrhet. comment.* 76. & Aëtius *serm.* 2. *cap.* 69.

[f] *Sexto delirabat.*] Non remissa causa delirij in capite fixa, neque etiam sedabatur delirium: dicere autem Hippocratem desipuisse quinto, & sexto delirasse, est aliud nihil, quàm per diuersa nomina idem significare; ita 2. *in* 1. *epid. comment.* 75. quando his vtitur verbis. *Iam verò delirare, quod est absurda loqui, id est desipere, læsum significat cerebrum:* perseuerabat igitur delirium, manente causa, sed & sudabat, & frigebat. Sudare delirantem, neque minui affectum, est inter deterrima signa, quòd si non iuuit fortasse, quia esset paucus, & hæc erat ex prauis

uis signis. Quomodocumque sit sudor, vti iam dictum est, *in 1. historia*, febribus incendentibus maximè vtilis est, quòd si aliter fiat, æstuantes esse partes internas denotat, & auget periculum, præsertim cùm à sudore friguerit: sunt enim mala, frigida signa in calidis affectibus, & peiora, si vertamus post sudorem friguisse, id est habuisse sudorem frigidum, vt colligitur *ex 4. Aphor. text.* 37. *&* 1. *prog. text.* 26. quo in loco dicit. *Nam si fuerit acuta, prorsus afferet mortem frigidus sudor, licèt ex toto corpore prodeat.* Itaque, vtcunque vertatur sensus, signum erat prauum, cùm nihilominus, & capitis affectio perseueraret, adhuc in delirio manens, ex quo euidentissimè constabat inutiles omnino fuisse euacuationes illas. Sed & inter cætera periculum augebat symptoma illud, quod septimo die superuenit.

8 *Septimo die extremis membris frigebat.*] Refrigerari extrema in acutis perniciosum est ex Hippocrate 1. *in* 8. *Coacarum, sect.* 2. *text.* 19. *Caput, & pedes, manúsque refrigerari, ventre, & lateribus calentibus, malum.* Habet hoc symptoma multas causas, quia contingit aliquando in morbis longis; hyemali tempore; in iis, qui prouectæ sunt ætatis; in morborum principiis; in principiis accessionum, sed tunc nihil, quod effatu dignum sit, affert, quia non est mirum his de causis refrigerari extrema. Est quidem timendum in morbis acutis id euenire, & eò est periculosius, quò causa vehementior. Et tunc etiam multas haber causas: nam potest fieri hoc symptoma, quia calor natiuus prope sit extinctionem, tunc primæ omnium refrigerantur partes extremæ, quia & exangues, & longissimæ sunt à fonte caloris. Aut quia tanta est humorum prauorum copia, vt obruatur calor natiuus: fit etiam, quando os ventriculi acribus humoribus imbibitum, dolet: aut quia tanta crudorum humorum copia extet, quæ prohibeat calorem difflari, & ferri ad cutim. In vehementissimis doloribus, quomodocumque fiant, quod sæpius vidi: In affectibus cordis; in largiore alui motione. In vehementi inflammatione interna. Cùm igitur tot causis fiat extremorum refrigeratio, quomodo in hoc ægrotante fuerunt refrigerata extrema? Non est dicendum fuisse refrigerata extrema propter caloris natiui extinctionem, quia euentus aliter suadet. Neque propter copiam, quia pars demebatur, detrusa ad lienem, & aluum, & naturam etiam habebat validam, quæ non poterat tantam vim perferre: neque ex dolore, quia id significasset Hippocrates: neque enim lien tantopere dolet, vt huiusmodi accidentia inferat, si credendum est Galeno *lib.* 2. *de locis malè affectis. cap.* 8. Sequitur igitur ab inflammatione id esse factum, aut saltem ob incendium vehemens, quia cum hoc sitiebat, & delirabat, tamen non crederem breuissimo tẽporis spatio potuisse sedari tam validam causã, si ea ratione id factũ esset. Ego ob id ita affectũ crediderim, quia natura tẽtabat se eximere à molestantibus humoribus, quæ dũ tentat natura, semper augentur symptomata, sed tamen partim durant potente natura demittere peccantes materias ad infimas partes, vt huic contigit, quod denotat persequentia verba, dum ait, *sub noctem ad mentem rediit, obdormiuit:* sed cur hæc? quia incipiebat motus naturæ ad inferna inclinare,

vt

vt apparet ex iis, quæ statim facta sunt: videlicet octauo die, quo die etiamsi febricitaret: neque enim poterant statim à venis omnino detrudi humores peccantes; tamen lien residebat, non alia de causa, nisi quia à liene ad ignobiliores partes materia detrudebatur, hinc sedatio delirij, somni conciliatio, quia vigiliarum, & delirij causæ à capite verè reuellebantur, cùm à supernis ad infernas partes transmitterentur: Quòd res ita esset, doluit ei inguen primum, & sinistrum. Depositio maximè vtilis, & quia è directo partes affectæ, & quia ad quam maximè distantes partes, præsertim, cùm præ materiæ copia, & robore naturæ demigrauerint in vtramque tibiam. Euacuatio admodum commoda, quoniam quo magis ad longinquas partes feruntur humores, eò vtiliores, & securiores sunt depositiones, dictum à Galeno 3. *in* 3. *epid. comment.* 1. his verbis. *Eodem modo abscessus, qui cum affluxione fiunt, sunt illi meliores, qui verò cum decubitu, minus commodi, ac horum ipsorum quidem remotissimi, quique à loco affecto, & in partes ignobiles ægri, boni sunt; contrarij verò mali, & lib.* 2. *epid. text.* 12. *Optimi verò sunt, præcipuè inferni, & longissimi infra ventrem, & remotissimi à morbo.* Et Hippocrates idem 1. *in* 1. *Coacarum, sect.* 2. *text.* 41. At quæ causæ in crura conuertuntur in periculosa peripneumonia, vtiles omnes sunt, verùm non est par vtilitas, si appareant signa coctionis, ac si non appareant: nam illi optimi sunt, hi autem vtiles: Dico si appareant signa coctionis, quia sunt abscessus, qui fiunt ad partes distantissimas, & simul etiam cum coctione, illi proculdubio præualent aliis. Alij sunt abscessus, qui nullam coctionem habent, nec particularem alicuius determinatæ partis, nec vniuersalem, tamen feruntur deorsum, & ibi firmantur in partibus infernis. Alij sunt abscessus, qui aliquando habent coctionem, sed in parte determinata, superiore tamen, vniuersalem autem non habent, quoniam qui humor in venis est, ille adhuc crudus manet, cuius causa ægrotantes mori contingit, vt confirmat quod scriptum vidimus de Pictoris ancilla, cui suppurarunt parotides, & tamen obiit 2. *in* 1. *epid. text.* 84. Inter istos igitur primi sunt, qui ad inferna, & quammaximè à parte affecta recedunt: alij non inutiles sunt, etiamsi facescant negotium, quod clarè patet in hoc ægrotante, qui alleuatus quidem est, sed neque statim, neque inposterum sine grauibus symptomatibus. Verum, vtcumque fiat, bona est depositio à nobilibus ad ignobiles partes, & præsertim, nisi suppuratione finiantur, vt habemus 1. *in* 6. *epid. text.* 17. quo in loco hæc sunt. *Si infra vmbilicum quidem superiora constiterint in inferioribus articulis, bonum est; sin supra, haud perinde morbum discutiunt, nisi suppurauerint.* Quibus verbis nihil aliud significat, quàm abscessus infernos bonos esse, quotiescumque sunt morborum superiorum, sed si fiant abscessus in partibus superioribus, non adeò boni sunt, neque æquè soluunt morbum, nisi suppurent: & ratio est, quoniam partes infra vmbilicum minimè in suppurationem vertuntur, vt etiam Hippocrates confirmat *lib.* 1. *progn. text.* 37. *Oedemata*, inquit, *quæ in ventre sunt minus abscessum faciunt, quàm quæ in hypochondrys: minimè verò quæ subter vmbilicum sunt in suppurationem vertuntur.* Addit Galenus

nus *in comment. Oedemata si non discutiuntur, non solùm citiùs, sed etiam magis in hypochondrio suppurantur, propterea quod sedes calidior est. Quæcumque verò longius absunt, deorsum serius, minúsque suppurantur, & ob eam rem, quæ subter vmbilicum sunt, rarò in suppurationem vertuntur.* Partes ergo supernæ possunt suppuratione perfectiùs partes interiores expurgare: verùm si fiant abscessus in parte superiore, & in inferiore: si inferiores non suppurent perfectiùs liberant morbum, quàm superiores non suppurati: nam si vtrique suppurent, apertissimum est minus liberare infernos, quàm supernos, quia hi & imperfectiùs, & tardiùs id faciunt. Sed redeamus vnde digressi sumus. Cur scilicet sequuta sit refrigeratio: id ideo factum diximus propter conatum naturæ tentantis noxia à mediis ad infernas corporis partes detrudere, quo tempore, cùm videatur in se colligi, non est mirum si huiusmodi, & grauiora fiant: & si fiunt cocta materia, quanto magis cruda: tunc enim maior naturæ impetus requiritur, cùm materia cruda non sinat se trahi, æquè facilè. Rem perinde esse, ac dicitur, euentus comprobat, quando haud multo pòst incœperunt dolere inguina, quæ humorum depositio tantæ fuit vtilitatis, vt incœperint symptomata remitti: hinc apparet in quacunque euacuatione attendendam esse conferentiam, & tolerantiam: nam etiamsi symptomaticæ euacuationes, vt signum sint malæ, possunt esse vt causa bonæ, vt in hoc ægrotante experimur, quem noctem facilem habuisse scribit à dolore vtriusque tibiæ, quod est perinde ac si diceret quiete dormiuisse; & vrinæ non tantùm factæ sunt melioris coloris, sed etiam apparuerunt cum sedimento aliquo, indicium manifestæ coctionis. Tanti igitur fuit materiam etiam eandem habuisse raptum ad infernas partes, vt à manifesta pernicie illum videamus ereptum, cuius salus sine dubio erat ambigua, vti Galenus etiam confirmat *in comment.* inquiens: *Tanti scilicet erat decessisse, quæ molesta erant ad partes imas, vrinaque concoctio*, & paulo suprà: *Nihil verò erat boni, quòd vrinas nigras, quæ quidem erant prauæ compensaret, nisi quòd lien die quinto intumuit, excepta parte malorum humorum.* Deinde die octauo, cùm ex liene in crura transirent, hic diminuebatur quidem, cæterùm ad crura dum deriuarentur primum et inguen doluit sinistrum, quod positum est secundùm lienem: postea transierunt ad vtramque tibiam dolores. Atque hęc symptomata fuerunt in causa, quamobrem nocte commodè haberet, & minxerit vrinas melioris coloris, quæ sedimentum habebat paucum, & album. At facilè fit, vt natura à maiori sarcina alleuata, quod reliquum est commodiùs euincat. Et quòd scribit doluisse inguina, non acciperem id pro dolore vehementi, quia non tam bene quieuisset: Præterea partes infimæ dolores minùs difficilè perferunt, quotiescunque materia ad illas delabitur, quod confirmatur ab Hippocrate 3. *lib. prorrhet. text.* 22. sic. Dolores, si ad infernas dilabuntur partes, facilè ab his perferuntur, *in cuius comment.* Galenus explicat, quæ partes intelligendæ sunt, in hunc modum scribens: *Nam si ad thoracem, & ad os ventriculi peruenerint dolores, maiorem inducunt tolerandi difficultatem, quàm cùm in ceruice, cubitóque essent; si ad crura,*

H morbo

morbosam totam affectionem insigniter iuuabunt, quod expertum fuisse hunc ægrotantem euidenter constat.

[h] *Die nono sudauit: iudicatus est, intermisit.*] Sunt verba Hippocratis, quibus denotatur quomodo se habuerit in die nono. Ab illa humorum depositione ad infernas partes semper melior fuit ægrotantis status: nam crassis humoribus ad eas partes delatis, portio tenuioris per cutim est euacuata cum ægrotantis vtilitate, quoniam febris est sublata, quæ non rediisset, si tota materia disposita fuisset ad expulsionem. Verùm, quia adhuc humorum crudorum extabant reliquiæ in venis, quæ coctionem requirebant, hac ratione non scribit, *iudicatus est integrè*, sed tantùm, *iudicatus est*, intermisit: id est, sublata quidem est febris, sed erat reditura; & ideò addit verbum illud *intermisit*, rémque perinde esse, ac scribit, euentus iudicat, cùm illicò subdat.

[i] *Die quinto rediit.*] Die quinto, id est, à iudicio. Itaque recidiuauit in decimaquarta, & rediit febris, & valida; tum quia noua in venis est succensa putredo, tum etiam, quia natura tentabat per eandem partem, vt priùs, humorum reliquias euacuare infestantium, & in his motibus fiunt, aut augētur febres, præsertim cùm iterum splen intumesceret, denuò excipiens peccantem materiā, vt priùs, & in eo motu elatis vaporibus ad caput, non tantùm in caput ferebatur, &, vt calida, delirium, vt meatus auditorios replens, surditatem faciebat. Verùm veluti naturam promptam ad vitiatam materiam expellendam à principio vidimus, ita etiam non minus promptam futuram censendum erat post recidiuam, & quemadmodum videmus aliquos iudicari imperfectè per aliquam euacuationem, ita in recidiua semper videbitis naturam per eandem viam crisim perfectam molientem, si per sudorem, per hunc, & ita de aliis: quod pariter in hoc ægrotante obseruatur. A principio lien excipiebat humores putridos, ita in recidiua eosdem excepit: & propterea diminuta iam materia, quæ superuenere mala, eadem paucissimo temporis interuallo perdurarunt, quia natura valida, minimè muneris sui oblita per eandem partem humorum reliquias euacuauit, & ob id lien quemadmodum intumuerat, statim tertio die post recidiuam resedit, id est, detumuit, & cum hoc, etiam surditas est diminuta.

[k] *Crura dolebant.*] Signum, decubitum humorum iterum fuisse ad eas partes: vbi enim est dolor, ibi est fluxio. Et quoniam non omnis materia adeo erat crassa, quin attenuari posset, hac ratione factum est, vt tenuior ad cutim propelleretur, & sudauerit, qua euacuatione in dies, vt credibile est, perseuerante, tandem decimoseptimo iudicatus est. & Galenus *in fine comment.* addit *omnino*, vt integrum, & fidum factum esse iudicium significet. Et quamuis in recidiua, nisi habeat nouam causam, salutari tamen, solent eadem accidentia, quæ infestabant in prægresso morbo, fieri: illud tamen videbitis, semper esse mitiora; quo factum est, vt in recidiua non delirauerit, benignioribus existentibus humoribus, qui ad caput in recedíua ferebantur, præsertim maiori parte iam dempta, & euacuata.

Quare

Quare his sic stantibus, constat vnicuique, quomodo natura morbo crudo, & valido existente possit immunes ab affectibus reddere ægrotantes, præter spem, & expectationem; & ideò virtute valida existente, nunquam etiam in grauissimis accidentibus de salute desperandum. Videamus modò, quomodo sic affecti possent curari.

Curatio.

Erat hic morbus magnus, & vires constabant; itaque cùm à principio incœperit deiicere, sed tamen pauca, vrgente morbo, antequam vires deprimerentur, poterat sanguis mitti, modicè tamen propter imminentem euacuationem: Et si illa euacuatio erat statim inuadente morbo plus iusto larga, quæ impediret id remedij genus, iis fuisset interim insistendum, quæ humoris acrimoniam demulcerent, vt clysteribus refrigerandi vim habentibus, de quibus iam dictum est anteà, & quia aliquando videmus relinqui nihilominus deiiciendi voluntatem, prodest addere mellis rosati solutiui portionem ad abstergendum. Et si perseuerasset irritamentum illud, neque abstinuissem ab vsu syrupi rosati solutiui exhibiti ad ℥. *iij.* cum sero lactis: ita enim, qua pollet abstersiua qualitate, ab intestinis adhærentem pituitam abstulisset, & à corpore deturbasset cum maximo ægrotantis commodo, & fortasse etiam prohibuissemus insequutam surditatem. Quinto die cùm visa sit suppressa aluus, erat locus missioni sanguinis, si à principio non fuisset facta, neque vereri oportet ad id remedij genus deuenire, quia iam morbus quintam attingat, quia semper tempestiuum est tempus, modò sit indicans, & minimè prohibens, vt habetur *in lib. de curatione per sanguinis missionem cap.* 20. dico indicans, & minimè prohibens, quoniam aliquando vigesimus à morbo dies admittit euacuationem, aliquando neque primus dies, quando à principio exoluta est virtus. Debet autem id relinqui iudicio Medici, qui videat in his casibus si possit operari pro morbi indigentia. Capiti læso prouisum fuisset frictionibus, cucurbitulis, vesicantibus, & omnibus aliis validè reuellentibus, quibus libentissimè vtor in magno humorum impetu ad supernas partes. Neque ego timeo istorum medicamentorum vsum, vesicantium scilicet, quamuis sciam apud aliquos esse suspecta præsertim in febribus, verentibus ipsis ne magis calefaciant. Alij abstinendum putant, quia cantharides sint animalia inimica vesicæ, & etiamsi exterius applicentur, tamen vesicæ obesse affirmatè dicunt. Testari possum pluries his vsum fuisse cum euidenti iuuamento, neque vnquam animaduertisse læsam esse vesicam, quod hucúsque sciam; sed quot capita, tot sententiæ: Ego experientiæ credo, non particulari aliquorum opinioni, præmissis euacuationibus vniuersalibus: si alui fluor largus sit, non venio ad alia reuellentia, quia aut iuuat, aut non iuuat: si primum, consequimur optatum finem, natura duce: si secundum, frustrà admouen-

tur, quia, quod non potest alui fluor in reuellendo, minus potest cantharidum admotio. Hoc excepto tẽpore, in graui partium superiorum læsione vtor animosè, quotidianæ experientiæ fidens multùm, quo modo & surditatem auferre possemus. Neque propterea erant negligenda aliqua medicamenta in aures instillata, vt oleum amygdalarum dulcium, quia paucissimis contenta est remediis hæc surditas, temporanea, & solet cessare, curato priore morbo, de qua dabitur occasio *infrà* tractandi, clysteribus insistendo iam dictis, quibus addi potest, magis adstricta aluo, lenitiuum ad ℥.j. aut mel violaceum ad ℥.j.ß. Et quia lien afficiebatur, in quo humor melancholicus residet, & in huiusmodi casibus confert euacuatio per hirudines facta, venis sedis applicitas, neque id prætermisissem. Hanc euacuationem non parum commendantem videbitis Hippocratem *6. in 6. epid. comment.* 8. his verbis: *Quin etiam atram bilem hæmorrhoïs, id est sanguiflua, plerunque incipientem prohibuisse, & iam affectam remouisse, nec non duratum lienem sanauisse, conspecta est. 6. in 6. epid. text.* 25. idẽ habetur. Quare crediderim maximi fuisse iuuamenti hirudinum appositionem venis hæmorrhoïdalibus. Lienem interim fouere oportebat hoc vel simili medicamento, quod reciperet *Olei capparorum ℥.j.ß. olei amygd. amararum ʒ.vj. ammoniaci in aceto dissoluti ʒ.j. adipis anseris ℥.ß. mucilaginis althea ʒ.ij. cera quantum sufficit, fiat vnguentum*, quo vti potuisset. Multa commendantur, sed tamen non adeò creuit affectio, vt validiora exposceret. Sudore erumpente non fuisset incommodum, præsertim cùm minùs copiosè erumperet, & videretur esse frigidus, pannis corpus fricare, vt dilatatis poris, facilius egredi posset. Dum autem partes infernæ dolerent, si vidissem diminutas affectiones supernas, vt omnino posset tolli, tentassem frictionibus vti partium infernarum, vt materia duceretur secundùm incœptum motum: sæpissimè enim in graui morbo tentamus podagram in iis, qui huic morbo sunt obnoxij: Hæc dum fierent, internis medicamentis statim erat occurrendum caliditati internæ, & maleficæ qualitati. Caliditati, iis quæ vim haberent refrigeratoriam, vt sunt syrupi, decocta: Syrupus ex acetositate citri, de fumo terræ, boraginis vtilis fuisset, cum iisdem aquis, his vtendum donec morbus sedaretur: natura enim paucis est contenta, modò tempestiuè fiant. Aut decocta in iure ex iisdem herbis, cum portione syrupi acetosi simplicis. Maleficæ qualitati, alexipharmacis. Quod ad victus rationem, debebat esse optimi succi, & facilis distributionis, de qua iam diximus in aliis. Et quoniam seruare ventriculi actionem, est concoctionem fouere, eam ob rem hoc in primis attendere oportebat, oleis adstringendi vim habentibus admotis. His præmissis, tandem erat, nullo impediente, deueniendum ad purgans medicamentum, vt quæ supererant humorum reliquiæ, eædem demerentur. Quomodo autem cognoscere possit Medicus necessariam esse purgationem, docet Hippocrates *2 in 6. epid. text.* 20. his verbis: *Sitis intus relicta; oris exsiccatio; i suauitas, & inappetantia eadem ratione.* Cui Galenus statim subiungit: *Quando finita febre reliqua symptomata remanent, aliquod intus relinqui morbi reliquiarum*

quiarum dicitur. Hippocrates igitur eorum exempli cauſa meminit, quæ inter remanentia principatum obtinent : ſitis videlicet , oris ſiccitas , & triſtis ſenſus , & inappetentiæ , id eſt , priuationis appetitus. Illud autem aduertere oportet in medicamenti exhibitione, vt ſemper , quoad fieri poteſt , ægrotantis naturam perſpectam habeatis : nam non omnes æquè benè , aut malè purgantur , ſed alij aliis faciliùs , aut difficiliùs : quidam enim ſunt , vt quotidiana experientia docet, qui ex quouis leui medicamento validiſſimè purgantur, alij ſecus. Quòd ſi Medicus id aſſequi non poteſt , melius eſt infrà ſubſiſtat , ne ſi quæ fiat ſupereuacuatio , ægrotantem agat præcipitem , iiſque vtatur medicamentis , quæ multis iam fuiſſe proficua cognouerit. Hæc omnia habetis ad verbum à Galeno 2. *de ratione victus in morbis acutis com.*11.Loquitur ibi de venæ ſectione,& purgatione in pleuriticis facienda,& laudat potius venæ ſectionem,vt tutius remediũ,his verbis. *Nempe & ſi minus quidem auxilium quàm per purgationem ſequatur , ſecurius tamen multò eſt : imò nullum ex eo,quod per venæ ſectionem fit , periculum impendet , eo diſcrimen maximum ſubeunte , quod per purgationem tentatur , & potiſſimum , ſi laborantis naturam expertus quis non fuerit. Nempe alij difficulter purgantur natura , alij modico aſſumpto medicamento copiosè. Quibus igitur dare quadrabit , his medicamenti tantum propina , quantum in plurimis mediocriter vacuari , tum nouiſti, tum ſis expertus : ſi enim hominis naturam non noueris , metus eſt ne plus iuſto euacues , vel nullo pacto euacuationem moueas,aut ſi moueris,non tamen ſufficienter vacues :* ſubdit. *Quæ omnia magnas in morbis acutis pariunt offenſas , quod non facilè,vt in ijs,qui non febricitant emendatur.* Hoc optimè animaduertit Doctiſſ. Septalius *in lib.* 3. *cautionum , cautione* 2. Sed cur aliquando medicamentum epotum nihil proficit , vt in dies obſeruamus. Videte , ſi hoc vultis Aëtium,qui *ſerm.*3. 1. *lib. cap.*117. inquit ob quinque cauſas id contingere. aut propter naturæ ægri proprietatem , aut ob dati pharmaci paucitatem, aut propter ſtercus induratum impactum in quibuſdam inteſtinis , aut quod natura impetum per vrinas fecit , aut propter errorem , quo fit vt pars purgantis fiat alimentum animalis , pars verò in pharmacum venenoſum euertatur : docet pariter quid agendum ſit , quando purgans medicamentum ſuo opere fruſtratur. Laudat ibi aquam mulſam meraciorem aſſiduè abſorbendam ægrotanti eſſe dandam : commendat inter cætera maſtichem in puluerem redactum,& cum aqua tepidiore exhibitum: per inferius iniicit glandem ex melle , ſale , nitro , præterea laudat aſſumptionem alicuius rei adſtringentis poſt medicamentum , quo os ventriculi firmari poſſit, & ſuperfluitates ad infernas detrudantur. In largiore euacuatione vtile ponit balneum aquæ dulcis, & conſulit vinum eſſe bibendum ante,& poſt balneum , fuluum colore,& album ſubſtantia. Et mea, inquit,experientia comperit hoc præſtantiſſimum omnium,quare ne contempſeris.Rem perinde eſſe,ac dixit Aëtius teſtari poſſum & ego,qui hoc modo largas alui euacuationes , quæ iam ægrotantes ad extremam redegerant imbecillitatem detinui. His huncin modum ſe habentibus , ſi ex

vsu fuisset medicamentum purgans, in hoc ægrotante, fuissem contentus syrupo rosaceo solutiuo, melle rosaceo solutiuo ad ℥. *iij*. cum portione lenitiui ad ʒ. *x*. prætermisissem validiora, quoniam in huiusmodi febribus validioribus imbecilliora præstant, aut saltem rhabarbari vsum non improbassem. Quo præstito ad tollendam partium coctioni deseruientium intemperiem, vsus essem per aliquot dies saccaro rosaceo, conserua boraginis, aut in imbecilliori ventriculo, miniméque æstuanti, conserua absinthij Pontici, quod maximam vim habet roborandi ventriculum, vt Galenus affirmat 11.*meth. cap*.16. Præstat autem Ponticum, quòd minimum habet amaroris, multum adstrictionis. *Nos, vel si minima suspicio sit* (sunt verba Galeni,) *iecur, ventriculúmve laborare, absinthium protinus oleo incoquemus, ac eas particulas perfundemus.* Idem sentit Aëtius *lib*.1. *serm*.1. *cap*.196. Absinthium, inquit, melius est quod in Asia, & Cappadacia nascitur. Sed non tantùm expediebat roborare ventriculum, sed externis medicamentis fouere, qualia fuissent huiusmodi. ℞.*olei menthæ* ʒ.*ij.olei absinthij* ʒ.*ij.olei macis* ʒ.*j.ß.olei caryophyllorum stillatitij, olei è mastiche stillatitij ana guttas iij. ceræ albæ lotæ vino parum, fiat vnguentum pro ore ventriculi.* Vel ℞.*menthæ verno tempore bene asseruatæ M.j.ß. absinthij, maioranæ ana P.ij. rosarum rubearum M. j. caryophyllorum* ʒ.*ij. macis* ʒ.*j. selecta, concisa, caryophyllis leuiter tusis, misce: Insuantur serico rubro ad formam sacculi interpuncti, & seruetur pro ventriculo.* Restitutus à morbo debebat nihilominus cauere sibi, ne recidiuaret, ad quod respiciens Galenus consulit esse detinendos ægrotantes in eadem victus ratione, quam seruabant tempore sanitatis spatio ad minus trium, vel quatuor dierum his pulcherrimis verbis 1. *acut.comment*. 25. *Contingit siquidem interdum, vt tanquam soluto exactè morbo, ægri confidant, cibentur deinde negligentius, & eius, quæ per circuitum repetat, accessionis occasionem præbeant. Tutum igitur est, etiamsi morbus iam videatur iudicatus ad duos vsque dies, diligentem victus rationem, qua æger vsus fuit, seruare. Præteritis autem ab iudicatione duobus diebus, iam securum est pleniùs cibare, sic, vt neque mutationem eam, quæ vniuersim, subitóque fit, efficiamus, sed mane quidem sorbitionem demus: posteà verò dimittente die iam, vt frumentacea exhibeamus alimenta.* In quibus verbis Galenus vult, etiam præteritis duobus, aut tribus diebus à iudicatione, posse quidem augeri alimentum, sed sensim id esse faciendum, quod in praxi maximè est obseruandum: nam multos videmus, qui vix sentiunt se meliùs habere, quòd statim tantam alimoniæ quantitatem ingurgitant, nulla eduliorum habita distinctione, vt haud multò pòst in grauiores incidant affectus, & lethales: cùm enim virtus concoctrix ex priore morbo fuerit debilitata, sæpiùs hi potiùs sunt nutriendi, quàm semel ingesta eduliorum copia; præsertim si sua natura non admodum facilis sint concoctionis, & parciùs: id quoque præ oculis habere debet, qui à morbo conualuit, vt aluus quotidie sit obediens: nihil enim magis aduersatur conualescentium commodis, quàm excrementorum retentio, propterea singulo die, aut tertio quoque die clysterem iniicere expedit, aut balanum, ita consulente

Galeno

Galeno 5.*de sanitate tuenda cap.*1. Perinde debebat Herophon curari. Soleo ego in conualescentibus, quibus aluus est adstricta hoc vti medicamento, *℞. fol senæ mundatorum ℥.ij.rhabar opt.℥.ß.cinnamoni ʒ.j.Infundantur omnia in sufficienti quantitate aquæ boraginis, aut fumiterræ, aut communis,per horas duodecim.* Facta leni ebullitione, & expressione post diligentem colaturam infundo tot pruna Damascena à mulcis mundata, aut Prouinciana, quæ meliora sunt, quot sufficiunt ad absorbendum liquorem, & super asperso saccaro ad vsum seruanda curo: sex, aut septem, aut decem, si sint Damascena, exhibita, leniter aluum mouent, citra virium dispendium, vt hucusque obseruaui, & cum delectu etiam ab ægrotantibus assumuntur, & sic abstinemus â clysteribus, qui tandem fiunt infesti: Alij autem, vt scitis, minore copia erunt contenti, alij maiore, pro corporis structura. Sæpissimè etiam vsus sum pilulis hunc in modum concinnatis *℞.pilul. mastichinarũ ʒ.ij. pilul.alephanginarum ʒ.j. ß.cum syrupo de rhabar.fiat massa mollis.*Quod si instillentur olei anisorum guttæ quinque, vel sex, neque hoc est nociuum, & ex qualibet drachma, pilulæ nouem formentur, quarum vnam, vel alteram, vel tres assumat: ita enim aluus mollis redditur, neque periculum est vapores ferri ad caput, & ventriculum plus iusto repleri, à qua repletione, vt plurimum recidiuæ solent fieri, sæpissimè cum ægrotantis pernicie, iam ex priore morbo debilitati, propterea dicuntur recidiuæ deteriores radice.Hæc de Herophonte.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΤΕΤΑΡΤΟΣ.



Ν Θάσῳ Φιλίνου γυναῖκα, θυγατέρα τεκοῦσαν, καὶ φύσιν καθάρσεως γινομένης, καὶ τ' ἄλλα κούφως διάγουσαν, τεσσαρεσκαιδεκαταίην ἐοῦσαν μετὰ τὸν τόκον, πῦρ ἔλαβε μετὰ ῥίγεος. ἤλγεε δὲ ἀρχομένη καρδίην. καὶ ὑποχόνδριον δεξιόν. γυναικείων πόνοι. κάθαρσις ἐπαύσατο. προσθεμένη δὲ ταῦτα μὲν ἐκουφίσθη. κεφαλῆς δὲ, καὶ τραχήλου, καὶ ὀσφύος πόνοι παρέμενον. ὕπνοι οὐκ ἐνῆσαν. ἄκρεα

ÆGROTVS IV.



Hilini vxorẽ in Thaso,quæ filiã pepererat,purgatam ex præscripto naturæ, & cæterà rectè habentem, decimo & quarto die ignis inuasit cum rigore. Huic [a] *cor primùm dolebat, & hypochondrium dextrum,* [b] *muliebrium dolores, purgatio desita est. Subdito autem hæc quidem facta sunt leuiora,cæterùm capitis, colli, & lumborum dolores permanebant, nulli erant somni, extremitates frigidæ,*

siticu

ψυχρά. διψώδης, κοιλίη ξυνεκαύθη, σμικρὰ διῄει. οὖρα λεπτὰ, ἄχροα κατ' ἀρχάς. ἑκταίη ἐς νύκτα παρέκρουσε πολλά. καὶ πάλιν κατενόει. ἑβδόμη διψώδης. διαχωρήματα χολώδεα, κατακορέα. ὀγδόη ἐπεῤῥίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. σπασμοὶ πολλοὶ, μετὰ πόνου. πολλὰ παρέλεγεν. ἐξανίστατο βάλανον προσθεμένη. πολλὰ διῆλθε μετὰ περιῤῥόου χολώδεος. ὕπνοι οὐκ ἐνῆσαν. ἐνάτῃ σπασμοί. δεκάτῃ, σμικρὰ κατενόει. ἑνδεκάτῃ ἐκοιμήθη. πάντων ἀνεμνήσθη. ταχὺ δὲ πάλιν παρέκρουσεν. οὔρει δὲ μετὰ σπασμῶν, ἀθρόον πουλύ. ὀλιγάκις ἀναμιμνησκόντων παχὺ λευκόν. οἷον γίνεται ἐκ τῶν καθισταμένων, ὅταν ἀναταραχθῇ κείμενον πουλὺν χρόνον. οὐ καθίστατο. χρῶμα καὶ πάχος ἴκελον οἷον γίνεται ὑποζυγίου. τοιαῦτα οὔρει, οἷα κἀγὼ εἶδον. περὶ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτην ἐοῦσῃ, παλμοὶ δι' ὅλου τοῦ σώματος. λόγοι πολλοί. σμικρὰ κατενόει. διὰ ταχέων δὲ πάλιν παρέκρουσεν. περὶ δὲ ἑπτακαιδεκάτην ἐοῦσα ἦν ἄφωνος. εἰκοστῇ ἀπέθανε.

siticulosa erat, venter ambustus est, pauca excreuit: vrina tenuis, & à primo decolor. [c] *Sexto die nocte multùm delirauit, deinde resipuit. Septimo erat sitibunda, alui excrementa syncerè biliosa.* [d] *Octauo riguit, febris acuta, conuulsiones dolorificæ, multùm delirauit, surrexit. Balano supposito, multa bile offusa deiecit, non dormiebat.* [e] *Nono conuulsiones. Decimo aliquantum mente constabat.* [f] *Vndecimo dormiuit, omnia meminit,* [g] *sed statim in delirium recidit, vrinam verò reddebat cum conuulsionibus affatim multam, raro admonentibus, crassam, albam, qualis quæ in matallis diu stetit, cùm agitatur, non subsidebat, color & craßitudo aßimilis iumentorum vrinis: Hæc illius erat vrina, quam ego vidi.* [h] *Ad diem decimum & quartum palpitationes, totum corpus dolebat,* [i] *multum loquebatur, aliquantisper mente constitit,* [k] *breui rursus desipuit. Ad diem decimum septimum obmutescebat.* [l] *Vigesimo obijt.*

COMMENTARIVS.

NOVVM, neque mirandum quoddam est, hanc ægrotantem, cùm minus quàm par sit à partu fuerit expurgata, tam grauem, & lethalẽ passam fuisse affectionem. Id in dies animaduertimus in enixis: aliæ enim doloribus grauissimis fiunt obnoxiæ, aliæ dolores capitis patiuntur, aliæ alia sustinent, quæ vitam reddunt miserrimam.

Quis enim affectus non fit, muliere ex consueto non expurgata, sed multò magis à partu? De hac re sermonem habens Aëtius *lib.*4. *serm.*4. *cap.*52. ita scribit: [*Mulieribus quæ non purgantur consueto more, sanguinis reiectationes, ac syderationis periculum imminet.* Nam suppressis mensibus molesta accidentia consequuntur. Totius corporis grauitas, nauseæ, fastidia, horridi quidam discursus, velut in his, quæ conceperunt. Dolores insuper circa lumbos, femora, collum, sinciput, & oculorum radices adsunt. Febres item assiduè concomitantur, & vrinæ nigræ sunt cum rubicundo, ac sanioso quodam humore. Difficultatem item, ac stillicidium vrinæ patiuntur, & quædam in melancholicum atræ bilis morbum, aut insaniam delabuntur. Cutis superficiem dolent, & inflammationes, ac ignes sacros diuersimodè sustinent.] Hucusque Aëtius, subscribit Auicenna *lib.*3.*Fen* 21.*tract.*3. *cap.*6. *Retentio*, inquit, *menstruorum, & paucitas eorum commouent in ea ægritudines, repletiones omnes, & præparant ea ad apostemata, & dolores capitis, & reliquorum membrorum, & tenebricositatem visus, & perturbationem sensus, & febres.* Hæc omnia comprobantur à Galeno ad verbum, *multis in locis.* nam *lib. de vena sect. aduersus Erasistratum, cap.*5. docet apertissimè, quòd, quemadmodum nihil est æquè vtile sanitati mulierum, ac euacuatio, quæ per vterum fit singulo mense, ita etiam nihil est, quod æquè contrarium sit sanitati, ac ipsius retentio: nam cùm mulieres pluribus abundent excrementis, & propter otiosam ipsarum vitam, & propter humiditatem, natura eas illa euacuatione donauit, vt possent superuacanea excerni. Hæc, si ex præscripto naturæ fiat, commodam, sin minus, aut sit diminuta, aut omnino suppressa, infelicem degunt vitam, vti iam dictum est. Verba Galeni hæc sunt. *Nonne ipsa mulieres cunctas singulo mense euacuat, sanguine superfluo singulo mense foras effuso? Muliebre enim genus, vt quod domi ageret, atque vehementibus laboribus exerceretur, aut sub claro sole viueret, aut ob vtraque hac multitudinem humorum coaceruaret, ipsam euacuationem plenitudinis, tanquam remedium naturale obtinere opus habebat, & vna quidem est istud naturæ opus.* Confirmant hæc, quæ *lib.*2. *de semine, cap.*5. leguntur sic. *Vnde fœminæ, quia imbecillius animal est, excrementa multa abundare, quia verò omnium infirmissimas genitales partes habet, in eas redundantem sanguinem ferri, qui quidem fœminis, antequam concipiant fiat expurgatio salutaris, vbi iam concepêre, alimentum fœtibus accommodatum euadat.* Et certè nunquam non conqueruntur de aliquo affectu mulieres, quæ commodè non expurgantur. Et addit Galenus. *Velim itaque audias iam veritatem me præcone tibi denunciantem, quod mulier si probè expurgetur, neque podagricis, neque articulorum doloribus.* Post multa. *Verùm his retentis eam cuilibet malo implicari facile est. lib.*6. *de locis malè affectis, cap.*5. affirmat inflammari partes internas, fieri dolores colli, lumborum, oculorum, febres ardentes accendi, vrinas nigras excerni, & alia; quæ omnia referre nimis longum esset, hoc tantum addam monere Medicos, interrogent ægrotantes, an menstrua purgentur, si quidem nihil horum accidere solet in-

ægrè purgatis, *lib.1. Aphor. text.58.* Hæc habebitis scripta. *Si menstrua plura fiant, morbi accidunt, & si non fiant ex vtero, morbi contingunt.* quem textum exponens Galenus, sic post multa scribit. *Quodcunque autem fuerit, necesse est processu temporis, & ipsum vterum pati, aut similem inflammationi dispositionem, aut ærisipelati, aut duro tumori, aut cancro, quibus denuò totum corpus compatitur.* His hunc in modum se habentibus. Cùm longè grauius sit supprimi euacuationes post partum, cùm tunc non solùm sit euacuatio, sed purgatio etiam sanguinis illius impuri à fœtu relicti, non est mirum, si hæc mulier, de qua nunc sermonem habemus, suppressis à partu mensibus defuncta sit ex febre ardente, & vteri inflammatione: nam omnes, quibus supprimi contingit à partu, grauiter infestantur, vt annotat Galenus his verbis, quæ tanquam præceptum nobis reliquit scripta. *Illud certè in omnibus mulieribus, quarum impedita à partu purgatio est, sciendum est, & memoria tenendum, esse, quæ in maximum vitæ periculum veniant, perpaucas esse admodum, quæ modicè infestentur, propterea quod plurimis vterus inflammatur. Quibusdam sanguis effusus diuersa sit qualitate, his biliosus, illis melancholicus, alijs virulentus, aut pituitosus, aut mediocriter bonus, inculpatus haud vnquam.* Probant rem ita esse, quæ legũtur in *lib. Hippocratis de morbis muliebribus text.60. & 63.* quo in loco recensentur, quæ soleant pati mulieres à partu non purgatæ. Sed præter auctoritates adductas, extant etiam aliarum mulierum exempla hoc ipsum confirmantia. *Mulier quæ apud frigidam aquam in Thaso habitabat. Hæc cùm à partu non ritè fuerit purgata, acuta febre obijt octogesimo die 3. in 3. epid. text.73.* Quem textum dum expendit Galenus, ait. *Itaque videtur suppressa à partu purgatione incidisse mulier in morbũ, quippe menstruorum suppressio offendit, tamen non perinde, vt si à partu supprimantur officit, quod non abundantiam modo, sed insignem etiam humorum pariat prauitatem. Nam meliorem sanguinem ad se trahit fœtus nutrimenti causa alliciens, relinquit deteriorem: ideòque prægnantes prauis humoribus implet, quos à partu natura euacuat.* Quod cùm maiores animaduertissent, puerperarum à partu euacuationem, excretionem sanguinis vocitauerunt. Est verò etiam menstrua vacuatio, non solùm vacuatio, sed & purgatio, verùm non est æquabilis tamen multitudo vitiosorum humorum, neque pari spatio menstruis circuitibus congeritur, quanta dum partum gerit. Id verum esse euidentissimè ab eodem Galeno probatur *2. prorrhet. comment.48.* Vbi apertissimè demonstrat admodum vitiosum esse, ac perniciosum sanguinem, qui tempore gestationis retinetur, hac ratione, quòd fœtus puriorem absumens, relinquit deteriorem. Textus sic habet. *Si mulieri alba à partu cum febre retineantur.* Galenus. *Non in albis solùm, si eorum, quæ à partu vacuantur retentio fiat, praua est tum causa, tum nota, verum quoque in biliosis, & sanguine ipso.* Nempe λοχία purgatio est, atque etiam ex nominis ratione purgatio vitiosorum, quæ gestationis vteri tempore in venis coaceruata sunt, absumpto quidem in fœtus alimento vtili, qui in ipso erat sanguine, sed permanente vitiosiore, qui singulis mensibus antea per vterum excernebatur.

Cùm

Cùm igitur is non fuerit vacuatus à mulieris puerperio, aut vterum ipsum in phlegmonem agit magnam, aut ad superiorem aliquam partem vectus, parti excipienti affectum proprium, periculúmque infert, ad quam autem peruenerit mox apparentia symptomata indicabunt. Sed & idem confirmat status vxoris Philistidis, etiamsi conualuerit *lib. 7. epid. text.* 108. At enimverò quot in dies videamus euenire in iis, quæ à partu non purgantur, vt propterea monendi sint adolescētes incedant cauti in indicio ferendo: nam etiamsi videantur mulieres à principio bene expurgari, oportet perseueret euacuatio illa ad præscriptum tempus, vt possit esse pro ratione causæ. In filiarum partu debet euacuatio perdurare ad dies quadraginta: in masculis ad dies triginta, Auicenna comprobante *lib.* 3. *Fen* 21. *tract.* 2. *cap.* 33. quo in loco habetis etiam, quæ patiantur non expurgatæ mulieres: nam etiamsi bene se habeant à principio, possunt in deterius decidere, propter erratum, quod tamen admodum frequens est: verentur enim semper, ne debiliorem habeant virtutem: Itaque & vinum potens assumunt, & in magna quantitate, & alimenta optimi succi, sed tanta, quæ à calore natiuo non possunt euinci, vnde multoties morbi generantur grauissimi, sæpissimè etiam suppressis ab his mensibus, qui sua natura bene fluerent. Ergo semper timeant adolescentes in curatione enixarum, & bene sint oculati, & præsertim in fœminarum partu, quo tempore mulieres magis abundant excrementis, & magis solent periclitari, vt quotidiana testatur experientia, & probant etiam exempla ab Hippocrate relicta. Inter hæc, huius mulieris est præcipuum, ex quo apparet quantum possit mensium suppressio à partu, vt inde non sit mirum, quemadmodum dictum est, tam grauiter fuisse affectam, cùm in febrem ardentem incidisse dicat, quam propterea appellat ignem. Causam fuisse retentionem puerperij clarum est, sed non æquè certum qualis esset sanguis iste puerperij, nisi diligenter ex accidentibus contingentibus eliciamus. Crediderim ego quamuis Galenus dicat, vt plurimum esse sanguinem melancholicum, non defuisse tamen bilem superantem, cum portione humoris pituitosi: nam excreuit per aluum biliosa, delirauit: sed & habuit vrinas crassas, vt videbimus. Quem euentum habuerit paucissimis verbis concludit Hippocrates dum ait: *Vigesimo obijt.* Verùm vt à primo exordiamur: videntur quæ hucusque dicta sunt minus vera, cùm Hippocrates scribat filiam quidem peperisse, sed fuisse purgatam, ex præscripto naturæ. Quomodo igitur in tantum affectum incidit, si bene est purgata, & omnia ritè sunt consequuta. Huic quæsito facilè satisfaciemus, si Hippocratis verba perpendamus. Ipse scribit sic; Rectè fuisse purgatam, & tandiu etiam ab omni affectu fuisse liberam, quandiu purgationes probè fluxerunt, vt verum nihilominus esse dicendum sit, futuram incolumem, si perseuerassent fluere ad dies quadraginta, aut saltem paulo minùs, vti iam annotauimus: quoniam verò res aliter cessit, hinc plenitudo ingens, suppressa euacuatione, ex qua febris, & hypochondrij, & muliebrium dolores: recurrentibus scilicet illis humoribus, qui debebant fluere per vterum ad

eas partes. Rem ita esse visus est nobis significasse Hippocrates *lib.3.prorrhet.text.39.* hunc in modum : *Primum quidem , quibus vacuatio sanguinis consueta , est retenta , his morbos fore plethoricos necesse est , manante ipso ad eas partes , quæ imbecilliores sunt , cuius ratione verisimile est hepar fuisse maximè affectum , & alias partes sibi vicinas.* At cùm circa decimum quartum diem desierit sanguis fluere , propterea ab eo die cœpit febrire , & grauissima experiri symptomata. Nam scribitur in textu: *Primum ei cor dolebat , & hypochondrium dextrum , muliebrium dolores: purgatio desita est.* Quasi velit dicere , quia euacuatio eo tempore necessaria facta non est , propterea iam dicta superuenêre : ex quibus constat apertè , quantus sit consensus vteri cum ventriculo : illud enim

[a] *Cor dolebat*] intelligendum est de ore ventriculi , vt *in comment.* Galenus , & *alijs in locis* didicimus , & ita hoc nomine donatur propter exactissimum sensum , quem habet , vt legitur *in lib.1. de symptomatum causis, cap.7.* & *3.lib.prorrhet.comm.38.* Sed fortasse nullibi clarius, ac *lib.3. progn.comment.30.* in illis : *Ventriculi verò ostiolum appellatur id , vt constat etiam cor , propter magnitudinem neruorum , quos habet sentientium: nihil latet, quod in eo infestat , ita fit , vt mordens biliosus humor cardiogmon , id est cordis, siue oris ventriculi morsum committat.* Quare dolebat cor primum , propter maximum consensum , quem simul habent vterus, & os ventriculi, idque propter congenerem ipsarum partium substantiam, & viciniam , & communem continuitatem per venas, & arterias , & quia vtraque pars accepit neruos , ex sexto pari eorum , quæ oriuntur à capite , quod etiam videtur Galenus affirmare *in lib.5. Aphor.comment.22.* sic: *Vtero , & vesicæ calidum quidem amicum , & indicans , inimicum verò, & accidens , frigidum : nam , & hæ pariter neruosæ sunt , & supra iacentibus partibus facilè tradunt frigiditatem.* Ex quibus demonstratur , non esse difficile vtero affecto , & alias supernas partes affici , præcipuè neruosas, vti etiam apparet ex iis, quæ legũtur *lib.2.Coacar.text.7.sect.3.* Sed multo magis id confirmabitur , si quis videat , quæ scribit Aëtius *lib.4. serm.4. circa initia.* Quibus sic stantibus , non est mirum ex suppressione mensium affecto vtero os ventriculi doluisse , & hypochondrium : nam ex sanguine illo putri , in vteri venis contenti , vapores putredinales eleuabantur , qui non difficilè maleficam suam qualitatem partibus principibus impertiebant , sed præcipuè iis , quæ facilem habent cum vtero consensum , vt est hepar , os ventriculi , sed præcipuè cor , quo læso à vaporibus illis putredinalibus febris necessariò concitabatur pro ratione malitiæ vaporum. Quod autem vterus pateretur , præter id , quod apertissimum est , indicat apertius per illam particulam,

[b] *Muliebrium dolores.*] nam sunt casus suppressionis mensium huiusmodi accidentia , Galeno dicente *1. Aphor. comment. 28. Muliebria,* inquit, *dicit vt liquet ea, quæ ex vtero euacuantur in menstruis purgationibus, & à partu.* Clarum etiam illud est, quod & *in hoc loco* , illas, quæ vel per vteri inflammationem , vel euersionem, aut talem aliam causam non purgantur , non rectè aliter purgabimus , quàm eam purgantes passionem,

cuius

cuius est casus suppressio mensium. Hippocrates vt hæc accidentia mitiora redderet, subdidit balanum, quo iniecto, omnia facta sunt mitiora, & fortasse fuit pessus sedandi vim habens, vt Galenus *in comment.* at vtcunque esset, vtilitas minimi momenti est sequuta, nec immeritò, cùm hæc causam tollere minimè possint, neque vterum ab affectu liberare, vt apparet ex colli, & lumborum dolore, quæ accidentia concomitari solent vt plurimum vteri affectionem eodem Galeno dicente *in lib.6. de locis male affectis allegato*, in illis. *Huiusmodi accidentia sequi suppressa menstrua consueuerunt, ac præterea lumborum, colli, & sincipitis dolor, qui etiam oculorum fundamenta infestat, item & febres ardentes.* subdit. *Cùm ergo horum aliquod in muliere conspexeris, vterum veluti radicem ipsorum conijcere oportet.* Concludit postea omnia sic. *Igitur, quibus menstruorum cohibetur purgatio, ijs huiusmodi plerunque eueniunt accidentia:* id autem non alia ratione fieri didicemus, quàm ex communicantia, quam habent huiusmodi partes cum vtero: nam cùm habeant venas admodum magnas, & plurimas, si æstuans dispositio sit in vtero, facilè ad caput transmittuntur vapores illi adusti, quorum causa, & capitis, & colli dolor comitatur, id ipsum non negante Galeno 1.*in 6. epid. comment.*2. dum scribit. *Inter omnes corporis partes, plurimas, grandissimásque venas vteri habent, cúmque eas, aut menses, aut à partu purgamenta suppressa, aut phlegmone ipsa vtcunque orta malè accipiunt, ipsas sanguine compleri necesse est:* nam id genus febrium ex putrido sanguine accendi ostensum, hæ verò calentium vaporum vim haud paruam in caput transmittunt, verùm capite quauis de causa horum vaporum pleno, grauitates, maximè in sincipite, hominem vexantes apparere illi, quibus artis opera curæ sunt, priusquam à me audierint notum, habuerunt, collúmque affici, dum vapores illi in sinciput discurrunt, affirmat, neque minor consensus est vteri cum lumbis, qui & ipsi dolorum causam ab vtero habebant: pluribus enim partibus simul colliguntur, vt hinc facilè sit alteram alteri communicare affectiones, eodem Galeno asserente *in lib. de vulua diffectione cap.*4. Quo in loco sic habetur. *Dependet etiam totidem nexibus ex lumborum vertebris: lumborum enim magni musculi vtrinque processus quosdam satis magnos promittunt, qui tum in vtrasque vuluæ partes, tum in ceruicem vesicæ, tum in sedem distribuuntur, atque hæc vincula laxa sunt omnia, vnde efficitur, vt latè, & moueri, & transformari vulua possit: quod cùm ita sit, lumbos doluisse in tanta vteri affectione non est mirum.* Et quomodo somnum capere poterat, & siti carere, cùm hæc à calida causa prouenire sciamus. Et, si nihil aliud, dolores somnum arcere poterant, vt norunt, qui dolores aliquos sunt experti. De dolore optimè agit Aëtius *lib.2. sermone* 1. Quo in loco multa reperies quæ digna sunt diligenti lectione, & quæ faciunt ad cognitionem doloris, qui infestabat hanc ægrotantem, quando scribit in inflammationibus dolores esse pulsatiuos. Vtvt sit, credendum est vigilem fuisse, quia per communicantiam caput calida afficeretur intemperie, qua ratione etiam venter ambustus erat, & propterea pauca excreuit, quia indurabantur excrementa: aut dicamus

id eueniſſe propter vteri tumorem : erat enim inflammatus , qui cùm in medio poſitus ſit , videlicet inter veſicam , vt rectum inteſtinum , vt ex Aëtio , *loco iam adducto* habemus deſumptum à Galeno *in lib.* 14. *de vſu partium*, *cap.* 14. Cur autem, inquit Galenus *ibi*, ante quidem eſt veſica, retro verò rectum inteſtinum , in medio verò amborum matrices : Quod cùm ita ſit, videmus ſæpiſſimè ſupprimi vrinas omnino, inclinante ad eam partem vtero : nihil per aluum excerni , ad eam partem vergente magis. Quare & in hac ægrotante idem contigiſſe non erat abs re dicere, quamuis id ſoleat fieri , etiam æſtuante interiùs corpore , exſiccatis excrementis, quæ quo magis retinentur , & magis indurantur , & difficiliùs excernuntur , & hac etiam ratione erant pauca : ſed longè grauius ſymptoma ſuperuenit , quod erat refrigeratio extremorum , ſymptoma pernicioſiſſimum , vbi in principio morbi ad grauiſſimam febrem adiunctum eſt: quod, quomodo , & qua de cauſa fiat demonſtrauimus *in antecedente historia.* In hac ægrotante non aliam habuit cauſam , quàm internam inflammationem , quo tempore , cùm humores recurrant ad inflammatam partem, vrina fit decolor, & tenuis, præſertim in tanta humorum cruditate, & in tanto humorum impetu ad ſupernas partes. Hoc vt clariùs appareat, ſubdit Hippocrates.

c *Sexto die noctu multùm delirauit , deinde reſipuit.*] Sexto die, id eſt, à febre, à qua eſt facienda computatio, etiamſi aliter ſentire videatur Hippocrates *lib.* 3. *progn. text.* 10. ſic habens , *Pari modo in mulieribus iudicationes fiebant à partu :* cui ſententiæ ſubſcribit Galenus *in comment.* ſic. *Principium numerationis ſit tibi , non quo die cœperint febricitare , ſed quo pepererint: In quibuſdam ergo circa ſecundum, aut tertium diem à partu, ex quo multi numerant futuram iudicationem : ſed res non ita eſt , ſed ex quo pepererint numerationem fieri oportet dierum.* Quam ſententiam Valleſius vir de re medica bene meritus *lib.* 10. *controuerſiarum cap.* 4. ſic exponit : videlicet eſſe faciendam numerationem dierum à partu , quotieſcumque partus non eſt naturalis , & eſt cauſa febris , veluti alicuius partis principis inflammatio ; ſed quando partus eſt naturalis , & non eſt cauſa febris , tunc ſuperueniente febre, ab ea numerandi ſunt dies, non à partu. Referam verba Valleſij, non omnia, ſed pauca quædam. *In vxore*, inquit, *Philini merito computatio incœpit à primo die febris : fuerat enim partus naturalis, ſi quis alius , de qua Hippocrates ſcribit purgatam ex præſcripto naturæ, & cætera rectè habentem.* Quare cùm ſcribit Hippocrates, *ſexto die:* à febre , intelligendum eſt, non à partu ; & etiam Hippocrates idem ſentit , quia ſi intelligeret à partu , eſſet dies vigeſimus , quando ſpatio quatuordecim dierum bene ſe habuit : ſed qui plura cupit de hac re videre, & quomodo poſſimus acquieſcere , docet etiam dilectiſſimus pater meus *in comment. ſuper prognoſt. editis*, & multa alia reliquit *in expoſitione textus progn. citati*, quæ debent legi, quæ omnia referre nimis eſſet longum. Cùm igitur ſcribit Hippocrates *ſexto die*, à febre eſt addendum. Hoc die multum deliraſſe ponit , vrina erat tenuis , decolor, quia delirauit, ad caput recurrentibus humoribus , & quia erat recurſus inordinatus humorum,

rum, resipuit, quia hæc deliria habent interuallum; delirium, paraphrenitis à Medicis dictum: & possemus etiam addere, resipuisse circa finem accessionis, quia quantum ex textu coniecto mouebatur iste morbus per pares, & eam ob rem, adueniente septima, nox antecedens fuit minus molesta, quod vt denotet, dicit: deinde resipuit: id est, cùm sexto multùm delirauerit, quoniam inualuit morbus, quia erat dies par, in hac ægrotante deterioris accessionis; tandem remissa accessione, simul cum illa, & accidentia conquieuisse visa sunt, & per totam septimam, quando in ea die nihil antedictorum apparuit; quòd si erat sitibunda, id sequebatur naturam morbi; præterea erat effectus antecedentis accessionis, quia etiam si vis morbi remittatur, & cum ea symptomatum magnitudo, non tamen in totum conquiescere possunt, quando non omninò est sublatus fomes, præsertim in febre continua; neque tamen dicit fuisse multum sitibundam, sed tantùm erat sitibunda, cum excretionibus flammidis, erant enim syncerè biliosa, de quibus iam *suprà*. Quòd verum sit motam esse febrem paribus diebus, apertissimè constat ex sequentibus diebus, dum ait.

[d] *Octauo riguit, febris acuta, conuulsiones dolorifica.*] Quemadmodum in septima nihil apparuit, quod accessionem denotaret, euacuatione per aluum excepta, quæ tamen in enixis est quantitas pretij: nam non fit tunc per conuenientem partem, quia deberet fieri per vterum, nulla autem pestilentior euacuatio est, quàm mulierem enixam alui fluore tentari, confirmat id euentus Aristiphontis filiæ, vt refertur 4. *epid. text.* 54. & multò magis quotidiana experientia: nam aluũ pro vtero fluere, non raro difficilis indicij causa existit, quod non sit conueniens illa euacuatio, neque regio, & quo maiores sunt euacuationes, eò perniciosiores, propterea vos adolescentes obseruate hoc in enixis, & symptoma semper magnifacite, quia vtplurimum videbitis periclitari mulieres, quibus à partu largiter mouetur aluus, suppressis mensibus: verùm de hac re in aliis etiam dicemus. Quòd autem hæc euacuatio nihil attulerit commodi, sed damnanda esset, & ratione tẽporis, quia in principio, & ratione loci, quia per aluum. Quę octauo die facta sunt, demonstrant rem ita esse, quo die omnia inualuere: erat enim dies par, huic ægrotãti magis infestus, propterea aucta est febris, & riguit, qui rigor nulla subsequuta euacuatione improbandus est, virtutis imbecillitatem significans quæ tentauerit se eximere à noxia, & non potuerit, sed & rationi loci affecti fortasse riguit, vteri scilicet: partibus enim neruosis læsis, frequentes fiunt rigores; sed modò dicamus riguisse bile delata per sentientes corporis partes, quod non est inconsonũ euenire in febribus continuis etiam, tenuiore parte delata per corpus, crassiore nihilominus in venis putrescẽte: verum est quod, quemadmodum fit rigor, ita aut est criticus, aut est symptomaticus. Si primo modo, bene fit cum ægrotante, cùm haud multò post, larga per aliquam partem tentata euacuatione, sanentur ægrotantes. Si est symptomaticus, ægro iam debili, periclitantur, quoniam fit natura tentante, & minimè potente opus tentatum perficere, vt huic euenisse verisimile est.

Aucta

Aucta est febris euidenter, sed tamen quemadmodum sequi debebat aliqua commoda euacuatio, ita deterius signum superuenit, & perniciosissimum, cùm eandem conuulsam fuisse scribat. Vterus pars est neruosa, tamen rarissimè conuellitur: nam etiamsi tenella sit pars, & exquisito sensu prædita, neruosáque, qua quidem membranaceus est, paruos tamen habet neruos, vt ad magnitudinem partis conferatur, itaque non facilè infert conuulsiones, neruorum ratione. In vteri etiam inflammationibus rarius conuulsio mouetur, quòd si fiat, lethalior est; mouetur autem magis repleto capite fuliginosis excrementis, quàm neruorum vteri ratione. Id confirmat Galenus *lib.* 3. *prorrhet. comment.* 27. sic: Nempe quòd magnas vteri inflammationes febres consequantur neminem latet. At non sæpius fiunt ex vteri inflammationibus conuulsiones: si fiunt, periculosæ sunt. Poterat etiam dicere lethales, sed in quibus sint lethales, dicemus *paulo infrà*. Et notanda sunt verba Hippocratis, qui dicit fuisse conuulsiones dolorificas, vt doceat nos non fuisse motus quosdam conuulsiuos, quos aliquando in acutè laborantibus animaduertimus, sed fuisse veras conuulsiones; hæ autem sunt dolorificæ, vt habetur *ex lib.* 2. *prorrhet. comment.* 20. Cùm igitur tam grauiter se haberet, non est nouum, & caput, tanquam principium neruorum fuisse læsum, & delirium maximum fuisse concitatum propter ingentem inter istas partes communicantiam. Maximum fuisse delirium videtur innuere verbum illud *surrexit:* Scimus enim sæpissimè ita furiosum esse delirium, vt propter deprauatam imaginationem surgant, & fugere tentent ægrotantes, quo tempore cogimur: aut in lecto vinculis detinere, aut, si diuites sunt, prohibere fugam hominibus robustis assidentibus. Solent sic affecti in grauiora incidere, si vera sunt, quæ Hippocrates, & Galenus dicunt 2. *Aphor. comment.* 28. sic: *Sed ex delirio quidam ægroti iugiter surgentes, vel iacentes quidem, sed continuò propter aliquam corporis partem commouentes, aut etiam delira loquentes, intra paucos dies extenuantur.* Quam affectionem tentans Hippocrates tollere, aut saltem diminuere, vsus est balano. Curatio Hippocrati familiaris in virtute imbecilla, vt vidimus in Philisco. Neque scio quomodo tam larga potuerit sequi euacuatio à balano, etiam validiore, nisi hoc fuisset propter duo, vt existimo. Vnum erat qualitas humoris, qui erat bilis: hæc minimum irritata, statim effluit. Alterum erat virtus, quia videbitis sæpissimè in virtute languida largas fieri euacuationes à leuissimo medicamento, quia facultas retentrix minùs benè tunc fungitur munere suo; & ita aliquando humores, qua data porta ruunt. Præterea erat humor adustus, quod crederem intelligere per verbum illud *offusa:* dicerem autem bilem offusam illam, quæ obscura est, id est, atro humore inquinata, quæ eò est perniciosior, quò copiosiùs miscetur, quo tempore, etiamsi fiat euacuatio, est inutilis nulla præcessa coctione, quia tunc irritatur natura, non ipsa operatur, vt modò euenisse perspicuum est: nam, quando excretio copiosa fit, & morbus non remittitur, tria indicantur. Vnum est copia materiæ, quæ semel, atque iterum non potest exhauriri: vel attractio

vel partium resolutio. In hac ægrotante erat sine dubio copia, sed erat etiam virtutis exolutio, & eam ob rem cùm his de causis fiunt, non iuuant, vt modò perspicuum est, quia ab hac euacuatione vigil erat, non sublato delirij, & cerebri intemperiei fomite. Et multo magis confirmant dicta, quæ die nouo euenêre:

[c] *Nono conuulsiones.*] Dictum est conuulsiones non admodum frequentes esse in vteri inflammationibus, at si fiant, periculosas esse: sed addamus eo tempore esse inspiciendas vrinas, quia si turbidæ sint, longè periculosiores: nam si in febre, in qua bilis fermentat pituitam, & venæ perturbantur, quod vrinæ subiugalium ostendunt, conuulsiones fiant, illæ sunt lethales, quod de ægrotante hac dici potest, in qua vrinæ factæ sunt turbidæ. Neque, quia scribat, decimo die aliquantulum mente constitisse, huic fidendum erat alleuationi, quæ nullam euidentem causam habebat: cùm neque sanguis fluxerit, neque alia præcesserint, quæ fidum facere iudicium possent. Præterea attendendus erat dies alleuationis, qui omnino similis est diei sexto, & hac ratione nunquam fidendum alleuationi his diebus factæ, vti iam annotatum fuit à Galeno 1. *de diebus decret. cap.* 5. Si aliquando in decimum diem subita morbi solutio incidat, similis est ei quæ in sexta accidit. Id vos aduertere debetis, ne in præsagiendo decipiamini, vt attendatis diem alleuationis, & ea quæ magis spectabilia sunt, veluti est coctio. Rem esse ac dicit Galenus *in loco adducto* patet, cùm, quæ vndecimo euenêre narrans, ita habeat.

[f] *Vndecimo dormiuit, omnia meminit.*] Quis non concepisset bonam spem salutis, in die tam spectabili alleuari ægrotantem: erat enim bonum dormiuisse, & omnium meminisse, id est, apud se fuisse, & mentem minimè læsam habuisse. Hoc est sæpissimè, quod spem affert melioris conditionis, non decipient tamen vos, si non eritis obliti præceptorum Galeni, oportere scilicet in magnis morbis præcedant magna remedia, quæ fidum faciant iudicium: id est, magnæ euacuationes, tempestiuè factæ, quæ tollentes noxium, ægrotantem cum ratione alleuent, quæ si desint, suspecta semper res est, & qui morbi videntur desiisse, non potente semper natura in peccantem causam agere: iidem de repente violentiores insurgunt cum ægrotantis pernitie, vt modò apertissimum est; quando, etiamsi esset alleuatus in die vndecimo, quia non habebat, per quod id tutò fieret, subdit,

[g] *Sed statim in deliriū recidit.*] Quasi dicat Hippocrates; Vide quomodo esses deceptus, si huic alleuationi fidisses, quia cùm nulla est ratio alleuationis; dubius semper est animus Medici, quòd si fidisses, statim fuisses coactus mutare sententiam, cùm quieuerit quidem, *sed*, id est, quia erat sine ratione, parum durauit; & ideò statim recidit in delirium; sunt autem eò grauiora symptomata, quò frequentiora, quia semper sua præsentia facultatis aliquid detrahunt: & ex hoc etiam apparet attendendum esse somnum in ægrotantibus, quod monet Hippocrates, quia eò periculosior, quò deterius se habet ægrotans à somno, & præsertim si à somno delirent, vt huic contigit. Hoc totum habetur ab Hippocrate 2.

Aphor. text. 1. Neque mirum fuiſſe vrinam, qualem deſcribit in tanta humorum agitatione, quæ non poterat niſi ingentem capitis affectum minari. Neque etiamſi eſſet multa excretio, propterea diminuebatur affectio capitis, & neruorum, ſed quia omnino erat ſymptomatica, eam ob rem nihil conferebat, vt ſolet præcipuè fieri in illis euacuationibus, quæ præter id quod ſymptomaticæ ſunt, habent etiam aliquid malignitatis. Quòd dicit, affatim fuiſſe multam cum conuulſionibus: duo poſſemus intelligere, nimirum repleto capite, & iam in delirium tracto, liquatis humoribus fuiſſe factam ad neruos tranſmiſſionem, cuius cauſa delirauerit, vt aliquando vobis etiam eueniet videre ægrotantes, qui in eodem ſtatu, conuulſi delirent, & moriantur. Aut fuiſſe affatim euacuatam cum conuulſionibus, quia tantam haberet mordacitatem, vt qua pollebat malitia, eadem neruis impertiretur à veſica propter congenerem ſubſtantiam; & ita conuelleretur, & eadem de cauſa affatim excerneretur, quia quod contriſtat, violentius irritat, & violentius euacuatur. Quid indicent vrinæ turbidæ, iam in ſuperioribus cum Galeno demonſtrauimus, veluti etiam quot ſint eiuſdem vrinæ ſpecies. Et, quantum ex dictis Hippocratis conſtat, erat ex iis quæ minguntur turbidæ, & tales remanent, quod innuit particula illa.

Non ſubſidebat.] Hoc totum meo quidem animo clarum eſt, quid ſibi velit per vrinam quam deſcribit, & quid ſignificet, ſed quod mihi videtur obſcurum, eſt, quod addit. Nam, dum inquit reddidiſſe vrinam multam, craſſam, albam, quæ cur talis fiat, clarum eſt: ſubdit,

Rarò admonentibus.] Neſcio an velit intelligere Hippocrates eandem emiſiſſe vrinam, ſed rarò, quia delirantes non ſentiunt moleſtantia, & propterea cùm rarò emitteret, facta multa vrinæ congerie, poſtea affatim euacuabat, quotieſcumque aſſiſtentes admonebant, & reponitur inter ſigna pernicioſa, ſed tamen eſt minus pernicioſum in his, quàm in iis, qui etiam admoniti non excernunt, quia ſignum eſt remanere in illis aliquod ſignum intellectus naturalium functionum. Ita Hippocrates 1. *lib. prorrhet. text.* 28. *Vrinæ retentio in non recordantibus pernicioſa.* In cuius *comment.* hæc leguntur. *De phreniticis hoc dictum eſt. Sunt alij, qui vrinam in lectum effundunt citra ordinem, neque matellam petunt. Hi longè deterius ſe habent, quàm qui nullo pacto niſi admoniti vrinam emittunt: ſeruatur enim naturalium intellectus functionum, vna cùm in lectum excernere auerſentur, in illis autem perijt & ea.* Aut dicamus *rarò admonentibus*, quia ita ferat conſuetudo, vt qui delirant vehementer, propter periculum ne aliquid mali faciant, omnes cauent ab eorum conſuetudine, & hac de cauſa rarò admonentur de iis, quæ ſunt neceſſaria. Sed vtrumque erat ſignum pernicioſum, & admodum in praxi attendendum. Hæc veriſimile eſt facta fuiſſe in duodecima, tanquam die pari, & magis moleſto, fortaſsè in die decimatertia minus affecta, vt impari, & hoc deduco ex ſequentibus. Scribit poſtea Hippocrates talem fuiſſe vrinam quam vidit, non quia negligeret vrinarum inſpectionem, quam tanti facit, vt videbimus, neque quia non adfuerit curationi, ſed vt innuat in delirantibus, difficile eſſe

exactè

exactè vrinas inspicere, propterea dicit tales fuisse vrinas, quas vidit, quia cùm rarò emitteret vrinas, nisi admonita, credibile est etiam in lecto sæpissimè minxisse; & quia in morbis acutis, & malignis obseruantissimus vrinarum inspector debet esse Medicus; ideò hæc verba profert, vt nos moneat totam adhibuisse diligentiam, vt quotidie vrinas obseruaret, sed fuisse impossibile propter ægrotantis conditionem, quod tamen facit quàm maximè ad præsagium.

[h] *Ad diem decimumquartum palpitationes, totum corpus dolebat.*] Quid sperandum esset de salute huius ægrotantis apparet non obscurè, cùm quo die expectari poterat aliqua morbi alleuatio, exacerbata sint omnia: nam palpitatio illa poterat indicare maximam virtutis refrigerationem, pereunte calore natiuo, quod visus est nobis significasse Hippocrates 1. *lib.prorrhet.text.*29. his verbis: *Palpitationes per totum corpus, an voce destituti pereant.* In cuius *comment.* fatetur Galenus fieri posse, vt aliquis post totius corporis palpitationem voce destitutus pereat. Ita scribens: *Nos sanè rursum, & in præsentia pronunciabimus palpitationem, quatenus demonstratum est ob flatuosum spiritum fieri, congesto scilicet ob frigiditatem flatuoso spiritu.* Cùm igitur totum corpus palpitauerit, fieri potest, vt qui ita affectus sit ob frigiditatem voce destitutus pereat, non amplius mouentibus musculis guttur, aut iis, qui in eis proruunt neruis, suo fungi munere nequeuntibus: sed in huiusmodi palpitatione non delirant ægrotantes.

Quomodo igitur hæc mulier delirauit? Quia hæc non erat palpitatio à flatuoso spiritu proueniens, sed quidem ab inflammatione; intelligit enim sæpissimè Hippocrates per palpitationem, motum arteriarum, vt idem sit illi dicere pulsum, ac palpitationem, vt colligitur *ex* 1. *prog. text.*28. Qui textus sic legitur. *Si verò pulsus in hypochondrio insit, perturbationem significat, aut delirium.* In quibusdam codicibus, non σφυγμὸς, id est, pulsus, sed παλμὸς, id est subsultio, seu palpitatio legitur. Itaque cùm dicat huiusmodi pulsum indicare delirium, & hæc mulier habuerit palpitationes, cum totins corporis dolore, crederem fuisse non illam palpitationem à flatuoso spiritu productam, sed pulsationem potius, vel, vt melius dicam dolorem pulsatorium, qui magnas inflammationes comitatur: nam palpitatio verè dicta, neque delirium, neque insaniam comitatur, aut aliquam perturbationem. Cùm igitur post palpitationem delirauerit, hinc licet colligere fuisse motum insequentem ad inflammationes, id est, dolorem pulsatorium, quarum vi compatiente cerebro in delirium trahebatur, quod innuit per illa verba.

[i] *Multùm loquebatur.*] Quasi velit nobis innuere Hippocrates naturaliter ita non fuisse consuetam: Cùm igitur plus loqueretur, quàm ex consueto naturæ, erat hæc locutio species delirij, veluti siquis solito plus sit taciturnus. Nam ex Hippocratis decreto facere quid præter consuetudinem, veluti velle ea, quæ priùs non consueuerat, aut iis contrarium, quæ fuerant consueta, malum, & proximum dementiæ 2. *in* 1. *Coacarum text.*10. Videtúrque axioma generale, vt *quæ naturæ simillima sunt, eadem*

dem sint salutaria, quæ dissimillima maximè lethalia. Ob id monet Hippocrates propriam ægri naturam, & consuetudinem esse considerandam, quoniam ipsius mutatio multùm, & repente facta periculosissima est, vt signum, & vt causa: nam multa infert incommoda, & symptomata, repentina mutatio; & ideò persuadebat Galenus non incautè etiam malam consuetudinem esse mutandam, quod variis in locis scriptum reliquit, vt *2. in 6. epid. comment. 26.* sic scribens: *A prauis verò consuetudinibus quosdam ad contrarios subitò traducere conantes, non modico errore tenentur, quandoquidem neque ipsos negligere, neque subitò traducere conuenit, sed paulatim & ipsos interquiescere permittentes*, & *7. meth. cap. 6.* *Est enim tam valida res, consuetudo, atque etiam violenta, vt sæpenumero vim materiæ inferat, quam propterea non expedit immutare, quia non fit sine periculo.* Atque vt signum mala est. Nam si mutatio periculum denunciat: mutata iam euenisse ostendit, nec sine graui causa, & valida, naturam propriam in corpore, mores in animo mutari, magnámque morbi esse vim oportere, qui hominem alium à seipso fecerit. Quare siquis sua natura compositus, & modestus sit, dicat aliquid, & immodestè loquatur, vel faciat, morbi periculosi est signum, & phrenitidis aut iam existentis, aut futuræ, quod nobis reliquit Hippocrates paucissimis verbis *2. prorrhet. text. 9.* inquiens: *Ex composito, & modesto homine ferox responsio, mala,* quem textum exponens Galenus *in comment.* ita sentit: *Omne siquidem quod præter naturam propriam malum genus horum est, atque multorum aliorum sermonum. Cui enim natura composita est, is non solùm cùm incompositus desipit, perniciosè affectionem habere demonstrat; verùm quoque & cum ferocitate respondens, propè ad phrenitidem accedit, cui verò vice versa responsio in feroci natura composita est, vt is vel in cataphoron, vel lethargum venturus sit, spes est.* Cùm igitur scribat mulierem hanc multùm fuisse loquutam, vult meo quidem animo nobis significare fuisse mulierem minimè loquacem, (erat fortasse ex nobilioribus, quia mulierũ vulgus est plus quàm decet loquax,) & propterea propter hanc temperamenti mutationem, delirantem demonstrat. Quòd si statim addat aliquantisper mente constitisse, id non propterea scribit, vt ex hoc concipiamus spem alleuationis, sed vt imbecillitatem naturæ denotaret, quæ succumbens causæ morbificæ, nulla existente pugna reddit omnia benigniora cum ægrotantis pernicie quia fiunt succumbente, & resoluto calore natiuo, quod maximè in morborum curationibus vos attendere debetis. Quando enim omnia inclinant in ruinam ægrotantis, & tamen ipse meliùs habere apparet, examinate diligenter omnia ne bonam salutis spem concipientes & iudicium ferentes, vobisipsis dedecori sitis apud vulgus, quod nihil magis obseruat, quàm iudicium Medici, & eam ob rem antequam præsagium feratis de euentu, finite multos pertransire dies, præsertim in acutis, in quibus dicit Hippocrates non esse omnino certas prænuntiationes salutis, aut mortis, quia aliquando videbitis mortem esse præ foribus & ægrotantẽ restitui, aliquando in leuioribus ægrotantem mori; & aduertite dicere *non omnino*, quia aliquando ea sunt signa

gna; quæ certum faciunt iudicium salutis, aut mortis. Et obseruate sæpissimè fieri quendam accidentium reditum inordinatum; vt modò quieuisse, modò sæuire inspiciatis, tunc diligẽter attendite pulsum, quia si alleuatio est, victa causa, omnia bene habent circa ægrotantem, secus, omnia ruunt in deterius, & pulsus sensim deprimuntur, quia natura assimilatur flammæ, quæ prope extinctionem est. Ea tandiu accensa seruatur, quandiu humiditas extat, qua nutriatur, sed sensim marcescens modò apparet extincta, denuò reuiuiscere eandem videbitis; sed tamen haud multò post in totum resoluitur; sic natura resistit morbificis causis, quantum in se est, sed debilitata, & causa morbifica minor facta, iamiam quiescentem videas licèt, quasi omnino depressam, haud multo inuadentem causam, quia semper persequitur contrarium suum internum, donec aut vincat, aut vincatur omnino. Et hinc est, quòd Hippocrates addit,

[k] *Breui rursus desipuit.*] Ex nouo naturæ conatu tentantis noxia à corpore depellere, quæ interrupta lucta quantum elicere ex textu licet, perdurauit ad diem decimumseptimum, vt propterea videretur vacillare inter spem, & metum, sed tandem credibile est tam grauiter fuisse affectam in die decimasexta, & tàm horrenda fuisse symptomata, vt tandem violentiùs depressa ab omni motu cessauerit, & decimoseptimo obmutuerit. Quid sperandum esset de salute, elice ex textu. Videre hæc in morbo acuto, qui peruenerit ad diem decimumseptimum, sine dubio omnem spem salutis poterat adimere: nam in vehementi insania muti facti pereunt 3. *in* 3. *Coacarum*, *text.* 11. id enim prouenit ex virtutis animalis internecione. Simile quid contigit Hermozygi vxori. Hæc vehementi insania correpta acutè laborans, muta obiit, vt testatur Hippocrates 1. *in* 1. *prorrhet. text.* 17. Casus non dissimilis à matrona quadam istius ciuitatis. Hæc vtero gerens, febricitauit, intumuit, difficilè habuit partum, quia, vt ipsa suspicabatur ante statutum tempus filiam erat enixa, non est à partu expurgata, nisi mucosa quædam. Incidit in delirium, multa loquebatur præter ipsius consuetudinem, tandem muta facta, obiit mense Febr. anni 1631. Hæc de qua est sermo obmutuit ad diem decimumseptimum, & nihilominus sic affecta, distulit mortem ad vigesimum diem, inter quem & illam, nihil noui accidisse oportet, quando nullam fecit mentionem Hippocrates, non quia non inuiserit ægrotantem: neque enim hoc est verisimile; immò putandum est in tam graui morbo, non potuisse desiderari tanti viri diligentiam, quod vos iuuenes attendere deberis, vt discatis esse solliciti semper in morborum curationibus, & præcipuè in iis, qui euidentem minantur perniciem, sed ideo obticuit omnia, quia nihil euenit, quod obseruatione dignum esset.

[l] *Vigesimo die obijt.*] Ob id factum inquit Galenus *in comment.* quia diem decimumquartum, & decimum septimum cæteris sit peiores experta. Addit postea *in comment. Hic si scirem, quo esset robore mulier, etiam de longitudine morbi possem dicere ex prædictis symptomatibus, & vtrum obscuram quandam haberet præter opinionem spem incolumitatis. Quod, quia nos præterit, huius certè debetis meminisse, vt quando ægros inspicitis cum*

exitiosis symptomatibus, notam quæ à viribus proficiscitur coniungatis; atque ita demum securè pronunciare poteritis. Hanc ergo mulierem dolores, qui ad diem quartumdecimum totum corpus tenebant, & delirium, instare mortem denunciauerunt, aut die decimoseptimo, aut vigesimo, natura dierum decretoriorum. Et sanè vtrumque contigit: nam die decimoseptimo illa obmutuit, vigesimo est defuncta. Hactenus Galenus. Respondent hæc iis, quæ ab eodem fuerunt relicta *in lib. 3. de cris. cap. 5.* Ibi virtutem ægrotantis cum morbo comparat, & scribit, in vnoquoque morbo tria esse spectanda, vt certum fiat iudicium salutis, aut mortis; breuitatis, aut longitudinis, & hæc sunt, vires, morbus, & longitudo morbi. Illæ portanti onus, morbus oneri, tempus quod ad statum vsque portenditur, longitudini viæ respondet. Quapropter, cùm morbus longè grauior fuerit, quàm vt vires mulieris huius possent perferre, tandem vigesimo die obiit, & quo die habuit accessiones, eodem die obiisse videmus, vt vera esse Hippocratis dicta affirmemus, scribentis 3. *in* 3. *epid. text.* 13. Qui morbi per pares habent iudicationes, per pares iudicare solent. Hinc igitur apparet manifestè acutissimè laborasse hanc mulierem: causam non vnicam fuisse ex accidentibus cernimus, cuius ratione etiam longè grauiores redduntur morbi, vt annotat Galenus *in comment.* Mortis modus inspicitur, & quomodo cum huiusmodi affectibus plerique ægrotantium sint morituri. Quibus præmissis superest tantùm, vt consideremus, quomodo potuisset in huiusmodi casibus ægrotanti esse præsto Medicus, quod scire est admodum necessarium.

Curatio.

IN istius ægrotantis curatione, nemo quisquam erit, qui neget, habita ratione ad affectus, fuisse pernecessariam euacuationem per sanguinem factam: nam si respiciamus febrem, erat illa vehementissima: si respiciamus causam, erat suppressio mensium à partu: si postea inflammationi succurrere velimus: profectò omnibus modis erat deueniendum ad venæ sectionem. Verùm, quemadmodum hoc apertissimum est, ita ex qua parte esse facienda ista euacuatio non leuem dubitandi causam nobis præbent variæ grauissimorum auctorum opiniones, aliis aliter suadentibus. Sunt qui teneant præmittendam esse euacuationem partium superiorum: sunt qui ab his dissentiant omnino. Paulus *lib. 3. de re medica, cap. 63.* sanguinem ex brachio mittit, nec ab eo dissentit Aëtius, qui de vteri inflammatione loquens *lib. 4. serm. 1. cap. 83.* scribit sic. *Cubiti vena secetur, & sanguis pro virium robore mittatur.* Auicenna non dissimilem videtur habere opinionem, qui *lib. 3. Fen 21. tract. 2. cap. 12.* ita habet. *Et rectius quidem in principio est, vt phlebomotometur basilica, quia prohibebit effusionem materiæ, deinde consequenter adhibeatur phlebotomia saphenæ, vt attrahatur sanguis ad locum, & succurratur ei, quod fecit incurrere phlebotomia basilicæ ex nocumento communicante ei.* Videtur hîc Auicenna apertissimè supponere nocumentum

sequi

seqni ex vena superiore , quia statim persuadet tundendas esse venas inferiores , vt occurramus nocumento iam facto : At non video, quomodo possit Medicus , ita securam habere secundam euacuationem, vt statim nocumentum ex prima euacuatione corrigere possit. Galenus aduersus istorum opinionem ad verbum scribit *lib.de curandi ratione per sanguinis missionem cap.*18.Porrò vteri inflammationes magis etiam,quàm renum à venis in crure sectis iuuantur. Nam , quæ ex cubito euacuationes , aliquid etiam habent adiunctum mali : nempe quòd purgationes menstruas comprimunt , sanguinémque ad superiores corporis partes retrahant , quæ verò fiunt ex cruribus , tantum abest , vt retrahant ; vt etiá menses promoueant.*lib.*13.*meth.c.*11.Ita legitur:*Renibus verò & vesica, & pudendo,& vtero sic habentibus,eas, quæ in cruribus sunt sitæ,ac potissimum , quæ circa poplitem sunt : sin minus, eas, quæ iuxta malleolos, ac perpetuò quidem in omnibus eam , quæ è directo est.* Sunt , qui ita respondent, vt concilient grauissimos istos auctores:non esse dissidium aliquod, si amicè eorum opiniones perpendantur. Nam, qui partes superiores soluunt, illi supponunt ingentem totius plenitudinem , à qua immediatè mensium suppressio prouenerit : Qui verò inferiores venas soluunt , illi considerant suppressionem mensium , tanquam causam plenitudinis.Itaque in hac lite dirimenda , illud primum esse spectandum putant , an scilicet suppressio pendeat à copia humorum intus existentium, an è conuerso , copia humorum pendeat à suppressione , quia apertissimum est non purgatis mulieribus congeri humores , qui deberent singulo mense euacuari ; & sic plenitudines fieri.Hac igitur præmissa distinctione , non putant difficile esse soluere nodum , & conciliari istorum auctorum discrepantias. Nam , si plenitudo sit causa suppressionis , superiores ; si suppressio causa plenitudinis , inferiores soluendas esse nolunt. Admitto libentissimè istorum solutiones , etiamsi quotiescumque suppressio esset quidem causa plenitudinis , verùm , iam esset ista suppressio multorum mensium, priùs secarem superiores , quia potest esse , vt incipiat plenitudo à suppressione mensium ; si tamen inueterata sit , putandum est , esse etiam totius corporis propriam postea, etiam ex pede , diligenter expurgato corpore sed vtcunque sit , non crederem istos auctores intelligere de inflammatione partium subsequente , quo tempore citissimè succurrendum est affectui. Id, quod dico, ex verbis ipsis istorum deduco , quæ diligenter sunt attendenda. Paulus scribit hunc in modum, *Postquam laudauit supernarum venarum sectionem*, statim subdit, *si nihil prohibuerit* : est autem prohibens , eodem affirmante : retentio mensium à partu. Auicenna idem sentit *lib.iam adducto tract.*3.*cap.*35.Nulla verborum circuitione , in suppressione mensium à partu laudat, & consulit esse extrahendum sanguinem è saphena ; aut poplite , quam magis commendat , vt fortiorem in euocandis mensibus, & *tract.*4. *cap.* 28. Et , ni fallor , non est ab his alienus Aëtius, qui ita legit. At si vehementer inflammatio fuerit , vt neque ætas , neque habitus , neque anni tempus obstiterit , neque inflammatio post partum , aut nimia sanguinis euacuatio

tio

tio superuenerit, cubiti vena secetur, & pro virium robore detrahatur. Quod vltimo loco scribit, scilicet, inflammationem post abortum impedire sanguinis missionem ex brachio, videtur docere nos, & persuadere in his casibus non esse disputandum ex qua parte euacuatio fieri debeat, sed statim, cùm morbus requirat promptissimum artificem, tundendas esse venas inferiores, nulla exceptione habita. His igitur de causis vos adolescentes moneo, vt cùm enixas curandas suscipietis, accidentibus prouideatis, sanguinem ex pede, nulla interposita mora mittatis, & iteratam faciatis euacuationem, non diminutis, aut sublatis accidentibus. Neque attendite auctorum dissentientes opiniones; quia, morbo vrgente, non est locus disputationi: dum enim altercantur inter se Medici, ægrotantes sic affecti, suffocati obeunt. Quare semper euacuationem facietis à partibus infernis, quia, sic bene consuletis saluti ægrotantium. Videte Galenum *lib. de venæ sectione aduersus Erasistratum cap.5.* Postquam multa enumerauit incommoda, quæ suppressionem mensium solent sequi, statim subiungit. Huic rursus euacuationes medentur, quas euacuationes per partes infernas esse faciendas, neque quisquam dubitabit. His igitur sic stantibus, cùm in vxore Philini morbus valde vehementer vrgeret, vt demonstrant accidentia inter viros istos grauissimos omissa altercatione, statim venas tali solui iussissem, quod iterassem pro morbi vrgentia, & virtutis robore: neque obstetrices, neque mulieres audite, quæ minimam sanguinis euacuationem, largissimam censent quia pauca sanguinis quantitas multa linteamina inquinat. Symptomata igitur, non mulieres attendite, hoc pro certo habentes, non fieri in enixis accidentia; nisi aut omnino sint suppressa puerperia, aut diminuta. Immodicam enim euacuationem omnes cognoscunt. Largam igitur ex pede facietis euacuationem, non obliti maximam esse sanguinis congeriem, qui retinetur spatio nouem mensium, cùm tamen singulo mense ante conceptum euacuentur, & eam ob rem posse enixam boni habitus copiosam sustinere euacuationem, aut ex vtroque pede, aut ex Aëtij consilio, seruata partis magis affectæ rectitudine. Post euacuationem dictam vtile erat insistere frictionibus, cucurbitulis coxis adhibitis: sed & cæteris præmissis, nihilque proficientibus, à vesicantibus paulo infrà vterum inustis non abstinuissem, ingrauescente morbo, post iam tempestiuè peracta: hoc enim modo curantes retrahimus à partibus superioribus, & menses euocamus; & cùm nostra intentio sit sanguinem reddere fluxilem, hac ratione curandi, obtinemus quod optamus. Neque hoc debetis seruare, quando simplex est suppressio, sed sic prouidebitis etiam affectibus pectoris, & quibuscunque aliis, ita dico, quia aliquando fiunt pleuritides, peripneumoniæ ex retentione mensium à partu. Confirmant hæc casus vxoris Theodori, Hippocrate referente 7.*epid.text.*26. Neque difficile id cõtingit propter communicantiam, quam habet vterus cum partibus thoracis, propter venas communes, quas habent non exiguas, ob quas videmus à partu difficili, aut propter repentinam mensium suppressionem fieri laterales affectus, & alios huiusmodi morbos, à quibus vtplurimum ene

enecentur, nisi quàm citissimè occurratur imminenti ruinæ. Obiit soror mea Clara peripneumonica, statim à partu suppressis mensibus, cui tamen vir ipsius in re Medica aliis sui temporis minimè inferior opportunis remediis præsto fuit; omnia tamen frustrà tentata sunt, & vigesimo obiit. Eodem fato functa est matrona quædam nobilissima extra ciuitatem Papiæ. Hanc cùm inuiserint Medici, qui tunc temporis curationi præerant, eandémque pleuriticam inuenerint, ortum est inter ipsos dissidium non de sanguinis missione, sed de parte ex qua deberet mitti, tandem in eandem deuenerunt sententiam, vt propter grauissimum lateris affecti dolorem venam cubiti soluerent, ligaturas tamen eodem tempore partibus inferioribus facerent, quibus materiæ impetum ad supernas partes reprimerent. Hoc præstito, non tantùm sedata est affectio, sed aucta, quod ipsi animaduertentes, vt magnitudini affectus statim succurrerent, iterandam ex eodem latere venæ sectionem putarunt, póstque euacuationem, non tantùm remissus est affectus, sed ita auctus, vt ex vtroque latere facta sit pleuritica, & haud multo post obierit. Ita mihi retulerunt Medici illi, qui medicinam faciebant ægrotanti: iidem confessi sunt peccasse hoc modo curantes. Quare omnibus modis apertissimè constat opptimum esse consilium venas infernas soluere, quomodocumque sit affecta mulier: neque enim potest æquè ligatura in retinendo, ac sanguinis missio in attrahendo. Præterea his suppressis nullus non morbus fit: his erumpentibus nullus non morbus sanatur. Id apertissimè comprobat quotidiana experientia. Exempla etiam ex Epid. desumpta. Vxor Cleomenis 7. *epid. text.* 88. pleuritica facta, superuenientibus mensibus statim sanata est. De hac sic scribit Hippocrates. *Quarta ad noctem muliebria venerunt multa, soluta est tussis, & excreatio, & dolor.* Stymargi ancilla, cùm post filiæ partum os vteri esset contortum, in coxam, & crus est factus dolor: tremoribus correpta erat per totum corpus, qui solent fieri à causa frigida, quo tempore nocua est euacuatio per sanguinem, & tamen curationis præcipuus scopus fuit sanguinem detrahere ex venis tali. Verba Hippocratis 2. *epid. sect.* 4. *text.* 3. *Liberata est iuxta talum secta vena, etiamsi tremores secundum corpus occuparent eam.* Sed ad occasionem, & occasionis initium oportet venire.

Erat illa affectio frigida per accidens, propterea indigebat curatione calida per accidens, nimirum missione sanguinis, quæ est auxilium refrigeratorium quidem per se, aliquando verò per accidens calefacit, vt cùm refrigeratio multitudinem obruentem sequitur: illa enim debilitas non erat essentialis, sed fiebat propter euacuationis suppressionem, à qua fiebat aggrauatio, cui medebatur euacuatio, & per partes infernas facta. Testari possum iuuasse me matronam Mediolanensem, quæ iampridem erat malè affecta, inferna vena secta. Hæc peperit filiam & iam duodecimus agebatur annus, postquam pepererat, neque amplius conceperat, sed minus, quàm par erat expurgata, capitis dolorem patiebatur, & sudorem, quem comitabantur multa symptomata ante ipsius eruptionem, post quam sedabantur omnia. Singulo mense expurgabatur, sed paucum,

L illúdque

illúdque, ipsa referente, nigrum. Renuebant aliqui sanguinem mittere, dicentes esse affectus frigidos, propterea esse abstinendum à missione sanguinis. Secta est vena cali, sublatus est dolor capitis, sedatus est sudor, & quàm maximè iuuata est, etiamsi per longum tempus conflictaretur. Quòd si Oribasius vir grauissimus hac eadem curatione mulieres, etiam annosas, subleuat, quibus iam naturaliter menses desiêre, quanto magis & nos subleuabimus illas, quibus suppressos esse cognoscimus ante statutum tempus, sed præcipuè à partu, quo tempore magis periclitantur, vti sæpiùs dictum est. Ita ait Oribasius *lib. 2. de cucurbitulis, & scarificatione, cap. 2. Ego sanè etiam valde ætate prouectas, quibus iampridem nihil menstrui ferebatur, vbi aliqua molestia corporea conflictarentur, hac curatione subleuo. Hæc enim mulierum propria est, & multùm habet efficaciæ, quippe quæ naturalis excretionis modum imitetur. Ego multas curaui pleuriticas vena inferiori soluta, & feliciter successit.* Quod consulit etiam Auicenna in vehementissimis pleuritidibus, sed quanto magis in puerperis, suppressis mensibus. Ego igitur hoc vterer curandi modo in enixis, quibus post partum contingit febricitare, & eodem modo curassem hanc Philini vxorem. Hoc curandi modo, si potuissent menses euocari, superstes quidem fuisset, veluti mulier illa virgo Larissæ, quæ cùm iudicata esset sexto die, quo vnquam fidum seruatur iudicium, tamen erumpentibus mensibus, tutum seruarunt iudicium sexto die factum, ad quod respiciens Galenus *in comment. 3. in 3. epid. text.* 83. inquit. *At mirum non reuertisse, cùm sextus dies non iudicet vnquam fideliter.* Quare nouum, & rarum hoc illi accidisse indicauit, cùm scripsit. *Huic non repetijt, sed iudicata est*, tanquam oportuisset repetere. At verò causam etiam, cur non repetierit, scripsit, addendo. *Dum febricitaret, & iam iudicata esset, menses illi primum prouenerunt*, ex quo apparet, quantum possit hæc euacuatio, quam propterea tentare debet Medicus, cùm occasio postulat. Erat ergo rationibus iam adductis pernecessarium sanguinem ex infernis partibus mittere, ex vtroque pede, si nihil impediebat, aut ex dextro, propter dextri hypochondrij affectionem, iteratis vicibus, quoniam sic magis attrahimus ad partem, minúsque debilitatur ægrotans. Modò restat vnum examinandum, an à partu expediat soluens medicamentum per os exhibere, quod primas vias leniat. Dicetis fortasse Hippocratem clarè *in lib. 1. de morbis muliebribus.* quando inquit. *Purgatorium, si ex partu non purgetur:* At animaduertite non intelligere Hippocratem medicamentum per aluum euacuans, sed per vterum menses mouens, & hoc sequentia verba comprobant, cùm addit. *Trifolium in vino bibendum dato.* Vires ipsius habes ex Galeno 8. *de simpl. medicam. facult.* sic. *Triphyllum planta est calida, & sicca vtrimque tertio ordine. Proinde pota, laterum dolores ab obstructione natos sanat, & vrinam, mensésque prouocat.* Sunt qui exhibeant medicamentum purgans, aut saltem per aluum euacuans, & à multis id factum inspexi, tamen sæpissimè animaduerti plura fuisse sequuta accidentia, cum nulla conferentia, & tolerantia. Pater meus semper abstinuit, quod sciam, à medicamentis euacuantibus per os, & quammaximè

maximè pertimeſcebat hanc exhibitionem, quem ſemper ſequutus ſum, niſi vrgentia morbi me aliter facere coëgerit: nam præter id, quod videmus omnes eſſe mortuos, quibus aluus eſt mota, vt conſtabit in aliis hiſtoriis, etiam hoc poteſt ab hac euacuatione dehortari, quia deriuatur humor ab vtero ad aluum, & quotieſcumque ita fit, non poteſt non euidens detrimentum ſequi; neque eſt imitanda natura in iis, quæ malè fiunt. Verùm ſi interrogetis, an vnquam faciendum ſit. Reſpondebo vobis, hoc admitti, ſed cum maxima cautione: videlicet, quando nulla ſpes ſubeſt euocandi menſes, & præmiſſæ ſunt euacuationes per ſanguinis miſſionem, muliérque eſt praui habitus, tunc poteſt admitti aliqua leuis euacuatio per aluum facta medicamento per os aſſumpto, præcipuè in iis mulieribus, quæ tempore partus multa ingurgitarunt, quæ vitioſos ſuccos procreare potuerunt; attamen ſi clyſteribus res benè ſuccedat, his inſiſtite, quia ſecurius curationem aggrediemini. Ego ſemel tantum, poſtquam Medicinam facio, medicamentum exhibui enixæ. Hæc poſtquam parturiit (eram tunc in oppido Trumelli, quo in loco per quinquennium Medicinam exercui) nihil omnino expurgabatur, cùm tamen filiam peperiſſet, huic febris vehementiſſima, accidentia in dies ſæuiebant, cùm tamen ſtatim, nulla interpoſita mora conueniens euacuatio fuiſſet adhibita per ſanguinis miſſionem ex vtraque parte, & larga facta euacuatione, nihilominus nihil iuuari viſa eſt. Aliquibus tranſactis diebus, ſudor erumpebat, quæ euacuatio, poſt naturalem per vterum, primas tenet, quia conuenientiſſimus eſt ſudor in iis, quibus poſt partum retinentur menſes; verùm non alleuabatur euidenter, etiamſi quotidie ſudaret. Hoc cùm vidiſſem, & morbus iam attingeret decimumſextum diem, pro certóque haberem eſſe ingentem copiam, quæ non poſſet à natura ſuperari, veni in eam ſententiam, mulierem illam eſſe expurgandam, ea præcipuè ratione motus, quòd per interualla excernebat materiam aliquam crudam, & ſentiebat ſe alleuare euidentiſſimè, quod cùm viderem, cenſui tunc fuiſſe pernecceſſarium naturæ motum imitari rectè, & cum ægrotantis commodo operantis, neque mea opinione fui fruſtratus, quia exhibito medicamento, minus impoſterum febriebat, melius dormiebat, & paucis interpoſitis diebus integrè eſt ſanata. Huiuſmodi curationem aliàs vnquam ſum expertus, ſed vidi quidem factam aliquando cum pernicie ægrotantis, aliquando difficile iudicium eſſe ſequutum, & propterea à viris grauiſſimis damnatam tanquam admodum periculoſam audiui, & eam ob rem, neque vos tam facilem hunc medendi modum facietis, ſed attentè omnia perpendite. Sunt etiam qui velint poſſe vos ſecare venam ex brachio, quando ſcilicet, iam præmiſſis euacuationibus inferioribus, nihilominus aliquis vrget dolor: tamen in hoc caſu, ſi tranſacti eſſent dies puerperij, aut ſaltem progreſſus eſſet morbus ad dies viginti, virtute conſtante, nihil expurgata muliere, fortaſſe poſſet admitti, priùs ligaturis partibus inferioribus adhibitis, aut cucubitulis applicitis. Et hoc cum cautione faciendum, quidquid dicant alij: neque enim omnes vno modo mederi contingit. Ego credo, & præceptoribus meis, & multo magis experien

perientiæ. Vnusquisque se gerat pro arbitratu suo, & videat Ioannē Baptistā Cortesium *Decade* 10. *quæst.* 4. *&* 5. Vbi agitatur quæstio. *An sanguis possit mitti in enixis ex partibus superioribus.* Quidquid tamen dicat ipse, cum aliis, ego methodum iam dictam seruassem, neque darem soluens medicamentum nisi transacta ad minus decimaquinta, neque venam secarem ex superioribus partibus, nisi cum maxima sanctione. Sed veniamus ad præsentem historiam. Statim misso sanguine, vti iam statutum est, etiamsi esset ex iis mulieribus, quæ lac sunt infantibus daturæ: clysteribus essem vsus tertio quoque die, & etiam singulo die, in aluo admodum adstricta, & quia in his casibus solent frequentissimè mulieres venas hæmorrhoïdum tumentes habere, & dolorosas, ego hunc in modum conficiendum curo. Incoquo maluam, & semina anisorum in iure carnis bubulæ, postea accipio istius iuris modicè iam saliti ℥. *vj.* vel *vij.* butyri ℥. *iij.* Elect. lenientis ʒ. *vj.* & ad ʒ. *x.* etiam; & sic clysterem in enixis paro: nunquam me fefellit medicamentum sic paratum, quia commodè lenit, emollit induratas fæces, hæmorrhoïdas non irritat, & euacuat citra iacturam, Quòd si antequam iniiciatur clyster, extremitas instrumenti inungatur butyro, aut vestiatur intestino pulli, etiam in irritatis inferioribus venis commodum est. In hac, cùm esset inflammatio, poterat parari decoctum, aut cum aqua hordei, foliis violarum, betarum, cum portione seminum anisorum, ad flatus dissoluendos, aut iure eodem modo parato, & cum portione saccari rubri, & lenitiuo, vt dictum est, clysterem iniicere. Postea erat deueniendum ad ea, quæ sanguinem ferre possent ad vterum, & menses mouere. Hæc poterant assumi per os, & in vterum immitti. Quæ in vterum immittuntur varia sunt, & appellantur pessaria, quæ præter id, quod menses euocant, etiam dolorem leniunt. A calidioribus omnino erat abstinendum: huiusmodi sunt, quæ parantur, ex sabinæ succo, cum Agarico, ex colocynthide, ex cyclaminis radice, quam vulgò appellant, *panporcino.* Ea tantùm poterant in vsum venire, quæ leuiora sunt. Hæc fiunt ex succo mercurialis, ex succo maluæ, linteolo satis longo in formam glandis obuoluto. & in succis dictis madefacto, in vterúmque immisso, & sæpiùs repetito. Sunt & suffumigia, à quibus erat præsertim in hoc casu abstinendum, quia sua natura capitis dolorem non existentem excitant, iam affligentem fouent. Suffitus aromatum muliebria ducit, sæpiùs verò, & ad alia vtilis esset, nisi capitis faceret grauitatem, ex Hippocrate 5. *Aphor. text.* 28. Suffitus enim hic vi sua aperit vasorum fines obseratos, extenuátque humorum crassitudinem, & obstructiones incidendo remouet, sed in febricitantibus non probantur, & multo minus in acutis. Laudantur fomentationes ex floribus anethi, chamæmeli, meliloti, pulegij, matricariæ foliis, impensè calefacerent, cùm partes internæ nimis vehementer æstuarent, quod etiam monet Auicenna tractans de pessariis: *Et suppone*, inquit, *lanam infusam aquis, in quibus decocta sunt ea, quæ sunt, sicut malua, althea, & semen lini.* Per os ex vsu fuissent ea, quæ citra euidentem calorem possunt menses mouere. Neque vos moueat auctoritas Galeni

desumpta

desumpta *ex lib.13. meth. cap.6.* Quo in loco sermonem habens de inflammatione, prohibet vtero inflammatione tentato medicamenta menses mouentia, dum inquit: *At si cui in supernis partibus cœperit pars aliqua phlegmone tentari, huic motus ex inambulatione, aut cursu est salutaris.* Similiter & frictio his ea potior est, quæ cruribus adhibetur, illis, quæ in supernis partibus administratur: quippe præceptum in contrarium reuulsionis, in omnibus talibus commune est. Neque igitur cùm vel circa sedem, vel aliquam huic vicinam partem initium phlegmones incidit, aluum deiicies, neque cùm in vesica, vel cole, vel renibus est cœpta, pharmaca quæ vrinas prouocent, bibenda dabis: nec si mulieri in vtero, vel pudendo insedit, menses huic prouocabis: sed ad partes, quæ maximè longinquæ sint, semper reuulsionem facies, æstimata scilicet, tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius statu, quod idem explicat *eod. lib. p.11. in fin.* [Cōcedit etiam apertissimè secandam esse venam ex poplite, etiamsi vterus inflammatione tentetur, quia qua ratione infernæ partes secantur, quotiescunque suppressio mensium est causa inflammationis, eadem ratione poterunt exhiberi per os, quæ menses mouere possunt; dummodo non sint manifestè calida, quia apparentibus mensibus, etiam credendum est sedari posse inflammationem.] Præterea dicamus ibi non loqui de inflammatione contracta à partu, quæ proculdubio contrariam requirit curationem, nimirum curantes eam per inferna; etiamsi *in capite* etiam *adducto*, ad hoc probandum apertissimis vtatur verbis: *Renibus verò, & vesica, & pudendo, & vtero sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt sitæ, ac potissimum quæ circa poplitem, sin minus eas, quæ iuxta malleolos.* Quare poterant exhiberi, quæ menses mouerent, exceptis ad curationem validè calidis, & vsus essem in hac muliere, decocto concinnato hunc in modum; videlicet, quod ℞. *betonicam, agrimonium, capillum veneris, cichorium, radices graminis, hordeum, folia acetosæ, & id genus alia,* quo præstito *in ℥.v. decocti infudissem succum cichorij ad ℥.vj. & tantundem syrupi de acetositate citri.* Medicamentum in hunc modum paratum per aliquot dies dedissem. His non fuissem contentus, sed vnum faciens, aliud non omisissem, scilicet alexipharmacum puluerem, quo iugiter vsus essem, de quibus *suprà:* neque enim hæc possunt esse suspecta, etiam paulo maiore mensura assumpta; veluti sunt, quæ verè dicuntur alexipharmaca, cùm hæc ex viperarum carnibus conficiantur, quorum, si paulo plus assumant homines, nocumentum non leue persentiunt, vt testatur Galeni auctoritas desumpta *ex 5. de simpl. medicament. facultat. cap.* 18. quo in loco data opera de iam dictis sermonem habet, vt legenti apparebit.

Hæc dum fierent, aliud symptoma magnifaciendum erat; [*oris ventriculi dolor,*] nimis enim vrgens est quiuis ipsius dolor leuis; scribit enim [*cor ei dolebat.*] Huic hunc in modum esset exteriùs prouisum, iussissem assumeretur omentum castrati, aut vituli, & eodem madefacto in oleo rosaceo, & liliorum alborum calido os ventriculi fouissem. Aut poterat foueri decocto facto ex floribus lambruscæ, corticibus gra-

natorum, foliis absinthij Pontici, & cinnamomo, additis oleis ex absinthio rosaceo ad vnciam vnam in libram mediam decocti calefacti, os ventriculi fouere. Muliebrium doloribus, qui solent esse frequentes in enixis prouideri poterat interius, & exterius. Primo modo, assumpto oleo amygdalarum dulcium, vrgentibus ipsis, quia sæpissimè cogimur experiri aliquid, etiam cum aliquo ægrotantis detrimento, modò maius sit iuuamentum, in inflammatione autem, & vehementissima febre est suspectum, sed quando dolores vrgerent, præmissis iam dictis euacuationibus ad id remedij genus deuenissem. Exterius vteri situ inuncto ex oleo liliorum alborum, lini, aut ex oleo chereimo dicto. Aut emplastro ex baccis lauri, aut emplastro facto ex summitatibus ebuli, pinguedine suis masculi, sine sale, & oleo ex sem. lini, cum modica portione butyri. Verùm cùm in hac esset euidens inflammatio, standum erat cum attemperantibus, & leuioribus, ne inflammatio ingrauesceret. Hepati linimentum contulisset madefacto linteolo in succo cichorij, oleo rosaceo, & aceti portione, hoc tamen animaduertere debetis, vt in affectibus hepatis, & oris ventriculi semper adhibeatis quæ vim habeant adstringentem, & actu calida sint, vt visceris robur seruetur; nam leuem etiam huius visceris læsionem semper magni facietis, veluti cæterarum partium principum,, ita consulente Galeno. 13. *meth. cap.* 12. Quod spectat ad sitim, ad vigilias, iam præscripta sunt remedia huic succurrentia. Conuulsioni vtile fuisset inungere spinalem medullam ex oleo amygdal. vulpino ad æqualem portionem, aut si conuulsio nimis vehemens fuisset, poterat balneum parari, aut ex oleo facto simplici, aut ex rebus, quæ vim haberet laxantem, quibus menses possent euocari, & conuulsio sedari. Inter hæc sunt polium, pulegium, origanum, artemisia, malua, mercurialis, & id genus alia, quibus etiam vterus poterat foueri. Inter cætera cùm morbi omnes, aut diæta, aut chirurgia, aut pharmacia tollantur, nullus tamen sit morbus, qui non requirat optimam in victu custodiam, erat necessarium circa hoc curam non vulgarem habere. In principio tenuissima diæta conueniens, si credendum est Hippocrati *in lib. de morbis mulie-bribus. Cibum*, inquit, *quàm minimum edat.* Potuisset assumere ptissanam hordeaceam, stillatitium ex herbis refrigerantibus paratum, & modicè deobstruentibus. Progrediente morbo succus carnis assatæ, oua, contusa carnium, vt virtutis haberetur custodia. Commendantur ab aliquibus stillatitia: iura in quibus decocti fuerint annuli aurei, aut quid aliud aureum. Hoc poteritis & vos parare, vt rem gratam faciatis domesticis, & aliquid magni proposuisse videamini, præsertim apud vulgus, qui hæc admiratur, tanquam multum commodi afferentia, cùm tamen id ne minimum quidem faciam,, cùm non possit aurum virtutem suam impertire rebus, in quibus incoquitur; potest quidem aliquid commodi afferre, si alicui dysenteria affecto exhibeatur decoctum, in quo sæpius extinctum sit aurum, qua pollet adstrictione; non quidem, quia virtutem roboret, vt vulgus putat, veluti etiam quando id sibi pro verissimo persuadent pulueres cordiales, aut margaritas plurimum nutrire, & virtu-

tem

tem ab iis quamplurimum roborari : tamen vos iuuenes debetis omnia hæc proponere, quia vulgus non conſiderat, quid bene actum ſit, ſed quanta remedia fuerint adminiſtrata, & eam ob rem, bene dirigite curationem; ſed tamen, ne prætermittatis multa proponere. Hoc etiam animaduertere debetis, ne ſi quando ruſticos curare contingat, magna proponatis remedia, quæ multi ſint pretij, ſed poſt ſanguinis miſſionem præparetis decocta, quia medicamenta ſoluentia eorum ventriculus non ſuſtinet, dicunt ipſi; vt igitur ipſarum beneuolentiam conſequamini, cauete ab expenſis. Pro potione laudarã aquam hordei, hæc ſitim quem maximè extinguit, ſi bene decoquatur, neque flatuoſitatem habet 4. *acut. text.* 71. Quòd verò totum corpus doluit: ſi manibus oleo liliorum inunctis, toti corpori facta fuiſſet fricatio leuis; fortaſſe, ſi non omnino vtilis, neque quid detrimenti attuliſſet : ſaltem fuiſſemus gratificati ægrotanti, cuius quidem ſalus erat deſperata; etiamſi vnquam ſit deſperanda ſalus ægrotantium, ſed vtendum aliquibus leuibus medicamentis. Quomodo eſſet occurrendum delirio, iam diximus. Cùm verò muta facta eſt, non erat, cur vlteriùs medicamentis inſiſteremus, cùm ſequeretur hoc ſymptoma extremam imbecillitatem. His peractis, ſi nihilominus res pro voto non ſuccederent, non erat propterea ad aliud tranſeundum, ſi hæc facta erant cum ratione : neque enim Medici officium eſt ſanare, ſed nihil eorum prætermittere, quæ faciant ad ſanitatem. Quapropter ſi obiit, vi morbi obiit : fruſtrà enim elaborat Medicus, cùm affectus præter naturam euincere tentat, qui naturam non habet adminiculantem; propterea dicebat Hippocrates *in lib. lex. inſcripto. text.* 2. *Primùm quidem omnium natura opus eſt : natura enim repugnante, omnia ſunt irrita*, & 5. *in 6. epid. text.* 1. *Naturæ*, inquit, *morborum medicatrices*: ipſa enim ſæpiſſimè etiam morbos contumaces euincit, euacuata materia peccante per partes Medico ignoratas, neque vnquam cogitatas. *Adinuenit natura*, inquit Hippocrates *loco citato, ſibiipſi itinera, partim quidem, vt conniuere, partim verò & lingua ſubminiſtrat, & id genus alia quæque inerudita natura, & indocta, quæ opus ſunt, efficit*; ideo debet eſſe fortunatus Medicus, qui ſæpiſſimè leui aliquo medicamento adhibito, magnam ſibi parat gloriam, natura nihilominus per ſe operante, ſed quia operatur poſt adhibitum medicamentum, etiamſi ſit nullius momenti, putat vulgus ſanitatem, non à natura, ſed ab illo medicamento pendere. Deus autem omnia diſponit. Hæc pro viribus.

ΑΠΡΩ



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΠΕΜΠΤΟΣ.



ΠΙΚΡΑΤΕΟΣ γυναῖκα, ἣ κατέκειτο παρὰ Ἀρχηγέτην, περὶ τόκον ἤδη ἐοῦσαν, ῥῖγος ἔλαβεν ἰσχυρῶς. οὐκ ἐθερμάνθη, ὡς ἔλεγον. καὶ τῇ ὑστεραίῃ τοιαῦτα. τρίτῃ δὲ ἔτεκε θυγατέρα, καὶ τ' ἄλλα πάντα κατὰ λόγον ἦλθε. δευτέρῃ μετὰ τόκον, ἔλαβε πυρετὸς ὀξύς. καρδίης πόνος καὶ γυναικείων. προσθεμένῃ δὲ ταῦτα μὲν ἐκουφίσθη. κεφαλῆς δὲ, καὶ τραχήλου, καὶ ὀσφύος πόνος. ὕπνοι οὐκ ἐνῆσαν. ἀπὸ δὲ κοιλίης ὀλίγα χολώδεα λεπτὰ διῄει ἄκρητα. οὖρα λεπτὰ ὑπομέλανα. ἀφ' ἧς δὲ ἐλάμβανε πῦρ ἐς νύκτα, ἑκταίῃ παρέκρουσε. ἑβδόμῃ πάντα παρωξύνθη. ἄγρυπνος. παρέκρουσε. διψώδης. διαχωρήματα χολώδεα κατακορέα. ὀγδόῃ ἐπερρίγωσεν. ἐκοιμήθη πλείω. ἐνάτῃ διὰ τῶν αὐτῶν. δεκάτῃ, σκέλεα ἐπιπόνως ἤλγει. καρδίης πάλιν ὀδύνη. καρηβαρίη. οὐ παρέκρουσεν. ἐκοιμᾶτο μᾶλλον. κοιλίη ἐπέστη. ἑνδεκάτῃ οὔρησεν εὐχροώτερα, συχνὴν ὑπόστασιν ἔχοντα. διῆγε κουφότερον. τεσσαρεσκαιδεκάτῃ, ἐπερρίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. πεντεκαιδεκάτῃ, ἤμεσε χολώδεα,

ÆGROTVS V.



PICRATIS [a] uxor, quæ ægrotabat apud Archegetem, [b] instante iam partu, rigore correpta est, non incaluit, ut ferebant. Postridie eadem erant. Tertio die filiam peperit, cateráque ritè sunt consequuta. Postridie partus eam febris acuta inuasit, [d] cordis dolor, & muliebrium, nulli erant somni. Per suppositum autem hæc releuata sunt: sed caput, collum, & lumbi dolebant: aluus pauca, biliosa, tenuis, mera: urina tenues, subnigra: [c] sexto die, qua illam febris corripuerat, sub noctem delirauit. Septimo omnia exacerbata, vigilia, delirauit, sitibunda, deiectiones omnes syncera biliosa. [f] Octauo riguit, plus quieuit. Nono eadem erant. Decimo crura magno dolore afficiebantur, iterum cordis dolor, capitis grauitas, non delirauit, dormiuit plus, [g] venter restitit. [h] In decimo sudauit; minxit melius colorata, quæ multum habebant sedimenti: commodiùs habuit: die decimo, & quarto riguit, febris acuta. Quintodecimo [i] vomuit biliosa, flaua, paulo plura: [k] sudauit, libera febre:

ξανθὰ, ὑπόσυχνα. ἵδρωσεν ἄπυρος. ἐς νύκτα δὲ πυρετὸς ὀξύς. οὖρα πάχος ἔχοντα. ὑπόστασις λευκή. ἑξκαιδεκάτῃ, παρωξύνθη νύκτα, καὶ δυσφόρως. οὐχ ὕπνωσε. παρέκρουσεν. ὀκτωκαιδεκάτῃ διψώδης. γλῶσσα ἐπικαύθη. οὐχ ὕπνωσε. παρέκρουσε πολλά. σκέλεα ἐπωδύνως εἶχε. περὶ δὲ εἰκοστὴν, πρωῒ σμικρὰ ἐπεῤῥίγωσε. κωματώδης. δι' ἡσυχίης ὕπνωσε. ἤμεσε χολώδεα ὀλίγα, μέλανα. ἐς νύκτα κώφωσις. περὶ δὲ πρώτην καὶ εἰκοστὴν, πλευροῦ ἀριστεροῦ βάρος δι' ὅλου μετ' ὀδύνης. σμικρὰ ἐπέβησσεν. οὖρα δὲ πάχος ἔχοντα. θολερά. ὑπέρυθρα. κείμενα οὐ καθίστατο. τὰ δ' ἄλλα κουφοτέρως. οὐκ ἄπυρος. αὕτη ἐξ ἀρχῆς φάρυγγα ἐπωδύνως. ἔρευθος. κίων ἀνεσπασμένος. ῥεῦμα δριμύ. δακνῶδες. ἁλμυρῶδες διὰ τέλεος παρέμενε. περὶ δὲ εἰκοστὴν ἑβδόμην, ἄπυρος. οὔροισιν ὑπόστασις. πλευρὸν ἤλγεεν. περὶ δὲ πρώτην καὶ τριακοστὴν, πῦρ ἐλάβετο. κοιλίη χολώδεσιν ὑπεταράχθη ἤμεσε τῇ τεσσαρακοστῇ ὀλίγα χολώδεα. ἐκρίθη τελέως ἄπυρος τῇ ὀγδοηκοστῇ.

bre: [l] ſub noctem verò febris acuta, vrina craſſa cum candido ſedimento. Decimo & ſexto exacerbabantur, nocte magnā cum moleſtia non dormiuit, delirauit. Decimo & octauo ſitibunda, lingua torrida, ſomnum non cepit, multa delirauit, [m] crura ei dolebant. [n] Ad diem vigeſimum mane [o] aliquantulum riguit, ſopore tenebatur, quiete dormiuit, vomuit biliosa, pauca, nigra: [p] ſub noctem ſurduit. Ad diem vigeſimumprimum ſiniſtri lateris grauitas vndique cum dolore adiuncta, parua eſt tuſsis inſequuta: vrinæ craſſæ, turbidæ, ſubrubræ, quæ depoſitæ non ſubſederunt, cætera leuiora, igni non libera. Mox ab initio fauces ei dolebant, rubeſcebántque: columella reuulſa: deſtillatio acris, & mordax, ſalſa perpetua erat. [q] Ad diem vigeſimumſeptimum [r] febre erat libera, vrina ſedimentum habuit, latus nonnihil dolebat. Ad diem trigeſimumquartum igni eſt correpta, [s] venter fluxione turbatus eſt bilioſa. Quadrageſimo die pauca vomuit, bilioſa. [t] Indicata eſt, & ab igne liberata prorſus die octogeſimo.

COMMENTARIVS.

ILLA, de quibus hæc mulier conquerebatur, demonstrant apertissimè, non vnicam habuisse affectionem, sed plures: nam quantum ex textu elicitur, habuit morbum vniuersalem, nimirum febrem, illámque acutam. Huiusmodi fuisse, accidentia concomitantia, & assidentia confirmant: præterea ex superuenientibus, idipsum fit certius, vti ex delirio, ex vrinis nigris, etiamsi hæ in puerperis paucam fidem facere soleant de quantitate morbi, ex vomitu nigro: sitiuisse enim, vigilasse, sunt passionis significatiua, cùm vnà cum morbo sua natura inuadant: nam qui acutè febricitant, illi sitiunt, & vigilant, quoniam caloris intensio, quæ huiusmodi febres comitatur, si nihil obstet, huiusmodi inducit accidentia, & eam ob rem dicuntur morbi significatiua: assidentia autem aliquando dicuntur superuenientia: si cum morbo inuadant assidentia: si morbo superueniant incœpto, superuenientia appellantur; loquor de iis, quæ non sunt necessariò morbum constituentia. Hæc possunt esse, & non esse, cùm non sint à morbo inseparabilia, neque eius velut substantiam constituant, sed proprias faciunt differentias, dicebat Galenus 1. *Aphor. comment.* 12. & meritò, quia fiet quidem sitis, vigilia, sua natura; sed non necessariò delirium, vrina turbida, aut nigra, vomitus biliosi, nigri: Hæc ostendunt maiorem humorum malitiam, vti iam explicauimus in historia Philini, & idem Galenus 3. *in* 3. *epid. comment.* 34. Quare morbi significatiua dicuntur illa, quæ necessariò insunt, & appellantur pathognomonica, morbi demonstratiua. Alia dicuntur quidem assidentia, si cum morbo inuadant, etiamsi non sint de essentia morbi: superuenientia, si morbo iam incœpto appareant. Assidentia fuerunt, cordis dolor, muliebrium, colli, capitis, & lumborum. Superuenientia appellabimus, delirium, & alia quæ transacto morbi principio recensentur. Verùm vtvt sit laborauit febre acuta. Sed & laborauit morbo particulari, intemperie scilicet calida ipsius cerebri, quod ex destillatione constat, quam fuisse salsam, acrem, & mordacem ponit: symptoma exiens mutatum, insequens ad calidam cerebri intemperiem, vt demonstrabimus suo locò. Causam habuit, quantum coniectare possum duplicem, internam, & externam. Hæc, vt puto, fuit praua victus ratio, quod in vtero gerentibus, omnes sciunt esse familiarem, quæ non tantùm excedunt in quantitate alimenti; sed quod deterius est, in qualitate, prauissimis vtentibus alimentis, ad humorum crudorum generationem maximè aptis. Interna pendet ab externa: iudicat enim Medicus non tantum ex accidentibus, sed etiam ex anteacta victus ratione, quales humores in corpore reperiantur. Interna multiplex erat sine dubio, quia si respiciamus vitam; tum biliosum, tum melancholicum humorem adfuisse non est obscurum: si destillationem, materiam pituito

pituitoſam ſalſam. Re ita exiſtente, mirum ſuperſtitem fuiſſe, & ex hoc coniicere licet vires habuiſſe hanc mulierem robuſtiſſimas, cùm ante partum ægrotans: poſt partum acutè laborans, cum grauiſſimis ſymptomatibus, quorum vi perſpecta, non tam facilè expectaſſet Medicus ſalutem, nihilominus fuerit reſtituta. Hinc apertè conſtat, nullum eſſe tam grauem morbum, quin aliquis aliquando conualeſcat, neque tam leuem, quin aliquis aliquando moriatur. Nunc quomodo ſit affecta, & quàm grauiter, & quomodo in tam graui morbo integrè potuerit conualeſcere videamus, quantum fieri poteſt diligentiſſimè à primis verbis textus exorſi.

[a] *Epicratis vxor inſtante iam partu rigore correpta eſt, non incaluit, vt ferebant.*] An prauè fuerit diſpoſita, necne, iam in primis textus verbis fit notum, quando ſcribit rigore fuiſſe correptam, nec incaluiſſe. Solet huiuſmodi rigor copiam ſequi frigidorum humorum, cùm mulieribus, tum viris, ſed præcipuè iis, qui vitam vixerunt otioſam, & balneis poſt cibum ſolent vti. Id notat Auicenna *lib.* 4. *Fen* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. Quando hunc in modum ſcribit: *Et multoties accidit à phlegmate vitreo in corpore rigor, non perducens ad febrem.* Sed longè clariùs Galenus, *lib. de inæquali intemperie cap.* 8. his verbis: *Quin etiam iis, qui rigent, nec tamen febricitant, inæquale temperamentum eſt, rarum tamen eſt id ſymptoma.* Cæterùm incidit tum mulieribus, tum quibuſdam aliquando viris. Debet autem omnino deſes præceſſiſſe vita, aut certè ciborum copiam longiore tempore homo ſumpſiſſe, ex quibus tardus, craſſus, frigidus, crudus, & pituitoſus naſcatur ſuccus, qualem ſcilicet Praxagoras vitreum appellat. Neque exiſtimandum eſt Hippocratem ſine cauſa addidiſſe particulam illam (*vt ferebant*) quia ideò factum eſt, quoniam ſuis temporibus erant in victu temperantiores, neque inueniebantur, qui rigerent humorum copiâ. Quòd ſi quis rigebat, ſtatim eundem febricitare videbant; fitque hoc in iis, qui venas circa iecur humorum craſſitie infarctas habent, & obſtructas, quibus etiam fit grauitatis ſenſus, vel tenſionis in hypochondrio dextro. Sed clariùs *lib. de rigore, palpit.* in illis: *Ne mireris autem, ſi apud veteres Medicos ſcriptum inuenias, febrē comitari neceſſariò rigores, qui ſine frigore proueniunt externo, ex ipſa corporis diſpoſitione prodeuntes.* Nihil enim tale veteribus, nec balneis tot poſt cibum, nec vita otioſa vtentibus accidit. Hoc autem tempore ambo hæc frequenti in vſu habita, etiam rigorem hunc, qui excalfieri nequeat, excitant, nouum quoddam, & peregrinam accidens propter victus nouitatis rationem, omnibúſque ita affectis, vel tenſionis, vel grauitatis ſenſus in dextris hypochondriis perſentitur, vbi iecur ſitum eſt, venis nimirum ipſius craſſitie humorum infarctis, obſtructíſque; de qua re eadem habemus Galenum loquentem, ſiquis plura cupit *lib.* 2. *de differentiis febr. cap.* 5. Concludamus igitur rigorem hunc denotare nobis cauſam ex qua cœpit ægrotare, fuiſſe ſcilicet propter abundantiam crudorum humorum, qui originem duxerunt à vita otioſa, mulieribus conſueta, à praua victus ratione in cibo, & potu, quo ſic exiſtente apparatu, non difficilè lædun-

tur corpora, sed præcipuè mulierum, quæ filiam conceperunt: tunc enim excrementis sunt affluentes, vt in antecedenti historia vidimus, confirmatum etiam ab Auicenna *lib.3.Fen 21.tract.2.cap.21.* illic: *Facta autem causa fœtus, aut est propter genus eius: fœmina enim penitus est difficilioris partus, quàm masculus.* Riguit igitur spatio duorum dierum, cùm sequenti die eadem essent, id est, riguit sine febre.

Tertio die filiam peperit.] Fuit partus à rigore celeriùs factus, quia concussio illa potuit eundem accelerare, vti verisimile est, & ob id credo posuisse particulam illam,

[b] *Instante iam partu*,] quo tempore ex leui quacunque commotione potest præ grauitate abortire mulier, disruptis ligamentis vteri, vt experientia docet, confirmat auctoritas ex eodem Galeno desumpta *in lib.4. Aphor.text.1. Ad vteros*, inquit Galenus, super expositione textus, *fœtuum connexus eandem habet proportionem, quàm fructuum connexus ad plantas. Hi siquidem in prima generatione debilioribus capulis continentur; & ideò facilè decidunt. Eodem modo & conceptus in primo quidem tempore à seminis iniectione, si quando saltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, siue quouis alio modo, vel animo, vel corpore moueri vehementius, facilè disrumpuntur, sic etiam & cùm iam perfecti sunt:* Propterea cùm ex rigore appareat manifestè fieri cōcussionem, magis aut minus pro ratione causæ, vt Galenus *in lib.2.de sympt.causis cap.5.* credendum pariter est potuisse ante statutum tempus parere, præsertim cùm fœtus grandior non indigeret illa vehementiori concussione à vero rigore facta. Nonne videmus mulieres solo tonitruo audito. fœtus eiecisse, dicente Galeno *lib.de Theriaca ad Pisonem cap.11. Mulier*, inquit, *prægnans si tonitruum audisset, vel formidolosum quippiam vidisset fœtum eyciebat, quanto magis rigore correpta?* Galenus dicit rigorem hunc, quem non sequitur febris esse diuersum à rigore quartanarum, & tertianarum, nimirum crederem esse minorem tertianarum, maiorem quartanarum. At vtvt sit, grandior fœtus, veluti dictum est, à minima causa poterat concuti, præsertim cùm filia esset, quæ faciliùs patitur, vt imbecillior.

[c] *Cætera ritè consequuta sunt*,] & tamen postridie partus febris acuta inuasit. Videtur ex Hippocratis verbis non posse colligi partum fuisse causam febris, sed prauam istius mulieris dispositionem, cùm scribat omnia ritè fuisse consequutam: id est, omnia quæ spectabant ad partum habuit bene disposita, quia & facilè parturiit, & secundinæ eruperunt: & hinc constare potest etiam validis fuisse viribus, cùm ad bonum partum duorum corporum robore indigeamus, infantis, & mulieris, ex Galeni sententia *1. Aphor.comment.55.*

At dicetis, si omnia ritè consequuta sunt, quomodo postridie quàm peperit, in febrem incidit acutam.

Iam audiuistis dictum à nobis cum Galeno, oportere, etiamsi incipiant fluere menses, perseuerent ad præscriptum tempus vsque, præsertim si fœminam fuerint enixæ mulieres, propter maiorem excrementorum abundantiam. Quòd si secus fiat, nullo non morbo implicantur, vt in hac

apparet

apparet. At quæ causa fuit istius suppressionis. Si referre vellemus causam in destillationem, non esset ab re. Erat hæc destillatio perpetua, id est, etiam ante partum destillationi salsæ erat obnoxia, quæ perdurauit etiam post partum. Cùm igitur res ita esset, à destillatione, tanquam ab omnium morborum matre, hæc omnia symptomata originem traxere: hæc enim ad cutim delata rigorem sine febre faciebat, ad venas vteri, obstructionem, ab hac febris, putrefacto sanguine in venis, quod facillimo negotio, eodem non ventillato: impertitur enim statim cordi, ab eo per vniuersum corpus disseminatur: nam vnde hoc, vt partus bonum habuerit finem, facilis fuerit, haud multo pòst excitata sit febris, & putrida: oportet, meo quidem animo, habuisse causam à putredine materiæ maleficæ, cùm talia essent accidentia: At quid malignius, quàm sanguinis illius puerperij retentio, de quo, quoniam satis egimus in antecedenti Historia, non est quòd iam dicta repetamus. Quare crederem ego destillationem fuisse omnium causam, potest autem hoc non incommodè fieri, si causas suppressionis consideremus. Sunt hæ duæ præcipuè: interna, & externa, istarum vtraque multiplex, quia causæ externæ sunt sicut exercitium nimium, fames, animi pathemata, nimia corporis crassities, & id genus alia, de quibus non est quòd agamus, quia nobis hæc incerta sunt, etiamsi attendentes ad prauam corporis dispositionem, quam habuisse perspicuum est, possemus suspicari in victus ratione multùm deliquisse.

Verùm, his prætermissis, tangemus causas internas, hæ referuntur ad tria, ad virtutem, ad membrum, ad humores. Propter virtutem id accidit, quando corporis complexio est nimis calida, aut frigida, aut sicca, aut humida, quæ naturam adeò debilitat, vt inposterum munere suo non fungatur. Ratione postea membri, quia vterus nimis sit strictus, clausus, obstructus. Quòd si propter humorem, in hoc attenditur qualitas, & quantitas. Quantitas, deficiente sanguine. Qualitas, si humor sit nimis crassus, viscidus, à quo non difficilè obstruuntur venæ vteri, & supprimuntur menses, tum sine partu, tum in partu, vt doctissimus Mercatus vult *in cap. proprio*. & Aëtius *lib*. 4. *sermone* 4. quo in loco hæc habentur. Incidet sanè aliquando, & ipsius materiæ occasione menstruæ consuetudinis retentio, quoties quod vacuatur, vel crassum est, vel glutinosum. Quin etiamsi ipse menstruus sanguis sine vitio est; cæterùm obstructio quæpiam in vasis, quæ ad vterum pertinent priùs est facta, sic quoque retinebitur menstruum. Re igitur hunc in modum se habente, commodè potuit materia illa crassa deferri ad venas vteri; easdémque obstruere, hincque inductam febrem ab Hippocrate descriptam. Fuisse suppressos menses denotant verba sequentia, dum ait;

[d] *Cordis dolor, & muliebrium, nulli erant somni.*] Accidentia suppressionem mensium insequentia, vti vidimus, neque immeritò addit, nullos fuisse somnos: nam poterat quidem sequi vim febris, sed etiam dolorem, qui potissima vigiliarum est causa, & de quo non minimam habens rationem Hippocrates, statim iniecit pessarium, vt *suprà* dictum est, quo

ſedata viſa ſunt omnia, exceptis colli,& lumborum doloribus, quos permanſiſſe dicit. Hoc ſymptoma potuit ſequi defluxum deſtillationis ad collum, & ad lumbos, ſed dicerem potius fuiſſe ſic affectam propter affectionem vteri, neque erraſſet, qui materiam indicare bilioſam dixiſſet, vt de Sileno ſignificatum eſt, quando etiam id apparet ex euacuatione ſequuta, quæ erat materiæ bilioſæ, vt notat Galenus *in comment.* Euacuatio omninò improbanda vt ſignum, & vt cauſa. Primo modo, quia indicabat vehementem calorem internum, cùm eſſent mera, quæ excernebantur, vehementer irritantia. Neque ſecundo modo vtilia erant, quoniam non erant in cauſa, vt meliùs ſe haberet, duplici ratione. Primo modo, quia euacuabantur, per minimè conuenientem partem. Secundo modo, quia erant pauca, hæc, ob id, non poſſunt demere copiam, præterea erant tenuia, id eſt, cruda, & eædem erant vrinæ, hinc longitudo morbi, & delirij ſuſpicio. Et enimverò, ſi vrinæ fuiſſent ſubnigræ non poſt partum, maximè ſuſpecta res eſſet. Vtrum modò dentur vrinæ nigræ, tenues, quarum ſæpiſſimè mentionem facit Hippocrates, Galenus *in lib. de vrinis, cap.* 10. ſcribit ſic: *Vltima autem connexio eſt tenuis, & nigri, hæc etiam nunquam reperitur. Color enim niger fit, propterea quod melancholicus humor per vrinas purgatur: aut propter nimiam frigiditatem, aut propter nimiam aduſtionem ſanguinis, hæc verò tria groſſitiem ſibi vindicant:* In *ſequenti cap.* hæc habet: *Quòd autem tres, quas diximus vrinæ nigræ differentiæ groſſam ſibi ſubſtantiam vindicent, manifeſtum eſt.* Itaque apertiſſimè negat dari vrinam nigram colore, & tenuem ſubſtantia, & tamen Galenus idem dum exponit textum Hippocratis nihil dicit, qui ſemper fuit diligentiſſimus expoſitor Hippocratis, ſi non putaſſet dari, ſine dubio id annotaſſet, ſed *in comm.* inquit: *Cæterùm cùm vrinæ eſſent tenues, neceſſariò morbus producebatur, quas, quia ſubnigras ait fuiſſe, ſignificat & turbationem, & rem à periculo non abfuiſſe.* Sed quod magis eſt, idem Galenus eaſdem admittit apertè 4. *acut. comm.* 3. his verbis: *Porrò tenues, & nigræ deterrimæ ſunt*, & loquitur de vrinis. Quare, aut dicendũ, librum de vrinis non eſſe Galeni genuinum, quia iam videmus eundem, caput proprium feciſſe *in lib. de criſ.* Aut dicemus intelligere Hippocratem ſeparatim, quando dicit vrinam tenuem, ſubnigram, id eſt aliquando fuiſſe tenuem, aliquando ſubnigram; verùm ſi attendamus verba Hippocratis, potius ſunt copulatiua, quàm diſiunctiua, & eam ob rem reſponderem ſic. Subſtantia vrinæ poteſt eſſe tenuis, & nigra, quia etiamſi miſceatur cum portione humoris melancholici, inficitur tantùm colore aliquando, vt propterea poſſit eſſe tenuitas cum nigredine, vt apparet etiam in rebus exterioribus, ſi immiſceamus aliquid cum aqua, quod poſſit aquæ colorem alterare, poterit quidem aqua colorem alterare, neque tamen maiorem craſſitiem aquæ inducet, niſi copioſiùs infundantur; præterea poteſt quod infunditur reſidere, & tincta vrina, ſubſtantia eſſe nigra, & tenuis, ſedimento, craſſa.

[c] *Sexto die, qua illam febris corripuit, ſub noctem delirauit.*] Ex his verbis apertiſſimè denotat Hippocrates oportuiſſe facere enumerationem

à ſe

à febri, non à partu, quia non dicit *quo parturijt*, sed *qua illam febris corripuit.* Præterea inquit, *sub noctem delirasse.* Solet humor melancholicus ea hora moueri, & etiamsi videamus causam complicatam, tamen aliquando alter alteri præualet, neque nouum est fieri deliria cum huiusmodi vrinis. Sic contigisse Herophonti vidimus, de quo est scriptum. *Quinto die manè obsurdescebat, postea desipuit.* In Heropito: *Vrina tenues, nigra, ad diem decimumquartum surditas, & postea delirium*, & hoc facilè fit, recurrentibus humoribus ad supernas partes; hinc elicere poteratis hucúsque ægrotantis huius salutem fuisse ambiguam, cùm omnia potius ingrauescerent, vt ex sequentibus constat: nam septimo die, vigil fuit, delirauit, sitiuit, deiectiones habuit biliosas: Erant hæc omnia magnitudinem morbi consequentia, & causam à qua fouebantur demonstrantia, cùm à bile ita affici corpora iam sit demonstratum, sursum elata ad caput, eadem in venis validam putredinem adepta, partímque ad aluum transmissa.

[f] *Octauo riguit, plus quieuit.*] Rigor hic potuit sequi affectum partis neruosæ, vteri scilicet: potuit fieri propter motum materiæ peccantis, veluti etiam nono die factum scribit. Quod materia esset in motu, colligitur ex iis, quæ decimo die facta sunt: eo enim die crura magno dolore fuisse affecta ponit. Ecce quis in tot grauibus symptomatibus tam subitam expectasset alleuationem, & hinc discite non negligere morbos, neque præcipitanter de ægrotantium salute desperare, quia præsertim in iis, qui firmas habent vires repentinæ fiunt ad melius mutationes, & quò vehementiores sunt morbi, eò magis irritatur natura. Hic attendendus erat dies in qua facta est hæc humorum depositio. Præterea varietas materiæ peccantis, tempus, motus, dies, quia, vti iam in Sileni Historia dictũ est, octauus, & decimus infideliter iudicant, videlicet habent id, quod euacuationes non fiunt perfectæ, quia non habent hi dies tantam vim; & in varietate materiæ imperfecta redditur iudicatio, quia alia disposita est, alia minus disposita, quo tempore non potest non nisi imperfectum fieri iudicium. Tempus postea attendendum est, quia in materia cruda nulla crisis perfecta. Et ob id etiamsi huic ægrotanti facta sit depositio materiæ peccantis, & præcipuè biliosæ, quæ vt acutissima, & maximæ actiuitatis, ita etiam violenter admodum, & impetuosè moueri consueuit, & dolorosa esse, quia ita fert mala qualitas, quam secum trahit, etiamsi & humorum copia distendens non minorem dolorem possit inducere, vt in dies videmus, & hoc etiam diligenter attendite, quia in corpore imbecillo, impetuosa, & copiosa fluxio, potest calorem partis in quam irruit suffocare, & morbum, è morbo inducere cum ægrotantis pernicie, quia virtute imbecilla existente, si magnus fiat abscessus, etiamsi in partibus infernis consistat, non adeò tutus, vt aliquando obseruari. In genere tamen melius est dolere infernas partes, quàm materiam ebullire in mediis: Hoc iam obseruauimus in Herophonte, qui crudo morbo existente iudicatus est. Huic pariter alleuatio non obscura est insequuta, etiamsi non esset de nihilo cordis dolor, quod ideò factum, quia in congenere sub-

ſtantia maximus conſenſus, & eò maior, quò vehementior eſt dolor. Vidi ego iſchiadicos in doloris vehementia omnia euomuiſſe tantiſper, dum dolor mitior eſt factus, præter id, quod ad os ventriculi facilè fluitat bilis, dum mouetur violenter: oportet autem fuiſſe dolorem non admodum infeſtum, tum ratione temporis, quia parum perdurauerit, tum ratione vehementiæ, quia fuerit ſolito mitior; ſecus non quieuiſſet meliùs neque caput tantum dolore grauatiuo fuiſſet affectum, ſed etiam ſimul deliraſſet, quia, vt vidiſtis in ſuperioribus, ore ventriculi bile affluente familiare eſt delirium, quod euenire pariter obſeruabitis in acceſſionibus tertianarum, quod & ego ter, aut quater inſpexi, & mihi etiam tertiana laboranti intermittente contigit iuuentutis tempore. In hac potius fumi quidam elati ſunt ad caput, qui grauitatem induxêre; non tamen admodum euidentem, iam humoribus ad infernas inclinantibus, & eam ob rem ſupernis minùs affectis, hinc vigiliæ minùs infeſtæ, & mitiora omnia, quæ ſpectabant ad ſupernas partes.

[g] *Venter restitit.*] Venter ſupprimitur in febribus, hepate calidiore exiſtente: vtero inflammatione laborante in mulieribus, ſtercore nimis indurato, vel criſi imminente, veluti habetur *lib.*4. *Coacarum text.* 19. *ſect.*2. *comment.*1. ſic: *Quibus aluus ſupprimitur, ſanguis è naribus erumpit.* In hac muliere, non dicendum eſt fuiſſe ſuppreſſam aluum, quia hepar eſſet feruidius, quoniam iam erat aluus mota, & materiæ biliosæ: quando enim hepar æſtuat cum robore, excrementa ſunt veluti caprarum; ſi verò imbecillitatem habeat, redduntur liquida, aut adſit copia bilis ſtimulans, quod familiare eſt in hepate feruidiore, vt à Galeno habetur *in* 2.*prorrhet. cap.*6. ſic: *Qui hepar impenſius habent calidum, ij multa bile affluunt.* Neque reſtitit venter, quia vterus eſſet inflammatus, quia huius rei nulla ſunt indicia, quod ſi hoc fieri debebat, non expectaſſet in progreſſu morbi, neque quia ſtercus eſſet induratum, quia potius habuit aluum fluidam, vti conſtat. Hæc cùm ita ſint, relinquitur dicendum aluum fuiſſe adſtrictam, quia immineret criſis per cutim facienda, & quia tunc natura mouet à centro ad circumferentiam, non poteſt eſſe pluribus euacuationibus intenta, immò tunc omnes euacuationes ſupprimuntur colligente ſe natura, vt à materia moleſtante ſe eximat maiore conatu. Quare cùm haud multò pòſt ſudor eſſet erupturus, dicerem, propterea aluum eſſe ſuppreſſam, quod verum ſit, ſtatim ſubdit:

[h] *Vndecimo ſudauit.*] Non parum periclitata eſt hæc mulier, in tanta humorum copia, quam natura tentabat omnibus modis à corpore deturbare: ſi enim viribus fuiſſet imbecillis, non potuiſſet ſine dubio ſuſtinere vim morbi: nam tentauit natura detrudere peccantem humorẽ ad ima, quod cognoſcebatur ex dolore crurum; etiam vndecimo idem conata eſt facere per cutim erupto ſudore, à quo alleuata eſt non mediocriter natura, vt euentus confirmat; cùm minxerit meliùs colorata, quæ multùm habebunt ſedimenti, & commodius habuerit. Tanti fuit hæc euacuatio, vt quemadmodum omnia eſſent perniciosa, ita modò non obſcura apparuerint ſigna ſalutis. Euacuatio laudanda ratione dici, & ratio-

ne

ne vtilitatis: Ratione diei, quia his diebus sudor erumpens commendatur 4. *Aphor. text. 36.* sic: *Sudores boni sunt, si febricitanti incœperint tertio die, quinto, septimo, nono, & vndecimo.* Ratione vtilitatis, quia reddidit affectum leuiorem, quod sequitur ad bonitatem euacuationis, vt habetur 4. *Aphor. comment. 2.* Quod dicitur de sudore, de quacumque euacuatione intelligitur. In Coacis *lib. 3. sect. 3. text. 23.* hæc leguntur: *Sudor optimus quidem vnde soluitur febris, & qui die critico incidit. Vtilis quoque qui morbum leuiorem reddit.* Itaque vtilis fuit hæc euacuatio vt signum, & vt causa. Vt signum, quia indicauit robur naturæ, in expellendo. Vt causa, quia alleuauit ægrotantem non obscurè, vti ab excretis constat. Et notate modum loquendi Hippocratis, dum ait:

Commodiùs habuit,] nam, dum dolerent crura, respectiuè, commodè habuit, sed erumpente sudore commodiùs, ex quo elicere debetis, fuisse vtramque depositionem ægrotanti commodam. Neque dicatis, quomodo meliùs habuerit, postquam in decima quarta iterum acutè laborauit: nam si attendatis consuetum Hippocratis, videbitis fuisse expectandam recidiuam: neque enim dicit fuisse integrè iudicatum, sed commodiùs habuisse, vt euacuationis vtilitatem ante oculos poneret, non tamen integrum iudicium, quod non erat tam citò expectandum in tanta humorum congerie, & vrinarum cruditate. Eam ob rem, etiamsi ab vndecimo, vsque ad decimumquartum meliùs habuerit, debebat tamen expectari nouus naturæ motus; id quidem poterat sperari, superiorem euasuram naturam, cùm in euacuationibus præcessis morbus vehementiam remitteret. Cur igitur riguit die decimoquarto? An, quia ad nouam materiæ peccantis expulsionem se accingebat, quæ dum futura est, paulo antè rigent ægrotantes, & in eo motu succenditur febris, & præcipuè si materia mota sit biliosa, vt in hac muliere cernimus ex subsequuta euacuatione per vomitum die decimoquinto, quo die,

[1] *Biliosa, flaua vomuit.*] Ecce causa rigoris, motio scilicet materiæ biliosæ: consueuit enim bilis per sentientia corpora mota, rigores excitare, & febres, post quæ semper aut sudores, aut vomitus, aut per aluũ euacuationes sequuntur, dicit Galenus *2. in 1. epid. comment. 64. 3. progn. comment. 30. 3. prorrhet. comment. 58.* Vbi hæc sunt: *Magna igitur ex parte sudores, vomitúsque biliosorum, & deiectiones ex rigore fiunt.* Vomuit igitur post rigorem biliosa flaua, & paulo plura, indicium quòd natura causæ morbificæ præerat, sensímque disponens, plura euacuabat, quæ autem subtilior erat materia, ad cutim delata, per sudorem est euacuata. Omnibus viis nitebatur valida natura causam morbificam superare, quod etiamsi consequeretur, apparebat tamen euidenter, ingentem fuisse copiam, quam euincere non poterat natura, nisi multo interposito tempore, quod attentè considerare debetis, & in praxi memoria tenere, quia natura sibi faciliorem eligit partem, neque veluti errans, per varias partes euacuare tentat, nisi quo tempore stimulatur à qualitate, & quantitate, & eo tempore nisi robur adsit, suspectam ægrotantis salutem habebitis, quia ex tot euacuationibus, nullam perfectè tentatam videbitis

ſæpiſſimè, & etiamſi videatur ſuſtinere bis, ter, & hoc amplius motus violentos, tandem ſuccumbit. Bene igitur actum eſt cum hoc ægrotante, cùm tentans per multas partes ſe eximere à moleſtia, ſaltem ita fuerit diminuta materia noxia, vt quod relictum eſt, tandem euincere integrè potuerit, vt videbimus.

[k] *Sudauit libera febre.*] In tot euacuationibus factis quis non expectaſſet integrum iudicium, cùm poſt ſudorem, & vomitum eſſet à febre libera. Hinc aliquando fit vt iuuenes irrideantur à ſenioribus quibuſdam, ſi quando dicant inueniſſe ægrotantem acutè laborantem ſine febre, cùm tamen, an id fiat ex Hippocrate ſit apertum, ſed & experientia quotidiana. Verùm debetis eſſe cauti eo tempore, & benè omnia circa ægrotantem perpendere, ne decipiamini putantes eſſe fidam morbi ſolutionem. Vidi ego Iacobum Placentinum ſic affectum. Hic quartanâ erat detentus, quæ perdurauit toto hyemali tempore, ſed tamen eidem, propter morbi leuitatem, etiamſi eſſet iam homo natos annus quinque ſupra quinquaginta, nunquam fuerunt impeditæ conſuetæ operationes, acceſſionis tempore excepto, quæ neque validè moleſta erat. Verno tempore adueniente iam, cùm acceſſio inuaſiſſet, vocatus ad cuiuſdam vulnerati curationem, vt petenti gratificaretur, antepoſuit ægrotantis ſalutem propriæ. Itaque defatigatus aliquantiſper, cùm interim inualeſceret ſolito magis acceſſio, & ſitiret, bene potus decubuit ſtatim, non amplius quartanæ acceſſione remiſſa, ſed magis aucta, vt inde meritò ſuſpicaremur ab errato in vino mutaſſe naturam, neque ſumus noſtra opinione fruſtrati, cùm in mali moris febrẽ degenerauerit, quod à vobis maximè eſt memoria tenendum, quia facilè fit, vt quartanarum humor efferatur ex quacumque leui cauſa, dictum etiam ab Hippocrate *in lib.* 5. *Coacarum text.* 15. his verbis. *Hybernæ febres quartanæ fortaſſe tranſeunt in morbos acutos.* Subdit Hollerius: *Ac factum fortaſſe, vt prohibitis ſudoribus, inclinante febre, culpa ægri, latente vitio corporis, quibuſdam quartana in acutum morbum tranſierit, & veriſimiliter in febres acutas.* Et ex hòc diſcite perſuadere iis, qui quartana laborant, vt caueant ab erratis, quibus ſe poſſe quartana liberari multi exiſtimant, quia qui morbi fiunt à quartana iidem minimè negligendi. Hic igitur de quo eſt ſermo ad ſeptimam perueniens, omninò à febre fuit liber: ſed tamen, & pulſus languidi, & vrinæ, vt priùs, malæ: pulſus iidem: vrinæ eædem. Nona rediit febris, quam ſi conſideraſſes ex accidentibus, videbatur quantiuis pretij, ſed opera diuerſa, quia ideò erat leuis, marceſcente ſenſim calore. Decimaquarta obiit. Et hoc ita ſe habuit, vt refero, quia ſemper tetigi pulſus, ſimul etiam cum aliis. Diſpar ratio in hoc ægrotante, quia hoc fiebat robore naturæ per interualla diſpoſitam materiam expellentis, neque aliter putandum eſt, quia videmus ſuſtinuiſſe morbum ſatis contumacem, per multum tempus, quòd non ſuſtinuiſſet imbecilla facultas. [l] Verùm etiamſi ſoluta videretur eſſe febris, tamen in iis caſibus ſemper aliquid relinquitur, quod ſuſpectam facit hanc ſolutionem: vel enim ſitiunt validè, vel nihil appetunt, vel vigilant, vel quid aliud habent, quod

malam

malam corporis dispositionem subesse adhuc demonstrat. Hæc cùm apparent, recidiuant sine dubio ægrotantes, noua contracta in humoribus putredine, quorum alij seruantur, si natura perferat, alij succumbunt, viribus imbecillis existentibus: neque enim potest morbus à varia causa pendens breui solui, potest quidem citò hominem tollere, solui autem integrè nequaquam; & ideò non immeritò subdit Hippocrates,

[1] *Statim sub noctem febris acuta: vrina crassa cum candido sedimento.*] Enimverò in his casibus redduntur etiam ambigui seniores Medici, cùm solui morbum videant, haud multò pòst, denuò exacerbari, quia meritò in his naturæ variis motibus, non sine causa dubij sunt, sed tamen, quod fidem facit maximam, sunt pulsus, quos sine dubio hæc mulier habebat validissimos, præterea & vrinæ inspectio fortasse suspicionem diminuisset, quia in dies videbantur melioris conditionis, cùm haberent candidum sedimentum. Verùm dicerem ego in hoc casu maximè obseruandas vrinas, quia vrinæ, quæ claræ sunt, & videntur meliores, non omnino probantur in enixa, quia iudicium est omnino esse suppressa puerperia, & etiamsi natura alias tentet euacuationes, tamen vnquam æquipollent naturali per vterum euacuationi, neque fiunt sine labore, & ægrotantis dispendio, vt in dies videmus. Cùm igitur vrinæ haberent crassitiem, non est mirum, multis crudis humoribus in corpore stagnantibus, & candidum fuisse sedimentum; dicamus modò indicasse coctionem, etiamsi potuisset ita fieri propter copiam pituitæ, & crudorum humorum, quo tempore plurimum residere in vrinis oportet. Neque contentus Hippocrates dicere febrem denuò fuisse succensam acutam, singillatim obseruat omnia, & ex hoc elicere potestis Hippocratem magni fecisse morbum, & ægrotantem sæpiùs inuisisse, quia priùs scribit sub noctem febrem fuisse acutam, postea addit: Decimo & sexto exacerbata fuisse omnia, deinde nocte magna cum molestia non dormiuisse, delirasse. Ecce quomodo omnia obseruata fuerint exactè, vt vos doceat, esse necessariam exactam promptitudinem in curando morbos acutos, & graues, qui, vtplurimum instabiles sunt, sed si vnquam Medici diligentia requiritur, profectò ea optima est, in enixis grauiter affectis, quoniam videbitis sæpissimè cogi Medicum eadem hora immutare remedia, & aliud de euentu sentire, ac priùs, quia de repentè incidunt in suffocationes, in dolores, animi deliquia, quibus nō nisi assistentiâ Medici potest tutò succurri: neque enim sunt mulieribus committendæ ægrotantes istæ, quæ statim ac vident enixam animo linquere, alimentum exhibent, & non raro cum euidenti ægrotantis pernicie, requirente affectu, non alimentum, sed frictiones, reuulsiones, sanguinis missionem, cùm horum causa sint vapores recurrentes ab vtero. Et quis non fuisset miratus huius morbi vehementiam, & varietatem, cum quo tempore videbatur morbus solutus, eodem tempore multo magis ingrauesceret, cùm & vigiliæ vrgerent, & caput ita afficeretur à vaporibus adustis, vt delirium concitaretur, quæ omnia perseuerarunt talia vsque ad vigesimum diem, & etiam magis aucta, cum die decimooctauo lingua facta sit etiam adu-

adusta. Ex quibus omnibus non immeritò de salute dubitassent nō tantùm iuuenes, sed etiam qui in re medica sunt versatissimi, cùm nisi pulsus, cui maximè fidimus perseuerasset in firmitudine, alia essent talia, de quibus non immeritò esset dubirandum.

[m] *Crura ei doluerunt.*] Non est oblita natura prioris motus, iterum transmittens ad infernas partes, vt die decimo, at potuit sequi hoc symptoma ad vim febris, quæ solet musculos ita debilitare, vt doleant. Aliquando in enixis dolent crura propter vteri communicantiam. Potuerunt crura dolere, quia, qui destillationibus sunt obnoxij, iidem habent materiam inordinatè motam, cùm à capite, ad subiectas partes moueatur, & decumbat, sed modò ad vnam, modò ad alteram partem defluit, vt propterea qui destillationes patiuntur, ij sint tanquam dogma perpetuæ passionis: attamen vtcunque esset, potuit hæc depositio id commodi præstare, vt imposterum visa sit alleuata, nam,

[n] *Ad diem vigesimum manè aliquantulum riguit, sopore tenebatur, quietè dormiuit.*] Erat natura haud multò post euacuationem per vomitum tentatura, & eam ob rem motis humoribus istis biliosis, os ventriculi infestantibus, rigor est consequutus, sed quomodo si sopore tenebatur quietè dormiuit; & quomodo si humores erant biliosi, potuit somnus conciliari. Per soporem hîc non intelligerem morbosam in somnum delationem, sed ideo loqui Hippocratem, vt denotaret post graues antegressas vigilias somnum cœpisse profundiorem, vt solent, qui à vigiliis infestati propter aliquam violentam causam, tandem in somnum inclinant; ita enim quiete dormiunt, vt vix excitari possint, etiamsi altiùs loquantur assistentes; & etiamsi humores erant biliosi, retundebantur tamen à materia pituitosa in ventriculo existente, quo fiebat, vt mistis vaporibus ad supernas partes elatis, dum os ventriculi vellicarent, minorem rigorem inducerent, quod denotat per illam particulam.

[o] *Aliquantulum riguit.*] caput autem replentes, retunderentur à copia humorum pituitosorum in capite existentium, & eam ob rem non poterat impediri somnus, præsertim cùm iam longis vigiliis esset defessa: Ita enim naturæ contingit, ac iis, qui propter longum iter, ac graues occupationes noctes plures vigiles transigunt, eos videbitis, cùm quiescere aliquantisper liceat in profundissimos somnos incidere, & difficilè expergefieri possunt. Perinde natura post multum laborem, si interquiescat, videbitis ægrotantes non dormire, sed profundè dormire, vt à somno vix possint excitari, quo fit, vt aliquando etiam timorem incutiant assistentibus, vt sæpissimè obseruaui. An modò vomuerit biliosa, pauca, nigra ante somnum, an post somnum, non adeò certum. Ex vna parte ventriculo biliosis humoribus affluente, iisdémque noctis, vix credibile est potuisse dormire, vt inde putandum sit statim à rigore sequutum esse vomitum, & postea euacuato ventriculo somnum fuisse conciliatum, cur autem tantùm materia biliosa, hoc non est difficile adinuenire, si humoris biliosi tenuitatem spectemus, qui præ cæteris vomitu reiicitur, minùs pituitosa materia, vt illa, quæ tenacius adhæret. Ex altera autem parte

videtur

videtur factus esse vomitus à somno, quod neque est inconsonum, quandò in somno humores disponuntur, & faciliores redduntur ad motum; præterea in somno magis repletur ventriculus, quo fit, vt è somno excitati, facultas expultrix moueatur, & materiam dispositam euacuet faciliùs, vt non rarò in praxi videbitis vos euenire. Itaque vt sequamur verba Hippocratis, & amicè interpretemur, dicamus post somnum factam esse per vomitum euacuationem; etiamsi non fuerit erratum putare faciliùs fuisse conciliatum somnum post vomitum euacuato ventriculo. Vomitus nihilominus non improbandus, neque vt signum, neque vt causa. Non primo modo, quia indicabatur vis naturæ in expellendo. Neque vt causa, quia exonerata natura est à sarcina humorum, & sequuta est alleuatio, vt euentus demonstrat, etiamsi propter morbi contumaciam non tam citò. Neque est præter rationem huiusmodi somnos aliquando iudicationem facere, quia id habetis etiam ab Hippocrate *lib.* 5. *Coacarum text.* 1. *comment.* 2. his verbis: *Somni profundi, nec turbulenti quidem, firmam iudicationem significant.* Qui enim longa vigilia consumpti sunt, iis somnus profundus, & longus integram sæpissimè restituit sanitatem: oportet autem is somnus in diem criticum incidat, antegressis iudiciis, quæ salutem polliceantur. Quod omne de hoc ægrotante dici potest, vt ex historia apparet.

p *Sub noctem obsurduit.*] Vtitur hoc modo loquendi, quia non fuit verè surdus, sed fuit actio audiendi diminutè facta, non ablatè, propter ascendentes vapores ad caput, qui cùm essent crassi, aliquo modo meatus auditorios obturabant, hinc obsurditas quædam, quod facilè fit in vehementioribus vomitibus, quia quemadmodum vomitus euacuat ventriculum, ita quam maximè replet caput. Hanc tamen affectionem vt leuem non multùm perdurasse credibile est, tum quia iam diminuti erant humores maiori ex parte, sed multò magis facto humorum decubitu ad infernas partes; solet autem capitis affectio eo tempore, aut tolli, aut iuuari euidenter, quomodocumque fiat decubitus, modò fit ad infernas partes, neque enim sola aluus mota tollit surditatem: Huic igitur doluit latus sinistrum vigesima prima die, & tussicula leuis infestabat, ex quo coniectare possumus exiguum fuisse thoracis affectum, cùm tussis esset leuis: neque enim in hac desiderabatur virtus, cuius causa thorax non posset moueri, & putarem ego fuisse decubitum potius ad lienem, cuius propius est grauatiuus, vt 2. *de locis malè affectis cap.* 8. Erat igitur leuis, quæ minimum infestaret, facta propter consensum diaphragmatis à tumore compressi, aut etiam, quia portio materiæ decumberet ad pulmones in parte sinistra, quam materiam dum natura excernere tentaret, non posset autem sine tussi, eam ob rem tussis illa concitaretur, sed leuis. Portio autem eiusdem humoris ad vias vrinæ defluit, hincque crassities, turbatio vrinarum, erant autem subrubræ, quia fortasse intingebantur sanguine; solet enim ista euacuatio supprimi per aliquot dies, postea eadem erumpente, vrinæ turbantur, & intinguntur, etiamsi Galenus dicat subrubram vrinam significare sanguinem semicoctum, & vt crudæ erant,

ita etiam flatibus plenæ non residebant. Id tamen commodi attulit, quòd sedata sunt symptomata, quæ molestabant maiori ex parte, etiamsi non potuerit omninò esse à febri libera, quia humoris qualitas ita ferebat, vt morbus produceretur; solent enim morbi à materia crassa pendentes longitudinem habere adiunctam, non potente natura breui eosdem superare, vti iam cum Galeno stabilitum est, & eam ob rem frequentiores naturæ motus requiruntur, vt causa morbifica tollatur. Sed & illud addere oportet, quòd etiam maximè obseruabitis in praxi, qui destillationibus sunt obnoxij, eosdem etiam in leuibus morbis difficulter curari, aliàs aliter mota materia, & eam ob rem, etiamsi à febre sint immunes, tamen ex leui causa iterum febricitare eosdem continget. Quare cùm destillationem haberet acrem, & salsam, non est mirum, si tam difficilè poterat ab affectu liberari; hæc enim ad venas vteri delabens mensium suppressionem fouere potest sæpissimè, quo retento sanguine, eodemque putrescente febrem accendere potuit, quod admodum facile est, neque erat præter rationem, etiam à capite ad venas circa hepar destillasse eandem materiam, & contumaciorem reddidisse febrem: solet enim destillatio varios parere effectus, prout variè defluit. Itaque non est mirum, si quæ materia faucibus adhærebat, eadem dolorem concitabat, & quoniam acris, & salsa ruborem, & columellæ reuulsionem faciebat: nam retrahitur columella, aut quia repleta humore contrahitur, vt vesica, si repleatur aqua, ipsa non eandem habet longitudinem, quàm priùs, quia præ copia intumescens breuior redditur, aut retrahitur, quia materia acris sit, & mordax, à qua veluti salita corrugatur, & hac de causa fuisse retractam in hac ægrotante puto, cognoscitur autem si est copia ex tumore: Cùm autem ex acri, & salsa fluxione reuellitur, tunc flaua, rubra, siccata, aspera, & facta exigua cernitur. Huiusmodi destillationes Hippocrat. appellat malignas 1. *in* 1. *epid. tex.* 27. & quia sunt malignæ, doloré inducunt, & ruborem, & inflammationem sua acrimonia, indicántque capitis calidam intemperiem. Non dissimile euenit iis, qui referuntur *in loco adducto. His,* inquit Hippocrates *fauces à primo dolebant, & cum inflammatione rubebant. Destillationes paruæ, acres, tenues, statímque marcescebant, ac affligebantur.* In cuius *comment.* hæc habet Galenus: *Nam quia malignæ erant destillationes, quæ à capite manabant, dolebant fauces; quòd verò ab ijs vellicarentur, ruborem, & inflammationem habebant, quia ipsa etiam calida destillatio, non erat mirum, si in Thaso præ cæteris tabescentibus, qui ita haberent, ad extremam deuenirent gracilitatem.* Esse calidas huiusmodi destillationes scriptum reliquit Hippocrates *lib.* 3. *Aphor. comment.* 12. Quo in loco triplex pituitæ genus constituit, acidæ vnum, salsæ alterum, dulcis tertium. Inest, inquit, & pituitæ generationi, vt quæ à forti fit frigiditate, vel paucam habeat dulcedinem, vel nullam manifestam habeat qualitatem. Quod idem legitur *lib. de multitudine cap.* 11. hunc in modum: *Ex cæteris pituitæ generibus vnum dulce, alterum acidum, tertium salsum. Fiunt quidem ex dulci, somnolenti, famelici, ex acida redundante, vti ex salsa, siticulosi.* Quibus verbis confirmat

fieri

fieri à calore salsam destillationem, quòd cùm ita esset, non est mirum si tantopere fauces fuerunt affectæ, quod in febribus acutis prauum esse vult Hippocrates 3.*progn.text.*15. Vbi ita legimus: *Fauces exulceratæ cum febre difficiles sunt, sed si aliud quoque signum est ex prædictis prauum, prædicendum quòd cum periculo morbus est.* Cum huiusmodi destillatione obiit Eurianactis filia, vt 2.*in* 3.*epid.text.*3. Et certè nulla destillatio est, quam æquè diligenter attendere debeat Medicus, ac destillatio salsa, à qua, vt quotidiana experientia testatur, citissimè marcescunt ægrotantes, etiamsi quæuis destillatio sit magni facienda, quando ad tabem tandem ducit Galeno confirmante 1.*in* 1.*epid. text.*17. his verbis: *Etenim quæ capitis destillationes tussim concitant hominibus, & raucedinem, neque tandem consistunt, alteram hæ tabis speciem generant; sunt autem duæ eius maximæ differentiæ. Vna ex illis, quas caput demittit, fluxibus constat. Altera, quæ ipsius malis pulmonis proficiscitur, omninòque postquam expuitur sanguis, potissimum vase rupto, sæpenumero etiam fluxione impleto viscere hoc, alia de causa, ex partibus aliis, non ex capite.* Notat doctissimus Vallesius vnum maximè memoria dignum, dum exponit textum *progn.* sic: *Ego testari possum me signum hoc magni facere, vidisséque multos, quibus febris ardens iam videbatur inclinare, cum hac affectione perire.* Quod accedit grauissimum, est fastidium quoddam maximum, adeò vt nihil possint accipere, sed potum etiam detestentur, quamuis exurantur in his coniectaui semper internas gulæ partes vsque ad ipsum ventriculum vlcere exedi.

[q] *Ad diem vigesimumseptimum febre erat libra, vrina sedimentum habuit latus nonnihil doluit.*] Non parum elaborauit natura in debellanda causa morbifica, quod sensim faciebat, quia præ humorum copia, & qualitate non potuit citiùs. Ecce hoc die fuit febre libera, cum vrina, quæ habebat sedimentum. An fortasse erat sublata suspicio? Nequaquam primùm, quia loquitur simpliciter.

[r] *Febre erat libera.*] innuens redituram febrem. Secundò, quia vrina habebat sedimentum, quibus verbis demonstrat fuisse meliorem, & coctam, non tamen perfectè. Præterea dolebat latus, quod erat indicium nondum bene fuisse dispositum corpus, qua ratione poterat expectari recidiua, vt contigisse videmus die trigesimoquarto, quo die iterum succensam febrem, & vehementissimam videmus, & non alia de causa, nisi quia haud multò post natura erat euacuationem molitura per aluum, quo tempore fiunt vehementissimi naturæ motus; & per consequens calor denuò succenditur.

Quod verum sit, subdit, [s] *aluum motam esse, & biliosa excreuisse.*] Hanc euacuationem crediderim ego fuisse satis insignem, & fortasse perdurasse ad diem quadragesimum vsque, quo die pauca vomuit biliosa: pauca iam maiore parte euacuata per aluum, & per vomitum etiam antea. Erant autem biliosa magis, quia bilis præ cæteris humoribus vomitu reiicitur, cuius humoris erat satis affluens. Quibus omnibus euacuationibus sequutis, tandem integrè iudicata est, die octogesimo.

[t] *Iudicata est, & ab igne liberata prorsus die octogesimo.* Inquit *prorsus*, vt fidum iudicium significet: Quòd si tandiu prorogatum est non est mirum, in tanta humorum copia, potius obseruandum potuisse superare humorum congeriem: nam tum ex copia, tum ex humorum malitia videmus per multum tempus vacillasse inter spem, & metum, & bene actum est cum ægrotante, quæ potuit morbum, alioqui grauissimum, euincere octogesimo die, qui dies decretorius est, vt Galenus *in comment.* & 1. *de diebus decret. cap.* 10. Et credo non esse putandum febrem eandem habuisse vim, quam priùs habebat, quia iam deciderat ex acutis, sed tamen iterum appellare ignem die trigesimoquarto, vt ostenderet adhuc vehementiorem fuisse, quàm dies permitteret: verum tamen est, quod maximè in praxi obseruare debetis, solere sæpissimè destillationes nouas inducere putredines; & ideò fit, vt qui morbus debuisset esse remissus; iterum inualescat, noua adueniente causa; Itaque etiamsi totus morbus videatur attingere diem quadragesimum, vt ita dicam, res non ita est, sed attinget tantùm septimum, aut paulò plus. Verùm vtcunque esset, conualuit prorsus, id est, sublata omnino causa peccante, nulla humorum reliquia existente, à qua recidiuare iterum posset. Quæ cùm ita sint, quoniam morbi diuturni maiorem requirunt diligentiam Medici in curando, & ægrotantium patientiam in sustinendo; propterea videamus, quæ conuenisset curatio huic ægrotanti, vt adueniente casu, aliis hanc curationem adaptare possimus.

Curatio.

IAm à principio dictum est duobus laborasse affectibus, vno particulari, altero vniuersali. Vterque istorum exactam requirebat diligentiam. Destillationi statim occurrendum, qui minantur tabem huiusmodi affectus. Neque febris erat negligenda, quia vis febris, euidens vitæ periculum, & certum minabatur, præsertim cùm causam haberet fouentem magnifaciendam. Ergo hic erat benè perpendendum quod magis vrgeret, vt ad id curatio dirigeretur. Sed quoniam, vt videmus, erant suppressi menses, quo tempore quantopere afficiantur, iam patet, ob id huic rei primum erat insistendum: nisi enim priùs reseremus meatus, vt sanguis menstruus ad vterum liberè feratur, morbos iam factos nunquam tollemus, ita Galenus *in lib. artis medicinalis cap.* 89. *Generaliter autem*, inquit, *si vnamquanque prius effectricem causam resciderimus, deinde verò ad illam, quæ est facta ægritudinem accedamus, causarum salubrium intensionem habebimus.* Itaque cùm suppressio mensium esset omnium, quæ passa est causa, eam ob rem hæc priùs tollenda, tanquam magis vrgens, cæteris affectibus minimè neglectis. Sic docet Galenus etiam 1. *ad Glauc. cap.* 14 his verbis: *Eodem modo, si duo morbi eundem hominem obsederint qui inuicem pugnantes habeant indicationes: nam & tunc quoque aduersus id, quod magis vrget, instandum est, neque alterum omnino negligendum.* Cùm igitur magis instaret suppressio mensium, tanquam causa omnium

omnium affectuum; etiamsi posset foueri, vti dictum est, à destillatione; tamen vtcunque esset, hæc erat potior causa omnium symptomatum, sine cuius ablatione alia tolli non poterant, & eam ob rem statim sanguinem ex partibus inferioribus extrahendum curassem: ita enim nihilominus funditur sanguis, attenuatur, & simul demimus de plenitudine, reuellimus à capite, & imitamur motum naturæ. Imprimis autem si aluus sua sponte non fluxisset: iniiciendum clysterem curassem: In hac autem videmus fuisse lubricam, vt potius esset attemperantibus clysteribus vtendum.

Diceris, cùm dolor cordis esset, & vteri, quod innuit, per muliebrium dolores, erátne incipienda curatio ab his, ne ex vi doloris virtus prosterneretur.

Vobis ita respondendum censeo, etiamsi symptoma, vt tale, nullam de se habeat indicationem, vt 12. *meth. cap.* 1. tamen quotiescunque vrget, tunc habet rationem causæ, & trahit ad se curationem. Ita videtis in dolorosa dysenteria Galenum iniicere per clysteres vnctuosa, quibus tamen vlcus exacerbari scimus, doloris autem vehementiam tunc spectat. Verba Galeni sic habent: *In dysentericorum deiectionibus, vbi vehementer rodunt, vel tragi succum, vel sebum hircinum, vel rosaceum ceratum per inferius indimus, quibus vtique præsidijs ipsa intestinorum exulceratio non sanatur, maximè si putredinosum aliquid habeant: sed vires interim conquiescunt.* Atque id est contra symptoma pugnare, morbo ad id tempus neglecto, quod symptoma dicitur per accidens curandi rationem mutare, habens rationem causæ. Tamen illud imprimis debetis in his casibus attendere, sequi hæc accidentia mensium retentionem; hanc autem faciebat obstructio, & hac de causa illa erat tollenda opportunis remediis propositis, quæ multa sunt, sed standum in iis, quæ obstructionem tollere poterant, neque febrem augere; inter cætera cichoreacea omnia erant ex vsu, agrimonium, capillus veneris, gramen, ex omnibus concinnato decocto, hoc autem animaduertentibus, vt ægrotantium gustui gratificemini, quia alij ex ægrotantibus, syrupis, alij decoctis, & præsertim qui ruri habitant, cùm non multùm seplasiariorum medicamentis delectentur, quia sæpissimè plus vendunt, quàm par sit, aliis alia placent, quod vos attendere debetis: medicamentum enim cum delectu assumptum, faciliùs retinetur, & maius præstat commodum. Quòd si nobiliores curare contingat, qui difficilè medicamenta admittunt, iis parabitis stillatitium, repleto capone ex iis, quæ proficua futura putatis, & extracta aqua vitreis organis, quo stillatitio pro syrupo vtuntur libentissimè. Quòd si his præmissis, adhuc perseueraret affectio, nouam tentassem euacuationem per sanguinis missionem ex infernis partibus, quò posset demi copia, & euacuatio irritari, ad virtutem respicientes, quam præ cæteris ante oculos habere debetis, non prætermissis omnibus reuulsionibus ex infernis partibus factis. Et his peractis, si cordis dolor, & vteri perseuerasset, nulla interposita mora, facta sanguinis missione, huic erat prouidendum. Sæpissimè vsus sum cum ægrotantis commodo omen-

to castrati, aut vituli in oleo liliorum alborum, aut cheirino, aut sem. lini calidis infuso, & regioni vteri admoto. Conueniunt etiam fomentationes ex artemisia, sambuco, matricaria, sem. anis. floribus anethi, & id genus aliis, iisdem in oleis iam dictis decoctis, & spongia imbuta fouere partem. Non inutile est etiam mel despumatum cum oleo laurino, nisi tamen inflammationis sit suspicio; præterea emplastrum quod reciperet *Axungiæ suis masculi sine sale ℥. ij. summitatum sambuci, foliorum matricariæ quantum sufficit, olei ex sem. lini ℥. ij. vitellorum ouorum num. II. misce, & ex omnibus fiat emplastrum*, habet enim vim & flatus discutiendi, & menses mouendi, quod spectat ad medicamenta externa. Interna, fuissent pessaria, ex succo mercurialis, maluarum: hi enim & menses prouocant, & dolorem leniunt, quemadmodum etiam & huiusmodi, qui recipiat *medullæ cruris cerui, & vaccæ, bdellij, croci, vitelli ouorum assi, fæcis olei liliorum alborum, singulorum partes æquales, simul misceantur, & vino, aut in hac muliere oleo rosaceo dissoluantur, & in vterum infundantur.* Ventriculi non mediocris cura habenda erat. Vtimur ad hoc præstandum fomentis, vnctionibus, linimentis. Fomentum hoc esto ℞. *galangæ, ligni aloës ana ʒ. ij. Caryophyllorum ʒ. ß. rosarum rubearum, P. j. Absinthij M. ß. florum labruscæ. P. ß. Balaustiorum P. j. contundantur contundenda, & decoquantur in vino nigro, & spongia imbuta in vino, regio ventriculi foueatur.* Hac facta fomentatione, poterat admoueri emplastrum emendans vitia stomachi, Galeni, aut emplastrum è crusta panis: aut huiusmodi linimentum. ℞. *olei nardini, mastichis, absinthij ana partes æquales, vt ʒ. ij. olei macis ʒ. j. olei spicæ g̃. iij. & cum cera fiat linimentum.* cauentibus tamen semper ab iis, quæ acutiorem habent odorem. Inunctio potest fieri ex iisdem oleis, si res exigat. Vigiliis vrgentibus conuenissent lotiones, embrocationes, odores: vt ℞. *violarum, corticum papaueris albi, seminum lactucæ, florum nenupharis, sem. maluæ, & altheæ, radicum mandragoræ, omnium ana M. ß. chamæmeli M. j. sem. basiliconis ʒ. j. coquantur omnia in duabus libris aquæ, vsque ad consumptionem tertiæ partis, & cum hac aqua fiat capiti embrocatio per horam ante cibum, aut fiat decoctio qua partes extremæ abluantur:* Vel ℞. *corticum papaueris albi ʒ. ij. violarum, nenupharis, sem. portulacæ, lactucarum, scariolæ an. ʒ. j. ß. corticum mandragoræ, vel pulueris pomorum eius ℈. ij. ligni aloës ʒ. ß. croci g̃. iij. puluerizentur omnia per se, & ligentur in petia, & odoret*, præstat etiam miscere cum cibis mucilaginem sem. papaueris albi. Hoc autem aduertere debetis, non admodum tuta esse hæc medicamenta in enixis, quibus suppressa est euacuatio, quia sanguinem longè crassiorem reddunt, & augent obstructionem. Itaque si quando his vti contingat, incipietis ab odoribus, postea ab vnctionibus cum vnguento populeonis, aut oleo violaceo, nenupharino, aut oxyrrhodinis ex lacte muliebri recenter mulcto, aut oleo violaceo, & id genus aliis. Sed & hoc perpendere debetis in iis, qui destillationes patiuntur, esse suspectum caput humectare, quia ingrauescit destillatio, & eam ob rem etiam in hoc eritis cauti. Ab internis medicamentis soporificis abstinete, quantum

tum fieri poteſt, ſemper tamen obſeruantibus vobis quæ magis vrgent. Et quoniam in longis morbis ſemper expedit attẽdere virtutem, propterea cùm perueniſſet hæc mulier ad vigeſimam, & apertè conſtaret prauè fuiſſe diſpoſitam, vt ex vomitu, & aliis apparet. Ego non fuiſſem veritus aliquod medicamentum exhibere leniter euacuans, vt materia diuerteretur ad aluum, quod facile factu fuiſſet, quia materia vtplurimum erat bilioſa, non tranſcendiſſem, quod reciperet *ſyrupi roſati ſolut.* ℥.ij.ß. *mannæ* ʒ.x.*lenitiui* ʒ.iij.*pul.ſem.citri* ℈.ij. *cum aqua betonicæ diſſoluto medicamento.* Semper curate in medicamentis amara miſcere, quia dulcia ſunt nocua, præcipuè in enixis. Nec poſtea deſtitiſſem à medicamentis deobſtruentibus iam propoſitis. Validiora habuiſſem ſuſpecta in tanto æſtu, quæ tamen actu calida aſſumeret, vt facilior redderetur via. Linguam humectaſſem collutione facta ex aqua endiuiæ, in qua mucilago ſeminum melonum eſſet diſſoluta, aut papaueris albi, qua etiam ad extinguendam ſitim poterat vti. Auribus ratione ſurditatis poterat inſtillari oleum amigdal. amararum. Lateri dolenti ſiniſtro hæc inunctio fuiſſet vtilis, quæ reciperet *olei amigdal. amararum, chamæmelini an. partes æquales, ammoniaci diſſoluti cum aceto.* ʒ.j.ß.*miſce,* quo linimento facto poterat inungi lien. Et quoniam fauces dolebant propter deſtillationem acrem, , & mordacem, à capite deſtillantem, gargariſmata ex vſu fuiſſent, quæ reciperẽt *Iulep roſati* ℥.j.ß.*aquæ endiuiæ, violarum an.* ℥.ij.*miſce, pro gargariſmate.* Vel *ſaccari roſati optimi* ℥,j.*aquæ hordei* ℥.x. *vel plantaginis.* Vel ℞.*vini granatorũ acido-dulciũ* ℥.ij.*aquæ hordei* ℔.ß.*miſce pro gargariſmate.* Morſuli diacodiõ, diatracachãti frigidi non aſpernẽdi: quòd ſi pro muliere eſſent dulces, poterat attemperari dulcedo miſtione pulueris ſem. citri. Vel ℞. *ſem. papaueris albi* ʒ. j. *pul. ſem. citri* g̃. iij. cum ſufficienti quantitate ſaccari morſuli poterant præparari, quos in ore teneret, ad intercipiendam fluxionem, & craſſiorem reddendam. Animaduertendo non eſſe ſufficientem vnicam euacuationem in morbo tam diuturno, niſi fortaſſe aluus ſua ſponte reddidiſſet excrementa. Quòd ſi fuiſſet per interualla adſtricta, ego infudiſſem in aqua, aut decoctione ſyrupi, rhabar, opt. ʒ.j. per noctem, manè concinnato ſyrupo exhibuiſſem, ſingulíſque quatuor diebus, ſi nihil obſtaſſet, aſſumeret: cauentibus nobis dies decretarios, quidquid alij dicant, quia in his diebus ſolet natura criticè, aut ſymptomaticè mouere: quocunque modo fiat, periculoſum eſt, ſi à Medico etiam irritetur; modò tamen ea non eſſet vis morbi, quæ non expectaret tempus, vt fit aliquando in morborum initiis, nullo exhibito medicamento, morbo ingraueſcente. Poſt iudicium integrum, ego expurgari curaſſem corpus, ne iterum recidiuaſſet. Itaque nullo impediente medicamentum dediſſem potandum iam ſuprà ſcriptum. Verùm quia iam vobis compertum eſt omnia irrita eſſe in morbis ſine conuenienti victus ratione, in hoc præcipuè morbo exacta debebat eſſe, & hoc ſemper ante oculos habebitis, ſolere multas enixas mori, aut periclitari propter prauam victus rationem: verentur enim ſemper mulieres, ne fame emacientur, cùm tamen eo tempore indigeant alimentis optimi ſucci, &

in pauca quantitate, cùm ſcateant prauis humoribus, & hoc animaduertite, quia non rarò mulieres aſſiſtentes ſunt Medico dedecori, rebus malè ſuccedentibus, quia vobis peſſimus euentus adſcribitur, non mulieribus. Quare ſtatim ac inuiſiſſem ægrotantem, ſi in principio erat morbi, oportebat primis quatuor diebus tenuem imperare victum, vt materia craſſior poſſet attenuari, veluti fuiſſet contuſum carnis pulli, aut capi, ſed in modica quantitate: contuſum enim carnis vituli non multùm mihi placet, quia ſemper habet aliquam craſſitiem adiunctam, panis tritus in optimo iure. Progrediente tempore paulò craſſior poterat admitti, reſpicientibus nobis virtutem diu laboraturam. Pòſt poterat exhibere contuſum carnis pulli, ſed in maiori quantitate, ad vncias ſeptem, vel octo, ſed tamen non admodum ſpiſſum; circa veſperas minus alere erat perneceſſarium. Poſtea oua ſorbilia, ſed recentiſſima dediſſem, neque veritus eſſem eorum opinionem, qui hæc prohibent, præſertim in menſium ſuppreſſione, quaſi valentem habeant adſtringendi facultatem, quod tamen aut ipſi ſomniarunt, aut aliter Auctoris textum expoſuerunt. Neque Aëtium hoc dicentem inuenio *lib. 2. ſerm. 2. cap.* 134. Ibi tractat ex profeſſo de ouis, neque adſtringendi facultatem habere dicit, vt poteſtis videre. Auicenna ita de ouis habet. In ipſis eſt ſtypticitas, & propriè in vitello eorum aſſato, quod nemo negabit: variat enim alimentum pro ratione cocturæ, ſed inter cætera Galenus *lib. 3. de alit. facult. cap.* 22. oua commendat, hæcque aluum mouere pro ratione cocturæ admonet ſic. Ad nutriendum omnium ſunt præſtantiſſima tremula, ſorbilia minus nutriunt, ſed faciliùs ſubducuntur, & faucium aſperitates læuigant. Neque ſic ſcribit oua aluum ſiſtere, & fluxiones intercipere. Quòd ſiquis reſponderet Galenum prohibere oua ſenibus, quia ſuccum craſſum, & lentum faciant, ſtatim etiam animaduertetis modum loquendi ipſius Galeni: nam quando ipſe oua ſenibus interdicit, non intelligit de ſorbilibus recentibus, ſed de inueteratis, aut induratis, quando illa comparat caſeo, farro, cochleis, & aliis rebus, quæ craſſæ ſunt: neque enim cùm de ouis loquitur, hæc dicit de recentibus ſorbilibus, aut tremulis, quæ ſenibus, & omnibus conuenientiſſima ſunt, quoniam reficiunt vires. Hoc vnuſquiſque apertiſſimè videbit *in lib. 5. de ſanit. tuenda cap. 6.* Neque meo iudicio, ſi adſtringentem facultatem ouis tribueret, eadem rebus adſtringentibus præpararet, quotieſcunque vult aluum ſiſtere, ſi ita natura adſtringerent. Exhibet quidem ad ſiſtendam aluum, ſed quomodo, audite verba Galeni *lib. 11. de ſimpl. medicam. pag.* 81. Porrò, inquit, ouum fluxiones ventris deſiccat: at quomodo? in aceto coctum. Subdit. At ſi etiam quippiam eorum, quæ ad dyſenteriam, aut cœliacum affectum conueniunt adiunxeris, atque in igne modico, fumíque experte, qualis eſt, qui ex prunis conſtat, frixeris, edendúmque ita præbeas, non minimè ſanè laborantem adiuueris. Itaque videtis, quomodo ſint paranda oua ad ſiſtendum fluxum. Hoc remedium mulieribus admodum eſt familiare: nam illæ in alui fluxibus vtuntur ouis ſub cineribus, aut aqua coctis, induratis, & cum aceto præbent. Neque me mouet auctoritas Hip-

pocratis desumpta *ex 4.acut.text.113.* Vbi Galenus inquit, *oua esse crassi succi:* nam ibi Hippocrates dicit, oua semiconcreta assa edat. Quis negabit oua in hunc modum parata esse crassi succi. Non loquitur ibi Hippocrates simpliciter, sed dicit, oua semiconcreta assa, hæc proculdubio sunt crassa: neque enim sunt intelligenda sorbilia, aut tremula. Quòd si Galenus videtur simpliciter dicere oua esse crassi succi *in comment.* sunt intelligenda verba Galeni, tanquam exponentia textum Hippocratis Itaque quando dicit, *oua autem sunt crassi succi:* id est, oua ab Hippocrate in textu descripta, & hoc nemo ibit inficias. Quæ cùm ita sint, non video, quomodo Prosperus Martianus ita Hippocratis sensum vertat *in comment.2.text.156.ad lib.de morbis mulierum*, vt putet oua exhiberi ab Hippocrate sorbenda in larga mensium euacuatione, quia sistant aluum, sed dicerem ideo commendari, quia in quacunque larga euacuatione virtus debilitata indiget instauratione, quam maximam faciunt oua, sine naturæ aggrauatione, cùm celerrimè pertranseant, & multæ sint qualitatis, & paucæ quantitatis, vt dicit Galenus 8.*meth.cap.*2. Verùm neque indiscriminatim ouis esse vtẽdum dicimus, quia oua considerantur penes tempus, penes cocturam, & penes ortum, quæ omnia prætermitto libenter, tum quia Galenus, Aëtius, Auicenna *in locis adductis* satis distinctè, & clarè loquuntur, tum etiam, quoniam rem hanc etiam habetis à doctissimo Siluatico Medico Mediolanensi, qui meis temporibus, quo tempore scilicet ad Medicinæ studium incumbebam, practicam Medicinam ordinariam vespertinis horis primo loco profitebatur in hoc Tycinensi gymnasio *in suis controuersiis lib.*11.*cap.*11. Vos igitur sine timore in febribus vtimini ouis, neque disputate, quo tempore medendum est, & vobis scripsi loca, quæ videbitis, vt vestram opinionem tueri possitis aduersus eos, qui adolescentum sunt inimici, & si quid ipsi sentiunt, illud bonum esse volunt, alia, nihil, immò mirantur si adolescentes aliud sentiant, cùm tamen ipsis meliùs sentiant; & increpant, neque recordantur amplius fuisse iuuenes. Decentissimum est, qui seniores sunt, iuuenes pro filiis habere, & etiamsi in aliquo malè senserint, tueri, corrigere, sed amicè: non vt faciunt aliqui, qui vix limina Medicinæ degustarunt, qui iactabundi sunt adeò, vt apud ipsos Galenus nihil sit, Medici omnes, nulli. Detrahunt hi libentissimè famam, modò huic, modò illi, quibuscum tamen si loquaris, vix audent hiscere, nihilominus, si cum vulgo loquantur, plusquam Medicos seipsos profitentur. Res indigna viro nobili. Cognoscuntur homines eruditi ex sermone, non ex famæ alienæ detractione. Vos igitur istos nihili facite, dum Galenum pro vobis loquentem habebitis, sed veniamus ad hanc ægrotantem.

Oua ex vsu erant, modò haberentur recentissima, & tremula, aut etiam sorbilia. Succus carnis assæ. Aqua carnis in morbo diuturno vtilis est. Aliquando etiam expedit morsulos concinnare hunc in modum: ℞. *pulpæ caponum, aut etiam perdicum, aut phasianorum, pro personæ qualitate* ℥.iiij. *pinearum in aqua calida præparatarum* ℥.j. *pistachiorum* ʒ.vj. *saccari optimi* ℥.iiij. *aquæ capill.veneris* ℥.j. *aquæ rosf.q.s.fol.auri n.ij.fiant*

morsuli, quibus possunt vti ægrotantes in diuturno morbo ad virtutis instaurationem. Quod spectat ad vinum, ego quidem nullo modo concessissem vinum, etiamsi videretur à febre libera: nam sæpissimè contingit, vt eodem permisso, ægrotans liberaliùs vtatur, cum ipsius detrimento, quod postea non confitentur ægrotantes, si malè succedat, sed potius omnia referunt in Medici culpam. In ægris autem, qui Medico sunt obtemperantes in iis potest Medicus liberaliore vti victus ratione in chronico morbo; & sic cùm refracta est vis morbi, potest Medicus admittere, vt panis frusto in aqua priùs madefacto, portio vini super aspergatur, & cum modico saccari sumant. In hac autem ægrotante fortasse semper fuisset suspectum vinum, quia febris fuit per totum tempus satis valida, præter id quod destillationem patiebatur acrem, & mordacem. Si plura vultis, legite Siluaticum *lib. 12. controuersiarum cap. 12.* Quo in loco disputat in vtramque partem, an vinum in febribus sit exhibendum, & quomodo, quod ex eodem haberi potest, nec est, vt eadem scribam. Vice vini pro aqua cocta concedi poterant iura mediocriter cocta, nimirum ex carne semicocta, cum seminibus anis. aut coriandrorum; aquæ stillatitiæ ex buglosso, boragine: stillatitium carnis, aqua carnis per interualla: fuissent hæc omnia vtilia ad virtutis custodiam. Quòd si trigesimoquarto die aluus fluxit, alia non erat opus euacuatione, si modò illa per aluum facta, erat pro ratione morbi. Post integram morbi solutionem, si adhuc extarent humorum reliquiæ; (quod quomodo cognoscatur, iam *suprà* demonstratum est cum Galeno) vt recidiuam euitaret, tutius fuisset purgationem iterare hunc in modum paratam: ℞. *rhabar. opt.* ʒ. j. ß. *infundatur secundum artem in s. q. aquæ agrim. per noctem. Facta expressione, & colatura, adde mellis ros. solut. syr. ros. solut. an.* ℥. ij. *lenit. aut diacat. an.* ℥. iij. *fiat potio.* Neque inutilis fuisset agarici infusio, quod medicamentum maximè in affectibus vteri commendatur, & sensim poterat procedere alterando, sensim euacuando, hócque vos seruare debetis in morbis longis, præcipuè quando aluus est adstricta. Et quoniam in morbis diuturnis ventriculus patitur non mediocriter, eam ob rem, cautio erat in hoc adhibenda, vt istius partis robur seruaretur medicamentis internis, & externis. Internis, conserua florum boraginis, rosarum, florum cichorij, etiam conserua absinthij Pontici minus æstuante tempore, morsulis diarrhodon Abbatis. Externis iam dictis, in vteri affectibus, quando scilicet mulieres patiuntur passiones hystericas, quod frequentissimum est in iis præsertim, quæ minùs bene expurgantur, laudassem per interualla morsulos in hunc modum paratos. ℞. *pulueris fol. hyppoglossi* ʒ. j. ß. *agarici recenter trochiscati* ℈. ij. *castorei opt.* ℈. ij. *saccari optimi in aqua matricariæ dissoluti* ℥. iiij. *fiant tabulæ paruæ ad formam lupinorũ.* Non febriẽtibus euidens iuuamentum afferunt. Si postea velitis scire, cur affectiones vteri dicuntur affectiones hystericæ, ad hoc respondet Aëtius *lib. 4. ser. 4. c. 1.* sic: *Vocatur hystera, quòd posterior situ sit omnibus visceribus.* Itaque idẽ est dicere mulierem affici hystericis doloribus, ac doloribus vterinis, quoniam hysterica passio ad vterum, tanquam ad radicem pertinere, vel maxime

ximè

ximo argumento eſt, quod & ſolis viduis, & iis, quibus menſtrua ſupprimuntur huiuſmodi affectus euenire conſueuerunt, dicebat Galenus *lib.6.de locis malè affectis cap.5*. Nec volui addere, quia vobiſcum loquor adoleſcentes. Reliquum modò erat, vt caueat, ne plus appetens, vt ſolent conualeſcentes, plus iuſto comederet, quia recidiuæ præſtant cauſam. De Alexipharmacis nihil dico, quia ſtatim erant danda, vti iam in ſuperioribus dictum eſt. Et hæc ſufficiant pro præſenti Hiſtoria.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΚΤΟΣ.



ΚΛΕΟΝΑΚΤΙΔΗΝ, ὃς κατέκειτο ἐπάνω τοῦ Ἡρακλείου, πῦρ ἔλαβε πεπλανημένως. ἤλγει δὲ κεφαλὴν ἐξ ἀρχῆς, καὶ πλευρὸν ἀριστερόν. καὶ τῶν ἄλλων πόνοι, κοπιώδεα τρόπον. οἱ πυρετοὶ παροξυνόμενοι, ἄλλοτε ἀλλοίως ἀτάκτως. ἱδρῶτες, ὅτε μὲν, ὅτε δ' οὔ. τὰ μὲν πλεῖστα ἐπεσήμαινον οἱ παροξυσμοὶ, ἐν κρισίμοισι μᾶλλον. περὶ δὲ εἰκοστὴν τετάρτην, χεῖρας ἄκρας ἐψύχετο, ἤμεσε χολώδεα, ξανθά, ὑπόσυχνα. μετ' ὀλίγον δὲ ἰώδεα. πάντων ἐκουφίσθη. περὶ δὲ τριακοστὴν ἐόντι, ἤρξατο ἀπὸ ῥινῶν αἱμορραγεῖν ἐξ ἀμφοτέρων, καὶ ταῦτα πεπλανημένως κατ' ὀλίγον μέχρι κρίσιος. οὐκ ἀπόσιτος δὲ, οὐδὲ διψώδης παρὰ πάντα τὸν χρόνον. οὐδὲ ἄγρυπνος. οὖρα δὲ λεπτά, οὐκ ἄχροα. περὶ δὲ τεσαρακοστὴν ἐών, οὔρησεν ὑπέρυθρα. ὑπόστασιν πολλήν, λίην ἐρυθρὴν ἔχοντα.

ÆGROTVS VI.



CLEONACTIDEM [a], *qui ſupra Heracleū decumbebat, ignis corripuit errans.* [b] *A primo die caput ei, & ſiniſtrum latus dolebat,* [c] *cæteraq; laborabant perinde, ac laſſa:* [d] *febrium acceßiones aliàs aliter inordinatæ erant:* [e] *modò ſudabat, modò non:* [f] *ferè acceßiones inuadebant diebus decretorijs maximè.* [g] *Circa diem vigeſimumquartum extremas manus dolor affecit: vomuit flaua, bilioſa, plura, & paulo poſt virulenta: ſunt cuncta remiſſa:* [h] *Ad diem trigeſimum ex vtriſque naribus prorumpere ſanguis cœpit, id eſt inconſtanti ordine paulatim vſque ad iudicium:* [i] *non abhorrebat à cibo, nec ſitibundus erat toto tempore,* [k] *neque inſomnis: vrinæ tenues, non decolores.* [l] *Ad diem quadrageſimum ſubrubra minxit cum rubro ſedimento multo: leuiùs habuit.*

Pòſt

ἐκουφίσθη. μετὰ δὲ ταῦτα ποικίλως τὰ τῶν οὔρων, ὅτε μὲν ὑπόστασιν εἶχεν, ὅτε δὲ οὔ. ἑξηκοστῇ οὔροισιν ὑπόστασις πολλὴ, καὶ λευκὴ, καὶ λείη. ξυνέδωκε πάντα. πυρετοὶ διέλιπον. οὖρα λεπτὰ μὲν, εὔχροα δέ. ἑβδομηκοστῇ ἄπυρος διέλιπεν ἡμέρας δέκα. ὀγδοηκοστῇ ἐπερρίγωσε. πυρετὸς ὀξὺς ἔλαβεν. ἴδρωσε πολλῷ. οὔροισιν ὑπόστασις ἐρυθρὴ, λείη. τελείως ἐκρίθη.

Post variarunt vrinæ, interim ſedimentum habebant, interim non [m] *Sexageſimo multum habebant vrinæ ſedimentum album, & læue: omnia ſunt remiſſa,* [n] *febres intermiſerunt, vrinæ iterum tenues quidem, ſed boni coloris.* [o] *Die ſeptuageſimo febris intermiſit decem dies. Octogeſimo riguit, acuta febris inuaſit, multùm ſudauit: vrinæ ſedimentum rubrum, læue habuerunt:* [p] *prorſus iudicatus eſt.*

COMMENTARIVS.

QVANTVM ex textus verbis elicitur, acutè quidem febricitauit hic ægrotans, ſed non valde acutè: neque enim erant grauia illa ſymptomata, quæ alij ægrotantes ſic affecti ſolent experiri. Præcipuè id commodi habuit, quod nunquam abhorruit à cibo, neque fuit ſitibundus. Cauſa ſimplex non erat, tum quia inordinatè mouebatur, quod ſequitur ad humoris varietatem, tum etiam, quia ex vomitu apparet quidem fuiſſe bilioſum humorem: at illud, non fuiſſe ſitibundum, denotat materiam non æquè bilioſam, ſed miſtam extitiſſe. Præterea dolor capitis, & ſiniſtri lateris idem ſignificant. Productus eſt morbus vſque ad diem octogeſimum, hac de cauſa, quia multi humores crudi erant, qui nonniſi longo tempore poterant euinci. Non fuit in vrinis periculum aliquod, niſi ex longitudine: nam erant tenues: Requirebatur tamen in hoc ægrotante, perinde ac in antecedenti virtus valida, qua poſſet longum laborem ſuſtinere. In cæteris nihil erat, quod ruinam minaretur. Dicta vt confirmentur exactiùs, quæ ſcribit Hippocrates examinemus.

[a] *Cleonactidem, qui ſupra Heraclium decumbebat ignis corripuit errans.*] His verbis aperit ideam morbi, & cauſam. Nam, dum, inquit, fuiſſe ignem, vehementiam febris denotat, quam acutam ſignificat, dum verò addit, *Errans*, cauſam ob oculos ponit. Dicuntur autem errantes febres, quæ nullam habent determinatam periodum, vt *in comment.* Galenus ait, pendéntque ab humorum varietate, quorum qualitatem cognoſcimus ex accidentibus, & etiamſi dixerim adfuiſſe humorem pituitoſum, & bilioſum, cùm vtriúſque ſint indicia non obſcura, neque propterea excludo humorem melancholicum, à quo præcipuè febres erraticæ

raticæ ortum ducant ex communi omnium consensu; & ideò, credo, dicebat Hippocrates 3.*in* 1.*epid. text.*17. enumerans febres erraticas, sic: *Præterea errantes febres, quartanæ, quintanæ,* quasi velit significare ab humore melancholico fieri febres errantes, quod clariùs meo quidem animo nos docet idem Galenus *in lib.*3.*progn.comment.*27. Textus sic habet: *Oportet autem talem expectare abscessum per febrem continuam: in quartanam verò esse discessuram, quoties intermittat, prehendátque errabilem modum, atque ita agendo autumnus propinquet.* Galenus post multa: *His igitur ita habentibus, quoties febris fuerit continua, quod est non desinens ad infebricitationem, ad eiusmodi abscessus vertitur diutius immanens: at si intermittit, atque idipsum potissimum euenit per æstatis finem, verti morbum ad circuitionem quartanam ratio est.* Quantum enim humorum ferbuit æstiuo tempore per febres continuas, ac desiit in atram bilem, quodammodo restinctum est, proindéque calore febrifico æger vindicatur, maximéque quoties sudores superueniunt. Sed si non antea natura quodammodo excernat veluti cinerem vehementer assatorum humorum, hic rursus permanens in corpore, & calescens, putrem quandam recipit affectionem, ídque quoties ei accidit, feruendo excitat febrem, à qua rursus eueniente, sudore pariter cum eo, quod ferbuit atræ bilis euanuit: tum rursus aliæ reliquiæ feruentes, rursus aliam excitant febrem. Ceu igitur nondum vnam habeat corpus affectionem, sed atra bilis in quibusdam partibus iusuper moueatur, in quibusdam immota maneat, in aliis putreat, aut feruere incipiat, inordinatas fieri febres necesse est. Ecce igitur, quomodo ab humore melancholico inordinatæ fiunt febres: Dicuntur postea inordinatæ multis de causis: nam vel dicuntur inordinatæ, quia erratico modo apprehendant, vel quia etiamsi semper affligant, modò die, modò nocte molestiores sunt, quas non habemus omninò continuas, sed quandoque diem vnum intermittunt, ita vt æger omnino à febre videatur liber, quandoque etiam bis in diem videtur ægrotantem relinquere. Sed neque nego propterea fieri etiam à materia pituitosa mista cum materia melancholica, & biliosa aliquando, quod innuit Galenus *in comment.* dum ait: *Illæ siquidem ab humorum diuersitate, qui morbos pariunt concitantur,* quibus addit Hollerius *in lib.* 1. *Coacarum text.* 39. *comment.*2. πλανώδεες autem erraticæ sunt, quæ omnem rationem formæ, & circuitus febrium perturbant, vt modò tertio quoque die, modò quarto, interdum quotidie, nullo ordine inuadant: variant enim, & multiplici materia, eáque inæqualiter putrescente, & mota constant.

[b] *A primo caput ei, & sinistrum latus dolebant.*] Non est nouum caput in huiusmodi febre doluisse, vt vidimus in aliis, & etiam obseruamus in dies, etiamsi aliqui inueniantur, qui caput adeò firmum habent, vt quamuis grauiter febricitent, tamen ne minimum capite doleant, hoc autem paucis est concessum. Quòd postea doleret latus sinistrum, hoc non intelligerem de costis veris, sed de mendosis, in regione scilicet lienis fuisse dolorem, quod facilè fit in febribus erraticis, præcipuè si anteà corpora propter prauam victus rationem, vitiosis scateant humoribus,

sæpissimè etiam fit, vt autea lien intumescat his, quia adueniente febre dolet, calore agente in materia crassa, neque putarem ego vehementem fuisse dolorem, cùm neque extussiuisse scribat, neque amplius de hoc dolore mentionem faciat: solet enim Hippocrates vrgentia symptomata semper magnifacere. Verisimile igitur est dolorem fuisse leuem, cùm materia peccans esset potiùs crassa.

c *Cætera laborabant, perinde ac lassa.* Lassitudo duas habet causas, internam, & externam. Externa omnibus nota est; veluti si quis ex nimio motu fuerit defatigatus, aut aliquam largam euacuationem fuerit passus, qua virtus potuerit reddi imbecilla, tunc excalfacti articuli, & siccitate debiliores facti non sustinent molem corporis. Interna, & ipsa duplex est: nam vel sunt humores quantitate peccantes, vel qualitate, quia sint maligni, & hæc lassitudo periculosa est, aliquando etiam lethalis, ideò dicebat Hippocrat. *lib. 2. Coacar. text. 19. comm. 2. Qui præter rationem, nulla existente vasorum euacuatione impotentes fiunt, malũ.* Hinc debet Medicus in his casibus considerare robur naturæ, & optimè attendere, quantum possit natura in morbo, qui etiam sit salutaris, & an morbus, & natura æquè pugnent, ita vt nondum salutis, aut mortis certus sit euentus, neque certum sit remediorum consilium: nam, si quando contingat ægrotantem esse desperatum, aut abstinet à remediis, aut placidiora adhibet, ne omnino ægrotantem sine remediis relinquat, si verò virtus valeat, statim Medicus naturæ se coniungit, vt morbum depellat. Quomodo cognoscamus virtutem esse validam, aut imbecillam, apertissimum est id non assequi Medicum, nisi ex facultatibus tribus, quæ corpus nostrum gubernant, sed primo ex vitali, & naturali, postea etiam ex animali. Quare si quando contingat, vel naturæ ope, vel ex morbi vi, vel medicamento ægrotantem eò esse redactum, vt pulsum habeat languidum, & faciem Hippocraticã dictam, certè deterrimum esse ægrotantis statum iudicabit Medicus, sed tamen minus malum censebit, si pulsus sit imbecillus propter causam manifestam, nimirum propter aliquam largam euacuationem, quàm si nulla euidens causa præcesserit. Quòd si id fieri contingat etiam à causa interna, neque statim deplorandus est casus iste, quoniam si fiat à copia minùs mala, quàm à malitia humorum: illi enim, euacuatione prouidemus; huic autem non tam facilè, cùm sæpissimè hominem tollat. Sed & hoc pariter animaduertere debetis non statim, ac inuenitur ægrotans cum vitali facultate languida, propterea moriturum ægrotantem censendum esse, cùm pro temperaturarum varietate, varij reperiantur esse pulsus: fallaces quidem sunt, & fallacissimæ rei credimus, dicebat Celsus: Hoc igitur vt assequamur certiùs, expedit ægri naturam habere perspectam, & pulsus naturales cognouisse priùs, quàm in ægritudinem inciderint, quia sunt qui ita obscuros habent pulsus naturaliter, vt vix percipiantur, positque Medicus quisque decipi, illo excepto, qui naturales pulsus habet familiares: Ex pulsus tactu Medicus instituit medicamenta; quòd si languidos esse inueniat, abstinet à sanguinis missione, à medicamentis, & tandem, neque leuia adhibere medicamenta

dicamenta audet, etiamsi morbus id requireret, at si tales esse naturaliter sciat, non veretur morbo occurrere opportunis medicamentis. Hoc quod dico attendite diligenter, quia inuenietis sæpissimè aliquos, qui inæquales habent pulsus, alios, quibus in carpo non persentiuntur, vt erant pulsus Eminentissimi Ducis Bouini, & cuiusdam mulieris, quos tetigi sæpiùs ego, alios habebitis, quibus apparentes erunt pulsus in vno brachio, in altero erunt occulti, & eam ob rem hoc obseruate diligentissimè, quia res est non negligenda. Hoc apertissimis verbis monet Galenus, & pulcherrimè *in lib.2.de præsagit.ex pulsibus, cap.*11. dum hæc habet post multa: *Quamobrem sæpenumero dixi, nihil perinde facere ad dignoscendos pulsus, vt pulsus natiui, quam quisque habet notitiam.* Legite totum caput, ex quo elicietis scitu digna; hîc non pono, quia nimis esset longum omnia referre. Quare esse aliquem lassum non statim lethale est, sed considerandа causa, propter quam id fiat: si enim ab euacuatione ita res eueniat, causa est euidens, propterea minus malum, & ideò dicebat Hippocrates 1.*progn.text.*8. Si igitur inter initia morbi talis fuerit vultus, nec dum scrutari aliis signis possibile sit, interrogare oportet, num vigilauerit homo, an aluus resoluta admodum fuerit, an fame affectus. Et si quid horum comprobet minori cum periculo est, si verò nullum horum dixerit, signum exitiosum esse censendum est, quia si à causa externa id prouenit, facilè emendatur, sed si à causa interna, aut permanebit talis, aut deterior erit. Videtur hoc non dissimile ab eo quod legitur 2. *lib prorrhet.text.*6. his verbis: *Quæ propter vasorum vacuationem contingunt impotentiæ infirmitatésque, non existente vasorum vacuatione, malæ.* Quibus subdit Galenus: *Quod dicitur, neque obscurum est, neque ipsius causa inuentu est difficilis, nempe quod dicitur tale est. Inualidos, languentésque in operationibus, sicuti plurimum vacuatos in periculo esse existima, si nulla in ipsis sit facta insignis euacuatio: nam si virtus sine vlla manifesta vacuatione imbecilla fuerit, grauantem ostendit copiam, vel vnius principiorum intemperiem.* His sic habitis, cùm lassitudo fiat à causa externa, & interna, quomodo omnia laborabant perinde ac lassa, id est, quomodo sentiebat corpus ita debilitatum, vt si ex longo labore fuisset lassum? A causa externa ita fuisse affectum non est dicendum, quia solet Hippocrates recensere, vt fecit in Sileno, & aliis: Relinquitur igitur vt dicamus à causa interna id prouenisse copia, non malitia multa peccante. Rem ita esse confirmant euacuationes sequutæ, quæ per omnes partes tentabantur, per cutim, per os, per nares: nam sudauit, vomuit, sanguis erupit è naribus: cùm autem tot euacuationes à natura tentantur, grauari certissimum est, quo tempore conatur se à copia eximere, & etiamsi aliquando possit irritari à mala qualitate, tamen nunc fuisse copiam ex eo coniecto, quod ab euacuationibus sequebatur commodum, & quoniam in primis verbis dixit febrem fuisse erraticam, demonstrat quomodo fuisset erratica, dum subdit:

[d] *Febrium accessiones aliàs aliter inordinatæ erant.*] His verbis longitudinem morbi nobis ob oculos ponit, quia breui non potest humorum

varietas superari, & euinci, dicuntúrque errantes, quia modò vna hora, modò alia inuadunt, vt hæc febris, quæ tamen ordinata erat, quoad dies, cùm diebus decretoriis id fieret, quo tempore solet natura semper mouere, vt Galenus inquit *in comment. suprà citato* 17. sic: *Errantes singulas accessiones habent inordinatas: verùm signis tamen, quæ decretoriys diebus animaduertuntur, illarum præscitur iudicium.* Has febres diuturnas esse idem Galenus statuit 2. *in* 1. *epid. comment.* 22. in illis: *Errantes diuersorum humorum soboles esse ostensum est.* Nec quicquam habet admirationis, si hæ febres longæ fierent.

[e] *Modò sudabat, modò non.*] Quemadmodum accessiones inordinatè inuadebant, ita euacuationes erant inordinatæ, & propterea modò sudabat, nimirum in fine accessionis, modò non, quia accessiones non fiebant nisi in diebus decretoriis, & hac ratione, illo tempore excepto, non sudabat. Aut dicamus prouenisse hoc propter humoris euacuandi dispositionem, quia, cùm materia esset mista, alia tenuis, alia crassa, motus sequuntur inordinati. A primo die, deuenit ad diem vigesimumquartum, neque est dicendum non inuisisse ægrotantem, quia, vt videmus, erat Hippocrates diligentissimus omnium obseruator, sed aliorum dierum non fit mentio, quia nihil contigit maiori obseruatione dignum: si enim non obseruasset, non diceret,

[f] *Ferè accessiones inuadebant diebus decretoriys maximè*,] Quæ verba denotant diligenter obseruasse omnia, sed cùm nihil noui euenisset, prætermisisse, veluti & nos aliquando interrogati, quomodo sit ægrotantis status, dicimus, perinde se habere, dum in eodem statu persistit affectus. Cùm igitur nihil noui euenerit vsque ad diem vigesimumquartum, non enumerauit dies, vt facit modò, quoniam noua superuenêre accidentia, vt denotant hæc verba.

[g] *Circa diem vigesimumquartum extremas manus dolor affecit.*] Est *in Coacar. lib.* 1. *text.* 30. *comment.* 1. scriptum sic: *Conuulsio in febre, manuum, pedúmque dolor, maligna sunt.* Verùm, res aliter suadet quando euentus aliter demonstrat, cùm ab his, quæ est passus, cuncta fuerint remissa, & propterea nullo modo dicendum sit, indicium fuisse malignitatis, doluisse has partes. Hoc symptoma potest esse à causa externa, si quando contingat ægrotantem minus benè dormire, & potest prouenire à lassitudine, siue spontanea, siue non, vel à conuulsione, vt resiccatis neruis, vel à natura operante sponte, vel irritata, vel criticè, vel symptomaticè. Criticè, quando materia febrilis relictis partibus internis, decumbit ad pedes, & ad manus. Symptomaticè, quando à copia, vel materiæ malignitate id fit: tunc potest materia diffundi in eas partes, manente nihilominus in corpore materia maligna, & hoc admodum perniciosum est, vt Critoni contigisse videbimus: si enim materiam illam intrò recurrere contingat, grauia infert accidentia, cerebro non parum patiente, si non recurrat ad internas partes, nihilominus à parte illa, in quam sese insinuat, non potest tota excipi. In hoc ægrotante non fuerunt maligni dolores illi, sed potiùs critici; nimirum erat natura euacuationem

tiem haud multò pòst molitura per vomitum materiæ biliosæ, & multæ; quod vt commodè præstaret, validiori indigebat motu, vt à se expelleret, quæ molesta erant: quoniam verò materia erat & biliosa, & virulenta patiente ore ventriculi, & per communicantiam patiebantur manus, quia scribit Hippocrates *in lib. de alim. Consensus vnus, conspiratio vna, consentientia omnia.* Quòd si affecto vtero, & manus, & aliæ neruosæ partes trahuntur in consensum, & coafficiuntur, idem potest euenire affecto ore ventriculi. At cur extrema manuum, & non tota manus. An, quia extrema manuum sunt calllosiora, lato, crassóque tendine corroborata, quo fit, vt qui feruntur vapores, difficiliùs resoluantur, & hac ratione etiam in hepatis ardore solent hæ partes reddi calidiores, quàm partes intermediæ. Naturam haud multò pòst fuisse tentaturam euacuationem patet ex euentu, quia euomuit multa, biliosa, flaua. Hæc euacuatio denotabat magnam hepatis phlogosim: nam qui hepar calidius habent, ij bile affluunt, quæ cùm facilè ad os ventriculi fluitare soleat, vellicat, & ad expulsionem irritat, sed multò maius poterat esse irritamentum, materia virulenta existente: hanc apertissimè damnat Hippocrates, 2. *in* 1. *epid. text.* 54. dum inquit: *Sed & virulenta vomunt, & ex his quidam subitò moriuntur.* Quibus addit Galenus *in comment. At demonstrauimus nos talia alui excrementa, & vomitiones, vbi aduritur flaua bilis fieri.* Quare subdit: *Subitò quidam moriuntur, hoc est, statim à vomitionibus intereunt, ipsum scilicet cerebrum, eiúsque membranas tenente phrenitide à flaua bile profecta.* Quo minùs mirandum est, si desiccatis neruis existant conuulsiones. At quidam simulátque contracti sunt, & vomuerint virulenta, è vestigio agunt animam. Aliqui ob robur virium superfuerunt diem, aut alterum, aut tres, aliquando quinque. Phreniticus ille, de quo fit mentio 3. *in* 3. *epid. text.* 75. post vomitum virulentum tertio die defunctum esse inueniemus. *Frequens est in febribus adurentibus hic vomitus,* habet Galenus *in comment.* Si tam lethalis est hic vomitus, dicetis, quomodo conualuit hic ægrotans? aut quomodo à vomitu omnia sunt remissa? An. Euacuata est materia peccans, quam in capacitate ventriculi fuisse, ex facili euacuatione, & alleuatione constat: neque enim fuit nausea irritans, & nihil excernens, sed fuit vomitus verus, disposito nimirum per coctionem humore. Hac euacuatione facta, alleuata est natura, & remissa sunt omnia, dolor capitis, & lateris sinistri, ingens illa lassitudo, & alia, quæ patiebatur: neque vos miremini, quia in tam perniciosa euacuatione meliùs habuerit ægrotans, quia quotiescumque euacuatur humor noxius, etiamsi fiat hæc euacuatio irritata natura, tamen fit id cum ægrotantis commodo, vt optimè notat Galenus 4. *Aphor. text.* 22. Ibi sic habetur: *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel suprà, vel infra exierit, lethale.* Quomodo hæc verba sint intelligenda docet Galenus hoc modo: *Quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia casus earum, quæ in corpore sunt præter naturam dispositionum. Quo enim tempore à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cru-*

ditas humorum, tunc aliquid bene excerni est impossibile, siquidem oportet coctionem praire, subsequi verò discretionem; & posteà euacuationem, vt bona sit crisis, siue indicium. Subiungit postea. *Quando igitur post morbi coctionem aliquis humor vitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur, & propter hoc atra bilis, & alius omnis huiusmodi humor, vbi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significant euacuationem, si verò aliter excernatur sine signis coctionis, exitialis est casus.* His sic stantibus, non est mirandum si ab huiusmodi vomitu cuncta fuerint remissa, cùm natura prænaluerit semper, vt ex vrinis, quas toto morbi decursu excreuit, apparet, ídque colligi potest ex *comment. Galeni,* dum ait: *Quare, si vt vrinæ perpetuò boni coloris erant, sic mediocre habuissent sedimentum, non ita esset morbus extractus, sed fortasse die quadragesimo esset indicatus. Si item nubem habuisset bonam, ocyùs morbus esset depulsus.* Nunc, quia vrinæ erant semper tenues, multum spatij requirebant concoctioni. Vel dicamus sic. Iuuit hæc euacuatio, quia talia sunt euacuata, qualia conueniebat, túncque id cognoscimus ex conferentia, & tolerantia, vt 4. *Aphor.* notat Galen. *comment.* 47. his verbis: *Indicia, quòd bene excernatur, maxima quidem sunt coctio, & bona tolerantia. Hæc cùm fuerint in hoc ægrotante, sequitur dicendum fuisse per vomitum euacuata, qualia oportebat, & ideò à vomitu fuisse omnia remissa, quia fuerit sublata causa: nam si verum est dicere, illud, quo sublato tollitur morbus, est illius causa: sublata materia per vomitum, leuata sunt omnia: ergo hæc erant antedictorum causa:* & notate dicere Galenum, non esse sublata, sed remissa, vt denotaret largiore opus fuisse euacuatione ad integram affectus solutionem, sed tamen bona fuit euacuatio, quia pro ratione ipsius, morbus est leuatus.

[h] *Ad diem trigesimum prorumpere sanguis cœpit ex vtrisque naribus.*] Conata est natura se eximere à sarcina, quantum potuit, per omnes partes, sed tamen non sequebatur integrum iudicium propter ingentem humorum prauorum copiam, quæ non nisi longo tempore, & à natura validissima poterat euinci; id tamen commodi sequebatur, quòd ex quacunque euacuatione semper alleuabatur, pro ratione euacuationis, fuítque satis commoda, tum ratione rectitudinis, vtroque viscere malè affecto, tum ratione quantitatis: nam etiamsi paulatim fieret, perseuerabat nihilominus, quamuis inconstanti ordine, quia natura non semper eodem modo potest dominari humoribus, sed tamen id commodi habuit, quòd semper facta euacuatione iuuatus est euidenter, signum fuisse euacuatum humorem peccantem: nam non ideò laudat Hippocrates euacuationem, quia euacuatio fit, sed quia humor, quia morbum committit expurgatur. Verùm vbi per aluum, aut hæmorrhagiam, aut sudores, aut vrinas multa euacuantur, morbus verò perseuerat, humorem, qui morbi causa est, non euacuari verisimile est, aut perennem esse eiusdem generationem, & ideò fit, vt morbi reddantur longiores. Hoc præterea erat spectandum in hac euacuatione, perseuerasse scilicet, sed paulatim, quo fiebat, vt moderatam euacuationem perferret natura: largiorem

enim

enim non sustinuisset, quia citissimè solet prosterni, aut saltem periclitantur ægrotantes, vt vidi in matrona quadam diebus elapsis, cui tanta sanguinis copia effluxit è naribus, vt non potuerit sisti, etiam multis, & variis administratis remediis. Hæc corpore est gracili, virtute languida, & tamen sanguis fluxit paucis interpositis diebus ad libras quatuordecim, & hoc amplius, & nisi Dei benignitate fuerit præter spem suppressus, iam mors erat præ foribus. In hoc ægrotante facta est die pari hæmorrhagia, & hoc obseruate, quia videbitis etiam in die pari factas hæmorrhagias, à quibus conualescunt ægrotantes, sed sæpiùs redeunte morbo, & recurrentibus symptomatibus periculosis,

[i] *Non abhorrebat à cibo.*] Est hoc ex iis, quæ morbi bonitatem denunciant: nam quemadmodum illi prauè se habere dicuntur, qui minùs benè ad oblata se habent, ita inter salutaria signa reponitur, benè ad illa se habere. Sunt autem inter se differentes, qui cibum renuunt: nam alij desiderant quidem, sed oblata postea negligunt: alij nihil omnino appetunt: sed si quid porrigitur, illud penitus abhorrent, pessimáque est horum conditio. Alij appetunt, & libenter admittunt aliqua, aliqua autem omnino auersantur. Alij parum appetunt, & parum assumunt. Neque propterea si quis appetat, statim de salute ægrotantis iudicandum est, quia oportet videre, quid proficiat: bene enim assumere cibum, & nihilominus morbum grauiorem reddi, malum: indicat enim partem aliquam vitij delitescere, humorem corruptum, qualitatem immoderatam, vnde alimentum corrumpatur: in hoc autem ægrotante bene sperare poterat Medicus, omnia signa contemplatus. Præterea ab Hippocrate habetur 2.*Aphor.text.*33.*In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad oblata bonum est, contrarium autem malum.* Confirmat id historia Abderæ Heropyti, qui potuit morbum grauissimum euincere, de quo sic ait Galenus. Iam verò respiratio videtur, & appetitus laboranti inculpatus fuisse, quæ magni sunt, vt ipse inquit, ad salutem momenti. Addamus, quòd non sitiebat, non quia virtus esset ad extremum redacta, vt de Hermocrate legimus, sed quia humores peccantes non multùm erant biliosi, vt Galenus *in comm.*annotat. Verùm, dicetis, quomodo non sitiebat, vomitum habuit biliosum, virulentum? Resp. Antea parum sitiebat, quia humores crassi miscebantur cum biliosis: à vomitu minus siticulosus erat, dempta maiore humorum parte, à quibus sitis consueuit concitari, facilésque sunt vomitus bilis, quia hæc facilè cedit, & sinit se trahi. Itaque non sitiuit, quia deerant vehementiores sitis causæ, non quia esset vis sentiendi stomachi læsa, neque quia mens vacillaret: sic enim affecti malè habent, vt scribitur 3.*in* 3.*Coacarum text.*12. sic: *In vomitu siticulosi, si exortes sitis euadant, malum.* Solent sitis, & vigiliæ eandem habere causam fouentem, vt plurimum, bilem scilicet. Cùm igitur non fuerit insomnis, humorum frigidorum copiam adfuisse est verisimile: illud autem,

[k] *Hæc insomnis,*] non significat soporem, sed vult dicere tempestiuo tempore somnum cœpisse; itaque neque vigiliæ erant maiores, quàm

par

par esset, vt aliquando euenit, præsertim in febribus acutis, propter bilis copiam, vel propter aliquem dolorem corpus infestantem, vt Hippocrates vult *lib. 7. Coacarum text.* 35. *sect. 2. comment.* 1. his verbis: *Pessimum est non dormire, neque die, neque nocte: aut enim præ dolore, & afflictione vigilauerit, aut ab hoc signo delirabit, & vos propterea debetis vigilias vrgentes magni facere, etiamsi morbus sua natura videatur leuis, quia semper mali quid portendunt, præsertim si non aliqua causa externa.* Subdit: *Videbantur omnia ad salutem concurrere, cùm & vrinæ, quæ indicant quale sit genus venosum essent boni coloris,* qui plurimum potest ad salutem prædicendam, quando perseuerat, vt testatur Galenus 1. *in 6. epidem. comment.* 10. dum inquit: *Tanta enim signorum ab vrina vis est in acutis febribus, vt & soli ipsi sit credendum:* Subdit: *Alijs verò accedentibus etiam, diuinatio tibi erit firmissima, perpetuóque veridica,* vt ex his elicere possimus, hunc ægrotantem, cùm multa signa bona haberet, conualiturum, sed tamen non nisi longo tempore id futurum propter vrinarum qualitatem, cùm essent tenues, quæ propterea requirebant tempus ad perfectam coctionem; & hoc ideò futurum sperandum erat, quia & pulsus constasse verisimile est.

[1] *Ad diem quadragesimum subrubra minxit cum rubro sedimento multo.*] Illud quod bonitatem morbi denotat, est videre bona signa permanere ad integram morbi solutionem, vt huic ægrotanti euenisse, conspicuum est *ex textu*: Vrinarum enim qualitas bonum euentum pollicebatur, cum virtute valida, quia & hæ longitudinem morbi prænunciant, ita Hippocrates 2. *progn. text.* 27. & Galenus scribit, qui has vrinas emittunt, neque phrenitidi, neque exitio esse obnoxios 1. *in* 3. *epid. comment.* 5. his verbis: *Præterea, vrinam serum esse humorum in venis contentorum nos ille docuit. Quare ratio conuincit, vbi amplior semicrudus sanguis per vrinam expellatur, rubram eum hanc efficere; atque ideò diuturnum fore morbum, quòd requirat scilicet ad coctionem longius spatium sanguis: siquidem spatio temporis fiunt concoctiones:* Subdit: *At non erit talis morbus, vt ab vrinis exitiosus, neque obnoxius phrenitidi, idque nulla alia ratione fieri putat, nisi quia sanguis nobis familiarissimus est, & mitissimus.* Quòd si appareant sine sedimento, tunc possunt minari delirium, vt ab eodem Hippocrate scriptum est 2. *in* 1. *Coacarum text.* 11. *comment.* 1. *Progresso morbo,* inquit, *surditas, cùm vrinæ subrubræ appareant, quæ nihil deponant sedimenti, sed sublimamentum habeant, emouendæ mentis signum est.* Sed aduertere etiam oportet vrinas subrubras esse in triplici differentia. Aliæ dicuntur subrubræ, aliæ prærubræ, aliæ cruentæ. Subrubra laudatur, tanquam salutaris, & solùm diuturnitatem indicat. Prærubra dicitur, quæ vehementer est rubra, hæc dicitur cruda, & sine coctione, quæ verò est cruenta, illam videmus apparere sæpissimè in nephriticis doloribus, ob vehementissimum motum, & agitationem. Fiunt autem tales, vel quia sanguis concalfactus quodammodo colliquatur in febre, vel propter rarefactam renum substantiam, vasorum apertionem, imbecillitatem renum, vt in senibus, quando tenuis sanies sanguinis mingitur, similis excrementis

cremẽtis, quæ in hepaticis affectibus excernuntur. Cùm ergo vrina appareat subrubra, & flãmida propter incalescẽtiam, & adustionem sanguinis, & talis vrina habeat non sedimentum, sed sublimamentum, tunc facile est coniicere in genere venoso maximam esse perturbationem, & vnà cum calore præter naturam, multam flatuum copiam fuisse congestam, in qua humorum perturbatione non est difficile crudorum humorum impetum in caput ferri, & deliria sequi; etiamsi hoc non simpliciter verum; cùm per se vrinæ non indicent futurum delirium, vti iam cum Galeno fuit probatum. Si aliter fiat vrina subrubra, non poterit, nisi longitudinem morbi significare, intelligóque respectiuè ad vrinam, quæ optimum habet sedimentum, vt idem Hippocrates notat *in prognosticis*, vbi postquam optimæ vrinæ conditiones ponit, sequitur, & inquit. *Si autem vrina fuerit subrubra, ac sedimentum subrubrum, & læue, multo diuturnior hic morbus est, quàm prior, sed admodum salutaris.* De eadem re habetis Hippocratem loquentem 1. *in* 1. *prorrhet. text.* 31. 2. *prorrhet. text.* 25. Ibi etiam distinguit subrubram vrinam à prærubra, quòd prærubra ex incoctis sit, subrubentem verò commendat quidem, tanquam salutarem, sed diuturnioris temporis signum esse ait. Quòd verò rubens in medio tum prærubræ, tum subrubentis sit constituta, medium tum laudis, tum vituperij obtinet, & 1. *de cris. in fine. cap.* 12. *Post harum vrinarum emissionem meliùs habuit, quia euacuabatur materia peccans,* quod denotat, ponens habuisse sedimentum multum. Verùm quoniam materia erat non simplex, sed diuersa, neque poterat eodem tempore æquè à natura euinci, hinc fiebat, quod vrinæ postea cœperunt variare, & modò habebant sedimentum, modò non, confirmatum à Galeno *in Comment.* sic scribente: *Et vrinæ cruditas, & concoctio alternantes, aliquos indicabant illorum concoqui, aliquos permanere crudos,* quod idem repetit *lib.* 2. *progn. text.* 26. *Id enim*, inquit, *sæpissimè euenit, vt aliquis emittens vrinam secunda die inculpabilem, alteram sequenti nocte culpabilem emittat: deinde rursus inculpabilem tertia die: prima luce, postea vespera culpabilem. In talibus enim vrinis alius concoctus, deuictúsque à natura conditus in conceptaculis humor, alius incoctus apparet. Hoc cùm euenit, vix crederem in tanta humorum varietate posse morbum esse breuem.* Id in hoc ægrotante liquidò constat, qui satis manifestæ coctionis signum non habuit, nisi die sexagesimo, de quo sic scribit.

[m] *Sexagesimo multum habebant vrinæ sedimentum.*] Sedimentum, die hoc factum laudabile erat, vt ex Hippocrate, & Galeno elicimus, his verbis; *Vrina optima est, si sedimentum candidum fuerit, læue.* Quod verum sit, ad proportionem vrinæ, omnia etiam fuerunt remissa, nimirum accidentia suprà enarrata, & vis accessionis etiam; tum, quia iam degenerauerat ex acutis, & poterat reponi inter chronicos, quando quadragesimus iudicatur principium chronicorum, & finis acutorum ex decidentia; tum etiam, quia iam maiori ex parte materia erat cocta, quod significat fidum futurum euentum: coctio enim, vtcunque sit, semper securitatem pollicetur, cùm indicet victoriam naturæ supra causam morbificam.

[n] *Febres intermiserunt.*] An modò intermiserint, quoniam factæ sint intermittentes, quod verisimile est, iam diminuta materia peccante, quod sæpissimè in febribus acutis obseruaui, intermisisse scilicet febres per tres dies, & quatuor, aliquando etiam degenerasse in tertianam simplicem, & tertianario modo inuadentes solutas posteà esse: aut dicamus intermisisse, quia modò inuaderet noua materia succensa, & modò intermitteret eadem resoluta; sed parum hoc refert, satis est consideretis bene ægrotantis statum in his casibus, vt certius iudicium faciatis, & eo tempore vrinas, & alia accidentia examinetis, vt cognoscere positis, an integrè sint soluti morbi, an instet periculum recidiuæ; id quidem ex vrinis elicere poteritis non difficilè, vt in hoc ægrotante apparet qui, etiamsi à febre esset immunis, habebat tamen vrinas tenues, sed quæ, quemadmodum recidiuam prænunciabant, ita securitatem promittebant, propter coloris bonitatem: scribit enim: Vrinæ quidem tenues iterum, sed boni coloris; quasi velit elicere, non debebat Medicus fidere morbi solutioni, sed tamen neque multùm vereri; cùm, etiamsi vrinæ essent tenues, essent tamen boni coloris, quod benignitatem materiæ, & naturæ robur significabat: Rem ita esse euentus denotat: nam dum ipse inquit.

[o] *Die septuagesimo febris intermisit decem dies.*] Innuit rediisse febrem ante septuagesimum, sed iterum solutam fuisse, nulla tamen sequuta euidenti euacuatione, vrinis adhuc tenuibus existentibus, sed boni coloris. Hoc tempore, etsi videretur natura otiari, tamen sensim concoquebat, quod reliquum erat materiæ peccantis, & eadem disposita tandem tentauit à corpore deturbare die octogesimo, & quia materia iam ita erat attenuata, vt posset velociter moueri per sentientes corporis partes, rigor factus est, in quo motu febris solet succendi; & ideò dicit fuisse acutam, id est validam fuisse, quia non potest natura causam euictam separare, separatam euacuare sine violentiore motu, quo tempore febres, si sunt, inualescunt, si non sunt, fiunt, quos tamen motus pertimescere non debebitis, dum præcessisse signa coctionis animaduerteritis dictum à Galeno 3. *de cris. cap.* 2. hunc in modum. *Decet autem Medicum generosum non turbari, neque euentum ignorare.* Rem ita fuisse euentus confirmat, cùm à rigore, & febre illa vehementi sudor eruperit, ídque factum est & in die decretorio, & etiam abundanter, quod sequitur ad euacuationis vtilitatem: multum enim sudauit, & die octogesimo, quem diem reponit Galenus inter dies decretorios, 1. *de diebus decret. cap.* 10. sic scribens: *Atque alios quidem, qui post quadragesimum habentur, Hippocrates planè contemnere videtur; sexagesimi tamen, & octogesimi, & centesimi vigesimi rationem habet.* Id tamen notandum est, rarissimè euenire, vt per sudorem iudicentur ægrotantes die octogesimo, cùm à Galeno ipso doceamur, rarò admodum vigesimumseptimum diem iudicare. Habemus enim hæc à Galeno 4. *Aphor. comm.* 36. *Nam & trigesimumprimum, & trigesimumquartum, & ante ipsum vigesimumseptimum rarò inueniemus per sudorem iudicare.* Causa huius redditur à Galeno *loco de diebus decret. adducto,* & est, quia vsque ad vigesimum

mum diem possunt esse vehementes mutationes; post hunc omnia incipiunt languere. Verba Galen. *Et vsque ad quartumdecimum quidem magnæ sunt perturbationes in morbis.* Proximo loco succedunt, quæ vsque ad vigesimum habentur. Quæ post ad quadragesimum succedunt, paulatim vehementiam, efficaciámque remittunt. Adeo vt, qui post quadragesimum sunt, omnes langueant prorsus coctione potius, & abscessibus, quàm crisibus morbos finientes. Negat Galenus dari aliquando, sed rarò, nec tunc magnam habent vehementiam, & frequenter pluribus diebus iudicia complentur, maximè cum in abscessus finiunt. Hoc idem habemus confirmatum *eodem lib. cap.* 13. *in vltimis verbis*, sic. *Qui autem morbi ad decimumquartum crudi omnino sunt, & tardiùs quodammodo mouentur, non citiùs quadragesimo iudicantur. Post quadragesimum verò indicia dissolui, & lentis coctionibus magis, quā subitis mutationibus morbos solui, & nobis quidem priùs est dictum, & alijs omnibus, qui artis opera in obseruatione habent, sic videtur, vt etiam Archigeni.* Hæc Galenus, quæ obseruatione sunt digna. Quare videmus per sudorem iudicatum hunc ægrotantem præter expectationem, rarum, & infrequens, & paucis concessum, præsertim adhuc crudo existente morbo, cùm eo die, quo iudicatus est adhuc haberet vrinas cum sedimento rubro, sed tamen læui, non crasso, quod fecit ad faciliorem solutionem. Itaque, etiamsi fuerit productus morbus, potuit tamen tantopere natura, vt sensim concoquens, & paulatim expellens, tandem integrum fecerit iudicium octogesimo die: dico, integrum, quia hoc innuit Hippocrates, dum ait.

P *Prorsus iudicatus est.*] Id est, sine recidiua, modus loquendi Hippocratis, quando firmum vult significare iudicium; & obseruate huiusmodi morbos potius solere solui per abscessum, quàm iudicari per crisim, & hoc inter cætera potest nobis significare quanta fuerit naturæ vis in concoquendo. Hinc apparet, quàm mira sint naturæ opera, & quomodo fiant inopinatæ morborum solutiones. Videamus modò, quomodo potuisset Medicus præsto esse ægrotanti sic affecto, & præsertim, cùm soleant morbi chronici maiorem requirere diligentiam, vt tutò curentur.

Curatio.

IN curatione huius affectus, maxima inprimis erat adhibenda diligentia in præscribenda victus ratione: nam in morbis longis quamplurima contingere solent errata, aut quia ægrotantes impatientes aliquid assumant nocui, aut quia assistentes nimis facilè gratificentur ægrotantibus quod maximum sæpissimè affert detrimentum. In hoc igitur ægroto necessarium erat paulo pleniore victu vti in principio vt virtus possit sufficere morbi concoctioni, saltem primis quatuor diebus transactis, ea exhibentes alimenta, quæ in pauca quantitate multùm nutrire valerent, de quibus iam dictum est, veluti contusa carnium, sed præcipuè pullorum gallinaceorum, caponum; in pauperibus carnium vituli; serò prisana

hordeacea cum ouis sorbilibus recentibus, de cuius vtilitate iam *suprà* dictum est, cauentibus nobis, quantum per morbum erraticum licet, horam accessionis. Potus poterat parari ex aqua, in qua ebullierint semina hordei, aut citri, aut coriandrorum, aut cinnamomi, pro ægrotantis delectu. Commendant aliqui hoc potus genus, ℞. *lactis caprini recenter mulcti* ℔. *iij. fermenti* ℥. *ij. misceantur omnia simul, & ponantur in manica, ex qua sensim percolatio fiat, & quando sitis vrget, sumantur illius aquæ destillatæ* ℥. *iij. pro vice.* In ferculis poterant admitti lactuca, endiuia, & id genus alia: & quia in morbis longis linteola, tunicæ conspurcantur, eadem immutentur sæpius, dummodo sint priùs igne diligenter exsiccata; etiamsi garrulæ mulieres id habeant suspectum, verentes, ne linteolorum siccitas, natiuam ægrotantis humiditatem absumat, sícque plus iusto debilitati, non mediocriter lædantur: quod tamen admodum superstitiosum est, quia sordes cauendæ magis in ægrotantibus, quàm in sanis. Hoc præstito ad medicamentum Chirurgicum erat deueniendum, & quia vires erant constantes, quæ admittebant, & quia morbus erat magnus, qui postulabat. Vtroque igitur existente larga satis sanguinis copia poterat euacuari ex vtroque brachio, priùs alui excrementis depulsis, nisi tamen morbus adeò vrgeret, vt statim sanguis esset detrahendus, vti etiam *suprà* dictum est, & Auicenna confirmat *lib. 4. Fen 1. tract. 2. cap. 7.* his verbis: *Quòd si fuerit fortis, & fuerit illud quod vincit, sanguis, tunc phlebotomia est magis conueniens, & propria, cùm vrina est rubea, grossa, non citrina, ignea, ex qua timeatur apud phlebotomiam victoria choleræ, & acuitatis eius.* Posteà subdit. *Deinde fac sequi phlebotomiam, solutionem ventris subtilem, propriè, si fuerit illic siccitas.* Leniens igitur poterat parari ex ℥. *ij.* ß. *mannæ,* & ℥. *j.* ß. *lenitiui,* quo sæpissimè vtor, præsertim in iis, qui natura aluum habent adstrictam, aut etiam ʒ. *vj. lenitiui, & tantundem cassiæ recenter extractæ cum* ℈. *j. pul. anis. & saccaro concinnatis bolis.* Posteà erat deueniendum ad alterantia, hoc modo. ℞. *oxymel. simp. ex melle Hispano, syr. acet. simplicis, syr. de succo cich. an* ʒ. *vj. decoctionis fol. capill. ven. boragin. cich. endiuiæ, rutæ, caprariæ, hordei, & sem. citri.* ℥. *v. misce fiat dosis.* His essem vsus vsque ad diem decimumquartum, tertio quoque die iniecto clystere, nisi aluus sua sponte fluxisset, ex ℥. *vj. iuris carnis bubulæ, in quo prius decoxerint. sem. anis. & folia maluarum, & butyri* ℥. *iij. lenit.* ℥. *j. in* ʒ. *j. salis, aut decoctionis communis* ℥. *vj. mellis ros. solut. saccari rubri an.* ℥. *ij. lenit.* ʒ. *vj. olei violacei* ℥. *iij. salis* ʒ. *ij. misce fiat clystere.* His fuissem contentus vsque ad decimumquartum diem, post quem nullo impediente exhibuissem *syr. rosi. solut. mellis ros. solut. an* ℥. *ij. mannæ* ℥. *j.* ß. *lenit.* ʒ. *vj. cum aqua capill. ven. dissoluto medicamento, & quatuor horis ante cibum assumpto.* Hoc præstito alterantia iterassem, confecto decocto, quod maiorem habet vim, etiamsi nobiliores delectentur potius aquis, sed quemadmodum delicatiorem curationem volunt, ita etiam longiori tempore curantur, & minus tutò, *decocto* igitur *parato ex folijs capill. ven. betonicæ agrimonij, pentaphylli, graminis, radicibus asparagorum, petroselini, sem. citri.* Huius exhibuissem ℥. *vj. in* ℥. *j.* ß.

oxymeli

oxymelitis. Possunt autem hæc medicamenta variari pro ægrotantis temperatura, tempore anni, & morbi vehementia; & præsertim cùm in morbis chronicis vtile sit variare medicaméta, quia eodem sæpiùs iterata renuunt sæpissimè ægrotantes. Quòd si aluus adstricta fuisset, exhibuissem per interualla quietiori die per horam ante cibum ℥. *j. cassiæ. in* ℈. *j. pul. sem. anis.* aut, quod citra incommodum ægrotantis factum inspexi, infudissem in decocto syrupi rhabar. opt. ʒ. *j.* secundùm artem, & mane consuetum syrupum exhibuissem: ita enim aluum commodè motam animaduerti, sine virtutis dispendio, aut etiam exhibeo trochis. de rhabar. ʒ. *j.* paulo ante syrupum; & sic commodè aluus reddit excrementa. Si verò ægrotans sit ex iis, qui libenter sustinent clysterès, ab his non est abstinendum. Et quia à principio caput dolebat, cucurbitulis erat opus, etiam scarificatis: sinistrum latus dolens erat fouendum oleo chamæmelino, amygdal. & huiusmodi aliis. Lassitudinem tollunt frictiones factæ, oleis calentibus, manibus imbutis. Dolorem manuum, etiamsi esset per consensum, tamen demulcere poterat inunctio facta ex oleo rosaceo, aut cum portione olei ex vitellis ouorum. Propter vomitum nihil erat præstandum, quod posset sistere, quia fiebat cum ægrotantis commodo, potius erat vomitoriis adiuuanda euacuatio, leuioribus tamen, vt aqua hordei tepida, cum ℥. *ij.* oxymelitis, vt ventriculus exonerari posset, nisi exterius esset applicatum medicamentum, quod leuiter roboraret, veluti fuisset oleum rosaceum, myrthinum, aut solum, aut mistum cum puluere mastichis. Et cùm trigesimo die sanguis fluxerit ex vtrisque naribus, debebat Medicus spectare impetum fluentis sanguinis, qui si fluebat cum ægrotantis commodo, nihil aliud erat moliendum, nisi attendere naturæ motum benè operantis, quam adiuuare expedit, si in aliquo deficiat. Transacto quadragesimo medicamentum iterassem, quod ℞. *Syrupi de cich. Guglielmi cum rhabar. mellis ros. solut. an.* ℥. *j.* ß. *mannæ. lenit. an.* ʒ. *vj. cum aqua agrim. fiat potio.* Potest, & infundi rhabar. Secundùm artem in aqua agrimonij, & in ea infusione addere syrupum rosaceum solutiuum ad ℥. *iiij.* lenitiui. ʒ. *x.* pro ægrotantis captu: ita enim cum vrinæ modò sedimentum haberent, modò non, materia cocta esset euacuata, cruda postea erat concoquenda syrupis iam dictis, vel parato oxymelite composito hunc in modum. ℞. *fol. agrim. capill. ven. cuscutæ, betonicæ, cichorij, acetosæ, endiuiæ, boraginis, fumiterræ, pentaphylli, florum cordialium sem. citri. quantum satis, fiat secundùm artem decoctum.* ℞. *huius decocti* ℔. ß. *mellis, & aceti quantum satis, fiat oxymel longum:* sit tamen acetum album, & mediocriter acre, & si ægrotantis gustui magis gratificari volumus, possumus addere saccari optimi tertiam partem. Hoc vsus essem ad finem morbi vsque, per interualla exhibita infusione rhabarbari, aut etiam præparato oxymelite cum infusione eiusdem, veluti si decocto iam præscripto infundantur rhabar. opt. ℈. *iij.* secundùm artem, postea facta expressione, & colatura cum melle, & aceto oxymel. præparare, cuius dosis sit ad ℥. *ij.* vel *iij.* pro ratione temporis, & temperaturæ ægrotantis; & sic partim euacuare, partim humorum coctioni in-

tendere ad finem morbi vsque. Restat modò, vt vos moneam in tam diuturno morbo fore necessarium vberiùs ægrotantem alere, & etiam vinum poterat concedi, non in principio, quia vis morbi id non admittebat, verùm transacta sexagesima, cùm omnia essent remissa, & febres intermiserint, poterat nonnihil vini concedi, illud tamen cautè agendo, quia sæpissimè delinquunt ægrotantes plus assumentes, & assistentes plus dantes, quod propterea Medicos facit ambiguos in concedendo, quia aucto morbo, ipsorum errori adscribitur, quod etiam vos attendere diligenter debetis, essetque vinum tenue, album, & bene dilutum; fack hoc apparentibus signis coctionis ad humorum moderationem, ita confirmante Hippocrate *in libris de ratione victus in acutis*, & *alijs in locis*, & doctissimo Septalio *lib.* 2. *caut.* 58. quem locum videre vnusquisque potest arbitrio suo. Alia multa ægrotantibus conceduntur, vt sunt pira cocta, cotonea, à cibo, quæ reprimunt ascendentes vapores, ventriculum firmant, & etiam aluum mouent; præterea pullorum hepata, gallorum gallinaceorũ testes, acetarium ex capparibus, lactuca cocta, cũ radicibus cichorij. Iudicato ægrotante, ne recidiuaret, si opus fuisset, iterassem purgans; posteà, si quid aliud, commendassem diligentem victus rationem, quam seruare vt est pernecessarium, ita ferè impossibile, quia fame vrgentur, qui longo tempore ægrotarunt, & integrè iudicati sunt, id experientia comprobat. Itaque ventriculo imbecillo existente, statim nouæ cruditates coaceruantur, & hinc recidiuæ. Oportet igitur corpora, quæ longo tempore ægrotant, lentè reficere, optimis eduliis, facile nutrientibus. Quòd si vnquam ratio est habenda ventriculi, profectò id debet obseruari in morbis longis, in quibus partes coctioni deseruientes solent labefactari, propterea, & tempore morbi, & per aliquot dies post morbi solutionem, roborassem ventriculum medicamentis ori ventriculi adhibitis, qualia sunt oleum nucis moscatæ, mastichis, & id genus alia, quibus passim vtimur. Interius conserua citroniorum, morsuli ex floribus citri, conserua absinthij Pontici, morsuli diarrhodon Abbatis pro ratione temporis, & ægrotantis temperatura: saccarum etiam rosaceum, grana piperis albi ex vsu fuissent: piper enim, si credendum est Galeno 4. *de tuenda sanitate, cap.* 5. ventriculum roborat, qui sic scribit: *Quoniam autem præcordia istiusmodi omnibus turgida, inflataque sunt, ac facilè quidquid assumpserint, in flatum vertitur: non inutile fuerit longi piperis aliquid cum cibo dare: quippe quod flatuosi spiritus crassitudinem soluit, & quæ in præcordijs pigra cessant, ad ventrem inferiorem depellit, & concoquendis, quæ sumpseris, subuenit, pro communi piperum ratione. Quòd si huius copia non est, vtique albo vtendum: quippe quòd supra duo reliqua genera ventriculum roborat. Sin hoc non adest, optimum nigrum petendum est. Id verò fuerit, quod pondere præcellit.* Aliud medicamentum commendatur quod componitur ex melle, malorum succo, & portione piperis albi, zingiberis, & aceti, facit quammaximè ad deiectam appetentiam, vt Galenus vult 2. *de aliment. facult. cap.* 23. Et quoniam solent conualescentes aluum habere, vtplurimum adstrictam, eam

ob

ob rem mollem reddere expedit, quia nihil eſt quod magis officiat, quàm excrementorum retentio. In hunc vſum veniunt caſſia recenter extracta ad ℥. iij. paulò ante cibum: lenitiuum dictum: acetum ſolutiuum, quod paratur ex foliis ſenæ ad ℥. ij. infuſis in ℔. aceti albi, ſecundùm artem, & facta expreſſione, & colatura ſeruetur ad vſum, & fiat acetarium in prædicto aceto, & madefacto pane ſumat: reddit enim acetum ſic concinnatum aluum humidam. Et hæc ſunt quæ habeo circa hanc Hiſtoriam, ſi meliora haberem, libentiùs in medium afferrem.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΒΔΟΜΟΣ.

ΜΕΤΩΝΑ πῦρ ἔλαβεν. ὀσφύος βάρος ἐπώδυνον. δευτέρῃ ὕδωρ πιόντι ὑποσυχνον, ἀπὸ κοιλίης καλῶς διῆλθεν. τρίτῃ κεφαλῆς βάρος. διαχωρήματα λεπτὰ, χολώδεα, ὑπέρυθρα. τετάρτῃ πάντα παρωξύνθη. ἐρρύη ἀπὸ δεξιοῦ μυκτῆρος αἷμα δὶς ὀλίγον. νύκτα δυσφόρως. διαχωρήματα ὅμοια τῇ τρίτῃ. οὖρα ὑπομέλανα εἶχεν. ἐναιώρημα ὑπόμελαν ἐὸν διεσπασμένον οὐχ ἱδρύετο. πέμπτῃ ἐρρύη λαῦρον ἐξ ἀριστεροῦ ἄκρητον. ἵδρωσεν. ἐκρίθη. μετὰ δὲ κρίσιν ἄγρυπνος παρέλεγεν. οὖρα λεπτὰ, ὑπομέλανα. λουτροῖσιν ἐχρήσατο κατὰ κεφαλῆς. ἐκοιμήθη. κατενόει. τούτῳ οὐχ ὑπέστρεψεν, ἀλλ' ἡμορράγει πολλάκις καὶ μετὰ κρίσιν.

ÆGROTVS VII.

METONEM [a] ignis corripuit: lumborũ dolorifica grauitas. Poſtridie cùm multũ aquæ biberet,[b] largiùs, & benè aluum reddidit. [c] Tertiò capitis grauitas: retrimenta tenuia, bilioſa, ſubrubra. Die quarto cuncta exacerbata ſunt,[d] bis de nare dextera ſanguis paulatim fluxit, nox grauis fuit: deiectiones, vt erant die tertio: vrina ſubnigra, in qua ſubnigra pendebant diſperſa; [e] non ſudabat. Die quinto è dextera nare affatim profluxit merus, ſudauit, [f] iudicatus eſt. A iudicio inſomnis erat, delirauit: vrinæ tenues, ſubnigræ: caput lauit, dormiuit, mente conſtitit. [g] In hoc non erat recidiua, ſed crebrò ſanguis, etiam poſt iudicium profluxit.

COMMENTARIVS.

ET hic ægrotans acutè admodum laborauit, cùm quinto die fuerit solutus morbus. A qua causa penderet, satis constare potest, tum ex celeri solutione, tum etiam ab euacuationibus, quas habuit, & ab accidentibus, ex quibus bilis prædominium fuisse apertum est. Quomodo fuerit iudicatus, vnusquisque videre potest ex textu. Scribit igitur Hippocrates, vt nobis istius ægroti casum ob oculos ponat.

[a] *Metonem ignis corripuit.*] Breuissimis verbis explicat morbi ideam; nam iam sæpiùs dictum est, esse Hippocratis morem, febrem vehementissimam ignem appellare. Inter accidentia, quæ infesta fuêre circa morbi initium, ponit lumborum grauitatem. Lumbi sunt pars illa, quæ à thorace incipiens ad os sacrum terminatur: continet ea regio musculos quosdam spinæ hærentes, & renes ipsos, intestini coli parum, & mesenterij, quo fit vt ex lumborum dolore aliquam sequuturam euacuationem sit sperandum, si credendum est Hippocrati, qui visus est id annotare 1. *in* 1. *Coacarum*, *text*. 19. his verbis. *Lumbis dolentes in profluuium alui incidunt*, *&* 3. *in* 3. *Coacarum. text*. 29. *Fluxij verò*, *& lumbos dolentes exturbantur aluo*, quasi futuræ euacuationis per aluum sit signum dolere lumbos: ita Silenus cùm lumbis doleret, statim aluus mota est, biliosis deiectis; neque mirum, quia quotiescumque intestina excrementis sunt repleta, lumbi dolent, præcipuè autem, si biliosa sint euacuanda, quo fit, vt præ mordacitate vellicent, & faciliùs ad inferna detrudantur, hincque euenit, vt quotiescumque febris accenditur magna, facilè illæ partes incalescant, & doleant, quod quotidiana experientia comprobat, & præsens Historia fidem facit. Hîc Hippocrates non determinat humoris qualitatem, nisi tertio die: at verisimile est talia etiam fuisse primo die, id est, biliosa, & etiamsi non fiat mentio de causa externa, tamen verisimile est aliquam adfuisse, ex qua congeries humorum fuerit genita, hoc quidem non est obscurum extitisse abundantiam humorum aggrauantium naturam, quæ propterea stimulata, & à quantitate; & à mala qualitate insurrexit ad expulsionem materiæ infestantis, quod denotat per illam particulam.

[b] *Largiùs*, *& benè aluum reddidit.*] Per hæc verba crederem ego velle nobis significare, sequutam esse conferentiam ex hac euacuatione: nam dum inquit *bene*, aut intelligitur de qualitate; scilicet, quia euacuarentur talia, qualia, aut ita scribit, quia animaduerterit fuisse ab euacuatione euidenter alleuatum, aut quia etiamsi essent biliosa, excernerentur sine dolore, quòd raro euenit in mordaci humorum qualitate.

Sed dicetis hanc per aluum euacuationem euidentem habuisse causam externam, cùm postridiè quo ægrotauerit Meto, multùm aquæ biberit,

&

& propterea in hoc non potuisse esse indicium euacuationis dolorificam illam lumborum grauitatem : sed attendite modum loquendi Hippocratis, inquit ipse *largiùs*, quasi velit dicere etiamsi futura esset euacuatio per aluum, quantum per lumborum grauitatem dolorosam coniectare poteramus, tamen largior sequuta est euacuatio propter aquæ potionem.

Quòd si denuò instetis, id non potuisse efficere aquam, cùm, dicente Hippocrate 3. *acut. text.*40. nullum habeat officium, dum ait : *Aqua, quæ in acutis bibitur morbis, nullum aliud habeo, quod illi concedam officium : neque enim sputum educit, neque sitim sedat.* Subdit post multa. *Tardè siquidem permeat, quòd frigida, & incoctilis sit, neque aluum deijcit, neque vrinas mouet.* Vobis ita responderem libentissimè, verissimum esse aquam sua natura aluum non mouere, quoniam præ sua frigiditate præcludit sibi viam, & difficilè permeat, verùm si multa sumatur, & leuissima sit, aliter res euenit, quod desumitur apertissimè ex Hippocrate *in lib. de aëre, aquis, & locis, cap.*3. *Quacunque*, inquit, *aquæ optimæ coctu sunt, & facillimè liquescunt, eas par est, & ventrem maximè exoluere, ac eliquare, quæcumque verò crudæ sunt, & minimè coctu bonæ, hæ magis constringunt ventres, ac resiccant.* His addi potest illud, quod legitur 5. *Aphor. text.*26. Aqua, *quæ citò calet, & citò refrigeratur, leuissima est.* Galen. *in comment. Nunc leniorem aquam dixit, quæ ventrem non grauat, & quæ citò permeat, ex quibus apparet euidenter non quancunque aquam aluum mouere, sed quidem eam, quæ tenuissima est, simúlque in maxima quantitate sumpta.* Ita & Auicenna *in libello de remouendis nocumentis, tract.*2. *cap.*2. idem confirmat. Quare rem ita esse determinandam putarem, videlicet aquam sua natura, & proprietate aluum non mouere, nimirum neque detergendi, neque calefaciendi vim habet, vt Galenus statuit, frigida enim est, & quæ frigida sunt præcludunt sibi viam, neque possunt per corpus distribui; & opus habent iis, quæ viam sternant, vt colligitur ex Galeno 4. *in 6. epid. Comment.*20. Quo in loco miscet vinum aquæ, vt faciat ad distributionem concocti alimenti, veluti etiam *loco acut. citato*, vbi semicrudam exhibens aquam, tantillum tantum vini infundebat, vt noxam, quam aqua afferre poterat emendaret. Itaque aqua si mouet aluum, aut mouet quia simul cum medicamentis exhibeatur, quæ faciant ad distributionem, aut quia multa assumatur, vt fecit Meto, qui aluum motam habuit, non post aquæ potionem, sed post multæ aquæ assumptionem : solet enim multam aquæ potionem, vt plurimum sequi aliqua larga euacuatio, aut per vomitum, aut per aluum, aut per sudorem. Huius rei est exemplum *in* 7. *meth. cap.*8. cuiusdam ægrotantis recensens historiam dicit, post multam aquæ potionem excrementa alui reddidisse, & euomuisse multum, sícque scribit : *Aquam frigidam simul multam super cibum hauriens, protinus sitire destitit, paulò verò pòst plurimum eius euomuit. Abhinc horrorem in toto corpore sensit, plurimáque operimenta poposcit, cùm priùs omnia abijceret. Tunc igitur totum diem reliquum, quo id fecit, noctémque totam inquietè egit, cooperimentis se fo-*

uens, ventérque circa mediam noctem excreuit. Esse aquam dandam in magna quantitate confirmat Auicenna *lib.4. Fen 1. tract.4. cap.4.* his verbis: *Et aqua frigida plurima subitò est iuuatiua valde, pauca autem consequenter exhibita fortasse excitat caliditatem.* Cur autem id faciat scribit Hippocrates *in textu iam adducto*, qui dicit aquam amarescere, & fieri biliosissimam, si ventriculus biliosis humoribus sit affluens, sícque propterea quocunque tempore esse exhibendam vult Auicenna, sed post assumptum cibum, & facta digestione. Verba Auicennæ; *Sed sit post subtiliationem cibi, & digestionem eius per transmutationem factam in chylum: tunc enim est conueniens ad faciendum penetrare, & est conueniens etiam ad curationem ægritudinum acutarum, vel calidarum*, quod apertissimè comprobat Galenus idem 9. *meth. cap.5.* docens curare febrem synocham, cuius curatio nullo alio remedio præcipuè fit, quàm per aquæ largum potum, & sanguinis missionem, quibus medicamentis exhibitis, & adhibitis roborata natura, frequentissimè quod noxium est expellit. Quippe, addit Galenus, *Solidarum animalis partium roborata natura, prætenuatos iam humores aggreditur ita, vt qui vtiles sint, atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad se trahat, inutiles verò, vel per ventrem, vel per cutim eyciat.* Quo in loco quomodo sit exhibenda, & quæ cautio requiratur diligentissimè exponit. Sed redeamus ad Metonem. Huic postquam aluus largiùs mota est.

[c] *Tertio capitis grauitas.*] Quotiescumque corpus est prauis humoribus refertum, tunc non sat est aluum moueri, & largè, quia etiamsi dematur de copia, tamen non est sufficiens euacuatio, quoniam sæpissimè euacuantur tantùm, quæ ad euacuationem sunt disposita, in capacitate ventriculi existentia, quæ verò in tunicis sunt imbibita, agitata, transmittunt vapores ad caput, & quò maiores, eò grauiorem inducunt dolorem, donec materiæ aut vaporum reuulsio fiat, ad inferna detrusa materia, aut à natura, aut ab arte, vt in hoc ægrotante apparet, cui aluus mota est, materia euacuata biliosa, tenui, subrubra. Hæc euacuatio potuit copiam diminuere, sed non tam citò potuit accidentia sedare: erat enim tanta humorum copia, quæ maiorem requireret euacuationem, præter id, quòd in materia cruda non æquale leuamen, & eam ob rem non est mirum, si quarto die cuncta sint exacerbata, quod est intelligendum de symptomatibus iam enarratis, id est, de lumborum grauitate, & capitis dolore; nam cùm adhuc abundarent biliosa excrementa, lumbi facilè concalefacti dolebant, caput verò vaporibus transmissis, etsi præ humoris mordacitate ora venarum non fuissent aperta, & sanguis fluxisset, non video quomodo non potuisset periclitari in tam praua corporis dispositione. Sanguinis fluxum potuit indicare dolor capitis etiam, si credendum Hippocrati *lib.5. Coacarum. text.19. com.1.* his verbis: *Qui in dolore capitis, & grauitate anterioris vigilant, sanguinem profundunt, & maximè, si quid in ceruice tenditur.*

[d] *Bis de nare dextra sanguis paulatim fluxit, nox grauis fuit.*] Quæcunque euacuationes fiunt, eæ oportet sint morbo proportionatæ, secùs non

non iuuant, aut tardè iuuant, vt in hoc contigit, cui sanguis fluxit de naribus, sed quia non quemadmodum debebat, propterea nox grauis fuit, hócque indicabat sanguinis crassitiem, vti in Historia Philisci dictum est: hac igitur ratione, cùm esset caput calefactum, nox fuit grauis, id est, insomnis, aut inquieta, non potente natura se eximere à molestia infestantium humorum, quo tempore neque potest incumbere coctioni, quod vt denotet, inquit, deiectiones fuisse, vt tertio, id est, crudæ, & biliosæ erant, immò quid deterius extitit, cùm videretur aucta venosi generis intemperies, emittens vrinas subnigras, cum sedimento subnigro,& disperso, quas vrinas si inspexisset Medicus,plurimi fecisset, & iure dubitasset de pessimo euentu, tertio malè se habente, deterius quarto, fieri autem hæc in his diebus perniciosum esse signum iam vidimus in superioribus, vt propterea euidenter esset suspecta res, quod spectat ad rem Medicam, & vt euidentius rem comprobaret, addit.

[c] *Non sudabat.*] Perinde est, ac si diceret fluxit quidem sanguis è naribus, sed parcè admodum, quòd si scribitur, largas sanguinis effusiones liberare ferè, id est, vix posse ægrotantes sanari larga euacuatione, quantò minùs iuuabuntur à modica, præsertim, si nulla alia superueniat euacuatio, per particulam enim *non sudabat* intelligere quancunque euacuationem, aut non sudabat, innuens familiares esse sudores in morbis, & maximè proficuos: non fieri autem indicari humorum crassitiem, quæ requirit tempus ad sui attenuationem; sed in morbis non est diffidendum, modò virtutem habeamus integram, quia quod minus expectatur, illud præter expectationem euenit sæpissimè, cùm in morbis acutissimis repentinæ sæpissimè fiant mutationes in melius. Vt huic contigisse constat ex textu, cui adueniente quinto die, ab eadem parte copiosè fluxit sanguis. Quis non iudicasset periclitaturum hunc ægrotantem omnibus diligenter examinatis, attamen deficientem in quarta euacuationem perfecit magis quinta dies, euacuatio laudabilior, tum ratione quantitatis, tum diei: ratione quantitatis, quia scribit affatim profluxisse, quod denotat largam euacuationem: ratione diei, quia in quinta: nam scribit Hippocrates 3. *in 2. epid. text.* 16. *Quarto die facti sanguinis fluores, difficilis sunt iudicij*, hócque videtur esse, quia in quarto die adhuc morbus est crudus, quo tempore bona non potest esse euacuatio, hoc autem dicere non est conueniens, quia qua ratione non fuit bona in quarta, neque etiam in quinta: nam illa sanguinis euacuatio in quarta facta, non propterea fuit mala, quia in quarta, sed quia minor, quàm par erat facta est, nonne & in quinta aderat cruditas. Itaque vult aliud innuere Hippocrates, nisi quascunque euacuationes in quarta, id est, morbo crudo existente esse difficilis iudicij, quia apertissimum est non posse expectari integram morbi solutionem cruditate existente, vt constat ex euentu in Metone, quem etiamsi dicat fuisse iudicatum, non tamen integrè, sed id commodi habuit, quòd quinto die sedata sunt omnia, & non alia de causa, nisi quia sanguis aliter fluxit, ac die quarto: nam dicit affatim erupisse, non paulatim: tales autem euacuationes minus

nùs semper improbantur, quàm paucæ, vti iam ex ante dictis perspicuum est, nisi tantæ sint, ex quibus virtus concidat. Prætereà seruata est rectitudo partis affectæ, quia scimus fomitem in huiusmodi febribus esse circa iecur, cuius ratione Hippocrates *in lib.3. acut.* venam internam secandam iubet, quæ citissimè euacuat à partibus principibus. Addamus, quòd metus, erat scilicet talis, qualis solet in æstuantibus, & incendentibus febribus apparere. Quare his omnibus de causis manifestissimè iuuit hæc euacuatio. Verùm, & putarem non esse abs re affirmare diem quintum maiorem habuisse vim, quàm diem quartum, vt diem imparem, cùm soleant morbi huiusmodi, vtplurimũ diebus imparibus moueri, & hoc est fortasse quod innuit Hippocrates 2. *in* 4. *Coacarum*, *text.*19. his verbis: *In febre ardente, sanguinem è naribus fluere quarto die, malum, nisi bonum aliquod signum incidat, quinto verò minus periculosum.* His additur ratio sic. Pauci à fluore sanguinis qui die quarto fit, conualescunt, aut ægrè conualescunt: nam febris ardens, aut imparibus diebus mouetur, aut paribus. Si paribus, ferè lethalis est, vt accidit Philisco, quod tamen rarum esse vult Galenus: nam scribens 3. *in* 3. *epidem. comment.*36. quæ eueniebant in illa tempestate, inquit. *Accessiones plerisque diebus paribus fiebant.* Statim subdit: *Et hoc quoque inter rara est.* Nam febres ardentes solent, adeòque omnes, ita vt illæ, morbi multum acuti accedere diebus imparibus, quod idem comprobat *lib.3. de diebus decretorijs*, *cap.*8. & docet causam, cur aliquando morbi acuti, qui sua natura mouentur diebus imparibus, in his non moueantur, sed potius paribus, in quibus si fiat aliqua euacuatio inutilis censetur, quia nulla crisis bona est, quæ non fuerit iudicata ad tempus. Ad hanc rem facientia videbitis etiam 3. *de cris. cap.*8. in quo scriptum est, cur rarissimè iudicium fiat in quarto. Hæc cùm ita sint, dicamus vtilem fuisse euacuationem, & quia die quinto, & quia larga fuit; verùm, neque sufficiens adhuc, quin natura alias tentauerit euacuationes his morbis maximè conuenientes, per sudorem. Et hoc grauatam non parum naturam demonstrabat, tot tentatis euacuationibus, & per consequens robur eiusdem in expellendo. At neque adhuc certum erat iudicium, quia dicit,

[f] *Iudicatus est.*] Et nihil aliud addit, sed quod magis id firmat, est, insomnem fuisse à iudicio, & delirasse. Sudor, & sanguinis larga euacuatio, sunt ex iis, quæ febribus incendentibus quammaximè conueniunt, quia si quid aliud synceris febribus ardentibus per sanguinis eruptionem iudicari est proprium, & id, quomodo fiat, docet, subdens. Id autem maximè solet fieri à sanguine feruido ad caput elato. Idem confirmat 4. *acut. comment.*10. sic: *In acutis febribus, quod ex sanguine feruet, ad caput fertur.* Cùm igitur rescissis, ruptisque vasis, natura idipsum vna cum aceruatis vaporibus effuderit, cæteris promptiùs dominatur, & imperat. Item, & post sudorem, qui tantopere conuenit febribus incendentibus omnibus, vt *lib.3. de cris. cap.*3. Et tamen quando hæc fiunt, & non integrè tollunt morbum, vehementia morbi significatur, & causa contumax. Ecce quod vos attendere diligenter debetis. Post hoc iudicium,

cium, perseuerabant symptomata, quod eo magis periculosum est, quo largiores præcessère euacuationes. Eo tempore pulsum pertractare diligentissimè debetis, vt euentum prædicetis: nam, si post euacuationes euidentes perseuerent symptomata, & virtus corruat; quis non perniciem breui expectabit, si verò constet nihilominus virtus, in difficili iudicio saluabitur ægrotans, sin medio modo se habeat, in ambiguo est salus, & redeunte euacuatione ne corruat virtus, suspicio est. Hoc visus est Galenus insinuasse, dum *in cap. de diebus decret. adducto*, hæc habet verba: *Inuadunt quidam morbi, secundum diem primo grauiorem habentes, quartum tertio, & totas accessiones in diebus paribus:* qui longorum quidem naturam morborum, quemadmodum *in commentarijs de crisibus*, ostendemus, habent: iudicium tamen præuertunt, vt acuti, propter accessionis vehementiam: hi etiam secundo die interficiunt, & quarto, sed sexto plurimos. Etenim in secundo die natura quodammodo valida est adhuc: item in quarto adhuc valida magis, quàm in sexto, sed nondum in certamen venire audet: at in sexto accessionis vehementia frequenter eam ad certamen prouocat. Quare alterum è duobus sustinet: vel in ea concidit, & priùs quàm, quæ offendunt, excreuerit, extinguitur: vel plurimum ex eis propulsat, reliquum verò adhuc non potest, verum imbecilla, & defatigata prorsus cadit, & languida iacet. Deinde, si quo modo postero tempore recreari, ac refici potuerit, paulatim morbum concoquit. Quòd si morbi reliquiæ eius robore maiores sint, tandiu æger superuiuet, quandiu natura adhuc sufficere potest: morietur tamen postea. Superuixit igitur hic ægrotans, quia virtus erat valida, & morbus die impari mouebatur, vt ex euacuationibus constat, solent autem his esse breuiores, & solutu faciliores. Sed cur remanebant hæc accidentia? quia integrè materia non erat disposita ad crisim. Ad hanc enim dicebat Galenus, vt fiat perfecta, requiritur coctio, postea sequatur, oportet segregatio, quæ esse ad vnguem non potest, si cruda adhuc extet materia, quibus conditionibus deficientibus, neque perfectè euacuari materia peccans potest, vt ex 4. *Aphor. comment.* 22. habetur. Quæ cùm ita sint, non erat expectanda perfecta crisis in crudo morbo, vt ex vrinis tenuibus, & subnigris elicitur: etenim verò hic morbus indigebat Hippocrate: nam non tam facilè nos ad hanc curationem deuenissemus, sed potiùs suspicati essemus periclitaturum ægrotantem, cùm nihilominus præcessis euacuationibus effatu dignis, grauitas morbi perseueraret: nisi dicere velimus sedatam esse febrem integrè: illud autem, insomnem fuisse, & delirasse, denotasse caput tam grauiter fuisse affectum, vt etiam dempta febre, non integrè remissa sit capitis intemperies, quod contingit sæpissimè, & vidi ego in D. Iulio Cæsare Madio, Illustrissimi Episcopi Biglij Cancellario, qui cum à febre acutissima superstes fuisset, tamen immunis à febre omnino, delirabat, insomnis erat, & è lecto surgebat, alia munia obibat, & domo egrediebatur, cùm tamen euidenter constaret non fuisse apud se, & perdurauit hæc affectio ad mensem, à quo postea conualuit integrè, & multos annos superuixit, quia tandem resoluitur fæx

humoris illius adusti, qui erat in causa, vt sublata febre, caput pateretur. In mulieribus hoc non rarò obseruari potest, quibus febres superueniunt propter mentium retentionem. Sed vtcumque sit in crudis morbis, naturæ impetu valido existente largior requiritur euacuatio ad perfectum iudicium, quod Galenus *lib. ad Posthumum*, *cap.* 13. docet, quo in loco se iactat cognouisse sanguinem è naribus fluxurum, sic scribens: *Atque insuper illud addidi, vehementem sanguinis fluxum expectandum, eo quòd & natura impetus esset validus, & morbus adhuc crudus.* Subdit: *Consuenêre verò hisce de causis immoderatas exinanitiones fieri.* Cùm ergo in Metone nullum adhuc appareret coctionis signum, sed potius ad perniciem omnia, & natura tentauerit quidem euacuationem sanguinis per nares; tamen diminutè ageret, vt ex vigiliis, delirio, vrinis apparet: bonæ enim sunt illæ crises, quæ ægrotantem reddunt sine noxa, & tantùm ab optima deficiunt, quanta est eius, quod deficit vis. Vt succurreret indigentiæ, & naturam per conuenientem partem euacuantem adiuuaret, lauit caput, qua lotione putauit Hippocrates posse sanguinem magis attenuari, & partes etiam, per quas fluebat magis dilatari. Quantùm profecerit, ostendit sanatio, cùm post lotionem, neque delirium, neque vigiliæ amplius fuerint infestæ, sed omninò omnia conquieuerint ita, vt inposterum non amplius febricitauerit, vt ipse apertissimè testatur, dum inquit.

b *In hoc non erat recidiua.*] Quasi miretur Hippocrates, & non sine causa integrum esse sequutum iudicium in materia non tantum cruda, sed euidenter cruda, & non tantùm conquieuit febris, vt verisimile est, sed etiam quæcunque alia symptomata, quia lotione facta, suo tepore demulcebatur bilis adustæ in caput firmatæ acrimonia, & capitis intemperies simul, aliter neque dormiuisset, neque mente constitisset. Verùm vt causam ob oculos ponat, propter quam tutum seruatum est iudicium, addit: *Sed crebrò sanguis etiam post iudicium profluxit*; id est, si vis cognoscere causam, propter quam morbo crudo existente securè sit iudicatus, est, quia illa euacuatio, quæ erat conueniens, & vtilis, etiam soluto morbo perseuerauit, & quemadmodum medicamenta quæ adhibita iuuant, iterata sanant, ita euacuationes quæ inceptæ iuuant, iteratæ sanant, vt huic contigit, quod maximè vos obseruare, & memoria mandare debetis, neque obliti curationis peractæ ab Hippocrate, de qua loquentem habetis eundem 3.*acut.text.*59. Quo in loco abstinet à lotione in iis, quibus commodè sanguis fluit, sin minus, lauat, vt per hæc verba conspicuum fit. Pari modo, neque eos lauare conuenit, quibus profluit abundè è naribus sanguis; nam si minus fluxerit, lauare est consentaneum. Hi autem sunt, qui etiam largo egent balneo: vt sanguis, qui in capite est, vehementius moueatur. Consimiliter lauabimus, si sanguis nullo pacto erumpat, & erumpere debeat. Ex adiectione autem huius sermonis. Et si vniuersum corpus in cæteris, & si caput duntaxat iuuerit. Quàm igitur copiosæ requirantur euacuationes ad morborum iudicationes ex dictis constat, & præcipuè cruda existente materia. Restat modò, vt postquam

huc

hucvſque vidimus quantus eſſet morbus,quam cauſam haberet, & quomodo etiam præter expectationem in quinta ſit ſolutus integrè morbus, & qua de cauſa, aliqua dicamus ad curationem ſpectantia.

Curatio.

QVinto die ſolutus morbus, poteſt reponi inter morbos peracutos exactè, quibus,quæ ratio victus conueniat patet ex 1.*Aphor.text.7.* dum ait: *Quibus morbus ſtatim peracutus eſt, ſtatim & extremos habet labores,& extremè tenuiſſimo victu vtendum eſt.* Verùm, cùm noſtris temporibus tam exactam victus rationem ſeruare non poſſint, aliquid fuiſſet in hoc morbo concedendum, quod excederet tenuiſſimum victum, vt eſt cremor farri, hordei, cum ouis ſorbilibus, aut contuſum in pauca quantitate, carnis pulli gallinacei, quod parùm differt à pane trito, in diſtributione. Illud quod vrgebat,erant medicamenta vim morbi infringentia quamcelerrimè, ſi quid aliud,miſſio ſanguinis ea erat, ad quam ſtatim confugere expediebat, tum quia erat putrida, tum etiam quia erat vehementiſſima, neque exiſtimaſſem potuiſſe illam alui euacuationem impedire. Primò, quia poterat fieri primo die. Secundariò autem, quia habui cauſam à potione aquæ, neque puto fuiſſe immodicam, ſed tamen, quia in hoc ægrotante rem determinare non poſſumus, quia materiæ quantitatem ignoramus, debetis vos in his caſibus obſeruare motum naturæ, & ſi larga eſt per aluum facta euacuatio, ſuperſedendum tantiſper, dum aluus ſiſtatur, interim clyſteribus refrigerantibus vſi, ſi verò pauca eſſet, & moderata, non abſtinerem, ſed parciùs mittendo, pro tempore anni, corporis habitu, & virtutis robore, de qua re *inferius*. Hac peracta euacuatione, deueniendum erat ad attemperantia, qualia ſunt cichoreacea omnia, vel ſuccis aſſumptis, vel repleto ex eiſdem pullo, & aqua per alembicum extracta, vel, ſi magis placent, ſyrupis vſi, quales concinnantur ex ſyrupo de acetoſitate citri, & endiuiæ, boraginis, & id genus aliis. Alexipharmacis erat inſiſtendum quo malefica qualitas reprimeretur. Reuellentia non erant prætermittenda; vt materia caput feriens interciperetur, repetendi erant refrigerantes clyſteres, ſolis attemperantibus contenti, ab adſtringentibus abſtinentes ſemper, niſi ad hæc nos trahat vitæ periculum ex immodica per aluum euacuatione. Et quoniam quarto die ſanguis bis de nare dextra paulatim fluxit, & quinto copioſiùs, ſed tamen non adhuc ſufficienter, vt accidentia demonſtrant, eam ob rem videndum fuiſſet, an ex vſu extitiſſet ſanguinem mittere per venam ſectam,quo ex ambobus perficeretur euacuatio, ſolemus ſæpiſſimè imitari motum naturæ rectè, ſed diminutè operantis, neque in hoc caſu abſtinuiſſem, præſertim cùm deliraret, & vigilaret, ſignum, quòd calida erat cerebri intemperies: neque enim tanta fuit euacuatio, quæ intenſam ſiccitatem inducere potuiſſet, neque ſi Hippocrates lauit caput aqua ſimplici tepida, id fecit, quia putaret eſſe remorandam ſiccitatem à nimia euacuatione inductam, ſed vt eandem

deficientem

deficientem adiuuaret: nam balneum sic paratum laxat partes, per quas sanguis fluit; prætereà emendat malam humoris qualitatem, quod & vos animaduertere debetis, quotiescunque huiusmodi eueniunt casus: videmus enim quantum iuuerit, cùm à balneo, & vigiliæ, & delirium simul sint sedata, & meritò: nam vt humectans demulcebat bilis acrimoniam, hincque somni conciliatio, qui in morbis desideratur. Morbo sublato integrè; sanguinis euacuatione, etiam post iudicium perseuerante, suppressa, omnibus euacuationibus conquiescentibus, si nihil obstasset, aliquod leue purgans poterat exhiberi, veluti ex syrupo rosaceo solutiuo ad ℥. *iij*. vel *iiij*. mannæ ad ʒ.*x*. lenit. ad ʒ.*vj*. vel cum syrupo de cichorea cum rhabarbaro, & syr. rof. sol. concinnato medicamento. Posteà poterat exhiberi aliquid, ad ventriculi corroborationem, vt erat saccarum rosaceum, conserua absinthij Pontici, vel alia huiusmodi. Hîc antequam finem imponamus curationi, expedit nonnulla obseruare ad praxim facientia. Primum, vt anteà diximus, in euacuatione fuisse seruatam rectitudinem, cùm è nare dextra fluxerit sanguis semper. Hanc rectitudinem laudat Hippocrates 4. *lib. Coacarum*, *text*.2. *sect*.2. sic: *Si qui non è directo sanguinem profundunt, prauum*: quale est, si à liene magno, è dextro: similiter se res habet in hypochondriis: nam inter signa vitiosæ, & lethalis hæmorrhagiæ hoc ferè principatum tenet, si sanguis non fluat, per rectitudinem, vel è directo partis affectæ, vt hepate phlegmone obsesso è dextra nare, liene è sinistra. Ita idem Hippocrates 3. *in* 2.*epid. text*.13. Secundùm rectum, & laterum dolores. Aliud animaduerto obseruatione dignum, nimirum incipienti euacuationi per nares Hippocratem præsto fuisse, & tamen erat euacuatio in tempore cruditatis, neque est: quòd aliquis dicat, euacuationes sanguinis non esse symptomaticas, vt quidam existimarunt, quia Galenus apertè loquitur *in lib*.1. *de cris. cap*.8. Quo in loco etiam euacuationes sanguinis symptomaticas nuncupat, sic scribens: Neque igitur sudores, & vomitus, & excrementa alui, neque tumores post aures, neque profluuia sanguinis, si hoc tempore appareant, id est, in principio, vnquam per crisim ægritudines finierunt. Quod etiam confirmatur *in loco adducto epid. text*.16. *sect*.13. Erat igitur hæc euacuatio symptomatica, & tamen adiuuit lotione capitis. Diceris cur adiuuit incœptam euacuationem, quia animaduertebat fieri cum ægrotantis commodo, sed esse diminutam: nam inter commoda hæmorrhagiæ, non in postremis est illud, quòd iudicatoria non iudicantia prohibet esse mortifera, aut certè sinistri iudicij. Ergo, si Hippocrates videns adesse conferentiam in iam cœpta euacuatione, fuit adiumento illi euacuationi, non video, cur & nos in huiusmodi motibus symptomaticis non possimus aliquid moliri, si res cogat: nam quoties vidimus dysentericos ex intercœpta euacuatione delirasse, statímque iniectis clysteribus, ad mentem rediisse; quid aliud est hoc, quàm adiuuare symptomaticum motum. Ego quidem existimarem posse nos naturam adiuuare, etiam symptomaticè agentem, etiamsi id non videatur concedere Hippocrates, qui 1. *de humoribus*, *text*. 22. hæc habet: *Hinc fœtida, siue cruda sistenda non sunt:*

ſunt: inquit, *non ſunt ſiſtenda*, ſed tamen non addit, aut adiuuanda, quaſi id nolit Hippocrates, ſed ſinendus ſit naturæ motus, tantiſper, dum videat Medicus naturam agentem, etiam ſymptomatico modo. Verùm, quotieſcunque confert, ſi ſupprimatur, poteſt adiuuari maximo cum ægrotantis commodo, his adhibitis cautionibus, quæ debent ſeruari, quod pulcherrimè determinat doctiſſimus Valleſius 2. *in* 2. *epid. text.*4. Hippocrates ibi recenſet hiſtoriam Stymargi vxoris: *Illa ex ventris perturbatione paucorum dierum, cùm multùm curaſſet ſiſtere, & abortum feciſſet; fœtus fœminæ quadrimeſtris, à corruptione ſana facta, intumuit.* Ita ſuper illo textu ſcribit: *Hic caſus nos admonet, quantum periculi eſſe ſoleat in ſiſtendo alui profluuio. Quoniam verò, non minùs etiam eſt, ſi non ſiſtatur, antequam nimius fiat, conſiderare cautè oportet in omni effluxione, quid agendum, an ſiſtendum, an mouendum magis, an permittendum fluere. Scopi verò in hac conſultatione ſunt, conferentia, & tolerantia, & modus fluendi: nam ſi cum conferentia, & tolerantia, benè fluit, permittendum tantùm: ſi cum illis, tamen lentè fluit, mouendum: ſi ſine illis, ſiſtendum eſt.* Hæc Valleſius, cui fides maxima eſt præſtanda, & quia Valleſius acutiſſimi ingenij, vt ferè omnes Hiſpani ſunt, ſed etiam quia nititur optima, & quotidiana experientia. Videtur & doctiſſimus Septalius hoc idem affirmare, dum *lib.* 3. *ſuarum cautionum, caut.*60. hæc habet: *Optimè, minimè tamen à Medico eſt valde adiuuanda, quia non debet Medicus naturam imitari, niſi coactus, quando ex retentione vrgent ſymptomata.* Ergo, ſi non valde, & ſi quando vrgent ſymptomata, aliquando eſt adiuuanda natura ſymptomaticè mouens. Quare, quidquid alij dicant, quotieſcunque incipiet euacuatio aliqua alleuans naturam, quæ poſtea ſupprimatur, cum ægrotantis incommodo, tunc poteſt illam adiuuare, vt videmus Hippocratem feciſſe in Metone, & quod dico de ſanguinis euacuatione, de aliis idem ſentiendum exiſtimo. In hoc igitur lauit caput, vt ſanguinis motum redderet faciliorem, neque ſua ſpe eſt fruſtratus, quando, cum grauiſſimis ſymptomatibus, largè fluente ſanguine, nulla exiſtente humorum coctione præter expectationem ſeruatus eſt, ſine recidiua, beneficio euacuationis, etiam poſt iudicium perſeuerantis, quod idem virgini Lariſſæ eueniſſe videbimus, vt proinde diſcamus cognoſcere, quanti ſit perſeuerantia euacuationis, etiam ſymptomaticæ, cùm iudicet integrè ægrotantem, quod maximè attendendum eſt, & magni faciendum. Et hæc hactenus de Metone.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΟΓΔΟΟΣ.



ΡΑΣΙΝΟΝ, ὃς ᾤκει παρὰ Βοώτου χαράδρην, πῦρ ἔλαβε μετὰ δεῖπνον. νύκτα ταραχώδης. ἡμέρην τὴν πρώτην δι' ἡσυχίης. νύκτα ἐπιπόνως. δευτέρῃ πάντα παρωξύνθη. ἐς νύκτα παρέκρουσε. τρίτῃ ἐπιπόνως. παρέκρουσε πολλά. τετάρτῃ δυσφορώτατα. ἐς δὲ τὴν νύκτα οὐδὲν ἐκοιμήθη. ἐνύπνια καὶ λογισμοί. ἔπειτα χείρω, μεγάλα καὶ ἐπίκαιρα. φόβος, δυσφορίη. πέμπτῃ πρωῒ κατήρτητο, καὶ κατενόει πάντα. πολὺ δὲ πρὸ μέσου ἡμέρης ἐξεμάνη. κατέχειν οὐκ ἠδύνατο. ἄκρεα ψυχρὰ ὑποπέλια. οὖρα ὑπέστη. ἀπέθανε περὶ ἡλίου δυσμάς. τούτῳ οἱ πυρετοὶ διὰ τέλεος ξὺν ἱδρῶτι. ὑποχόνδρια μετέωρα. ξύντασις μετ' ὀδύνης. οὖρα δὲ μέλανα ἔχοντα ἐναιωρήματα στρογγύλα. οὐχ ἱδρύετο. ἀπὸ δὲ κοιλίης κόπρανα διῄει. δίψα διὰ τέλεος οὐ λίην. σπασμοὶ δὲ πολλοὶ ξὺν ἱδρῶτι, περὶ θάνατον.

ÆGROTVS VIII.



RASINVS, *qui prope Bootæ torrẽtem habitabat, igne est à cœna correptus, noctem habuit molestam.* [a] *Diem primũ quietè, noctem laboriosè transegit.* [b] *Altero die omnia sunt exacerbata, nocte delirauit.* [c] *Tertius dies laboriosus fuit, multùm delirauit. Quartus fuit molestissimus, nocte nihil dormiuit, insomnia, imaginationes, deinde* [d] *peiora, magna, & periculosa, timor, implaciditas.* [e] *Quinto die mane recreatus est, & omnino resipuit: Multo autem ad meridiem furore percitus est, sibi imperare non poterat:* [f] *extremitates frigidæ, & subliuidæ, vrinæ crudæ: Ad solis occasum obijt. Habebat hic febrem perpetuo cum sudore: hypochondria sublimia contenta cum dolore:* [g] *vrinæ nigræ, suspensiones continebant rotundas, non subsidebant: venter stercus excreuit: sitiebat continenter* [h] *non valde: conuulsiones multæ cum sudore, & sub mortem continentes.*

COMMENTARIVS.



ON minùs lethaliter, quàm acutè, & hic ægrotans laborauit, quando terminum habuit hic morbus quartum diem, vt Galenus annotat *in comment.* sic scribens: *Ac Erasinus quamquam omnia grauia haberet, ad diem tamen quintum mortem produxit, quòd die primo mediocriter se haberet.* Vnde est de eo scriptum ad verbum. *Diem primum quietè transegit.* Quintus itaque ab initio, quo decessit, non adnumerato primo, quartus efficitur. Itaque videmus quòd, quemadmodum febres simplicissimæ, ac signis firmatæ securissimis quarto die, aut citiùs finiunt, vt *lib.3. progn. text.2.* habetur, sic: *Quæ malignissimæ sunt, & quibus periculosissima adsunt signa die quarto, aut citiùs perimunt.* Pericles Abderæ, quamuis acutissimè laborauerit, tamen quoniam signis firmata est securissimis, non vltra quartum est producta, & euasit, vt videbimus. Hic quoniam deterrimis, vt ex textu elicitur, quarto die obiit, cùm tamen vterque morbo peracuto exactè laborauerit: sic enim appellantur, qui quarto die terminantur, docente Galeno *lib.2. de diebus decret. cap.12.* *Inter cætera, quæ morbi arguunt malitiam, est sudor ille perpetuus cum febre morbum non soluens.* Huiusmodi sunt febres illæ, quas Galenus *lib. aduersus Lycum* appellat humidas, his verbis: *Quædam autem summè humidæ*, quod genus illæ sunt, quas Græci τυφώδεις, vel ἐλώδεις appellant: subdit haud multo post; *Cùm à prima statim die ægrotantes sudant, sudoréque ipso aut parum, aut nihil leuantur, has ego humidas appello febres.* Sunt ex illis sudoribus inutilibus, à quibus ægrotantes vt minimum quidem iuuabantur, cùm à principio ad finem sudent ægrotantes, sine conferentia, & tolerantia, sed potiùs citissimè exoluuntur. Huiusmodi febrem semel vidi hucvsque in quodam Petro Franc. Asiuolo ex oppido Plebis Cayri. Hic cœpit febrire & sudare, & quo magis sudabat, magis æstuabat, & excrementa reddebantur difficulter, sed in spiras circunducta, vt igne exsiccata apparerent, sícque liquato corpore intra quartam obiit, quo eodem fato functus est hic de quo agitur ægrotans. Causa fuit sine dubio adusta bilis, vt accidentia demonstrant. Non potuisse euadere cum tam violenta euacuatione conspicuum fiet, si quæ scribit Hippocrates *2. prorrhet. text. 23.* attendamus, dum ait: *Sudor multus, si cum febribus acutis fiat, inutilis.* Quibus addit Galenus de suo, hæc: *Ad nomen (multus) mentem potissimum converte, quoniam sæpius qui in acutis assiduè sudant mediocriter, quanquam cunctentur, trahántque, non tamen moriuntur: si verò sudor multus fuerit, qui febrem non soluat, quòd ægri virtus citò exoluetur, liquidò constat.* Meritò igitur cum huiusmodi sudore obiisse scribit Hippocrates. Neque est quòd dicatis eundem Hippocratem *in lib.4. Coacarum, text.45.* velle in febribus acutis sudorem esse multum, dum *in textu* sic ait: *Acuti morbi indicantur san-*

guine fluente è naribus, die critico, & sudore multo. Per *multo*, non intelligit immoderato, sed causæ proportionato, quia cùm causa sit valida, valida etiam requiritur euacuatio; oportet sit modus quidam, veluti in omnibus aliis excretionibus, nimirum vt tantum effluat, quantum sit satis extinguendo morbo: nam suprà modum effluens vires deiicit, ac sæpè vires extinguit. Quod infra, nihil, aut minus, quàm oportet conferre solet. Prætereà oportet sit in die critico. In hoc incœpit statim à principio erumpere cum maximo ægrotantis detrimento. Noto vnum, scilicet dicere Hippocratem, à cœna igne fuisse correptum, innuens credo, deliquisse in victu, non quia putem congesta fuisse tot excrementa inutilia, quæ huiusmodi morbum concitare potuerint, sed quia leuis causa multa grauissima producit, quando corpus est iam malè affectum: Neque miror, dicere Hippocratem, habuisse noctem molestam: nam incipiente accessione in principio noctis, non potuit ita leuis esse, quin perdurauerit spatio horarum nouem, aut etiam multò plùs. Addamus, quòd multò grauior extitit, multis alimentis repleto ventriculo, & fortasse etiam variis: neque fortasse erratum esset dicere, deliquisse in potu vini, quia hoc est præcipuè frequentissimum, ex quo delicto, & febris vehementissima potuit succendi, dolórque capitis generari.

[a] *Diem primum quietè, noctem laboriosè transegit.*] Solent etiam morbi lethales, cùm incipiunt, interquiescere, sed tamen grauiùs inualescunt. Hic ægrotans, cùm inuasit morbus, molestam habuit noctem, quoniam in noctis initio correptus febre, & visa est quieuisse circa diem, sed tamen non fidisset quiuis, videns vrinas nigras, quas habuit à principio morbi, cùm dicat: *Habebat hic febrem perpetuo cum sudore*, & reliqua, quæ ponit tanquam morbum consectanea, & propterea magis timuisset Medicus cordatus, videns morbi alleuationem, cum signis lethalibus, vt dicemus *infra*, & cum ratione existimasset non potuisse perdurare hanc alleuationem. Neque, dum ait, primum diem quietè transegisse, existimare debetis fuisse sine febre, sed loquitur comparatiuè ad noctem præcessam, & subsequentem; neque puto ego propterea fuisse noctem molestam, quia sequeretur dies grauior, sed ideò factum, quia humorum malitia inualesceret, cui, cùm non posset natura dominari, veluti ignis comburens, multò magis increscebat, nec remittebatur vnquam, sed ita inualuit calor præternaturalis, vt nunquam cessauerit, donec naturalem extinxerit. Quòd verum sit, subdit.

Altero die exacerbata sunt omnia, multum delirauit.] Et sic sequentibus diebus factum cernimus. Altero die, id est, die secundo, quo vult Galenus incœptam esse malignitatem, etiamsi, dum Hippocrates appellat ignem, febris vehementiam in primis verbis aperit, cui tamen non statim malitia iuncta est, cùm magnitudo, & mos distinguantur, nisi vrinæ nigræ statim apparuissent, vt videtur posse deduci ex textu. At, vtcunque sit. *Altero die, omnia sunt exacerbata, nocte delirauit.* Per *omnia* fuisse exacerbata, possumus intelligere noctis molestiam, hæc autem includit inquietudinem, sitim, vigilias, capitis dolorem, & alia, quæ experiun

experiuntur ægrotantes ſic affecti, & præcipuè, qui ventriculum prauis humoribus habent refertum, & fortaſsè ſudor copioſior, virtus languidior. Neque mirum in tanta humorum efferueſcentia caput ita affici, vt delirent ægrotantes. Itaque & die, & nocte grauiſſimè ſe habuit. Hinc elicias licet, febrem hanc humidam ex colliquatione proueniſſe: ſunt enim tres cauſæ humidarum febrium. Vna ex colliqueſcentia pendet. Altera ex meri malitia. Tertia ex multitudine. Hæc minus mala. Secunda hac deterior: Prima verò omnium deterrima. Ex copia erant febres illæ, quæ poſt canem fiebant ſudoroſæ, à quibus tamen multi iudicabantur, indicium quòd fiebant à copia, quæ reponuntur inter minus lethales. Poſt canem febres fiebant ſudoroſæ, paucis ſeptem, & nouem diebus ceſſabant, vndecimo, & quartodecimo, decimoſeptimo, & vigeſimo iudicabantur, *lib.5. epid. text.68.*

[c] *Tertius dies laborioſus fuit.*] Quomodo laborioſus fuerit, oſtendit, dicens, *multum delirauit.* Itaque, ex hoc apparet euidentiſſimè ſubcreuiſſe malitiam humorum, & morbum vim ſumpſiſſe eundo, vt apparet ex quarto die, quem dicit fuiſſe moleſtiſſimum, ſi quartus, perinde ac tertius grauia habeat ſymptomata, breui fit iudicium, & vbi iudicium, ibi & mors, in morbis lethalibus. His quæ paſſus eſt perpenſis à Medico, quæ ſpes futuræ ſalutis ſuberat, præſertim tam grauiter in quarta ſe habente, de quo ita ſcribit: *Quartus fuit moleſtiſſimus, nocte nihil dormiuit, inſania, imaginationes, deinde peiora, magna, & periculoſa, timor, implaciditas.* Hæc ſunt, quæ habuit quarto die, omnia humorum acuitatem, & malignitatem aperientia: nam vigilare indicat humorum caliditatem, vt vidimus *in Hiſtoria Cleonactidis,* quo in loco ſic legitur: *Simúlque redundantem ſuccum non eſſe bilioſum, & calidum his ſignificabatur: nam ab eo quidem ſitibundi, & inſomnes efficiuntur.* Itaque ſolo hoc ſymptomate poterat Medicus magnam ruinam prænunciare, vt colligitur ex *2. progn. text.12. Peſſimum verò,* inquit, *eſt, ſi neque interdiu, neque noctu dormiat: dolor enim, ac labor, vel deſipientia ſignificatur ab eo indicio, & ingens cerebri ſiccitas, à qua ſolent delirare.* Ita etiam *1. in 7. Coacarum, text.35. ſect.7.* ſcriptum reliquit Hippocrates: *Peſſimum autem eſt non dormire, neque die, neque nocte, aut enim præ dolore, & afflictione vigilauerit; aut ab hoc ſigno delirabit.* Sæpiùs dixi magni faciendas eſſe vigilias, quia ſunt in febricitantibus grauiſſimum ſignum, in ſanis non leue: ſunt enim prauæ vt cauſæ, & vt ſignum. Vt cauſa, quia prohibent coctionem. Vt ſignum, quia indicant prauam corporis diſpoſitionem. Sunt ex iis ſignis, quæ recidiuam prænunciant, etiam in iam à morbo reſtitutis. Imaginationes indicabant eſſe humorum prauorum copiam, præcipuè circa os ventriculi, vt ex Galeno habetur *3. Aphor. comm.24.* Súntque humoris melancholici effectus, vt *3. in 1. epidem. comment.1.* His additur timor, & implaciditas, quæ vtraque praua erant: nam vtraque indicabant prauam quandam humorum qualitatem, quam natura non ita facilè poſſet euacuare: timor enim magnoperè acris, & decoctæ bilis flauæ eſt ſymptoma, vt *2. in 1. epid. comment.74.* perinde, & impla-

ciditas, quam ab eadem causa fieri fatetur Galenus 3. *acut. comment.* 14. his verbis: *Quare in malignis, maleficísque biliosis adiecit, quod talia excernentibus ipsis non extinguuntur, sed omnino vice versa increscunt, augentúrque.* Neque ardor hypochondriorum sedatur, quin potius vehementior redditur. Adde, quod ῥιπτάζονται, id est, ἄσην, & δυσφορίαν habent, id est, implacidi, inquietíque fiunt. Quibus verbis apertissimè confitetur implaciditatem sequi malignorum, & adustorum præsentiam: solent etenim tunc verè esse implacidi, & inquieti ægrotantes, quando os ventriculi à prauis, & malignis succis infestatur, vt huic contigisse verisimile est, & cùm dicat,

[d] *Peiora.*] neque explicet, quid intelligat per hæc, fortasse, subdens *timor, implaciditas*, hæc appellat *peiora*: tamen putarim ego vix fieri potuisse, quin in tanta humorum congerie, aliquis esset oris ventriculi dolor, quod symptoma tanti est faciendum, vt si quis simplici tertiana laboret cum oris ventriculi dolore, suspectam habeat salutem suam, quando est exquisitissimi sensus, cuius causa, vt scitis cor dicitur, quia ipsius affectio, ratione arteriæ magnæ, quæ in longum ventriculi protenditur, facilè cordi communicatur, híncque grauissimæ syncopæ, & velocissimæ mortes. Vidi ego bis, & ter, mortuos ægrotantes in tertiana omnino intermittente, qui accessionis die, cum dolore oris ventriculi in mortiferam inciderunt cardiacam. Presbyter fidelis Canonicus tertiana laborans omnino intermittente, in tertia accessione obiit, cui medicinam faciebant Excellentissimus Doctor Marotius, & Pater meus, & non alia de causa, nisi propter intensum oris ventriculi dolorem. D. Benedictus Terzagus eodem fato functus est. D. Ioan. Baptista Pistoletus ex eodem morbo defunctus est; quamplurimos posteà vidi grauissimè affectos. Multis remedium fuit, præsertim iis, qui vehementiùs vomentes, dolebant ore ventriculi: frustum panis madefactum in aqua, & vino aspersum exhibitum. Ego testari possum, me multis præsto fuisse, & multos restituisse, quibus iam præ vi morbi erant refrigerata extrema, vt etiam vos pluries vidisse credo, etiam aliquando quibusdam Medicis renuentibus, quia etiam inualescente accessione hoc medendi genere sim vsus. Id verò animosiùs præstabam, quia Galenus ita faciendum consulit, *in lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. *in cap. de febribus cum accidentibus*, quod caput vos iuuenes diligenter legere debetis, vt sciatis, quando hoc modo curandum, quando abstinendum. *Vinum*, inquit ibi, *etiam aqua frigida temperatum curat eas, quæ ex magnis fiunt euacuationibus, dissolutiones, & tunc præsertim, quando ad ventriculum fluunt humores.* Sed statim subdit, quid attendendum præcipuè sit. Sed aduertendum, an aliquid sit, quod prohibeat huiusmodi exhibitionem, veluti, si aliquod vnum ex visceribus inflammationem patiatur, aut caput vehementiùs doluerit, aut passio aliqua, quæ delirare cogat, affuerit, aut febris incendens in morbo crudo: magna enim, & quasi insanabilia ex potu vini in huiusmodi affectibus nocumenta proueniunt. At quorsum hæc? Vt vos iuuenes moneam memoria mandetis, quæ hîc scribuntur, quando vos sæpissimè decipient tales

les

les affectus, putantibus vobis simpliciter esse veram Hippocratis propositionem dicentis: *Febres quoquomodo intermiserint, periculum abesse significant*, quia id verum est, quatenus spectat ad febrem solam, non ad febrem cum symptomate,& præcipuè,si habeat,propter sui grauitatẽ,rationem causæ: tunc enim à symptomate desumi indicationem par est, ita confirmante Galeno *lib.12. meth. cap.1.* Caput dignum quod à vobis legatur attentè. Quare, quando Hippocrates scribit Erasinum habuisse peiora, præter timorem, & implaciditatem, ego libentissimè adderem oris ventriculi dolorem à maligna illa humorum qualitate prouenientem.

e *Quinto die mane recreatus est,& animo resipuit.*] Hæc alleuatio admodum erat infida,& est illud, quod habetur ab Hippocrate, *Perniciosa sine signis leuantia:* neque enim præcessit euacuatio aliqua insignis, non signa coctionis, sed omnia erant deterrima, propterea deterior debebat existimari ægrotantis conditio: nam qui in signis prauis leuiùs habent, difficili morbo laborant, ita dicente Hippocrate *2.lib.Coacarum text.11. comment.1.* *Fiunt istæ alleuationes natura interdum extremos conatus edente, interdum eadem cessante, quæ præ infirmitate non agitat materiam, cuius interim vis malefica accrescit, ac dissoluta, totáque substantia naturæ contraria, vel mediocriter habentem necat.* & *lib.2. Coacarum text.12. comment.2.* ita legitur: *Qui morbi in malis signis leuantur, & qui in bonis non remittunt, difficiles sunt*, quod idem est, ac illud, quod legitur apud Hippocratem *in Aphorism. Quæ præter rationem leuant, his non est fidendum.* Rem ita esse, euentus demonstrat, quando vix videbatur alleuatus,quòd deficiente Sole furore percitus est.

Deficiente Sole. Hoc videbatur denotare, quis humor peccaret, nimirum solet humor atrabiliarius ea hora præcipuè moueri, & quemadmodum peccans humor erat extremè malignus,non amplius dicit, delirauit, sed *furore percitus est:* innuens vehementissimum fuisse delirium: neque enim huiusmodi deliria fiunt à pituita,neque ab alio placido humore,sed ab atra bile, sic monente Galeno *6.Aphor. comment.56.* his verbis: *Non tamen furor est passio communis, nunquam enim ex pituita fit, cùm ad eius generationem humor irritans, & mordax exigatur, talis autem est flaua bilis, humor autem melancholicus non semper, sed cùm supra modum exustus est,aut putrefactus,malignámque induerit acrimoniam, qualem puto humorem fuisse, furorem Erasino inducentem*, & vt ostenderet vim delirij, inquit, *sibi imperare non poterat.*

f *Extremitates frigidæ,& sublinidæ: vrinæ crudæ.*] Iam diximus illam alleuationem, quam habuit quinto die, prouenisse ex virtutis extrema imbecillitate, neque propterea quòd furore percitus est, indicatur naturæ robur virtutis, sed quidem extremus virtutis conatus, quæ tandem succubuit causæ morbificæ. Huius certum erat indicium extremorum refrigeratio, & liuor, de qua re, iam aliàs dictum est, mortem sic affectis esse præ foribus, quia sequitur, aut ad vehementiam inflammationis internarum partium, aut ad extremam imbecillitatem caloris natiui,

tiui, vel ad eiusdem caloris oppressionem, vel ad periodicam accessionem.

Extinguitur calor imminente exitio, indéque extrema refrigerantur, sed cum liuore, & tantopere aliquando refrigerantur, vt glaciei similem habeant refrigerationem, aliquando etiam cum sudore frigido. Qui ita sunt affecti, moriuntur citissimè. Contrahitur calor in dolore vehementissimo interiores partes occupante ab inæquali intemperie, pituita vitrea, flatu: in summa virium imbecillitate statim ab initio, affectibus cordis, colliquatione alui. Opprimitur calor, & oppressus non potest diffundi ad extrema vsque, ídque propter copiam multorum ciborum, granato ventriculi ore, aut morso ab acribus humoribus per inediam.

Postremò in accessione periodica, vt in tertianis, aut critica, quando scilicet natura aliquam est tentatura euacuationem criticam, quo tempore contrahitur calor natiuus ad interna, & colligit se, vt noxia deturbet à corpore. Cùm igitur tot causis refrigerari contingat extrema; in hoc ægrotante, etiamsi adesset interna inflammatio, vt sublimitas hypochondriorum ostendit; tamen extrema imbecillitate virtutis sunt refrigerata, & facta subliuida, emorientis facultatis non obscurum argumentum, vti aliàs audiuistis. Quare, cum tanta virtutis imbecillitate, quomodo poterat diutius vitam protrahere, præsertim vrinis crudis existentibus, quæ requirebant tempus ad coctionem: virtus autem extremè depressa non poterat tempus expectare. His igitur omnibus de causis ad Solis occasum obiit, ea scilicet parte diei, in qua magis infestabatur, tanquam in deteriori parte, qua hora etiam cœpit ægrotare. Pergit modò Hippocrates recensere, quæ per totum morbum passus est, inter cæteráque id erat, quòd *febrem habebat cum sudore, hypochondria sublimia, contenta cum dolore*, ex quibus euidenter apparet habuisse vehementem in vtroque viscere inflammationem: nam erat febris, tumor, dolor, quæ omnia inflammatas partes consequuntur. Prætereà illa circa vesperas exacerbatio, delirium, sunt ex consequentibus inflammationem, sic docente Aëtio *lib.3.serm.1.cap.3.* ibi post multa inquit, *Febris adest acuta, inæqualis, quæ plerunque ad vesperas, & noctem exacerbatur.* Accessionis autem tempore, quidam delirio apprehenduntur. Verum non sat erat considerare esse istas partes inflammatas, sed ampliùs quanta esset attendere, erat pernecessarium, cùm ad magnitudinem inflammationum sequantur febres. Quapropter, cùm vehementissima esset hæc febris, fuisse etiam talem inflammationem erat verisimile, & ita magnam, vt adureretur, quando per sudorem est resoluens. Non dissimilem casum memini me vidisse in Xenodochio maiori Papiæ. Erat iuuenis quidam febricitans ardenter, cum tumore insigni circa hypochondrium dextrum, sed dolebat ita, vt neque tunicam ipsam posset sustinere, & si fortasse nos tangebamus, statim ac persentiebat digitum, clamabat, plorabat præ doloris vehementia, sudabat per totum corpus, citissimè obiit, quia vix quartam tetigit. Nouitate casus motus: etiamsi, cùm essem iuuenis, alterum vidi viuente patre meo in eodem loco, sed quòd sciam, non fuit sectum corpus: huius

igitur

igitur corpus ſecandum curaui à doctiſſimo Lorcano Doctore Chirurgo Mediolanenſi, qui anatomiam in hoc Ticinenſi gymnaſio, poſt doctiſſimum Aſellum, exercuit. Mirum dictu! hepar inuentum eſt in parte gibba, ita denigratum, vt videretur in ſartagine coctum, quod ſine dubio non aliter factum credidimus, quàm ab inflammationis vehementia. Vidi ego, & multi ex adoleſcentibus, quos mecum habebam. Ita fortaſſe, & huic contigiſſe viſum fuiſſet, ſi ſectio à perito viro facta eſſet, & hortor vos in huiuſmodi caſibus grauiſſimis, curetis ſecari corpora, quoniam erit vobis & maximæ vtilitatis, & maximi honoris, dum animaduertent domeſtici non erraſſe vos in morbi cognitione, aut ſaltem videbunt morbi magnitudinem non admiſiſſe remedia cum ratione facta. Quòd ſi contigerit vos erraſſe, neque id erit inutile ad conſimiles affectus cognoſcendos; & ſi vobis continget decipi, ne vos pudeat id fateri, quia humanum eſt, humanum corpus pertractantem, tam facilè alterabile, præſertim in morbis internis, decipi. Quòd ſi non puduit Hippocratem fateri ſe fuiſſe deceptum, pudebit vos, & nos, qui neque Hippocrates ſumus, neque vnquam futuri, ſi mille annorum ſpatium viueremus. Videte *quinto epid. text.* 27. quàm animosè fateatur Hippocrates ſe fuiſſe deceptum in curatione Autonomi, dum ita habet: *Hoc me latuit ſectione opus habere, deceperunt me ſuturæ, habentes in ſeipſis iaculi læſionem, poſtea enim perſpicuum fiebat.* Idem Hippocrates curans famulam in Omilo *in eodem libro, text.* 28. dicit ſic: *Suturæ verò in vlcere erant.* Hoc cognitum eſt rectè, ſectione opus habere. Secta eſt autem, non velut oportebat, ſed quantum relictum, pus in ipſo factum eſt. Quos textus dum exponit doctiſſimus Valleſius, non dedignatur ponere verba elegantiſſimi Celſi deſumpta ex *lib.* 4. *cap.* 4. dum inquit. Commendat Celſus candorem, & ſimplicitatem Hippocratis, qui ſuum errorem tam apertè confitetur, contrà, ac imperiti, qui nihil ſe fatentur ignorare. Sunt verò eius hæc verba: *A ſuturis ſe deceptum eſſe Hippocrates memoriæ prodidit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerũ habentiũ. Nam leuia ingenia, quia nihil habẽt, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multáque nihilominus habituro, conuenit coram ſimplex veri erroris confeſſio, præcipuéque in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis antea deceptus eſt.* Verba tanto viro digna, quæ vobis animum addere debent, omnem adhibentes curam, vt in morbis cognoſcendis non decipiamini, decepti non perterreamini. Nonne & Galenum aliquando ſe deceptum eſſe ſcimus.

[g] *Vrinæ nigræ, ſuſpenſiones continebant rotundas.*] Hæc fortaſſe erant ea, quæ Hippocrates appellabat peiora, & magna. Deterrimum eſt in morbis apparere vrinas nigras, ſed præſertim in hoc ægrotante, quia cauſam habebant ingentem aduſtionem, vti ex accidentibus conſtat: verè torrebatur & hepar, præcipuè in parte gibba, quæ ſolet per vrinas expurgari, rem ita eſſe fidem etiam faciunt ſuſpenſiones rotundæ. Has à vi caloris ita eſſe factas iam dictum eſt, neque propterea ſubſidebant,

quia materia erat cruda, & flatuosa. Et quia in inflammationibus hepatis, quemadmodum lotium emittitur acre, ita venter ex vi caloris adustâ materiâ, supprimitur, nisi cum visceris imbecillitate inflammatio sit oborta. Cùm igitur dicat ventrem stercus excreuisse, id non est quid boni, sed potiùs dicerem indicasse facultatis retentricis imbecillitatem, quia nihilominus fuit semper inutilis euacuatio, si fuit talis aluus à principio. Sitiuisse posteà continenter, id non erat mirum, quia sitis causa aderat vehemens, sed quod addit,

[b] *Non valde.*] Id erat lethale, indicans non sitiuisse ex caloris extinctione; non quia deliraret, nam in tali febre, si absit ingens sitis alterutrum indicat, aut mentem esse læsam, aut ventris naturalem facultatem, qua subinde appetimus emori. Iam vidimus delirasse vehementissimè: hos autem Hippocrates *in prorrhet.* appellat *paucibibos.* Sed vtcunque esset, erat perniciosum signum. Conuulsiones multæ cum sudore, & sub mortem continentes. Hoc non admodum est infrequens, ratione siccitatis ex larga euacuatione factæ, quo tempore non est ampliùs remedio locus: nam habemus à Galeno scriptum, quòd, *si ex adurentibus febribus totum corpus exsiccetur, & neruis ex siccitate conuulsio accidat, maximum est malum, & penè insanabile, quoniam*, inquit, *tempus longum requiritur ad siccitatem neruorum remouendam, vehementia autem morbi id non expectat, sed citò vires dissoluit, & subitò exitium affert. lib. 2. Aphor. comment. 26.* Quod idem repetit, & magis absolutè *lib. de tremore, & palpitat.* sic: *Ac ex siccitate conuulsiones nunquam sanaueris, qui ita sunt affecti, protinus emoriuntur, ne cogitandi quidem remedij tempus permittentes.* Quæ cùm ita sint, meritò breuissimo temporis spatio defunctus est Erasinus. Hinc habemus, quàm grauissimum sit partes internas inflammari, cuius occasione dicebat Hippocrates *in lib. 1. progn. text. 29. Oedema in hypochondrio durum, & dolens pessimum est.* Per œdema ibi intelligit inflammationem: nam mos est Hippocrati aliquando per œdema, intelligere quemuis tumorem, vt Galenus apertè docet *lib. 5. Aphor. text. 65.* his verbis: *Omnes præter naturam tumores, Hippocrates œdemata, id est, inflationes nominat, sub quibus videlicet etiam inflammationes continentur.* Quod idem multis aliis in locis habuit. Qui ita sunt affecti, celerrimè moriuntur, si credendum est Hippocrati *lib. 1. progn. text. 36.* Quæ verò œdemata dolentia, dura, magna sunt, periculum mortis breui fore significant: nam vt partes principes, & quæ toti corpori inseruiunt, non possunt nisi celerem inducere mortem, si grauiter afficiantur ob partis præstantiam. In *sect. 2. text. 2. lib. 3. Coacarum, comment. 2.* ita legitur: *Tumor in hypochondrijs durus, & dolens pessimus; siquidem omnes partes occupet, significat autem tumor is in initio quidem mortem in breui. At si vigesimum superet, & perseuerat febris, suppuratio ex eo expectari oportet, & lib. eod. text. 1. Præcordia oportet esse mollia, indolentia, & æqualia. Quæ verò exæstuant, inæqualiter habent, doléntque, malè clementis morbi signum est.* Ex quibus elicere debetis, quàm sit vtile, & pernecessarium in omnibus morbis hypochondria pertractare, sed præcipuè in morbis

morbis acutis : facit enim non parum ad curationem, sed præcipuè ad præsagium, vt ex his, quæ vidimus apparet manifestissimè. Et hæc satis sint, quia meliora non habeo.

Curatio.

NOn video quomodo potuisset Medicus occurrere huic ægrotanti: nam si spectemus morbi magnitudinem, internam inflammationem, nemo ambiget, quin citissimè esset sanguis extrahendus, ita consulente Aëtio *loco adducto*, & *cap. de liene inflammato. cap.* 10. Ex altera parte, cùm sudor esset vehementissimus, ex quo nonnisi citissimè poterat virtus deprimi, non ita liberè ad hanc euacuationem properassem. Ego ita me gessissem. Pulsum tetigissem diligenter, quem si validum inuenissem statim ad venæ sectionem deuenissem, iniecto priùs clystere emolliendi, & refrigerandi vim habente, quales sunt, qui ex aqua hordei, melle violaceo, saccaro rubeo, oleo violaceo parantur, aut butyro: neque animosè scenam soluissem, sed fuissem contentus vnciis quatuor, vel quinque, etiam diligentissimè pertractans pulsum. Si priorem sustinere euacuationem animaduertissem, sine euidenti detrimento, non fuissem veritus eandem leniter repetere, semper assistens, nimirum operationis tempore, ne plus iusto euacuatus sanguis celeriùs mortem afferret. Ambiguus meritò est Medicus in his casibus in puerorum morbis, in vtero gerentium, quibus temporibus bene consulit sibi, & ægrotantibus, si quo tempore sanguis mittendus est, ipse præsens est : quibus enim demandatur hæc operatio, illi animosiores, iactant se bene mandatis Medici obtemperasse, si largissimè sanguinem effluere permittant, quòd si quid sinistri accidat, statim Medicò adscribitur, etiamsi artificis error sensui euidenter pateat, & eam ob rem in casibus ambiguis non committite dignitatem vestram, & ægrotantis salutem huiusmodi hominibus, qui nihil aliud considerant, quàm vt euacuent ; quantum autem, non animaduertunt. Quare, si ex hac euacuatione sudor remitteretur, signum esset remissam fuisse insignem illam internam inflammationem: verùm si nihilominus perseuerasset, vt vidi in homine illo Plebis Cairi, qui eò magis sudabat, quò magis euacuabatur, prædicto periculo priùs, componeret animam, quàm primum iussissem, & à quibuscumque validioribus abstinuissem, & refrigerantibus essem vsus internis, & externis. Internis, decocto parato in iure ex pedibus vituli, vt nimis attenuati humores possent incrassari, in hoc decoctis capitibus papaueris albi, acetosa, portulaca, endiuia, violis, seminibus acetosæ, & id genus aliis. Exteriùs reddendo aërem frigidum, iis, quibus solemus vti, & fortasse tentassem sudorem intercipere constipatis cutis meatibus, vt aliquid etiam tentarem cum periculo, facta inunctione toti corpori ex oleo violaceo, aut eodem immerso in balneo aquæ frigidæ, item continuata ventilatione. At enimverò, cùm supponamus hanc euacuationem ex colliquatione prouenisse, omnia irrita futura crediderim, & fortasse etiam fuissent

facta, cum ægrotantis pernicie, retenta materia illa malefica, per poros cutis exhalante: intus enim remanente celeriùs suffocasset calorem. Syrupi refrigerantes debebant sumi in maxima quantitate ad ℔.j. vt credo etiam expedire in morbis acutissimis, vt vis caloris euincatur, bis in diem sumptis: Galenus enim in synochorum curatione larga aquæ potione vtitur, secùs ea frigiditas non difficilè euincitur à vi morbi, & ita non extinguitur. Ad delirium sedandum conuenissent oxyrrhodina, & quæcunque aliàs dicta sunt. Vigiliis si fieri poterat prouisum esset syrupo papaueris albi, exteriùs, odoramentis, vnctionibus, lotionibus, oxyrrhodinis ex lacte, de quibus non est cur agamus, cùm morbus is esset, qui negligeret quæcunque à Medico poterant excogitari. Qualis deberet esse victus ratio, breuitas morbi ostendit, sed & resolutio ingens aliquid dandum fuisse denotabat vt continuæ effluxioni esset prouisum. Cùm igitur non esset remedio locus, obiit, & eam ob rem solo prognostico vtens, imposterum à validioribus erat abstinendum, vt seipsum Medicus, & medicamenta, quæ multis profuisse vidit infamasset. Sit Laus Deo.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΝΑΤΟΣ.



ΚΡΙΤΩΝΙ ἐν Θάσῳ, ποδὸς ὀδύνη ἤρξατο ἰσχυρὸν, ἀπὸ δακτύλου τοῦ μεγάλου, ὀρθοστάδην περιϊόντι. κατεκλίθη αὐθημερόν. φρικώδης. ἀσώδης. μικρὰ ὑποθερμαινόμενος. νύκτα παρεφρόνησε. δευτέρῃ, οἴδημα δι' ὅλου τοῦ ποδός. καὶ περὶ σφυρὸν ὑπέρυθρον μετὰ ξυντάσιος. φλυκταινίδια μέλανα. πυρετὸς ὀξύς. ἐξεμάνη. ἀπὸ δὲ κοιλίης, ἄκρητα, χολώδεα, ὑπόσυχνα διῆλθεν. ἀπέθανεν, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς δευτεραῖος.

ÆGROTVS IX.



CRITONI [a] *in Thaso recto ambulanti pes dolere ex pollice vehementer cœpit.* [b] *Decubuit eodem die, horrescens, fastidiosus,* [c] *parum calens, nocte desipuit. Altero die tumor toto pede, & ad talum subrubens cum contentione: pustulæ nigræ, febris acuta,* [c] *insaniit, deiectiones meræ, biliosæ plures fuerunt.* [d] *Periit postridie quàm ægrotare cœpit.*

COM

COMMENTARIVS.

EXEMPLVM est hic ægrotans acutissimi morbi simul, & malignissimi: nam obiisse postridie, quàm ægrotare cœpit, arguit, nonnisi validissimam causam, quæ hominis ambulantis, & propria munia obeuntis virtutem tam repentè potuerit deprimere, quod Galenus obseruans valde vehementer miratur, qui *lib. de difficultate respirationis, cap.* 10. ita ad verbum scribit: *Neque enim paruum miraculum est, hominem obambulantem, & propria munia obeuntem, deinde magnum pedis digitum vehementer dolentem, prima die paululum subcalfactum fuisse, deinde die sequenti esse mortuum.* Non est quòd perquiramus, an febris hæc fuerit acuta, an acutissima, & malignissima, quando euentus id comprobat, & nobis Historiam percurrentibus notum fiet. Huius tam grauis affectus causa non est obscura, si pustulas consideremus, & per aluum factas euacuationes, quæ vtraque adustam bilem prædominasse, & admodum malignam ostendunt, vi cuius repentina ferè sequuta est mors: neque mirum videri debet corpora sic aliquando affici, etiamsi videantur nullis antea affectibus obnoxia, quia causæ solent sensim in humanis corporibus coaceruari, & tandiu latitant, quandiu natura eidem potest dominari, ac si eò peruenerint, vt quantitate grauent, aut qualitate malefica naturam nostram superent, videmus de repente grauissimos morbos concitari, quos velocissimæ consequuntur mortes, perinde ac solet euenire in iis, qui externum venenum sumpserunt. Hoc ita esse testatus est etiam Galenus 3. *in* 3. *epid. text.*73. Vbi refert Historiam cuiusdam phrenitici, qui tertio à decubitu die obiit. Galenus *in illo comment.* quærens causam tam repentinæ mortis, refert in intensam humorum malignitatem, sensim in corpore congestorum: neque enim huiusmodi causæ statim generantur, sed sensim, & longo temporis interuallo: latitant autem, perinde ac venena, vti dictum est, & canis rabidi morsus, cùm verò eò creuerint, vt nihil desit ad malignitatem, tunc grauissimas inducunt affectiones, & repentinas mortes, quod de cane rabido *loco adducto*, scribit Galenus, qui enim à cane rabido mordentur, non statim mori certissimum est, sed per multos menses, & annos latitare venenum antequam aliquam noxam afferre videatur, qui posteà à timore aquæ correpti, haud multo post pereunt. Verba Galeni sic se habent: *Est verò eorum morborum admiranda generatio, quonam pacto, incommodè valentes subitò inuadat. Nempe non est perinde generationis subita causa, ac ipsorum est generatio, vt si medicamentum homo lethale sumpsisset, vel bestia eum momordisset virulentissima: sed pedetentim in corpore causæ, quæ sunt excitandis huiusmodi malis, crescunt, quod morsis vsu venit à rabidis canibus: nam apertum est quòd canis venenum, licèt in morsis non otietur, nec conquiescat, nullam ipsius notam pro-*

dit, multis interim proximis diebus. Subitò autem illis, cùm viderint aquam, formido incessit, posteáque breui moriuntur: longo enim tempore causa, quæ rabiem efficit, augetur, vbi eò tandem peruenerit, mortem affert repentinam. Subiungit postea: *Item in hac phrenitide, vitiosus in corpore humor coaceruatus fuit, veneno similis lethali, in corporibus vicinis aliquid paulatim agens: quæ, quando vitio iam aliquo pacto opportuna essent, humórque ipse euaserat malignissimus, lethale repentè apparuit symptoma.* Hæc Galenus, quibus apertissimè comprobatur, quantum possint causæ in nostris corporibus, canis rabidi exemplo, quod repetit 2. *prórrhet. comment.* 17. Quo in loco vsque ad annum latitare canis rabidi venenum ponit. Sed addo ego vidisse me iuuenem quendam annorum viginti, qui cùm à cane rabido commorsus fuisset, quartum à morsu annum præteriit sine noxa, posteà statim ab aquæ timore correptus obiit in Xenodochio hoc maiori Papiæ. Memini tunc sæpiùs fuisse interrogatum à patre meo, an vnquam fuisset à canibus demorsus, eundem audiui respondentem, iam præteriisse quartum annum, postquam fuisset commorsus, neque tamen vnquam aliquid fuisse passum, quod illi molestiam afferret. Misericordia vnusquisque fuisset motus, qui vidisset accessionis miserrimum adolescentem affligentis vim, quam ipse futuram, multò antè animaduertebat. Verumenimverò, neque vobis grauabor recensere casum memoria dignum. Filij annorum decem circiter canis rabidus crus memordit, inductum est vlcus. Hoc apertum tenent spatio sex mensium, expurgatur diligentissimè, quia tunc temporis habebat auum Medicum minimè gregarium D. Prosperum Besutium, qui illis temporibus Medicinam faciebat in oppido Boschi. Transactis sex mensibus, patre meo consulente, perducunt ad cicatricem vlcus. Puer benè habet, & omnes dormiebant, vt itam dicam, in vtrumque oculum, pro certo habentes futuram pueri sanitatem tutam, tandiu expurgato vlcere. Benè se habet puer iste spatio septem annorum, sine noxa omninò, perinde crure læso vtebatur, ac si nunquam persensisset malum. Ecce quod minùs expectatur, derepente, & inopinatò euenit. Eodem die (erat enim festum D. Rochi) quo fuit morsus à cane, eodem iterum, post septem annos integros elapsos, incipit derepente de crure aliàs malè affecto conqueri, & validissimè, ingenti dolore oborto, haud multo post liuescit crus, inducitur nouum vlcus priore maius, manus Chirurgicas implorat, statim committitur curationi cuiusdam Chirurgi ex oppido Valentiæ Transpadanæ, vt ferunt, viri in hac arte peritissimi, qui nihil prætermisit eorum, quæ ad completam curationem facere videbantur, sed tamen omnia ferè irrita, quia in dies serpebat humorum malitia, tandem anno 1630. cùm pestis illa sæuissima vagaretur, rediit domum, nimirum ad paternos parietes, qui sunt in oppido Medæ, quia iam obierat auus Medicus, quo in loco adhuc commoratur, minùs quidem affectus, neque tamen adhuc integrè restitutus, claudicat enim, & in temporum mutationibus non benè habet, neque credo, ad hunc statum peruenisset, nisi à primis diebus morbi vlcus per tot tempus fuisset seruatum apertum,

quo

quo factum est, vt virus illud non potuerit coaceruari,& partes principes labefactare, mortémque inducere, sed tamen, cùm ea pars esset iam debilitata, corrupto sensim alimento ad partem delato, tandem ad veneni formam iterum erupit, quod, cùm ex vlcere nouo inducto expurgaretur statim læsionem quidem determinatæ parti afferre potuit, non tamen mortem inferre. Hîc est casus fortasse à paucis animaduersus, & quod dico verissimum est, quia huius fidem facere potest filius, qui adhuc viuit Dei benignitate, & est filius D. quondam Nicolai Besutij, quem omnes ex oppido Medæ nouerunt, & filium norunt. Hæc igitur cùm ita sint, desinite mirari, quomodo mortes repentinæ fiant, & quomodo hic ægrotans, de quo sermo est, tam derepente obierit. Id, vt certiùs cognoscamus, percurramus Historiam *à primis verbis exorsi.*

[a] *Critoni recto ambulanti pes dolere incœpit ex pollice vehementer.*] Si Hippocratis verba perpendamus, videbimus ingentem humorum malitiam in Critonis corpore extitisse: nam, etiamsi, qui podagra laborant, cogantur decumbere, quomodo etiam, fuisse hunc ægrotantem affectum, potuisset quis suspicari, cùm ferè semper ex pollice incipiat, quod non animaduertentes quamplurimi, putant in initiis, se pedem in lapidem impegisse: tamen cùm etiam horreret, esset fastidiosus, praua, & maligna dispositione fuisse affectum constat: nam horrebat, quia pugnabat innatus calor cum excrementis iam in motu existentibus: indicabatur tamen humoris prauitas, vti ex Hippocrate colligitur 3. *in* 3. *epidem. text.69. Horrebant*, inquit, *& sub mortem delirabant.* Galenus. *Cùm humorum prauitas ex putredine parta increſceret, horrore corripiebantur, & delirio progressu temporis, in quo etiam moriebantur.* Id multo magis confirmat fastidium illud, quod horrorem est sequutum: nam fastidium duas habet causas. Vna est aggrauatio virtutis à corpore, quo tempore nullam seruant ægrotantes figuram. Altera est oris ventriculi læsio facta à prauis humoribus. Ita Galenus *in comment. mulieris, quæ apud Pantimedem degebat*, inquit. *At verò fastidiosa, febris demonstrabat, qua detinebatur, malignitatem.* Idem Galenus 2. *in* 1. *prorrhet. text.*44. hunc in modum scribit: *Bifariam enim cùm fastidiosi fiant, Græcis* ἀσώδεις, *vno modo cùm virtus à corpore grauatur, nullámque figuram à corpore sustinet:* altero modo, cùm os ventris à prauis mordetur humoribus. Priores perniciosè afficiuntur, vti erat Crito: nauseabundi sunt posteriores.

Quòd dicit [b] *parum calentem fuisse.*] Non ideò factum puto, quia horror ille impediret celerem caloris expansionem, sed hinc arguo morbi vehementiam, & periculum. Primum, quia cætera non respondebant, & quotiescunque in signis malignis, febris videtur esse mitis, suspecta res est, quia flagrans interna dispositio caloris expansionem prohibet: & præterea notate modum loquendi Hippocratis, qui cùm incipit recensere statum huius ægrotantis, subdit,

[c] *Decubuit eodem die.*] Id non sine causa dicit Hippocrates, sed vt nobis ob oculos ponat morbi vehementiam, quæ coëgit ægrotantem eodem die, quo inuasit, decumbere: neque enim erat sufficiens pedis

dolor

dolor ad decubitum, cùm ægrotans sedere possit. Periculum posteà, quoniam, qui sic affecti sunt, omnes in euidens vitæ discrimen veniunt; quòd si quid aliud adiungatur, nihil posteà deest ad perfectam perniciem, vt in hoc obseruamus : Quòd si talis non fuisset Critonis status, quomodo delirasset, cum modica febre : scimus enim id sequi impetum humorum adustorum, ad supernas partes elatorum, & quomodo dolente pede, caput tam grauiter est affectum : si enim commendantur abscessus partium infernarum, quia deriuatur materia à supernis partibus, non debebant hæc sequi. Hæc vos exactè cognoscere oportet, vt sciatis distinguere, quando sint boni abscessus, & quando mali. Hic Critonis fuit vitiosus multis modis. Primùm, quia mox apparuit: decretoria autem, ne statim appareant, vt *suprà* dictum est. Secundò, quia cum humorum cruditate, de qua sic ait Galenus 2. *de humoribus*, *text.* 11. Cùm est crudorum copia, tunc fieri abscessus solent, qui si exigui sint, nihil planè iuuant : si magni, eos ferre natura non potest : Demùm, quia recurrit, quam conditionem damnauit Hippocrates 2. *epid. text.* 12. *sect.* 1. his verbis : *Atqui si non sint pro ratione excretionis, morbi indigna*, velut Temeni nepti ex morbo forti ad digitum decubuit, qui cùm non sufficeret ad suscipiendum morbum, recurrit, mortua est. Hac postrema ratione contigit Critoni delirium, nimirum ex recursu maligni humoris ad cerebrum, quod confirmat Galenus in præsentis Historiæ comment. dicens. Cùm autem id membrum non valeret omnem capere superfluitatem, residuum recurrens, ad caput ascendit, quod qua erat malignitate, furiosum excitauit delirium.

Et dicetis, quomodo recurrit, si totus posteà pes intumuit; si recurrisset, potius detumuisset? Hoc non alia ratione cognoscitur, quàm ex effectu: nam tentauit natura deponere maleficam materiam ad ignobiles partes, sed non potuit totam, minima autem materiæ maleficæ portio grauissima potest inducere symptomata. Itaque crederem in pede factum fuisse anthracem ex materia decumbente, reliqua autem subsequuta ex materia retenta in intimis, & principibus corporis partibus. Fuisse anthracem dico, quia omnia adsunt, quæ ad huius affectus constitutionem facere videntur : nam erat tumor in toto pede, vsque ad talum, subrubens, cum pustulis nigris : fit enim iste tumor ex sanguine influente impensè calido, ac ad atram bilem vergente, cui persæpe annectuntur pustulæ ambustis persimiles, à tenuiori, & feruidiori ichore excitatæ, vt colligitur ex Galeno *lib. de atra bile, comment.* 4. & apertè etiam *lib.* 14. *meth. cap.* 10. & *lib. ad Glauc.* 2. *cap.* 1. vbi conceptis verbis scribit : *Cùm igitur sanguis influens niger extiterit, crassúsque, ac fæculentus, ac feruens, qualis, quem anteà diximus, simul autem, & sanies quasdam tenues admistas habuerit, pustulas quasdam per summa cutis excitat, similes ijs, quæ ex igne fiunt, quibus disruptis, crustosum sub ipsis vlcus inuenitur, hócque etiam carbo est.* Vtcumque sit, pustulæ nigræ maximam indicant malignitatem. Re hunc in modum se habente quomodo poterat esse sine vehementi febre : nam Galenus *in lib. de tumoribus, cap.* 6. hæc ita habet:

Gangrena

Gangrænæ quidem, & carbunculi, cùm qui veluti inferbuit sanguis, propéque inflammationem est, cutem percusserit. Quapropter, & cum crusta fiunt, & bullæ præcedunt vlceri, quemadmodum in ambustis, febrémque acutissimam afferunt, & periculum de vita propinquum. Idem *lib. citato* 14. *meth. cap.* 10. Id esse verissimum testatur experientia, quando in hac constitutione pestilenti præterita, eos maximè seruatos vidimus, qui carbones habebant cum modica febre, & ego ex iis paucissimos, quod sciam, vidi mortuos, quamplurimos ex iis, qui acutissimè febriebant, iíque in quarta, paucissimi in septima. Ego, qui peste laboraui, postquam multos inuiseram, & tetigeram, nunquam me ex febre moriturum putaui, quando leuissimè febricitabam, & sic in septima omnino fui immunis, & conualui Dei gratia, & post adeptam sanitatem, quamplurimos inuisi, tetigi, & curaui, & semper obseruaui ex iis, qui validissimè febricitarent neminem seruatum, ex iis autem, qui leuiter, quamplurimos: & neminem esse periclitatum eorum, qui conuenientem, quantum per ea tempora licebat habuerint seruitutem. Etenimverò dico, quantum licebat per ea tempora, quia legere de peste tractantes: præterita audire, commouet quidam animos. Videre, & experiri pestem, & eorum temporum calamitates, maximum, & incredibile; neque ego credidissem, neque adhuc crederem, nisi & vidissem, & essem expertus. Faxit Deus, Opt. Max. vt nemo quisquam nostrûm, neque posteri detestanda ea tempora, calamitosa, miseranda videat, aut experiatur, quæ lapides etiam, si fieri posset ad pietatem commouerent. Quæ enim pietas erat hominis in hominem. Quæ filij in patrem. Quæ patris in filium? Si erat in aliquo, pro miraculo habebatur. Sed quid ego præteritum statum commemoro; horresco adhuc referens, quia superat illorum temporum deterrima constitutio, hominum captum, qui ea tempora non cognouerunt. At redeamus ad textum, qui, nobis etiam inuitis præteritam hanc pestem ob oculos ponit, dum inquit:

[d] *Insaniit.*] Effectus materiæ maleficæ adustæ, vt vidimus in pestilenti constitutione: omnes enim, quos pestis illa sustulit, delirio moriebantur, & ij, qui minùs exactam habebant curationem, in terram prostrati, mortui inueniebantur, ídque nulla alia ratione fiebat, nisi propter communicantiam vaporum ad cerebrum: quo enim maior excitatur putredo, maior calor; quo tempore non est difficile cerebrum trahi in consensum, vt quotidiana testatur experientia, sed multo magis, si admodum sit maligna humorum putrescentia: vult autem nobis innuere Hippocrates fuisse vehementissimum delirium, vt explicat 1. *progn. comment.* 28. quo in loco ita legitur. *Non simpliciter ait fore delirium, sed insaniam,* indicans vehemens quoddam delirium ex prædictis indiciis affuturum, causámque habet hoc delirium à bile admodum adusta, vt 1. *in* 3. *epid. comment.* 6. colligitur. Post hæc omnia aluus visa est reddidisse excrementa, quod, vt credo, euenit, non ratione naturæ operantis, sed admodum ab humorum malitia labefactatæ, euentúsque id probat: nam, etiamsi multa fuerint, nihil contulerunt, quod vnusquisque expectasset,

qui excrementa inspexisset: erant enim mera, & biliosa. Huiusmodi excrementa à Galeno improbantur 2. *progn. comment*.47. quia significant internarum partium æstuantem dispositionem: erant etiam plura, quàm natura posset perferre: multæ enim violentæ euacuationes citissimè vires exoluunt 2. *in* 1. *epid. comment*.37. Quòd si diceremus fuisse colliquantem euacuationem, neque, credo, id esset à ratione alienum, quod videtur posse desumi ab Hippocrate 3. *in* 3. *epid. text*.57. Vbi hæc sunt: vnóque verbo: *Qui longis morbis, vel acutis tenebantur ventris vitio omnes præcipuè mortui sunt*: cunctos námque venter sustulit, quod pariter plerisque eorum, qui peste modò correpti sunt, euenit: erant enim quibus ita largiter fluebat primo die, vt partim euacuati per vomitum, partim per aluum spatio duorum dierum ad summum morerentur. Ita Galenus exponens illam particulam hæc scribit: *Et pestis quoque illa longissima, quæ nostra ætate vulgata est ex ijs, quæ per aluum vacuabantur omnes propè peremit. Quæ euacuabantur erat colliquatio, quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris, quam pestilentem priuatim vocitant*. Subiungit postea, *cùm mortales, vel citra pestem corripiat*. An modò illa pestis fuerit longa, nos sumus experti, cùm spatium sex mensium perdurauerit, & hoc amplius. Quare euacuatio, quæ superuenit Critoni, multis modis fuit deterrima, & omnino symptomatica. Primò ratione temporis, quia intempestiua, in morbi videlicet initio, quam damnat Galenus 4. *Aphor. com*.22. his verbis: *Quo tempore à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid benè euacuari est impossibile*. Secundò fuit mala ratione qualitatis dupliciter. Primò quia redundante atra bile fiebat eductio bilis flauæ, quam Galenus vituperat 4. *Aphor. text*.2. dicens: *Cùm euacuatur quod superfluum est, iuuatur animal; cùm verò contrà, id casus ratione accidit*. Secundò, quia erat syncera, de qua ita scriptum est 7. *Aphor. comment*.6. *Synceras verò deiectiones nominauit impermixtas aquosæ humiditati, quando solus humor euacuatus deijcitur, siue sit biliosus, siue sit melancholicus, siue porri colorem præ se ferens, siue bilis, quæ æruginosa nominatur: nam deiectiones huiusmodi exustam omnem humiditatem natiuam esse à calore febrili demonstrant*. Postremò fuit vitiosa euacuatio ratione quantitatis, quia copiosa, quæ, ex Galeno 3. *de ratione victus in acutis, comment*.17. & 2. *in* 6. *epid. comment*.33. solet vires euertere. Quare mirum non est, si natura aggrauata ab humorum sarcina eos conata est deponere, tum ad pedem, tum ad aluum. Verùm, quia ab eadem venenata qualitate insigniter lædebatur, statim oneri succubuit; & ideò subdit Hippocrates.

[c] *Perijt postridie, quàm ægrotare cœpit.*] Hinc cesset modò illa quæstio, qua quæri solet, num in humano corpore humores gigni, & procreari valeant, qui lethalis veneni naturam sapiant. Siquidem affirmatiuam partem veram esse, vt anteà diximus, præsens Historia docet: nam cùm morbi spatio vnius diei, aut bidui hominem tollunt, quid aliud putandum, quàm eundem à tanta humorum copia, quæ eosdem veneno similes

ſimiles reddiderit fuiſſe excitatum. Confirmat hoc idem Galenus *lib. de vſu Theriacæ ad Pamphilianum,6. in 6. epid. comm.5. lib.6. de loc. malè affectis, cap.7. & multis alijs in locis.*

Curatio.

NOn eſt ambigendum, quin Critonis affectus fuerit lethaliſſimus carbunculus magni digiti pedis à venenata humorum qualitate, & quantitate excitatus, quod tum à viſcerum intemperie, tum ab erratis in victus ratione commiſſis progreſſu temporis intra corpus congeſſerat. Scopi igitur curatiui iidem, qui & in curatione anthracis erant attendendi, nimirum, primùm antecedens cauſa euacuanda, coniuncta foras euocanda, venenum extinguendum, partes adiacentes inflammatæ refrigerandæ, partes verò ſanæ defendendæ. Itaque fuiſſet euacuandum, poſteà ſcarificandum, deinde medicamentis vtendum, quæ reprimerent veneno ſitatem, medicamentis defenſiuis dictis partes ſanæ erant fouendæ, de qua re ſatis copiosè videbitis Fallopium tractantem *in cap. proprio de Anthrace.* Verùm citiſſimus interitus his omnibus ferè occaſionem præripuit. Sola vtique venæ ſectio ſtatim videbatur adminiſtranda, vt *lib.*14. *meth. cap.*10. habetur à Galeno, quo in loco commendat etiam venæ ſectionem vſque ad animi deliquium, niſi tamen aliud quippiam obſtet ex iis, quæ venam incidi vetant, & veriſimile eſt hoc remedij genus nullo modo fuiſſe prætermiſſum, ſi modo Hippocrates tempeſtiuè inuiſit ægrotantem, antequam virtus ex vi morbi deprimeretur ita, vt non eſſet huic euacuationi locus, quod facilè euenit in morbis malignis, vt nimis ſæpe obſeruauimus in antedicta peſtilenti conſtitutione, in qua niſi à primis diebus, ſtatim inuadente morbo ſanguis extrahebatur, non erat amplius huic remedio locus, & qui nihilominus audebant mittere, omnes præcipites agebant ægrotantes. Vidi ego, melius eſſe actum cum iis, quibus non eſt extractus ſanguis, quàm, quibus facta eſt hæc euacuatio: nam multi linquebant animo, refrigerabantur, & haud multò pòſt moriebantur: aliis ſcatebant exanthemata nigra, quorum nulli, quod ſciam, conualuêre, & non video, quomodo poſſent curare illi, qui pulſum minimè tangentes medicamenta propinabant: nam multis febris vehementiſſima ſuccendebatur, illorum nemo reſtituebatur, ſiue curarentur, ſiue non. Erat autem tunc temporis multiplex curandi modus inuentus: nam alij vtebantur pulueribus ſudorem prouocantibus. Hi an ex vſu eſſe poſſent, norunt, qui artem Medicam cum ratione exercent: poſſem cum ratione dicere multos periclitatos, ſed tamen ne videar hæc medicamenta improbare ſine ratione, adducam Galeni locum deſumptum ex *lib.*1. *de criſ.cap.*16. quo in loco hæc ſunt: *Coctionis igitur ſigna, nunquam malè appareant: decretoria autem eſt, vbi malè: neque enim in augmentis, neque in principijs, ſed in ſtatibus illa apparere conuenit:* haud multo poſt ſubdit: *Neque igitur ſudores, & vomitus, & alui excrementa, neque tumores poſt*

aures, neque profluuia ſanguinis, ſi hoc tempore appareant, vnquam per criſim ægritudines finierunt.

Dicetis eſſe ex illa materia, quæ non expectat coctionem, quæ citiſſimè debet euacuari. At profectò non video, quomodo poſſet euacuari tutò, ſi à natura in multis iam euacuata, erat cum ægrotantis detrimento: nam erumpente ſudore, aluo mota, ſanguine fluente, nihilominus moriebantur ægrotantes; ergo non debebant tentari euacuationes ab arte, quæ à natura factæ perniciem euidentem afferebant, vti conſtat omnibus. Erant poſtea, qui ſeipſos iactabant, non poſſe à peſte corripi, quia multa haberent, quæ cor tuerentur à maligna illa humorum qualitate: alij enim arſenicum cryſtallinum ſuper cordis regione tenebant, alij theriacam, cuius etiam portionem aſſumebant ſingulo mane, alij pilulas ex aloë, alij electuaria, alij pulueres, & vnuſquiſque proprium laudabat medicamentum. Horum multos tam crudeliter inuaſit peſtis, vt vix daretur illis tempus confitendi peccata. Erat & quidam pſeudofrater Carmelitanus, ſimul cum Florentino. Hic certam pollicebantur ſalutem, quam vt conſequerentur ciues, quemadmodum vnuſquiſque ſibi facilè perſuaderi ſinit, quod cupit, ita totius ciuitatis curam libentiſſimè conceſſerunt. Viri, qui vix fortaſsè vnquam linguam, non dicam Latinam, ſed neque Grammaticalem cognouerunt. Viri ad quodcunque ſcelus paratiſſimi. Viri, qui fortaſsè Catholicam fidem minùs, quàm par erat profitebantur. Hi cùm mecum conueniſſent ſemel, mihi viſi ſunt in prauis audaces, in bonis rebus agendis minimè experti: nam, vt aiebant ciues; qui ab iſtis improbis viris tangebantur, eorum plerique miſerrimè vitam finiebant, & tandem apud omnes facti ſunt ſuſpecti, vtpote, qui habebantur tanquam inuentores earum vnctionum, quæ ad perniciem hominum adminiſtrabantur, & ſuſpicio eò creuit, vt tandem ad carceres vi vocati, pauciſſimo temporis interuallo miſerrimè obierint, peſte correpti, quam à ſeipſis; quod tamen in aliis ſe facturos pollicebantur, arcere non potuerunt. Et hic fuit iſtorum condignus finis. Ego quidem hoc dicam, innumeros inuiſiſſe, omnem adhibuiſſe diligentiam, vt nihil prætermitterem eorum, quæ facerent ad conſequendam ſanitatem: ſi qui tamen curati ſunt, quomodo id factum ſit, ignoro, ingenuè id fateor. Quòd poſteà ſpectat ad medicamenta externa. Vidi longè meliùs fuiſſe curatos illos, qui leuiſſimè fuerunt tractati, quàm illi, quos violenter ad ſanitatem reducere tentabant Chirurgi: nam etiamſi expediat materiam veneficam ad partes extimas ducere, euocare: id tamen violenter faciendum non erat, ſed blandioribus medicamentis, ſecus grauiſſimi dolores concitabantur, à quibus citiſſimè mors inducebatur. Erant, qui in carbunculis hac vtebantur curatione. Statim deueniebant ad ſcarificationem. Itaque ingenti ſanguinis fluxu ab arteriis adiacentibus emanante pauco, interpoſito tempore animam cum ſanguine effundebant. Alij totùm carbunculum extrahebant, & magnum inducebant vlcus, quod cùm natura ferre non poſſet, præſertim cum iis temporibus citiſſimè concidat, collapſis viribus, reſolutis

ſpiritibus

ſpiritibus vitam ſic finiebant, quod tamen ita eſſe, illis nunquam potuit perſuaderi, falſa opinione decepti, putantibus ipſis, vt dicebant, extracto carbone, exactam factam fuiſſe curationem, neſcientes, confluxum vnum, conſpirationem vnam, conſentientia omnia, & etiamſi multos viderint hoc modo curandi peremptos, neque tamen ipſis potuit vnquam aliter ſuaderi. Verùm, erat facile omnibus curationes aggredi, quia iis temporibus, ſi moriuntur ægrotantes, ex vi peſtis, dicunt, moriuntur, neque obſeruantur curantium operationes, quemadmodum aliis temporibus. Hoc quidem obſeruaui, illos longè ſecuriùs fuiſſe pertractatos, quibus blandiſſima remedia fuerunt admota: nam illi, qui ſolo butyro carbones fouebant, illi quidem, meliùs ſaluti ægrotantis conſulebant: ſenſim enim cruſta illa emarceſcebat, & totus carbo ſæpiſſimè forbice extrahebatur, ſine virtutis diſpendio, ſine ſanguinis effuſione, ſine dolore. Quamplurimos hunc in modum curatos ſanatos vidi, & eorum, qui tres, quatuor, & etiam ſex habebant, in pectore, in coxis, in dorſo. Ita & bubones tutò curati ſunt, quia erant, qui ſtatim, ac bubo detegebatur, non expectantes quorſum euaſurus eſſet morbus, vim quandam naturæ inferebant, cucurbitulam magnam admouentes, qua violentiori tractione dolores acerbiſſimi concitabantur, qui paucis interpoſitis horis ceſſabant cum ægrotantis pernicie. Alij ſtatim ſcarificabant, quibus hæc curatio fiebat crudo bubone, illi ſæuiſſimis concitatis doloribus colliquabantur eadem die; veluti & qui permittebant ſecari crudos bubones: ij omnes eodem fato ſunt functi. Quamplurimos ad ſanitatem reſtitutos obſeruaui eorum, qui partes bubonibus affectas blandè pertractarunt: erat autem blanda curatio, facta medicamentis emollientibus, veluti ſunt emplaſtra, quæ parabantur ex lacte, farina hordei, pane, fermento, malua, althea, radicibus liliorum alborum, oleis ex vitellis ouorum, vulpino, amyg. dulcium, anethi, camæmeli, & id genus aliis. His omnibus, aut aliquibus ſeiunctim, fiebant emplaſtra, quæ parti affectæ applicata dolorem leniebant, naturam adiuuabant ad motum; & ſic neque dolor concitabatur, ſed potius, ſi erat, demulcebatur: noctu, quia vtplurimum valde agitabantur, vtebamur ceratis, vt eſt ex althea, & ceruſſa, & quæcunque leuiter opus ſuum præſtant; hac eadem curatione & ego vſus ſum, & conualui, nec vnquam potuerunt mihi ſectionem bubonis perſuadere ante euidentem eiuſdem maturationem: ſi enim præcipiti curatione eſſem vſus, & ego cum aliis obiiſſem; ſed quidem certiſſimum eſt, neminem eorum vidiſſe me curatum, qui decumbebant cum acutiſſima febre, & grauiſſimis doloribus, quia iis lenitas medicamentorum nihil proficiebat, cùm virtus non poſſet ſufficere vſque ad perfectam maturationem, ſed ferè omnes intra quartam mortui ſunt: ij verò qui modicam, & lenem habebant febrem, vtpote minus malignè affecti, ferè omnes ſeruabantur, niſi tamen ex violentiori curatione præcipites agerentur, vti dictum eſt. Illi poſteà, quibus exanthemata nigra apparuêre, non habebant ambiguum euentum, quando certò eos morituros prædicere

poteramus, neque ego ex iis, quos inuisi, aliquem vnquam seruatum animaduerti, quemadmodum neque ex iis, quibus è naribus fluebat sanguis, quando erant hæmorrhagiæ lethales, ex malefica sanguinis qualitate, cui natura non poterat moderari. Hæc occasione præsentis Historiæ volui recensere, quæ in præterita peste obseruaui, quam non fuisse genitam ex aëris corruptione apertissimum fuit, cùm multæ contiguæ domus illæsæ permanserint, ita multa ciuitatis cœnobia intacta permansêre. Ab hac multos fuga præseruauit. Qui de peste multa vult, habet viros præclarissimos, qui de hoc sæuissimo morbo scripsêre, illos legat. Ego quidem in huiusmodi peste, nullum magis præsentaneum remedium habeo, veluti quocunque tempore, quàm Dei Opt. Max. gratiam. Secundò optimam victus rationem; qui enim sunt benè dispositi, illi minus, aliter grauiter læduntur. Sed præcipuè manus ad cælum extollere debent ciues, qui post euidentem Dei clementiam erga ciuitatem derepente finem imponentis tam diræ lui, habuere etiam viros prudentissimos, vigilantissimos, Illustrissimum Marchionem Isimbardum, & alios nobilissimos ciues, qui propriam salutem postponentes, id in animo solùm habuerunt, vt publicæ vtilitati consulerent, qui admirandi potius erant, quàm imitandi in iis temporibus, in quibus cernebantur homines veluti insani, dispersi euntes per plateas, per ciuitatem, perterriti à cadauerum copia, videntes statim defunctum, quem paulo anteà obambulantem conspexerant. Ego quidem vidi ea tempora, & sæpissimè miratus sum, etiam ante mortis conspectum, defraudari fidem; quæ enim pietas erat viris, qui infecta corpora sepeliebant, & domus custodiebant: quotiescumque recordor toties deficio animo, commoueor toto corpore, quia nemo quisquam potest sibi persuadere eorum temporum calamitates, horrenda spectacula. Faxit propterea Omnipotens totius gubernator, vt nemo quisquam amplius hæc videat, experiatur: tunc enim meritò dixisses, *ô tempora*, *ô mores!* Væ tamen illis, qui in malignis constitutionibus ægrotant circa augmentum, & statum, secus autem illis, qui declinante maligna constitutione: nam quando declinat, morbus remittit de sæuitia, & sic ex ægrotis quamplurimi sanantur. In augmento, & statu ex quamplurimis, ferè omnes moriuntur. Illud quod negocium facessit etiam est, quia ferè omnes euomebant alimentum. Itaque ex malitia, & inedia celerrimè consumptos videbamus: sat enim est iis temporibus, veluti etiam conuenisset Critoni, vti vitellis ouorum, aqua carnis, cremore farri, in modica quantitate, & fouere ventriculum, non prætermissis alexipharmacis. Et Deus hæc omnia auertat.

ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΔΕΚΑΤΟΣ.



ΤΟ'Ν Κλαζομένιον, ὃς κατέκειτο παρὰ τὸ Φρυνιχίδεω φρέαρ, πῦρ ἔλαβεν. ἤλγει δὲ κεφαλὴν. τράχηλον. ὀσφὺν ἐξ ἀρχῆς. αὐτίκα δὲ κώφωσις. ὕπνοι οὐκ ἐνῆσαν. πυρετὸς ὀξὺς ἔλαβεν. ὑποχόνδριον ἐπῆρτο μετ' ὄγκου. οὐ λίην σύντασις. γλῶσσα ξηρή. τετάρτη ἐς νύκτα παρεφρόνησε. πέμπτη ἐπιπόνως. καὶ πάντα παρωξύνθη. περὶ δὲ ἑνδεκάτην, σμικρὰ ἐνέδωκεν. ἀπὸ δὲ κοιλίης ἐξ ἀρχῆς, καὶ μέχρι τεσσαρεσκαιδεκάτην λεπτὰ, πολλὰ, ὑδατόχροα διῄει. εὐφόρως τὰ περὶ διαχώρησιν διῆγεν. ἔπειτα κοιλίη ἐπέστη. οὖρα διὰ τέλεος. λεπτὰ μὲν, εὔχροα δὲ, καὶ πολλὰ εἶχεν ἐναιωρήματα ὑποδιεσπασμένον οὐχ ἱδρύετο. περὶ δὲ ἑκτὴν καὶ δεκάτην, οὔρησεν ὀλίγῳ παχύτερα. εἶχε σμικρὴν ὑπόστασιν. ἐκούφισεν ὀλίγῳ. κατενόει μᾶλλον. ιζ΄. δὲ πάλιν λεπτά. παρὰ δὲ τὰ ὦτα ἀμφότερα, ἐπήρθη ξὺν ὀδύνῃ. ὕπνοι οὐκ ἐνῆσαν. παρελήρει. περὶ δὲ τὰ σκέλεα ἐπωδύνως εἶχε. κ΄. ἄπυρος ἐκρίθη. οὐχ ἵδρωσε. πάντα κατενόει. περὶ δὲ κζ΄. ἰσχίου ὀδύνη δεξιοῦ

ÆGROTVS X.



CLAZOMENIVM, qui iuxta Phrynichidai puteum decumbebat, ignis inuasit. Primo illi caput, collum, & lumbi dolebant, [a] *statim surdus effectus est, somnis carebat,* [b] *acuta corripuit febris: Hypochondrium in tumorem attollebatur, contentio parua, lingua arida.* [c] *Die quarto de nocte desipuit.* [d] *Quinto cum labore omnia sunt exacerbata. Ad diem vndecimum omnia fuerunt remissiora. Deiectiones ab initio, ad diem vsque decimumquartum multæ, tenues, aquei coloris,* [e] *quod ad aluum exonerandam attinet, commodè habebat. Inde aluus restitit: vrinæ perpetuò tenues quidem, cæterum boni coloris, & multum habebant suspēsionum dispersarum, non subsidebant. Die decimo, & sexto paulo crassiùs, habebat aliquid sedimenti,* [f] *aliquantum recreatus est, magis mente constitit:* [g] *septimodecimo iterum tenues: secundum vtramque aurem tumor cum dolore,* [h] *nulli erant somni, delirabat, crura illi dolebant. Vigesimo die febre est liberatus, & iudicatus, non sudabat, prorsus mente constitit.* [i] *Circa diem vigesimumseptimum coxæ dextræ vehemens dolor*

ἰσχυρῶς. διὰ ταχέων ἐπαύσατο. τὰ δὲ παρὰ τὰ οὔατα, οὔτε καθίστατο, οὔτε ἐξεπύει. ἤλγεε δέ. περὶ δὲ τὴν λά. διάῤῥοια πολλοῖσιν ὑδατώδεσι μετὰ δυσεντεριωδέων. οὖρα παχέα οὔρει. κατέστη παρὰ τὰ ὦτα. περὶ δὲ τὴν μ΄. ὀφθαλμὸν δεξιὸν ἤλγει. ἀμβλύτερα ἑώρα. κατέστη.

lor subito sedatus est, at tubercula aurium non residebant, neque suppurabant. Tenebatur dolore die trigesimoprimo. Venter fluebat multis aquosis excrementis, ac qualia in dysenteriys esse solent: vrinas reddidit crassas, tubercula aurium resederunt. [k] *Quadragesimo die dexter oculus illi dolebat: obtusior erat visus:* [l] *ad statum suum rediyt.*

COMMENTARIVS.

ET hic grauiter laborauit, cum multis, & variis symptomatibus, quæ statim ab Hippocrate recensentur, hæc autem accidentia indicare futurum alui fluorem iam in superioribus vidimus, & in hoc confirmatur, cùm dicat ab initio deiectiones fuisse multas, tenues, & aquei coloris, neque quid magni est has sequi euacuationes lumbis dolentibus, cùm in morborum initiis, hæc consequi soleant humorum copiam, & agitationem: fusa enim, & commota à calore febrili materia, capiti infertur dolor, sursum petentibus vaporibus, ob capitis viciniam compatitur ceruix, illi communicata humorum portione. Demum dolent lumbi, ob venam magnam succis agitatis turgidam, quo fit, vt in illo motu facilè ad aluum transmittantur, vti in Historia Metonis dicebatur. Verùm, si à principio erat mota aluus, quomodo surdus factus est? debebat potiùs tolli surditas, aliò auersis humoribus, ad quammaximè distantes partes, nimirum ad aluum, inquit enim;

[a] *Statim surdus effectus est.*] Quomodo, & quibus de causis fiat surditas, dictum est in Historia Herophontis, deductum ex 2. *Coacarum*, & ex 1. *prorrhet.* quo in loco monet Galenus *comment.* 31. surditatem ex iis signis esse vnum, quæ cerebrum esse affectum indicant, habétque hæc plures causas: nam, vel est humor quidam in auditoriis meatibus impactus, infarctúsque; nihil, quod malignum sit habens: vel fit, emoriente facultate audiendi, veluti sæpissimè contingit in acutis, turbulentísque morbis: vel fit bile ad meatus auditorios recurrente, quemadmodum huic ægrotanti contigit, quem à surditate insomnem fuisse subdit, neque immeritò, cùm bilis, siue causa calida potestate in cerebro existens, vigilias, sicuti soporem contraria efficit, dicente Galeno 2. *lib. de locis male affectis, cap. vltimo*, neque enim facta surditas in principio significat

ſignificat confirmatam, neque etiam ex reſolutione pendentem. Quibus præmiſſis *inquit*,

[b] *Acuta febris.*] Vt intelligamus auctam fuiſſe in dies, ſimul cum ſymptomatibus: neque mirandum, ſi verba Hippocratis attendamus, quando hypochondrium in tumorem elatum nobis ſignificat. Per quæ verba non omnino intelligerem inflammationem: nam erat contentio parua, non quia inflammatio eſſet in ſimis hepatis partibus, & proptereà, contentio appareret parua, ſed quia erat tantùm phlogoſis, flammea quædam diſpoſitio in hepate: ita debet exponi verbum illud, *Hypochondrium*, ſine alio addito. Quanti autem referat, hepar pati, etiam leuiter in morbis, quotidie experimur, & Galenus *in prognoſticis.* Quare cum ratione facta eſt lingua arida, vapores enim illi aduſti ab hepate facilè ad os ventriculi tranſmittuntur, à quo ad linguam facilis eſt tranſitus, & quemadmodum ſunt ad excitandum diluuium opportuniſſimi, multò magis poſſunt linguæ tunicam aridam reddere, cùm eadem tunica veſtiantur ventriculus, & lingua. Hæc cùm fiunt, vis febris arguitur, vt 2. *in 6. epid. comment.* 24. in his: *Tuſſes aridæ parum irritantes in febribus ardentibus.* Quod repetitur 4. *Aphor. text.* 54. quo in loco docet aliquando etiam in febribus ardentibus linguas minimè aridas fieri, propterea quòd deſtillatio aliqua ægrotantem infeſtet, à capite ad os defluens, cuius cauſa, & ſitis tunc arcetur, & linguæ ſiccitas prohibetur, proptereà in iis morbis expedit eſſe oculatos, ne putetis ex leui ſiti, & linguæ mollitie validam cauſam in corpore illius ægrotantis non occultari, à qua progreſſu temporis, ille, qui leuia habere ſymptomata videbatur, miſerrimè poſtea opprimatur. Fit igitur lingua arida à perurenti calore, ita etiam 3. *in 6. epid. text.* 14. habemus. Admodum ſiccæ linguæ à perurenti febre fiunt, quæ ignis inſtar ſanguinem inflammans fuligini potiùs, quàm vapori ſimilem exhalationem efficit; ſolet autem etiam eſſe comes hepatis incendij, quod contigit huic ægrotanti.

[c] *Die quarto de nocte deſipuit.*] Illa ſymptomata, quæ à principio habuit, non poterant niſi delirium minari: nam, quotieſcumque à cauſa externa originem non trahunt, phreniticum delirium ſolent prænunciare, dicente Galeno 1. *in* 1. *prorrhet. comm.* 1. his verbis: *Verùm ſi abſque externa cauſa prædictas partes infeſtauerint dolores, ſi vigiliæ quidem ægro contigerint, abſque ea, quæ per ſomnum fit delatione, deliraturum eum ſperabis, & idcirco mirum non eſt, ſi hic ægrotans in quarta delirauerit.* Addamus poſtea ſurditatem, quæ vna eſt ex ſignis, quæ indicant cerebri affectionem, vt 1. *in* 1. *prorrhet. comment.* 31. habetur. Verùm neque propterea quod ſurdi fiunt in febribus acutis, neceſſariò delirant; neque quia delirent, neceſſariò ſurdi fiunt: quoniam multi fiunt ſurdi in febribus acutis, quos tamen non vidimus deliraſſe, multos deliraſſe vehementer inſpeximus, quos ſurdos fuiſſe non animaduertimus: tutum tamen eſt præuidere, ne delirent, quia periculum euidens eſt; videlicet, ne à ſurditate tale ſymptoma ſuperueniat: ídque videtur annotatum à Galeno *lib.* 2. *in* 2. *Coacarum, text.* 8. *In acuta febre*, inquit, *aures ſur-*

descere, furiosum. Ita in Historia Hermocratis, quæ maximè cum hac conuenit, differt euentu: hæc habet: *Proinde cùm vigiliæ eum tenerent cum surditate, & capitis dolore, lumborúmque, suspicari replentes caput humores consentaneum erat mordaciores esse.* Vsu venit porrò his, vbi cum calida febre, & flagrante cerebrum offendant, sequi, vt didicistis, deliria.

d *Quinto cum labore omnia sunt exacerbata.*] Non est quid mirum auctum esse morbum quinta die, &, inquit, *omnia fuisse exacerbata cum labore.* Perinde est, ac si dicat, corpus doloribus erat affectum, solet autem in huiusmodi febribus non rarò euenire, quòd symptoma appellatur à Galeno *lassitudo ossearia*, vt legitur 4. *acut. text.* 2. his verbis: *Febris quoque vehemens habet, corpúsque velut ab ossearia lassitudine habitum laborat*, quam eandem appellat lassitudinem ostocopon, id est, ossium dolorem, & qui hac laborant, ne minimum quidem motum sustinent. Alleuatus est circa diem vndecimum, quo die visa sunt omnia remissa, id est, diminutus est colli, lumborum dolor, surditas minor, vigiliæ minus infestæ, lingua mollior facta. Et mirum tot grauia symptomata, tam citò fuisse sedata, aut, meliùs dicam, remissa. Huius fuit fortasse causa euacuatio illa perseuerans; quæ, etiamsi esset merè symptomatica, potuit vt causa iuuare diminuendo copiam, præsertim cùm vires habuisse robustas ex textu Hippocratis elicere posse vnumquemquam appareat: benéque se habuisse inferiorem ventrem apertissimum est, dum ait:

e *Commodè habebat, quod ad aluum exonerandam attinebat.*] Quando autem virtus valet, multa sibi potest Medicus promittere, etiamsi morbus grauissima habeat symptomata, vt notat Galenus 10. *meth.* & quotidiana comprobat experientia; si enim res aliter fuisset, non potuisset cum onere graui, & tam longo iter sustinere; neque aliter poterat expectari, quantum ex iis, quæ habuit euacuationibus coniectare possumus: cùm enim essent, quæ euacuabantur multæ, tenues, & aquosæ, longum tempus requiri ad concoctionem constabat, quod non sustinuisset cum virtute imbecilla: fiunt autem huiusmodi ob tenuis, ac serosæ humiditatis exuperantiam, vt 3. *in* 3. *epid. comment.* 55. habetur. Suppressa postea est euacuatio, quod fortasse non fuit de nihilo: ita enim virtus minùs agitabatur, & debilitabatur. Alui euacuationi, & vrinæ erant respondentes, quæ omnia longitudinem prænunciabant morbi. Verùm vnum notat Hippocrates *in textu*, dum ait: *Vrinæ quidem tenues perpetuò, sed boni coloris.* Ex quibus posse colligi videtur, velle nobis innuere Hippocratem magnifaciendam esse coloris bonitatem: nam si in hoc ægrotante, præterquam quòd erant tenues, fuissent etiam praui coloris, profectò auctum esset periculum; sed, quia erant boni coloris, propterea seruatus est, quod idem scriptum est de virgine Abdera, cuius Historia refertur 3. *in* 3. *epid. text.* 78. *Hæc habuit vrinas tenues, sed boni coloris.* Super quo textu hæc dicit Galenus ad verbum: *Ex humorum hac abundantia videtur ægrotasse, vt quantum portendebant prima symptomata, mortem certè huic timeres. Sed bonus vrinarum color in iis; qui humorum*

rum copia laborant, maximum eſt ſignum : quæ, quia craſſæ non erant, fore longiorem morbum denunciabant. Hæc huic hiſtoriæ maximè conueniunt: præterea habebant multum ſuſpenſionum diſperſarum, quod ſequitur ad vrinarum cruditatem, à quibus aliquando, ſed per accidens futuri delirij indicium fertur à Galeno 3. *in* 3. *epid. comment.* 83. in illis: Quia etiam in aliis ægris, cùm dixerit : *ſuſpenſiones elatæ*, ſtatim ſubdit : *delirauit*, innuens quòd eiuſmodi ſuſpenſiones delirium comitatur, quanquam in præſagiis, vbi omnia, quæ accidunt vrinis eſt perſequutus, nullum fecit præſagium ex eis delirij. Quare ſignum hoc videtur per ſeipſum nũquam delirium denunciare, ſed caſu nonnunquam commonſtrare, quia flatuoſiorem eſſe ſanguinem indicat: nam nullus planè flatus ſi inſit, deferuntur ad ima vaſa ſuſpenſiones. Ita *in lib.* 2. *in* 2. *Coacarum, text.* 10. habetur hunc in modum. *Progreſſo morbo, ſurditas, cùm vrinæ ſubrubræ fuerint, quæ nihil ſedimenti deponant, ſed ſublimamentum habeant, emouendæ mentis ſignum eſt,* de qua re aliqua tetigimus in Hiſtoria Sileni.

Verùm dicetis, quomodo cum tot euacuationibus per aluum factis etiam à principio, nihilominus obſurduit, ſi eadem exiſtente, aluo fluente tollitur, teſtatum ab Hippocrate tot in locis 2. *in* 2. *Coacarum, text.* 28. *Surditas,* inquit, *è febre, profluens ſanguis è naribus, & alui turbatio ſoluit,* loquimur autem tantùm de illa ſurditate, quam bilis in caput verſa, inuexit nullo peculiari vitio inſtrumenti auditorij, ſed tantùm bile perfuſi. Quod repetitum legimus 4. *Aphoriſm. textu* 60. Immò aluo fluente, ſi ſuperueniat ſurditas, ceſſat euacuatio, eodem Hippocrate dicente, & *in loco adducto Aphor.* & *in lib. Coacarum*, *text.* 3. *Surditas in febribus*, inquit, *aluum ſiſtit*, quod idem viſus eſt nobis denotaſſe idem Hippocrates 5. *in* 2. *epid. text.* 7. *Dolorem inferiorum locorum fortis ſurditas ſoluit, aut ſanguis multus ex naribus, aut mania.* Quomodo ergo fluente aluo à principio ſurditas ſuperuenit? Ex hoc arguere debetis copiam humorum, quorum pars detrudebatur quidem ad aluum, ſed non ea erat, quæ caput illæſum ſeruaret, quando illius humoris portio ad caput elata, & ſurditatem, & vigilias, & deliria faciebat, quod profectò reddit ægrotantis ſalutem maximè ambiguam, cùm in ægrotantibus talia conſpicimus; etiamſi vulgata opinio ſit, ſurditatem in febribus bonum eſſe ſignum, quia ſcilicet in morituris auditus fiat acutior, quod tamen verum non eſt: nam ſurditas ſemper malum ſignum eſt, niſi bonum ſignum haberi debeat, quod ſignificat periculum: quando verò ſurditas fit poſt phrenitidem, aut aliquem alium capitis affectum, priore morbo ceſſante, aut diminuto, facultate vigente, poteſt aliquo modo haberi pro bono ſigno, quia tunc aliquando contingit fieri, materia ab internis cerebri partibus ad externas eius partes detruſa, ad aures nimirum, quo tempore, ne fiant parotides ſuſpicio eſt. Hac igitur ratione ſurdum fuiſſe factum dicerem, etiam fluente aluo: dico fluente aluo, quia etiamſi Hippocrates de fluore alui non loquatur ante ſurditatem, addit tamen *deiectiones ab initio*, id eſt, ab initio

tio morbi, non ab initio diei vndecimi. Habuit hic ægrotans euidens signum coctionis in die decimosexto, quo die minxit paulò crassiùs, id est, magis coctas, & minùs tenues, cum sedimento, non ampliùs cum suspensionibus. Hinc apparet quòd quæ concoquantur redduntur crassiora, ita statuente Aristot. *lib.4.meteor. cap.3. Omnia, quæ concoquuntur crassiora esse, & calidiora oportet; calidum enim efficit tale melioris molis, & crassius, & siccius.* Subsidebat autem vrina, quia flatuum ea copia erat resoluta: nam quemadmodum materia in vrinis existens, si cruda est, flatibus existentibus non subsidet, quia si natura sua sursum tendunt, secúmque materiam crudam, aut nondum satis concoctam subuehit: ita his resolutis flatibus, materia quæ eleuabatur petit fundum, & redditur magis vnita, quemadmodum aliàs dictum est cum Hippocrate *in progn.* propterea ex hac euacuatione, sequuta est alleuatio euidens, cùm recreatum fuisse dicat, & magis mente constitisse.

[f] *Recreatus est.*] Id est, dicerem ego, aliquantulum resumpsit vires, minùs à symptomatum grauitate infestatus. Mira naturæ opera in concoquendo! quæ sensim malitiam humorum demulcens, reddit ægrotantem leuiorem, & eundem à morbo vindicat, quantopere autem recreatur ægrotans remissis symptomatibus, vnusquisque in dies experitur. An modò simpliciter verum sit, quæ concoquuntur crassiora reddi, non æquè clarum videtur esse: nam etiamsi dicat Aristoteles quæ concoquuntur reddi crassiora, eodem confirmante Galeno *lib.2. progn. comment.33.* tamen patitur multa incommoda, hæc Aristotelis & Galeni sententia, quæ sic legit: *At concoctiones non solùm crassiores reddunt vrinas, sed & deiectiones, quoties benè in ventre concoquuntur, & item screationes in pulmonijs, & costalibus, atque etiam pituitas per destillationes, & grauedines, necnon per lippitudines, & pus in vlceribus.* Quod idem repetit *in lib. de totius morbi temporibus, circa finem capitis.* Incommoda autem hæc: *Si quis vrinam emittat crassam nimis, vt coctionem recipiat, fiat tenuior necesse est*, cùm perinde dicamus vrinam crudam, quæ nimis est crassa, ac illam, quæ nimis est tenuis, & quemadmodum vrina nimis crassa dum coquitur attenuatur, ita nimis tenuis dum coquitur crassior fit. Ita chylus ex pane fit, sanguis ex chylo, ex sanguine spiritus, & tamen spiritus sanguine, sanguis chylo, chylus pane tenuior est, quod cùm ita sit, non videtur vniuersaliter verum, quæ concoquuntur reddi crassiora. Hoc si vultis distinctiùs videre, legite doctissimum Vallesium *in suis controuersiis*, ibi, videbitis quomodo tollendæ sint difficultates: nam vt aliqua attingam, ipse ita dicit: *Etiamsi ex pane fiat chylus, qui pane est tenuior, tamen nihil obstat: nam excernuntur ex pane multa excrementa, quod superest, secretis fæcibus, concoctione crassescit, atque illud tantùm dicitur coctum.* Ita & de vrinis crassis sentiendum est, quæ dum coquuntur, tenuiores videntur fieri: nam crassior redditur vrina propria liquoris substantia, sed tota vrina tenuior redditur secretione crassorum humorum, qui cum liquore erant confusi. Itaque amittit quidem vrina crassitudinem coctione, quam habet permixtione alterius substantiæ, sed

ſed propriam non poteſt : immò rei , quæ coquitur ſubſtantia ſemper redditur craſſa. Sed redeamus ad textum Hippocratis ; à quo pauliſper aberrauimus.

g *Septimodecimo iterum tenues.*] Quàm ſit difficile iudicium ferre in iis morbis,qui à materia varia pendent,præter id, quod in dies videmus, hæc etiam teſtatur Hiſtoria : nam vrinæ ex tenuibus factæ ſunt craſſæ, id eſt, magis coctæ, quas vix potuiſſet Medicus animaduertere, cùm die ſequenti ſint immutatæ , & factæ iterum tenues. Quando hæc videbitis in morbis fieri, ex duobus alterum eſſe putabitis , vel naturæ imbecillitatem , quæ modò ſit aggreſſa coctionem , modò ab opere deſiſtat , quia nequeat materiam ſuperare ex æquo , aut erit hoc propter ſuccorum diuerſitatem , quorum alij ſunt faciles , alij difficiles concoctu. Ita Galen. *in lib. de vrinis, cap.16.* his verbis : *Eſto igitur primum album,ſuperiorem locum occupans , planum , ſed inæquale , id eſt , vno die coctum , poſtero die non coctum : tale debilitatem virtutis indicat , quæ non poteſt ex æquo omni tempore materiam concoquere , & alio in loco* habemus. *Concoctionis opera, quæ eſt actio natiui caloris ad æquandos ſuccos craſſiores , vrinæ attenuantur , & tenuiores incraſſantur , donec ad mediocritatem conſiſtentiæ ventum ſit.* Tutius tamen eſt ex tenuibus craſſas reddi , quàm ex craſſis tenues, quòd in febribus maxima ex parte vrinæ initio tenues , morbo ad ſolutionem tendente craſſeſcunt : ſolent autem tribus modis attenuari; primo modo ex varia , & inæquali materiæ conditione : ſecundo modo ob virtutis concoquentis imbecillitatem : tertio modo propter redundantis ſeroſæ humiditatis ſymptomaticam euacuationem , ſi multæ ſint, & inutiles. Verùm non crederem eam in hoc ægrotante fuiſſe imbecillitatem , quæ tales reddiderit vrinas : neque enim ſuperaſſet tam diuturnum morbum , & grauem ; neque dicerem , ſtatim mutatas fuiſſe, quia adeſſet varietas humorum præcipuè, neque ſeroſitas tanta : ſed id ita eueniſſe putarem , quia humores delati derepente ſint ad alias partes , ad adenes poſt aures exiſtentes : quod verum ſit , vix huiuſmodi vrinæ fuerunt , quòd tumor apparuit ſecundùm vtramque aurem cum dolore : ſolent autem fieri huiuſmodi vrinæ , quotieſcumque futuri ſunt aliqui abſceſſus poſt aures, vti videtur poſſe colligi ex Hippocrate 3. *in 1.prorrhet. text.*31. in cuius *comment.* addit Galenus : *Nam ſi abſceſſus fore ſperaueris , humorum conſidera inclinationem , ad quam videlicet fiat partem, atque ita , vbi ſingulorum capitis ſymptomatum vires adnotaueris , parotidas fore tum magis,tum minus ſperabis.* Aquoſæ præterea vrinæ,in quibus alba ſublime petunt, ad prænotionem per accidens faciunt:oportet igitur eas, neque prorſus incoctas,neque abſolutè concoctas eſſe,vbi natura abſceſſum factura ſit.

Neque eſt quòd aliquis obiiciat, ſi tales vrinas eſſe oportet, quomodo vrina tenuis , & cruda , eſt abſceſſus futuri indicium , vt dicit Galenus *lib.3. de criſ. cap. vltimo.* Reſp. Vrinæ tenues non ſunt prorſus incoctæ, vt ille ait, dicuntur autem crudæ ratione habita ad exquiſitè coctas. Erant autem admodum periculoſæ iſtæ parotides , iſti ſecundum aures

tumores, propter dolorem, quem adiunctum habebant: nam, dicente Hippocrate 1. in 1. *Coacarum, text.* 13. *sect.* 2. Quæ sunt cum dolore, lethales, his verbis: *Quæ verò ad aures dolenter exurgunt lethalia*, & meritò quidem hæc scribit, quando videmus periclitari sæpissimè ægrotantes cum huiusmodi tumoribus: nam ferè semper apparent, viribus admodum debilitatis, & nouum inducere videntur morbum, causásque atterere lethi: nam si fiunt magni, virtus ægri sustinere non potest, donec concoquantur: si parui, non tollunt morbum, qua de causa dicebat Galenus *neque maiores esse debent, quàm vt ferri possint, neque minores, quàm vt iuuent.* Addamus esse huiusmodi tumores periculosos ratione loci: nam sunt circa aures, quando ex auribus, & propter aures plerique moriuntur, idémque iudicium de parotidibus, quæ & cerebro vicinæ sunt, & in eo germen habent, interdum etiam in vniuerso genere venoso. Quare non est mirum, si aliquando, ipsis etiam coctis, nihilominus ægrotantes moriantur, morbo vniuersali incocto, vt vidimus obseruatum ab Hippocrate 2. *in* 1. *epid. text.* 84. de Cratistonacte, & pictoris ancilla. Quare non sine causa monet esse lethales huiusmodi abscessus: nam dolorem inferunt; quia, & repentè influunt. Quapropter, dicebat Galenus *lib.* 3. *cap.* 2. *de comp. medic. secundùm locos*, abscessus istos per impetuosum humorum illapsum febres curare: copiâ materiæ, vehementem tensionem inducunt: acrimoniâ, morsum acerrimum, aliquandóque calidam, & inæqualem concitant intemperiem, quæ grauissimi doloris causæ, ægrotantes celerrimè rapiunt: quæ cùm ita sint, quomodo poterat dormire, itaque addit iure.

[h] *Insomnis erat.*] Et qua ratione erat insomnis, eadem, consentiente cerebro, delirabat. Quòd si Medicus fuisset suspicatus de ægrotantis salute, non sine causa fuisset his grauissimis symptomatibus, etiam in decimaseptima existentibus, post longam molestiam. Quòd autem crura dolerent, id erat in causa, aut quia portio deflueret crassioris materiæ, ad eas partes, aut quod magis est credibile, quia musculi redderentur languidi à calore febrili: symptoma non infrequens in febribus acutis.

[i] *Circa diem vigesimumseptimum, coxa dextra vehemens dolor subitò sedatus est.*] Quæ vigesimo die habuit ad bonum tendebant, sed non ita, quid recidiuandum esset, cùm neque sudor, neque alia euacuatio sit sequuta, nisi diceremus fuisse sufficientem depositionem factam ad aures, & coxas: ad aures, quia erant tumores euidentes; ad coxas, quia erat fluxionis indicium; verùm, quòd spectat ad coxas, erat parui momenti fluxio, cùm statim euanuerit, ídque indicaret aut materiæ paucitatem, & tenuitatem, aut flatuosam materiam: aliter enim non tam facilè resoluerentur dolores; & hinc est, quòd nihil iuuit illa fluxio, quia si fuisset copiosa, parotides resedissent: at neutrum fiebat, neque residebant, neque suppurabant; id cùm videbitis in ægrotantibus, adhuc suspectam habere salutem: cùm enim neque suppurant, neque recurrunt, ægrotantes aliquando moriuntur, quandoque sanantur: moriuntur ij, quibus nulla superuenit euacuatio, quod fortasse, & huic cõtigisset, nisi die trigesimo ven-

ter fluxisset, & multa sunt euacuata aquosa excrementa,& qualia solent in dysenteriis: neque hac euacuatione fuit contenta natura; sed portionem istius materiæ ad vias vrinæ transmisit,vti ex vrinarum qualitate apparet,quas emisit,crassas; quibus euacuationibus meritò tubercula resederunt, cùm sola spes in huiusmodi tumoribus sit in viribus,in alui profluuio, & vrinæ crassæ copia: nam tumores, qui circa aures fiunt, & in febribus cum dolore exurgunt, quibusdam cessante iudicatoriè febre, neque sedati sunt, neque suppurarunt. Factum his biliosorum profluuium, vel dysenteria, vel crassarum vrinarum sedimentum soluit, quod Hermippo Clazomenio contigit, scribit idem Hippocrates 2. *in* 1. *Epid. text.* 81. nullus autem est,credo,quàm hic ægrotans. Et certè debetis esse oculati in huiusmodi tumoribus, quando ægrotantes non parum de vita periclitantur: nam si nihil horum eueniat, quæ huic ægrotanti contigêre, mirum, si ægrotantes non periclitantur, si nihil horum eueniat, quæ hic ægrotans habuit, non parum ambigua est eorum salus: fit enim aliquando vt parotides euanescant, interdum persistant, neque suppurent, neque recurrant: aliquando verò,neque suppurent. Cùm non suppuratæ citò euanescunt,ac inopinanter, semper est malum, nisi fortè ob illorum laxitatem,indolentiam insensibiliter sint resolutæ. Itaque citra incommodum euanescunt tunc,quod etsi non admodum frequens est, tamen obseruaui aliquando, & Galenus idem confirmat[f], 1. *in* 1. *epid. text.* 10. his verbis: *Quæ tamen omnia resident facilè, quòd promptè huiuscemodi materia digeratur: è diuerso, quæ crasso constant,& lento humore,ægrè discutiuntur.* Porrò,quæ acciderunt in tempestate præsenti,laxa erant,& mollia, & digitis cedentia, & quæ ad eorum impressionem cauabantur citra phlegmonem, hoc est, citra phlogosim, id est, inflammationem. Variæ parotidum solutionis exempla habemus ab Hippocrate 7. *epid. text.* 92. quo in loco narrat, quomodo soluantur parotides, & etiam 2. *in* 2. *epid. text.* 6. in quo loco habetis,quomodo iudicentur, & quomodo moriantur ægrotantes sic affecti:& hinc elicietis,non parum de vita periclitatũ hunc ægrotantem; præsertim,cùm dolor ille coxæ,tam de repente sit sedatus, quod etiam magni fit ab Hippocrate, vt suo loco videbimus. Neque solum euacuationes dictæ tollunt humores istos, sed etiam sputum,dicente Hippocrate 3. *prorrhet. text.* 75. *Tussiculæ cum frequenti sputo abscessus post aures tollunt.* Quibus ita dispositis, etiamsi morbus fuerit productus, & deciderit ab acutis,cùm ad diem quadragesimum peruenerit, nihilominus virtus valens, quæcunque symptomata superauit, & tandem ægrotantem ab omni molestia liberauit. Quòd si dexter oculus dolebat, obtusior est factus visus,non fuit quid magni,vt euentus demonstrat,quando citissimè euanuit, indicium fuisse flatuosam materiam potiùs, quæ à capite descendens oculos infestaret, quod non fuit difficile propter capitis,siue cerebri tam grauem affectum. Quare, vt rem concludamus cum Hippocrate.

[K] *Quadragesimo die dexter oculus illi dolebat, obtusior erat intus.*] Ad statum suum rediit, id est, cessarunt oculi affectus, cessauit capitis mole-

stia,

stia, & integrè iudicatus est. Neque crederem ego rediisse amplius febrem post vigesimam; quia, etiamsi non dicat iudicatum fuisse integrè, neque sudasse, & propterea debuisse redire, tamen superuenit postea alui fluxus, quæ euacuatio potuit ab imminenti recidiua præseruare, & eam ob rem, quando scribit,

[1] *Rediȷt ad statum suum.*] Non referrem hæc verba ad affectionem oculi tantùm, sed rediisse ad statum suum, id est omnino conualuisse, & febrem in totum desiisse.

Curatio.

ERat iste affectus ex iis morbis, in quibus debent Medici esse solliciti de victus ratione: nam, qui citissimè finiunt, non æquè sollicitos reddunt Medicos: sed, qui protrahuntur, ij non leuem exposcunt diligentiam. Quare, statim imperata victus ratione conuenienti quæ facta esset per alimenta optimi succi, & facilis coctionis, quibus passim vtimur, nullo modo erat retardanda venæ sectio ex brachio dextro, ex vena interna, iterata euacuatione, tum propter febris vehementiam, tum etiam vt partis affectæ haberetur ratio, hypochondrij nimirum: sæpissimè enim contingit vt hoc præsidij genus retardantes putredinis vim foueamus, quæ posteà eò creuerit, vt occasionem adimat cum ægrotantis pernicie; aut, vti in hoc ægrotante, aliqua insignis euacuatio symptomatica appareat, quæ sit impedimento, quominus rectam curationem progrediamur: hinc enim, nisi ante alui fluxum fuisset missus sanguis, suspecta postea esset habita propter alui motionem ex Galeni decreto: quo præstito, non erat euacuans medicamentum exhibendum, cùm postea tam largiter aluus fuerit mota. Etenimuerò sunt hæc ex iis rebus, quæ Medicis aliquid de ipsorum dignitate detrahunt, cùm tamen hæc scire, neque præuidere possit Medicus: nimirum aliquando continget incipiente morbo, haud multo post fluxuram aluum, Medicus copiam humorum cognoscens exhibet soluens medicamentum, quo fit, vt mota materia ad exitum parata, largior quàm par sit, sequatur euacuatio, quam postea non est tam facile sistere: tunc omne detrimentum tribuunt in Medici opus, cùm tamen leuissimũ esset medicamentum. Quare quemadmodum in omnibus rebus à Deo Opt. Max. incipiendum, ita certè in medendo debent Medici omnipotentem precari enixè, vt dignetur aciem ingenij dirigere in ægrotantis commodum, ne cum famæ detractione, malè sit consultum saluti ægrotantis. Fiunt enim quamplurima in re Medica, quæ animaduertere Medicum est impossibile. Modò obiit iuuenis annorum sexdecim: hic cœpit ex inferiore oris labio conqueri, quia scilicet intumuerit, perseuerauit sic per aliquot dies, vocatus ad curationem inuenio labium tumidum, non tamen denigratum, attamen cùm non detumuisse conspicerem, etiamsi esset sine febre, euacuaui per medicamentum placidum, nocte quieuit, mane tamen, cùm inuenirem adhuc partem tumidam, extrahendum esse sanguinem censui ex brachio, postea comprimentibus nobis labium


labium pus exiit satis coctum, & ita detumuit labium; vt ad statum naturalem videretur redactus, cœperat tamen febrire, nocte derepente tam impetuosa concitata est fluxio ad eam partem, vt calore naturali suffocato, degenerauerit morbus in gangrænam, sicque vocato Chirurgo, denuò extractus est sanguis, scarificata pars, admota sunt opportuna remedia, nihilominus, ita humorum malitia increuit, vt malignè febricitans, serpente morbo; etiamsi, neque in faucibus esset inflammatio, neque minima deglutiendi difficultas, tertio à morbo die obiit. Ex quibus colligere potestis, quàm multa contingant ex praua corporis dispositione, quæ mortem inferunt; cùm tamen viderim ego gangrænas in faucibus vehementissimas, à quibus conualuêre ægrotantes. Venæ igitur euacuatione præmissa, statim deueniendum erat ad alterantia, quæ vim haberent refrigeratoriam, qualia sunt syrupi ex acido citri, de acetosa, acetosi simpl. si tamen aluus adhuc non violenter esset mota, quia acetum nocet in alui fluxu, syrupus de endiuia, cum aquis stillatitiis, aut decoctis ex iisdem herbis paratis. Vigiliis commoda fuissent medicamenta iam in antecedentibus descripta, tam externa, quàm interna, pilulæ è cynoglossa, diacodium, & id genus alia: siccitati linguæ prouisum fuisset iis, quæ humidam faciunt linguam, vt tenendo aliquid in ore, vt sunt canditi ex radicibus lactucæ, cichorij, conserua ex floribus cichorij, aut colluendo sæpiùs os aqua refrigerante, sæpiùs eandem detergendo, præsertim cùm mucore est repleta, vt in febribus acutis sæpissimè cernimus, quia faciliùs, & cum maiore delectu cibum assumunt. Neque erat negligenda hypochondriorum affectio, cui succurrere potuisset Medicus oleo rosaceo, cum succo cichorij misto, & aceti portione, calidis omnibus, bis, ter, & hoc amplius in diem administrato remedio. Delirio, oxyrrhodinis capiti admotis: concurbitulis iteratis, reuulsionibus factis, ventrem fouissem oleis citoniorum, mastiches, rosarum, myrthino. Alui euacuationi fuisset prouisum clysteribus refrigerandi vim habentibus, ex sero, aqua hordei, lacte, aliquando etiam chalybeato. Post decimamquartam, quia visa est natura materiam ad aluum deriuare, poterant addi in syrupo, quæ motum naturæ adiuuarent, concinnato decocto ex radicibus asparagorum, petroselini, semine melonum, concumeris, hordei, & id genus aliis. Abstineret à potu quantum posset: nam aluus magis irritatur, ita sentiente Hippocrate 4.*acut. text.*40. nisi tamen venter esset liquidus propter colliquantem febrem, quia tunc ex Galeni sententia *in comment.* est conuenientissimus. Tumores illi post aures, quos de genere inflammationum esse dicit Galen. *lib. citato de composit. medicam. secundùm locos*, curantur dicente Galeno admotis cucurbitulis, quotiescunque natura minùs benè expellit ad partes extimas, veritus, ne materia introcedat; nam, neque oportet sint maiores, quàm ferri possint, vti dictum est, sed neque oportet minores sint, quàm vt iuuent 2 *prorrhet.* & 2.*in* 1. *epid. text.*35. *comment.*6. Quare, si animaduertisset Medicus motum naturæ, ita se gerere debebat, prout occasio ferebat. Doctissimus Vallesius docet curare hos tumores his verbis: *Ego, quid in huiusmodi ægrotis, quibus per febres ma-*

Y *lignas*

lignas parotides oriuntur facere soleam, dicere hoc loco non grauabor, quandoquidem censeo multos esse ita seruatos, qui alioqui interijssent. Mox, ac oriri incipiunt, partem laxante oleo foueo, vt chamæmelino, atque si exire cunctentur, loco ipsi cucurbitam affigo, ne abscessus sit minor, quàm vt possit conferre, vbi autem satis manifestus abscessus est factus, si breui increscat plurimùm, mitto rursum sanguinem, ne sit maior, quàm possit sustineri, mox verò durum adhuc tumorem, neque vlla suppuratione expectata ignito ferro aperio, altera quidem in parte, si alteram solùm obsederit tumor: in vtraque verò, si vtramque, & cataplasma suppurans appono. Plerumque res bene cedit. Nam breui computrescens, cum inusta escara tumor, manare pus incipit, & per id orificium caput, & reliqua viscera perpurgantur. Subdit: *Neque hoc debet videri cuipiam atrox: pars enim adenosa per sese quidem est vilis, quanquam ob id licet secare, vrere, & vtrumque contemnere.* Hæc Vallesius. Vir est iste magni nominis, cui fides est adhibenda: attamen ego non omnino tutam ipsius curationem haberem, si spectemus verba Galeni sic scribentis: *At verò, cùm vehementi impetu fluxus illabitur, nihil nos curiosiùs agentes, omnia naturæ permittimus: si enim, siue cucurbitam, siue aliud pharmacum, humores ex alto ad cutem attrahens admouerimus, vehemens dolor hominem apprehendit, vnde, & vigiliæ fiunt, & febres succedunt, & vires exoluuntur. Mitigare itaque tunc, & non humorum influxui opitulari conuenit per cataplasmatum maximè lenientium vsum, velut est quod ex frumenti, aut hordei, aut sem. lini, farina cum aqua mulsa, aut fœnugræci, aut altheæ, aut chamæmelo tum decocto coquitur.* Paulò *infra* hæc addit: *Si verò suppuratæ fuerint parotides, tunc aut per sectionem pus elicere oportet, aut sanè per pharmacum acre, abscessum rumpere.* Hactenus Galenus, in quibus videtur consulere abstinendum esse à veloci hac curatione à Vallesio proposita. Hac igitur de causa, & ego consulerem, vt in iis medendis maxima adhibeatur cautio, ne præcipites agantur ægrotantes, vt tempore pestis obseruauimus, veluti diximus *supra*: nam, quamuis adenes sint partes viles, habent magnam communicationem cum partibus principibus, quarum custodia est ad vitam necessaria. Expedit propterea trahere ad exteriorem superficiem medicamentis placidè mouentibus, & euocantibus, si minus perfectus sit naturæ motus, abstinentibus semper à repulsoriis hac ratione, ne propter viciniam materia introcedat ad partem principem, caput scilicet, quod idem Galenus monet *in capitis initio*, sic: *Parotides è genere quidem sunt inflammationum, fiunt autem glandulis circa aures affectis, non tamen prima parte curationis partium inflammatarum in eis vtimur.* Alio in loco inquit. *Ego verò nunquam pharmacis ad parotidas destinatis, repulsoria permisceri operæ pretium existimo, præterquam si aliquando, rarò tamen ad multam discussoriorum copiam parum quiddam ex eis addatur, atque id tum demum, vbi citra dolorem vehementem parotides irruant.* Hæc de parotidibus. In hoc ægrotante paucis fuissemus contenti, natura ipsa operante, vti ex textu elicimus, quando euacuationibus per aluum, & vrinas factis sunt solutæ parotides. Illud,

quod

quod à Medico præstandum erat discite vos ex textu Hippocratis, quando hisce euacuationibus sequutis, debebat attendere motum naturæ, & si perfectè fuisset operata, alio non indigebat remedio, sin minus adiuuanda opportunis medicamentis. Neque negotium mihi fecisset illa oculi affectio, cùm statim euanuerit, ac genita est, ad cuius solutionem non parum fecit alui motio. Iudicato ægrotante, fuisset Medici curantis munus expendere, an purgatio esset iutura, necne, vt qui superessent humores, ij radicitus euellerentur, quòd si conuenire cognouisset, neque hoc erat prætermittendum, blandioribus vsi medicamentis, cùm longo tempore laborauerit virtus, & per aliquot dies aluus mota fuerit, cuius causa, & maior materiæ copia dempta erat, & etiam virtus non æquè constans esse poterat. Hoc igitur vel simili medicamento essem vsus, *℞. Rhabar. infusum, cum vncijs syrup. rof. solut. quatuor*, aut alia id genus. Et quoniam morbus productus est, ratio victus debebat esse paulò largior, vt virtus sufficeret, essent tamen ex iis, quæ facillimo negocio distribuuntur, de quibus iam in aliis sermo est habitus. Ad ventriculi roborationem poterat assumi conserua citoniorum, rosarum, absinthij Pontici, pro ratione temporis, conuenienti victu seruato, etiam per aliquot dies post iudicium, vt ventriculus iam ex diuturno morbo debilitatus, cibis repletus, cruditates generaret, quæ solent esse omnium morborum causæ, vt statuit Galen. *lib. de bonitate & vitio succorum, cap. 3.*



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΝΔΕΚΑΤΟΣ.

ΤΗΝ Δρομεάδεω γυναῖκα, θυγατέρα τεκοῦσαν, καὶ τῶν ἄλλων πάντων γενομένων κατὰ λόγον, δευτεραίην ἐοῦσαν. ῥῖγος ἔλαβε, πυρετὸς ὀξύς. ἤρξατο δὲ πονεῖν τὴν πρώτην, περὶ ὑποχόνδριον. ἀσώδης. φρικώδης. ἀλύουσα. καὶ τὰς ἐχομένας οὐχ ὕπνωσε. πνεῦμα ἀραιόν. μέγα. αὐτίκα ἀνεσπασμένον. β'. ἀφ' ἧς ἐρρίγωσεν, ἀπὸ κοιλίης καλῶς κόπρανα διῆλ-

ÆGROTVS XI.

DROMEADAI vxorem, quæ pepererat, [a] cæteris ritè consequutis, postridie rigor cepit. Febris acuta. [b] Primo die circa hypochondrium laborare cepit, fastidiosa, horrens, implacida, sequentibus diebus somnum non cepit: spiritus rarus, & magnus: [c] hypochondrium statim reuulsum. [d] Postridie eius diei, quo riguerat, aluum commodè reddidit, vrina crassa, albæ, turbidæ, cuiusmodi sunt, quæ in matellis diu

θεν. οὖρα παχέα. λευκά. θολερά. οἷα γίνεται ἐκ τῶν καθισταμένων, ὅταν ἀναταραχθῇ κείμενα χρόνον πουλύν. οὐ καθίστατο. νύκτα οὐκ ἐκοιμήθη. τρίτη περὶ μέσον ἡμέρης ἐπερρίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. οὖρα ὅμοια. ὑποχονδρίου πόνος. ἀσώδης. νύκτα δυσφόρως, οὐκ ἐκοιμήθη. ἵδρωσε δι' ὅλου ὑπόψυχρα. ταχὺ δὲ πάλιν ἀνεθερμάνθη. δ'. περὶ μὲν ὑποχόνδρια, μικρὰ ἐκουφίσθη. κεφαλῆς δὲ βάρος μετ' ὀδύνης ὑπεκαρώθη. ἔσταξε μικρὰ ἀπὸ ῥινῶν. γλῶσσα ἐπίξηρος. διψώδης. οὖρα λεπτὰ ἐλαιώδεα. σμικρὰ ἐκοιμήθη. ε'. διψώδης. ἀσώδης. οὖρα ὅμοια. ἀπὸ κοιλίης οὐδέν. περὶ δὲ μέσον ἡμέρης, πολλὰ παρέκρουσε καὶ πάλιν ταχὺ σμικρὰ κατενόει. ἀνισταμένη ὑπεκαρώθη. ψύξις μικρά. νυκτὸς ἐκοιμήθη. παρέκρουσε. ς'. πρωῒ ἐπερρίγωσε. ταχὺ δὲ διεθερμάνθη. ἵδρωσε δι' ὅλου. ἄκρεα ψυχρά. παρέκρουσε. πνεῦμα μέγα, ἀραιόν. μετ' ὀλίγον σπασμοὶ ἀπὸ κεφαλῆς ἤρξαντο. ταχὺ ἀπέθανεν.

steterunt, cùm agitantur, non subsidebant: nocte [e] *non dormiuit:* [f] *tertio die circa meridiem riguit: febris acuta, vrinæ eædem: hypochondrij dolor, fastidiosa. Nocte magna cum molestia non quieuit, sudor vndique frigidus, è vestigio calor illi rediit.* [g] *Quarto dolor hypochondrij remissus est, capitis vna cum dolore grauitas, aliquantulum soporata est, parùm nares stillarunt, lingua perarida, sitibunda erat, vrinæ tenues, perpaucæ, oleosæ, paulisper dormiuit.* [h] *Quinto sitibunda, fastidiosa, vrinæ eædem, nihil deiecit.* [i] *Circa meridiem multùm delirauit, statímque ad mentem aliquantulum rediit, surgebat, ac deinde mox soporata est, paululùm frigebat. Nocte quieuit, delirauit.* [k] *Sexto die mane riguit, percaluit, toto corpore sudauit, extrema membra frigebant, delirauit: spiritus magnus, & rarus. Paulò post conuulsiones à capite cœperunt.* [l] *Subitò obijt.*

COMMENTARIVS.

SVNT qui dicant, non esse quid mirum, mulierem bene expurgatam incidere in grauissimos affectus, quia scilicet possit esse malè disposita, & proptereà, etiamsi ritè expurgetur à partu, non tollatur corporis praua dispositio, quod tamen, nescio quomodo intelligi, & admitti possit, si Galeni auctoritates attendamus; sed quid Galenum

lenum attendere, nonne & experientiæ quotidianæ aliqua fides præstanda: neque enim illam particulam,

[a] *Cæteris ritè consequutis.*] Interpretarer, de lochiis bene per totum partus tempus fluentibus, sed ita exponerem, cæteris ritè consequutis, id est, in partus tempore nihil defuisse, nimirum facilè peperisse, secundinas emisisse, & purgationes prodiisse eo scilicet partus tempore, quod sæpissimè obseruaui in enixis: vidi enim multas, quæ facillimo negocio peperêre, & omnibus circa partum ritè consequutis, tamen statim suppressis mensibus, grauissimè in posterum sunt affectę, aliquæ obiêre; &, ne recedamus ab Hippocrate, vxor Philini & ipsa peperit, & est expurgata ex præscripto naturæ, & tamen obiit, quia non sat est incipere euacuationem, sed oportet perseueret ad præscriptum tempus vsque. Hoc quidem non est negandum, magis affici eas, quæ prauè sunt dispositæ, & eam ob rem non est mirum, si rigore est correpta postridie quàm peperit. Nam, cùm in deteriori apparatu, & maiori excrementorum copia fœminæ soleant concipi, non est mirum, si tam lethaliter fuit affecta. Dicetis, quomodo fuit febris acuta, si rigor inuasit. Est rigor, passio maximè familiaris in enixis propter vterum, qui neruosus est: dum enim retinetur sanguis ille putridus, vellicans partem neruosam, rigorem inducere potest sua mala qualitate, facillimo autem negocio putrescit, qui sanguis exorbitat à propria sede, & propterea non est cur quæratis causam rigoris in hac muliere. Fieri quidem videbitis rigorem aliquando in febribus continuis, verùm tunc non est acutus multùm, veluti est in iis morbis, qui per circuitum mouentur, fit autem tunc, quando bilis, in morbis continuis, cùm sit tenuissimarum partium, haud potest in vasis contineri, sed nonnihil ipsius extra vasa excidit, quod moderatum rigorem efficit, túncque sequitur humoris malignitatem, excrementorum effusionem per corporis ambitum, corruptionem succorum in ventriculi ore ob prauum victum, veluti suprà vidimus. In hac igitur sine dubio prouenisse ex mensium retentione constabit, si quæ euenêre attentè spectemus, inquit enim,

[b] *Primo die circa hypochondrium laborare cœpit.*] Accidentia mensium suppressionem consequentia: nam cùm eo tempore sit morbosus in corpore apparatus, succi illi putrescunt, vti dictum est, & commoti ad diuersas corporis partes impetum faciunt, ad hypochondria facilè propter viciniam, & ad os ventriculi facilis etiam est transitus; hinc fastidiosæ fiunt mulieres, maligni illius & tetri sanguinis vaporibus ad eam partem elatis, simúlque implacidæ redduntur, & horrore corripiuntur, partibus neruosis compatientibus. Hæc omnia declarat Galenus *lib. de difficultate respirat.* 2. *cap.* 2. & 1. *progn. comment.* 16. & de horrore hæc ad verbum habet Galen. 3. *in* 6. *epidem. comment.* 26. *Qua ratione didicistis sæpius, omnes mali succi plenos, cum vehementiùs repentè calefiunt, horrore vexari*, quod idem legimus 3. *in* 3. *epidem. comment.* 69. non fit autem huiusmodi horror, nisi accurrentibus prauis humoribus per cutim, súntque misti biliosis pituitosi, vt 7. *Aphoris. comment.* 56. *Horror inquit à pra-*

uis humoribus per cutim currentibus fit; & esse mistum idem Galen. confirmat 3. *in* 1. *epidem. comment.* 5. cuius verba sunt hæc: *Ostendimus autem à bilioso, & pituitoso succo febrem cum horrore venientem prodire, eam verò, quæ caret horrore à biliosa quidem, sed lentiore, & concoctu difficiliore, quam ferunt esse partium principum inflammationem.* Quòd si accidentia eò creuerant, vt tantopere ægrotantem infestarent, si quæ pars cum capite consentit, profectò vna est præ cæteris os ventriculi, vti sæpiùs demonstrauimus, qua de causa somnum capere non poterat, cerebro non parum compatiente: nam cerebrum ventriculo, ventriculus cerebro suas trãsmittit affectiones, idque non alia de causa, quàm propter neruorum ad os ventriculi à cerebro descendentium magnitudinem, per quos etiam sensus huic particulæ, quàm vlli reliquarum partium acutior est, scribebat Galenus: *Neque tantùm somnis carebat, sed præter id habuit spiritum rarum, & magnum, quod simul cum vigilijs, multò magis delirium futurum prænunciabat*, vt elicitur ex 1. *progn. text.* 24. *si verò spiratur magnus, multóque interposito tempore, delirium indicat.* Quod scribit, *multo interposito tempore*, idem est, ac si diceret, *rarum*, Galeno sic exponente *lib.* 2. *de diffic. respirat. cap.* 3. Meritò igitur, cùm immineret delirium, somnum non capiebat, quia cerebrum à vaporibus illis prauis impensiùs afficiebatur, & quia erant calidi, somnum arcebant. Quod dicit: *Hypochondrium statim reuulsum est*: sunt qui legant: *spiritus statim reuulsus est*, ex quo apertissimè præuidetur conuulsio, vti docemur ab Hippocrate 4. *Aphor. text.* 68. *In febribus spiritus offendens: malus, conuulsionem enim significat*, id explicante Galeno 3. *de diffic. respirat. cap.* 9. *Spiratio autem offendens, aut subsistens dicitur, quæ in medio sui interrupta, subsistit.* Celsus *lib.* 2. *de re medica, cap.* 6. vocat spiritum in faucibus elisum. Sed tamen ego sequerer verba textus, quæ sic legunt,

c *Hypochondrium statim reuulsum.*] Quare sciendum est non vnica de causa hypochondrium reuelli: dicitur autem propriè reuelli, quando contrahitur tantùm ad superiora, aut sine contractione intrò recurrit. Duarum autem affectionum nota est: nam, si perseuerat cum delirio, absolutam, & perfectam phrenitidem demonstrat ab inflammatione cerebri, & contractione principij neruorum, quam sequitur diaphragmatis, & hypochondriorum ad superiora contractio. Si circa statum, & augmentum id contingat, vt scilicet hypochondrium tendatur, & reuellatur, translationem humorum ad superiora ostendit. Hæc si critica est, profluuium sanguinis afferet: si verò symptomatica, viribus non potentibus dominari humorum motui, phrenitidem, aut conuulsionem: cùm enim impetu quodam exprimitur sanguis in magnis venis, & arteriis, quæ sunt in præcordiis, consentaneum est hypochondrium contendi, & quasi in subsidium violentæ impulsionis reuelli. De hac re visus est Galenus aliqua tetigisse in *lib.* 2. *acut. comment.* 10. & idem videtur desumi posse ex Hippocrate apertissimè, dum ipse 1. *in* 4. *Coacarum text.* 6. habet sic: *Capitis dolor in morbo acuto, hypochondria reuulsa, si quisdem sanguis non effluit è naribus, in phrenitidem procedit.* Quòd si res ita est, ego non dicerem,

dicerem, *spiritus reuulsus*, sed *hypochondrium reuulsum*, id est, retractum ad superiora propter translationem humorum ad partes superiores; ex quo prædicendum erat, aut delirium, aut conuulsio, quod vtrunque in hac ægrotante contigisse videbimus.

d *Postridie eius diei, quo riguit, aluum commodè reddidit.*] Non video, quomodo aluum commodè reddiderit, materia cruda existente, & nullo iuuamento subsequente: nam vrinæ erant nihilominus turbidæ, & omnia ruebant in deterius. Itaque illud, *commodè*, non debet referri ad vtilitatem, quam nullam videmus, sed fortasse ita loquitur, vt ostenderet facultatem expultricem non omnino fuisse oblitam sui muneris, sed eadem hora, qua solebat tempore sanitatis, alui excrementa reddidisse, & sine dolore, de quibus excrementis, & modo excernendi satis copiosè sunt eloquuti Hippocrates & Galenus *in lib.2.progn. & 1.de cris.cap.11.* Quòd nihil meliùs sit sequutum ex hac euacuatione hinc apparet, quòd vrinæ erant turbidæ. Qui in Galeni locis mediocriter est exercitatus non paucam humorum agitationem fuisse in genere venoso coniectasset, futurúmque, vt breui ita capite doleret, vt etiam delira hæc ægrotans fieret: præsertim, si ante dictorum non fuerit oblitus: nam, solent huiusmodi vrinæ dolorem capitis existentem, aut futurum prænuntiare delirium, & conuulsionem, de primo extat *Aphor. text.71.sect.4. Quibus vrinæ perturbatæ iumentorum similes, his capitis dolor, vel adest, vel aderit.* Quod etiam obseruatum habebimus in historia Hermocratis. Delirauit vxor Philini cum huiusmodi vrinis, & obiit. Sed clariùs, doluit capite, delirauit, conuulsus est cũ huiusmodi vrinis Polyphantus Abderis 7.*epid. text.*100. de quo sermonem habens Hippocrates, ita scribit: *Polyphantus Abderis caput dolebat, in febre vehementi: vrinæ tenues, multæ, hypostases densæ, & conturbatæ.* Non cessante autem capitis dolore sternutatoria admota sunt, cùm esset iam decima dies. Postea verò in ceruicem dolor fortis. Vrina venit rubra, perturbata, qualis iumentorum. Mente motus est phrenitico modo. Mortuus est in fortibus conuulsionibus. His addere non piget sequentem historiam: *Similiter autem*, inquit, *& Eualcidæ famula, cùm multo tempore densæ vrinæ prodijssent, & cephalalgiæ inessent, facta phrenitica mortua est*, eodem modo, *cum foribus conuulsionibus: omnino enim densæ vrinæ, & perturbatæ signum est exactum doloris capitis, & conuulsionis, & mortis.* Hactenus Hippocrates, quæ omnia apertissimè comprobat istius ægrotantis euentus, quæ & capitis dolore, & delirio, & conuulsione fuit conflictata. Si vultis scire, cur talibus vrinis existentibus hæc fiant, legatis Galenum *in comment. Aphoris. adducti*, quo in loco ita docebitur, nimirum huiusmodi vrinas hæc indicare, quoniam hæ maximam humorum in venis existentium agitationem, & flatuosi spiritus permistionem arguit: hinc vapores quamplurimi eleuantur, qui sua tenuitate sursum elati caput replent, & pro varia partium, quas obsident infestántque natura, diuersa pariunt symptomata: si enim cerebri temperiem, quam mentem solet appellare Galenus, immutent, delirium excitant, si biliosâ acrimonia neruorum principium pungant,

conuulsio

conuulsionem pariunt, si venas, & arterias capitis, necnon eiusdem membranas, quæ sunt exactissimi sensus, distendant, cephalalgiam inducunt. Quid igitur ex his vrinis prædicendum sit, constat apertissimè ex Hippocrate, & Galeno, quòd si tot minantur vrinæ dictæ, iusta de causa addit Hippocrates,

[e] *Non dormiuit.*] Si enim vigiliarum causa non tollatur, neque etiam poterit tolli effectus, videntúrque sibiipsis mutuas dare operas, vigiliæ, & bilis, cùm biliosus humor, vigilias, vigiliæ biliosum humorem augeant: è longa etenim vigilia exsiccantur corpora, & concalescunt, & hinc bilis generatio. Cur autem ita affecti non dormiant, dictum etiam est *suprà* ex sententia Hippocratis, vbi statuebatur pessimas esse vigilias, vt causas, & vt signa. Primo modo, quia impediunt coctiones: secundo modo, quia id fit, vel propter dolorem aliquem, aut propter delirium præsens, vel futurum. Ille fit ab acri incendio, interna inflammatione, erysipelate interiore, & similibus. Hoc, exoluto spiritu animali, & siccato cerebro, in quo facultas animalis residet.

[f] *Tertio die circa meridiem riguit.*] Solet rigor febres etiam ardentes soluere, sed tamen in hac ægrotante id commodi minimè est sequutum, cùm & vrinæ in melius non fuerint mutatæ, & febris remanserit acuta; quod perinde est, ac si dixisset, febris acutior, quia cùm rigor ille posset arguere succi malitiam, ab hac natura ante tempus irritabatur ad expulsionem, & materiam ad corporis ambitum promouebat, hincque commotis succis febris augebatur: & quia non diminuebatur causa peccans, neque etiam diminuebantur, quæ patiebatur symptomata, cùm adhuc & hypochondrij dolor, & fastidium perseuerarent. Hæc cur fiant iam cum Galeno significatum est. His sic stantibus, non obscurè apparet rigorem hunc fuisse merè symptomaticum, quia scilicet cum vtero compaterentur partes neruosæ. Huiusmodi rigor quatuor modis nocere solet: nam rigor est tunc ex iudicatoriis, non iudicantibus, quæ aut lethalia sunt, aut difficilis iudicij, si remissiùs æger habeat. Primo igitur modo nocet, quia vehementi commotione corpus facit infirmum. Secundo, perfrigeratione, quæ est symptoma languentis caloris natiui, nocet, quia actiones tum animi, tum corporis labefactat. Tertiò nocet, quia materiæ intrò recursu, & in nobiles partes translatione, varia, & perniciosa symptomata inuehit. Denique nocet quarto, quia nouo feruore concepto febrem auget, quomodo apparet in hac ægrotante, cui aucta est febris post rigorem, verùm etiam facta est translatio materiæ ad partem principem, cùm doleret hypochondrium; & præcipuè, cùm sudor vndique frigidus eruperit, vt ipse ait, quem sudorem internum incendium denotare sæpissimè demonstratum est: nam sudor in sanis multus, alimenti copiam, potum largiorem, corporis plenitudinem, cutis raritatem, iecoris, ac lienis copiosum calorem, & humorem denunciat. In ægrotis fit ex nimio humore, & sero; si verò fiat natura operante, tunc arguitur vis naturæ. Est sudor eiusdem naturæ cum vrina, sed tamen materia sudoris est magis elaborata; quando igitur fit sudor, vel est propter copiam

piam alimenti, vel est propter copiam humorum in corpore stagnantium, ita Hippocrates 4. *Aphor. text.* 41. *Sudor multus per somnum factus copiosiore cibo corpus vti significat, si verò cibum non assumenti hoc accidat, scire oportet, quòd euacuatione corpus indiget.* Si in febribus fiat, ille vel est periodicus, vel est symptomaticus, vel est criticus. Periodicus, vt in febre intermittente sola, aut continuæ iuncta, vt semitertianis. Hic triplex esse potest, vel multus, vel frigidus, vel calidus. Multus naturam resoluit, & copiam humorum, ac contumaciam indicat. Frigidus materiam frigidam, & morbi diuturnitatem. Calidus, calidam, & mitiorem ostendit. Ita Hippocrates 4. *Aphor. text.* 42. *Sudor multus calidus, vel frigidus superfluens, frigidus magis, calidus minus significat morbum.* In cuius *comment.* hæc sunt: *Difficiliores quidem sunt frigidi sudores, minus verò his mali calidi.* Indicant siquidem vtrique multitudinem adesse, sed alteri frigidam, qui & peiores sunt, alteri calidam, qui & minus his exitiales sunt. Sudor autem criticus in febre continua hunc in modum cognoscitur: nimirum, si fiat præcessis signis coctionis; si die critico, & valida natura existente; si per totum corpus effluat, si modum non excedat, & ab hoc sudore febris tollatur cum annexis symptomatibus. Hunc in modum apparentes sudores sine dubio boni sunt. Symptomaticus duplici modo fit: nam, vel fit à natura tentante crisim, sed non potente, vel à resolutione partium solidarum cum raritate cutis, & virium infirmitate. Vtcunque fiat, lethalis est, aut difficilis iudicij: si enim multus est iste sudor, virtutem deprimit celerrimè: si paucus, non iudicat, & dicitur iudicatorius, non iudicans, à quo sudore, si augeantur symptomata, & in caput, aut in partes alias fiat translatio, aut frigidus sit, in acutis non euadet æger: sin verò tenuior portio materiæ morbificæ excluditur, crassior verò, & glutinosior retineatur, virtute constante, restituitur quidem æger, sed nonnisi longo tempore, quod apertissimis verbis innuit Hippocrates 4. *Aphor. text.* 37. his verbis: *Frigidi sudores cum acuta quidem febre, mortem, cum mitiori, longitudinem morbi significant.* Quibus addit Galen. *in comment.* hæc omnia: *Causa verò huius exploranda: nam plurimum mihi videtur habere dubitationis, quomodo febre calidissima hominem detinente, sudor fiat frigidus. Quòd igitur in alijs partibus corporis sit necessarium esse vehementem caliditatem, ex alijs verò sudores frigidos euacuari, manifestum est. Essent enim calefacti, si ex partibus calidissimis efferrentur. Euacuantur autem ex cute sudores, quam frigidam esse contingit, cùm tamen ea, quæ sunt sub ipsa comburantur. Nam quibusdam humoribus putrescentibus ostensum est, febres fieri acutas. Hi verò putrescunt, sæpiùs quidem in toto corpore, sæpiùs verò in vasis solis. Cùm ergo hæc aliquando duo contigerint; humores, qui sunt in vasis putrescere, & eam, quæ solida corpora regit naturam, quæ secundum Hippocratem est calor naturalis, vel extingui omnino, vel proximam esse extinctioni, quæ quidem ex his euacuantur, frigida sentiuntur, eam verò, quæ fit ex putredine caliditatem, nihil prohibere esse vehementissimam; atque ideò signum esse exitiale, ostendens in animalis corpore humorum multitudinem superabundare, tantam*

habentium frigiditatem, vt neque à calore natiuo, neque à febrili calefiant. Tepidis siquidem existentibus febribus contingit saluari hominem, concocta in processu temporis multitudine humorum frigidorum, atque euicta à natura. Acuta enim febris causa est, & signum perniciosissimum. Causa quidem, quia prompta est ad dissoluendum corpora: signum autem, quòd humorum multitudinem esse frigidissimorum ostendit, vt quæ neque à calore febrili transmutetur. Febris verò, quæ neque acuta est, sed moderata, permittit tempore longiori à natura multitudinem concoqui, cùm non anticipet dissoluere hominem: non est autem signum adeò perniciosum, sicuti vehemens febris. Contingit enim in tepida febre, & si modicè frigida multitudo fuerit, incalefactam permanere. Hactenus Galenus. Quot igitur sint attendenda, vt ex sudoribus præsagiamus, an moriturus, an conualiturus sit ægrotans, dictum est. Quòd si res ita est, profectò poterat Medicus curationi assistens non difficilè prædicere quid futurum esset, cùm sudor eruperit frigidus vndique, id est, per totum corpus; sed, quæ erant symptomata, eadem permanserint, vt apparet: nam, etiamsi illi statim redierit calor, propterea bonum censendum non erat, quia solet natura extinctioni proxima omnes suos conatus adhibere, vt morbificam materiam expellat, & euincat, & hac de causa succumbens, frigiditas: iterum insurgens, calor prodit per totum corpus ad instar luminis, quod in eo prope est, vt extinguatur. Rem perinde esse, ac dicitur, euentus probat: non enim crederem factam esse hanc mutationem caloris, & frigoris, propter humorum varietatem, etiamsi scribat Hippocrates 4. *Aphor. text.* 40. *Et vbi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, rursus calefiat, vel color alter ex altero fiat, longitudinem morbi significat,* & 1. *in* 2. *Coacarum, text.* 13. *Extremæ corporis partes, si in vtramque permutentur conditionem, sitis quoque huiusmodi, malum.* Idem Galenus 1. *in* 3. *epid. comment.* 8. ait: *Si quidem vna cum ardente febre, & succum habente mordacem, acrémque adiunctum, si quis symptomate teneatur, humidos, frigidósque humores, atque non mordaces comitante, non esse incommodum ostendit profligatum, cùm nihil acciderit decretorij, sed suffocari, & extingui natiuum calorem.* At si ex prostratione virtutis id contigisset, diceris, non tam celeriter incaluisset, immò amplius incaluisset, vt contigit Philisco, qui sudauit frigidum quinto die, sexto obiit. Attamen hoc certissimum est, non esse omnibus par robur: sunt enim, qui magis, qui minùs resistant, vt quotidiana comprobat experientia: nam Silenus etiamsi sudauerit frigidum octauo die, non obiit vsque ad vndecimum diem. At, vtcunque esset. Obiit.

[k] *Dolor hypochondrij quarto die remissus est.*] Hæc doloris hypochondrij remissio, vincentem naturam non denotabat, cùm cætera non respondetent, immò potiùs arguerent extremam virtutis imbecillitatem, & humorum depositionem ad alias partes, vt ex dolore capitis patere potest: quotiescumque enim infernarum partium affectus, aut sedantur, aut diminuuntur, supernæ autem, quæ anteà non erant affectæ, incipiunt pati, quid aliud existimandum est, quàm factum esse recursum humorum ad

supernas

ſupernas partes, quod præcipuè ſuſpicari oportet, ſi præter rationem ſedatæ ſint infernarum partium læſiones. Ecce dolor capitis ſuperuenit, poſt remiſſionem doloris hypochondrij, & cum grauitate, propter copiam eleuatorum vaporum, & tanta erat vaporum copia, vt veluti obrueretur facultas animalis, cuius cauſa aliquantulum ſoporoſa erat: neque enim propter miſtionem humoris pituitoſi factum ſoporem crediderim, ſed propter imbecillitatem, cùm omnia humorum acrimoniam potiùs denotarent, rémque ita fuiſſe demonſtrat ſtilla narium. Hæc propter quam cauſam fiat, iam dictum eſt *ſuprà*. Quòd autem ſopor non fieret à materia craſſa, ſed propter imbecillitatem, ex eo conſtat, cùm lingua areſceret, & ſitiret, quæ vtraque eandem habent cauſam fouentem, vt vidimus. Sed quod magis erat, vrinæ tenuitatem habebant, & erant paucæ. Quòd haberent tenuitatem, non eſt mirum, quia crudo exiſtente morbo, tales ſolent apparere vrinæ; verùm fuiſſe paucas admodum, hoc potuit euenire, quia natura eſſet intenta ad alia: videlicet, cùm humores eleuarentur ad ſupernas partes, minores erant vrinæ copię: poterant etiam eſſe propter imbecillitatem virtutis, veluti de quacunque deficiente euacuatione dicebatur; ſed & addamus fuiſſe oleoſas, quæ incendium denotabant, neque eſt cur quæramus, quomodo poſſint eſſe vrinæ tenues & oleoſæ: nam etiamſi maximam aduſtionem denotent, vt 2. *de humoribus*, *text.* 25. cùm inquit: *Quæ verò colliquatio propriè nominatur, plerúmque fit quòd pinguedo, aut etiam tenera caro propter malignam febrem colliquatur.* Quam ſanè ex vrinis potiſſimum dignoſces: ſunt enim illæ oleoſæ, & principium colliquationis ſignificant, cúmque & in colore, & in conſiſtentia, quid veluti oleum ſit, tunc affectionis indicat ſtatum, de iiſdem loquutus eſt 3. *in* 3. *epid. text.* 22. quo in loco videbitis appellari oleoſos, quia colore, & craſſamento oleum referant, quæ cùm ita ſint, meritò, vt dixi, quæretis, quomodo poſſent eſſe tenues, ſed hoc à Galeno facilè explicatur 2. *progn. text.* 35. quia vult dicere pinguedinem fuiſſe ſupernatantem, vt ipſe dicit ſic: *Et pinguedines ſupernatantes, aranearum ſimiles, damnandæ ſunt, indicant enim conſumptionem.* Sunt, qui vertant *oleoſæ*, id eſt, ita turbatæ, vt oleo eſſent ſimiles, de quibus ſuprà dicebamus, eáſque delirium, & conuulſionem prænunciare ſtatuebatur. Ita Parius oleoſum minxit, delirauit. Adoleſcens Mœlibeæ, & ipſe cum talibus vrinis delirauit, ſed non fuiſſent tenues, quia oleum craſſeſcit. At enimverò, quemadmodum aliàs dictum eſt, ſi animaduertamus antecedentia, conſtabit, potuiſſe eſſe oleoſas etiam ſubſtantia, & tamen dici tenues, quia iam Hippocrates *ſuprà* vrinarum qualitatem deſcribens, eas dixerat fuiſſe craſſas, turbidas, neque dormiuiſſe. Id omne, vt diximus, erat indicium imminere graue capitis malum, & quoniam, antequam ægrotantes delirent, ferè ſemper videmus vrinas attenuari, craſſiori materia ad caput delata; ideò non eſt mirum, ſi idem, & huic contigerit, & hac de cauſa, quando dicit fuiſſe tenues, oleoſas, loquitur reſpectiuè ad primas vrinas: innuens inſtaſſe delirium. Neque video, quomodo potuerit pauliſper dormire, niſi dicamus ſolere fieri hanc quie-

tem in extremè debilitatis, quia non possunt moueri, & videtur quies illa, quæ pendet ex virtutis imbecillitate: neque enim ita placidi erant humores, qui permitterent, si cætera perpendamus, vt paulisper dormiret. Qualis igitur fuerit quarta, iam constat. Quibus examinatis non fuisset difficile pessimum euentum expectare, in tam maligno ægrotantis statu, & hoc loco vos debebatis diligenter attendere, quæ à Galeno docentur *lib.* 3. *de cris. cap.* 5. Ibi enim tria esse spectanda monet, vt certius præsagium feratur, morbum scilicet, ægrotantis vires, & longitudinem morbi, comparátque morbum oneri, vires portanti onus, longitudinem morbi, longitudini viæ, ita scribens: *Et quidem sine horum trium cognitione exacta, mihi de salute inuestigare contingit, non magis, quàm hoc, nunquid aliquis portando onus sufficiat, sciri potest, hominis robore, oneris magnitudine, & viæ longitudine antea non perspecta.* Addit: *Nam ægro vires, portanti onus, morbus oneri, tempus autem, quod vsque ad statum extenditur, longitudini viæ respondet.* Quare si morbi longitudo sumatur ex signis cruditatis, & coctionis, nemo quisquam negabit, non tantùm non apparuisse minimum coctionis signum, sed potiùs omnia coctioni contraria, & hac de causa, vt euinceretur, requiri tempus, & per consequens naturæ robur, quæ & causam sua natura difficilem, & malitiam causæ, sua natura lethalem superare posset: id autem non consequuturam naturam meritò suspicatus esset Medicus, ægrotantis statum ante oculos habens, præsertim in quarta die, quæ solet iudicare septimam. Neque minùs grauis fuit dies quintus.

[h] *Quinto sitibunda, fastidiosa.*] Perseuerabat in quinta & grauitas morbi, & malitia, quod denotat per verbum illud, *fastidiosa*, neque aliud poterat expectari, cùm ne minima euacuatio facta sit materiæ peccantis, sed idem status esset ægrotantis, & sine dubio deterior; quia, quò diutiùs lethalia symptomata perseuerant, citiùs virtutem deprimunt; & propterea, vt denotaret, non fuisse mirum eundem permansisse statum ægrotantis, addit vrinas extitisse easdem, quasi dicat, si vrinæ adhuc tantam malitiam præmonstrabant, quomodo non debebant cætera permanere; imò, quemadmodum à principio aluus excrementa reddebat, quinto die nihil deiecit. Docet vos Hippocrates in hoc, quanti sit aluum quotidie excrementa reddere, & præsertim quando caput incipit lædi: augetur enim capitis affectio ab excrementorum retentione, videbitis *in lib.* 3. *de sympt. causis. cap.* 2. Caput dignum quod legatur. In hac, si aluus fuisset mota, facta esset maxima diuersio à capite, sed quoniam retenta sunt excrementa, propterea grauius delirium est sequutum. Et notate exactam Hippocratis diligentiam in obseruandis iis, quæ faciunt ad ventrem inferiorem: nam hoc denotabat malè se habuisse ventrem inferiorem, ipsiúsque facultatem expultricem à munere suo cessasse propter imbecillitatem, non ob aliam causam, de quibus satis loquitur Galenus 1. *de sanitate tuenda*, *cap.* 14. Vbi enarrat causas, propter quas aluus aliquando non reddit excrementa consueta.

[i] *Circa meridiem multum delirauit.*] Delirium iam poterat præuideri, non

non tantùm ex aliis accidentibus, sed præcipuè ex vrinarum qualitate, neque quid magis boni fuit, statim rediisse ad mentem, quod interpretarer de leuiori delirio, quia id non alia ratione eueniebat, nisi propter naturæ imbecillitatem: nam, quemadmodum cùm fiunt symptomata indicant naturam mouentem; ita, si præter rationem sedentur, denotant naturam non mouentem, hócque tunc sequitur extremam virtutis prostrationem, quæ insurgit quidem, sed posteà non amplius audet aggredi pugnam, fiúntque tunc temporis mutui quidam motus, vt scilicet modò insurgant accidentia, modò quiescant omnia, donec integrè aut vincat, aut vincatur ipsa natura. In hac isti mutui motus conspiciebantur quidem, cùm modò deliraret, modò videretur quiescere, modò surgeret, id est, iterum mente moueretur, quo tempore surgere conantur, vt conspicuum est, sed statim iacent, vt mortui, vt huic contingebat, quæ, dum surgeret, statim soporosa facta est, non quia humor frigidus eleuaretur ad caput, sed quia ventum erat ad extremum, vt ex sequuto frigore conspicuum est, ex quo augeri prostrationem virtutis elicere vnusquisque potuisset, & fortasse mortem præ foribus extitisse affirmare, qui pulsus tetigisset, etiamsi visa sit quieuisse, quia erat hæc quies perinde magnificienda, & quæcumque alia alleuatio similis, sine ratione, rémque ita esse denotat delirium, quia eadem nocte & quiescere visus est, & delirasse.

k *Sexto die, mane superriguit.*] Solet sextus dies vnquam boni quid afferre, neque ægrotantes iudicare fideliter, & eam ob rem non mirandum, si quod multis, huic etiam contigisse videamus, quæ enim sexto die euenêre, erant emorientis facultatis non obscura indicia: nam riguisse poterat quidem denotare motum naturæ, expellere tentantis, præsertim cùm cito percaluerit, & posteà toto corpore sudauerit. Verùm, si spectemus conferentiam, & tolerantiam, hoc denotabit euidenter pessima fuisse omnia, cùm à sudore extrema fuerint refrigerata. Sudor omnino inutilis, & damnandus, non tantùm, quia in sexto apparuerit, sed etiam quia nihil contulerit: refrigerari enim extrema, & delirare ab euacuatione, quid aliud est, quàm non iuuisse euacuationem, imò prostratam esse virtutem, neque sedatum esse internum incendium, vt propterea non immeritò appellet tyrannicum Galenus diem sextum, quia nunquam iudicat, aut si iudicat, illud facit cum grauissimis symptomatibus, ita 1. *de diebus decret. cap.* 4. *Mihi equidem*, inquit Galenus, *frequenter in mentem venit septimi diei naturam regi assimilari: sexti verò tyranno:* huiúsque reddit rationem sit scribens: *Ille quidem dementior, tanquam aliquis bonus princeps ijs, quos iudicat, vel supplicij partem adimit, vel illustrat victoriam. Hic è conuerso, vel pernicie illius, quem iudicandum accepit, gaudet, vel salute dolet, quæritque, vbi animum expleat, & malè ægrum, qui in ipsum incidit, tractet, & longa punitione exerceat.* Idem *in eodem lib. cap.* 2. *In sexto iudicantur, sed cum difficilibus symptomatibus, & periculo non mediocri, ad hæc absque fide, imperfectè, obscurè, sine notis, & ad perniciem; & hæc est causa, propter quam nunquam faciat fidum iudicium.* Quod etiam legitur apud Galenum 3. *prognostic. comment.* 1. hunc in

modum. *Intercedit quandoque & sextus dies, qui malè iudicat, propterea quòd cum accidentibus difficilioribus interdum faciat indicationem, atque hypercrisin nominatam, id est, ad difficiliorem indicationem, & acerbiorem excidat, & verò etiam, quod non integrè discutiat morbum, sed imperfectè, & si quando discutiat, prorsus efficiat recidiuam.* Additur ad hæc auctoritas Hippocratis *ex lib.4. Aphoris. text.29.* desumpta, quæ istud ipsum confirmat, quando sic ait: *Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficilè sequitur iudicium.* Rem ita esse mulier hæc est experta, quæ cùm die sexto toto corpore sudauerit, extrema tamen membra frigebant, quia iudicatio tendebat ad perniciem; quod verum sit, delirauit, consentiente cerebro, neque meliùs spirabat, sed adhuc spiritus erat magnus, & rarus, quem spiritum cerebri calidam affectionem, & delirium prænunciare statuebatur in initio: quanti autem referat bene in morbis ægrotantes spirare, iam *suprà* dictum est cum Hippocrate *in progn.* quod etiam repetit his verbis, 1.*in* 2. *Coacarum text.* 35. *sect.* 2. *Magnus autem, & rarus spiritus delirium, & conuulsionem significat, quod tamen inseparabile non est: nam & Silenus, & Philiscus huiusmodi habuerunt spiritum, neque conuulsi sunt.* Fit autem huiusmodi spiritus tribus de causis: nam thorax his de causis plurimùm distenditur, aut quia calor internus æstuat, viribus constantibus; aut quia adsit aliqua angustia, quæ impedimento sit, quominus multus aër trahatur, aut quia vires deficiunt, vt imminente morte. Prima igitur causa thoracem potest dilatare quammaximè; secunda minus; tertia minimum, licèt operentur omnes musculi. Quòd si omnes istæ causæ iungantur, illa est omnium deterrima, vt fit in pulmonia, calor, angustia, infirmitas. Quare, si ad veram magnitudinem cum distentione pectoris, & multi aëris ingressu accedat raritas, quæ ad quietem pertinet, vt illa ad motum: tunc certissimum est delirij signum præsentis, aut iam iam futuri, & magni, nec aliud significare potest, quoniam raritas solius obliuionis est effectus, non oppressionis, quia aucto vsu, & liberis instrumentis, sola mens in vitio est. Cùm igitur facultatis animalis opus sit respiratio, qui delirant, in eo deficiunt perinde, ac faciunt in aliis arbitrariis functionibus, ídque contingit propter occupationem, quam habent in spectris, id est imaginibus, quæ oculis sese offerunt; quo fit vt obliuione detineantur: sic enim mingere, deiicere longo tempore cessant, quia obliuiscuntur, aut non apprehendunt impressionem in sensibus factam. Quare aucta necessitate, cùm iam valde vrgentur, exercent animales operationes ex longis interuallis, & propterea habent magnas respirationes. Itaque videtur hoc signum esse delirantibus proprium, sed tamen distinguitur istud proprium in illud, quod necessariò rem significatam sequitur, nec ab ea separari potest, & dicunt esse formale, vt rationale in homine: aliud est proprium, quod necessariò quidem rem significat, non tamen necessariò sequitur, quia accidens proprium est, vt si dicamus: Architectus est: ergo est homo, non tamen conuertitur: est homo: ergo Architectus, & hoc secundo modo intelligitur esse magnam, & raram respirationem in delirantibus: cui enim ipsa

inest,

inest, ille necessariò delirat, non tamen è conuerso, quia non est necesse, vt qui spirationem habet magnam, & raram, ille deliret, & ratio est, quia sæpissimè contingunt affectiones complicatæ, quæ spirationem variant, vt si quis deliret cum dolore, hoc vincente aliter spirabit, quod pulcherrimè nobis scriptum reliquit Galenus *lib. 2. de difficultate respirationis cap. 7.* Huius verba referam, quæ ita se habent: *Si igitur à solo delirio respirationis ornatus, & integritas confunditur, magnus, & rarus erit spiritus penitus. Si verò à solo dolore, paruus & densus. Si verò ambo concurrant, & dolor vehementer obtinuerit, obscura omnino erit alteratio ex delirio. Si verò moderatus fuerit dolor, aut plus quidem ex dolore, minus verò ex delirio, respirationem alterari continget, aut vice versa, aut æqualiter iuxta vtrumque.* In cap. 5. hæc habet: *Rarus, & magnus spiritus proprius est delirij, & propterea ipsum significabit.* Non tamen, si quis delirat, necessariò magnum, & rarum spiritum habet. Neque enim inseparabilem, sed proprium esse delirij diximus spiritum magnum, & rarum. Quemadmodum esse geometram, esse architectum, esse philosophum, &c. quæ singula nulli alij insunt animali, quàm homini soli, & ob id propria ipsius esse dicuntur, non tamen inseparabilia, quemadmodum est rationale. Quomodo igitur spiritus magnus, & rarus sit delirij significatiuum, cum Galeno dictum est. Quòd autem conuulsionem significet, non ita certum; quia, neque hoc necessarium est; facilè quidem fieri potest, vt grauiter affecto cerebro, conuellantur ægrotantes: liquatis enim à vi caloris, humoribus, non difficilè ad neruos habet raptum, & conuulsionem concitat, quæ, vt acutissimus morbus citissimè potest hominem interimere, deterior tamen, quæ fit ex inanitione: hæc autem sequitur febres ardentes, cum largis euacuationibus: hæc à repletione sine dubio ortum habebat: nam scribit doluisse capite, & soporosam fuisse, quæ omnia capitis repletionem indicabant. Hoc igitur fuit iudicium, quod attulit sextus dies huic ægrotanti, veluti solet etiam aliis afferre. Neque dicatis aliquos ægrotantes iudicatos esse integrè in sexto die, veluti virgo illa, de qua fit mentio 3. *in 3. epid. text. 83.* quia non fuit illud beneficio sexti diei simpliciter, vt sequentia Hippocratis verba testantur; nam addit statim: *Dum febricitaret, & indicata esset, menses illi primùm fluxerunt. Nam euacuationis perseueratio, diebus post iudicium, quod die sexto præcesserat per sanguinis eruptionem, & sudorem, maximè, quod nulla esset pars princeps inflammata, neque maligna humorum abundantia, satis erat, vt firmum seruaretur iudicium. Quare si indicata est, fuit, non beneficio sexti diei, sed euacuationis, quæ etiam post iudicium superuenit; & quia hæc mulier pessimè se habebat, sexto die obijt conuulsa.* Ex quibus apparet euidenter, sextum diem, aut lethale, aut infidum afferre iudicium, vt exempla testantur apertè.

[1] *Subito obijt.*] Notate hîc modum loquendi Hippocratis; neque enim sine causa ita scribit. Miratur vulgus aliquando, si ægrotantem citiùs mori videant, quàm prædixerit Medicus, aut etiam si mortuum habeant, quem minimè moriturum existimabat Medicus, nesciens humanum corpus esse altera

alterabile, vt quacunque hora inexpectata contingant, sæpissiméque tam prauam esse corporis dispositionem internam, quæ noua, & minimè cogitata symptomata afferat, & mortem etiam. Obiit modò in hoc xenodochio maiori Papiæ iuuenis Genuensis, qui cùm acutè incœperit febricitare, iam eidem fuerat extractus sanguis, medicamentum exhibitum, conquerebatur de totius corporis lassitudine, circa vesperas tertij diei inuisimus, minus febrientem inuenimus, & commodè satis habentem, nocte quieuisse meliùs testatur, assumit syrupum, de nullo conqueritur, haud multo post, incipit conuelli, spuma circa os apparet, vt retulerunt mihi, quia hoc contigit summo mane, perdurat parùm illa accessio conuulsiua, iuuenes illi; etiamsi animaduertant conuelli, quia tamen breue fuit symptoma, nihili faciunt, & veluti contemnunt, pauco interposito tempore, dum in ventrem decumberet, iterum conuellitur, & ita nullo animaduertente, ægrotante vicino excepto, qui putabat conqueri de lassitudine, vt solent ægroti, & eam ob rem & ipse nihil dixit, moritur, præter expectationem, quis est qui nesciat nouum symptoma attulisse mortem; cùm morbus, scilicet febris, sua natura esset talis, quæ tam grauiter afficere non posset, aut saltem non tam citò. Mulier alia, incipit dolere capite, sine febre, & tamen moritur, præter Medici curantis expectationem. Quidam iuuenis dolet de labro inferiori, intumescit, pus egreditur è labro, & detumescit, nocte plus intumescit, statim acutissimè febricitat, gangræna generatur, & tertio die moritur, poterat Medicus hæc prædicere, cùm viderimus gangrænas, quæ in ore existentes, ingentem corruptionem in ore induxerunt, & vix deglutiebant, & tamen multos vidimus sanatos, hic autem de nullo conquerens, nisi de labri tumore, nulla deglutiendi difficultate laborans, statim malignè febricitat, & moritur; etiamsi, iam fuerit euacuatum corpus per medicamentum soluens, & extractus esset sanguis, & tamen obiit. Ergo videte, cur ita sequatur Hippocrates, scribens *subitò obijt*, quasi dicat, grauissimè quidem habebat, sed tamen ratione febris poterat conualescere, at præter expectationem, conuulsiones cœperunt, & à capite, quod erat maximum, quo factum est, vt propter morbi violentiam, grauissimè affecto capite, de repente obierit. Curate vos iuuenes, qui Medicinam exercere vultis, Christianè viuere, vt Deus Opt. Max. vos liberet à maligna vulgi detractione, qui putat Medicos esse Deos, & debere omnia præuidere, quæ non nisi Omnipotens cognoscit.

Curatio.

QVod spectat ad curationem: grauissima fuerunt symptomata, & eam ob rem quamcitissimè erat succurrendum; illud quod primas tenebat sine dubio erat sanguinis missio, neque veritus essem oris vētriculi dolorem, neque hypochondrij, etiamsi videatur Galenus prohibere venæ sectionem ore ventriculi laborante, 1. *ad Glaucum cap.* 14. quia oportet respicere morbum, & causam morbi; causa morbi erat suppressio mensium,

sium, & eam ob rem huic primùm erat incumbendum. Id quomodo agendum sit, iam in superioribus dictum est. Relinquebatur, vt alterantibus vteremur: quæ vim haberent refrigeratoriam, & deobstruentem. Quòd si nihilominus perseuerassent accidentia, his diligenter erat attendendum. Primùm igitur cùm hypochondrium laboraret, & hoc proueniret à vaporibus ab vtero elatis, iniecto priùs clystere ex iure ebullito cum sem.anis.floribus chamæmeli, & portione furfuris in petia ligati, ad ℥.*vj*. butyri ℥.*iiij*. & lenitiui ad ℥.*j*. ita enim citra dispendium virium, & sine dolore aluus reddit excrementa commodè, & retrahuntur vapores; addito etiam, si libet, saccari rubri ad ℥.*ij*. postea fouendus erat ventriculus omento castrati, aut vituli, madefacto in oleo rosaceo, sæpiùs admoto ori vētriculi, & etiam hypochōdrio. Vigiliis, quomodo prouideri debeat, iam dictum est, expedit æstiuo tempore sternere folia quercus, vitium, salicum, vel vas in cubiculo habere, aqua plenum, & sic sinere, audiat sensim cadentem guttulam. Vterum expediebat fouere oleo ex sem. lini, oleo liliaceo, cheirino. Capitis dolori iuuissent cucurbitulæ coxis admotæ: & quia soporosa facta est, expediebat oxyrrhodinum parare ex portione olei chamæmelini, etiamsi fieret propter imbecillitatem virtutis: tamen oportet aliquid moliamini, etiamsi sæpissimè præter rationem, vt satisfaciatis domesticis, qui sæpissimè accusant Medicos negligentia, nisi varia proponant medicamenta, eadémque adhibeant. Propterea vos inuisite sæpissimè ægrotantes, varia proponite remedia, si vulgi, & præcipuè mulierum gratiam acquirere vultis, quæ non obseruant quid benè agatur, sed quid agatur tantùm, & eos probatissimos habent Medicos, qui sæpissimè assistunt ægrotantibus, etiamsi aliquando fiat cum eorundem detrimento. Inter cætera victus ratio debebat esse exacta, cùm morbus esset peracutus, & præsertim cùm ageretur de puerpera, in quibus omninò negligenda est mulierum opinio, quæ putant, multum esse nutriendas; primùm, vt vires ex vi partus debilitatæ citissimè instaurentur; secundariò autem, vt lactis maior copia generetur, nescientes, semper prauè esse puerperas affectas, & eam ob rem facilè euenire, vt in magnas febres incidant ex quocunque leui errore; ideò consulo, vt etiamsi feliciter succedat partus, & benè se habeant, nihilominus exactam seruent victus rationem, tam in quantitate, quàm in qualitate, & abstineant omnino à vino, saltem vsque ad quartam, & septimam, habita ratione ad temperamentum mulieris. Præterea vtantur semper vino mediocri, quando nihil est, quod impediat vini exhibitionem; quoniam, quemadmodum hoc mediocriter calidum est, ita requirit ea, quæ mediocriter calida sint, ne à vehementiùs calidis, lac, quàm conueniat calidius generetur, cuius causa posteà multa mala pueris superueniunt, & fortassè etiam pueri sæpissimè, propter nutricum intemperantiam incidunt in epilepticos affectus, & alios grauissimos morbos, à quibus non ita facilè liberantur. Quòd si fortasse animaduertisset Medicus ante completum puerperij tempus naturam in aliquo defecisse, potuisset iteratò sanguinem mittere, si tandiu superuixisset, sed quoniam symptomatum graui-

tas ea erat, quæ virtutem poterat celerrimè deprimere, hinc factum est, vt virtute depressa, finem citissimè miseriis imposuerit. Et hæc satis.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΔΩΔΕΚΑΤΟΣ.



ΑΝΘΡΩΠΟΣ θερμαινόμενος ἐδείπνησε, καὶ ἔπιε πλέον. ἤμεσε πάντα νυκτός. πυρετὸς ὀξύς. ὑποχονδρίου δεξιοῦ πόνος. φλεγμονὴ ὑπολάπαρος ἐκ τοῦ εἴσω μέρεος. νύκτα δυσφόρως. οὖρα δὲ κατ᾽ ἀρχὰς παχέα ἔχοντα, ἐρυθρά, κείμενα οὐ καθίστατο. γλῶσσα ἐπίξηρος, οὐ λίην διψώδης. δ΄. πυρετὸς ὀξύς. πόνοι πάντων. ε΄. οὔρησε λεῖον, ἐλαιῶδες πουλύ. πυρετὸς ὀξύς. ϛ΄. δείλης πολλὰ παρέκρουσεν οὐδὲ ἐς νύκτα ἐκοιμήθη. ζ΄. πάντα παρωξύνθη. οὖρα ὅμοια. λόγοι πολλοί. κατέχειν οὐκ ἠδύνατο. ἀπὸ δὲ κοιλίης ἐρεθισμῷ ὑγρὰ ταραχώδεα διῆλθε μετὰ ἑλμίνθων. νύκτα ὁμοίως ἐπιπόνως. πρωῒ δὲ ἐρρίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. ἵδρωσε θερμῷ. ἄπυρος ἔδοξε γενέσθαι. οὐ πολὺ ἐκοιμήθη, ἐξ ὕπνου, ψύξις. πτυαλισμός. δείλης πολλὰ παρέκρουσε. μετ᾽ ὀλίγον δὲ ἤμεσε μέλανα, ὀλίγα χολώδεα. θ΄. ψύξις. παρελήρει πολλά. οὐχ ὕπνωσε. δεκάτῃ, σκέλεα ἐπωδύνως. πάντα παραξύνθη. παρελήρει. ια΄. ἀπέθανεν.

ÆGROTVS XII.



QVIDAM *calescens cœnauit, & potauit largiùs, vomuit cuncta. Nocte febris acuta, hypochondrij dextri dolor, submollis in partibus externis inflammatio: Noctem molestè trãsegit.* [a] *Vrinæ primo rubræ, crassæ, depositæ non consistebãt, lingua perarida,* [b] *non perinde erat sitibundus.* [c] *Quarto die febris acuta, vndique eum affligebat dolor. Quinto minxit leue, oleosum, multùm, febris acuta. Sexto vesperi multùm delirauit, nec nocte dormiuit.* [d] *Septimo omnia irritata sunt, vrina similes,* [e] *multùm loquebatur, sibi imperare non poterat, aluus irritata, liquida, turbida cum lumbricis excreuit.* [f] *Noctem laboriosam habuit.* [g] *Manè riguit, febris acuta, sudauit multùm, febre carere visus est, non multùm dormiuit, à somno frixit,* [i] *spuit: vesperi multùm delirauit. Non multò pòst vomuit nigra, pauca, biliosa.* [k] *Die nono frigebat, magnopere delirabat, somnũ non cepit. Decimo crura doluerũt, omnia exacerbata sunt,* [l] *delirauit. Vndecimo defunctus est.*

COM

COMMENTARIVS.

VICTVS rationem maximam vim habere ad progignendos morbos ſatis cuique conſtare poterit, ſi & hanc Hiſtoriam perpenderit, & ea quæ à Galeno aliis in locis fuêre relicta: nam ea ſola multos propellit affectus, vt de ſcyrrhoſis diſpoſitionibus dicebat, iactans ſecuraſſe inueteratos ſcyrrhos ſola attenuante diæta, ſecùs innumera mala contingunt, vt de quodam ſcopo narrat Hippocrates 3. *in* 2. *epid. text.*18. Qui cùm intemperans eſſet, prauo vſus victu, grauiſſimè fuit affectus. Parius 3. *in* 3. *epid. text.*72. propter malum victum periclitatus eſt, de quo ſic ſcribit Galenus: *Huc acceſſit malus hominis victus, qui quidem non leue affert ad exitium momentum.* Eurianactis filia, quòd racemum vuæ comederat, obiit. Ferebant, inquit, quòd racemum guſtaſſet, ita fuiſſe afflictam 2. *in* 3. *epid. text.*3. Sed, quod magis videtur ad credendum difficile, eſt illud, quod de Philonis filia legitur; ſcilicet, propterea quod intempeſtiuiùs cœnauerit obiiſſe, quamquam anteà ſanguis ei copiosè à naribus erupiſſet, quæ euacuatio ferè omnes acutè laborantes à manifeſta eripuit pernicie, & credo Hippocratem ſanguinem copiosè fluxiſſe data opera addidiſſe, vt clariùs conſtaret, quantum poſſit minimus error in morbis, & habet ſic: *Nec harum, quibus iſtorum quid rectè eueniret, mortuam vllam vidi.* Subdit: *Nam Philonis filia, cùm ex naribus ei ſanguis copiosè erupiſſet, ſeptimo die, intempeſtiuiùs cœnata, defuncta eſt.* Et dicit *ſeptimo die*, vt innuat ante exactam corporis euacuationem, & integram morbi ſolutionem, non eſſe immutandam victus rationem, & præcipue in iis diebus, in quibus ſolet natura mouere; fortaſſe erat natura nouam tentatura euacuationem, itaque eo tempore cœnauit, & fuit in cauſa, vt natura diuerteretur à ſuo munere, & incumberet coctioni alimentorum, aut fortaſsè etiam lautiùs vixit. Quare prauis adhuc exiſtentibus humoribus, nouus ſuccenſus eſt ignis, & hinc virtute imbecilla, ex larga ſanguinis euacuatione, ſequuta eſt mors, quod vos diligenter attendere debetis: & à Galeno etiam diſcere, qui *lib.*1. *de diebus decret. cap.*2. hæc habet ad verbum: *Itaque morbi, qui prorſus ſine periculo ſunt, ob delicta, diuturni eſſe ſolent. Qui incolumitatem habent, non tamen ſine periculoſis ſymptomatibus ob errata fiunt lethales. Quin etiam illi, qui omni vacant periculo, multis, magniſque deinceps erroribus commiſſis in lethalium naturam incidunt.* Nec mirum eſſe puto, cùm inſanis delicta grandia, morborum lethalium cauſæ fiant, quid in ægrotis expectandum eſt. Quid igitur expectandum ſit, nobis ab oculos ponit præſens Hiſtoria, ex qua cautum vnumquemque eſſe oportere in victu monemur, cùm aliquando propter prauam corporis diſpoſitionem, quæ minimè eſſe cenſentur errata, eadem lethalia cernantur, vt huic eueniſſe conſpicuum eſt, qui cùm caleſceret, id eſt, leuiter febricitaret, vt expo-

nit Galenus *in comment.* & *lib. de comate, cap.* 3. quo in loco huius ægrotantis mentionem faciens, inquit, *Neque enim id ausus est dicere febrem tanto æstu iactasse hominem, quo cœnare non posset; tamen, etiamsi leuis esset febris, quia fortasse cœnauit in principio accessionis, quo tempore erat abstinendum à quacunque re, ita fuit affectus, cùm eo tempore cibum dare nocuum sit ex Hipp.* 1. *Aphor. text.* 11. cuius rei redditur ratio à Galeno *in comment.* & ab eodem etiam 1. *acut. comment.* 46. his verbis: *Quodnam igitur optimum languentibus ipsis dandæ alimoniæ tempus? Sanè cùm moderatissimè habuerint, tum thorax, tum venter: deterrimum verò, cùm ea deterrimè habuerint. Deterrimè autem habent in accessionum principijs, moderatissimè in declinationibus.* Subdit: *Constat igitur, optimum cibi ministrandi tempus in ægrotantium declinationibus esse.* Accessionis autem principium fit, calori omni toto ex corpore ad cor, thoracémque concurrente. Quare in vno videtur peccatum, quia scilicet inchoante accessione assumpserit alimentum. Verùm, quod meo quidem animo est grauius: potauit etiam largiùs, vinúmque fuisse credibile est. Hoc summè perniciosum fuit, nunquam enim non est suspectum vinum in febricitantibus: nam, cùm calidum sit, febres auget, & sitim facit, cùm facilè diducatur, fluxiones irritat: quòd facilè efferatur, caput replet, & cùm multùm penetret, tentat neruos, quibus de causis, paucis affectibus febriculosis est vtile: catarrhosis maximè noxium est; præsertim, cùm potauerit largiùs, & verisimile est id fecisse, quòd magna siti premeretur, quamuis febris videretur leuis, quia vix incipiebat. Et si cuncta non euomuisset, fortasse citiùs obiisset, à copia obrutus: non potuit autem effugere febris vehementiam, & prohibere, quominus lethaliter esset affectus, propter ipsius insignem, & prauam corporis dispositionem, quo factum est, vt concitata maligna putredine, malignè laborauerit, & ex magno ad hepar confluxu non exigua est in parte illa concitata inflammatio, quæ non tantùm externas, verùmetiam internas occupabat partes: scilicet enim submollem in partibus externis fuisse inflammationem. Hoc cùm ita esset, iure addit, noctem habuisse molestam: scimus enim facilem esse transitum vaporum ab hepate ad cerebrum, qui si adusti sint, vigilias faciunt, tot in locis iam cum Galeno probatum.

[a] *Vrinæ primò rubræ.*] Vrinas ponit emisisse rubras, crassas, quæ depositæ non subsidebant. Huiusmodi vrinæ fiunt, propter mistionem bilis rubræ, vel sanguinis, cum pauco sero, aut propter imbecillitatem facultatis, quæ serum à sanguine secernit, & *lib.* 2. *progn. text.* 27. ita habet Hippocrates: *Si autem vrina fuerit subrubra, ac sedimentum subrubrum, & læue, diuturnior hic morbus, quàm primus, sed admodum salutaris.* Quibus addit Galenus: *Quoties sanguinis serum pariter cum vrina excernitur, colore subrubra apparet, indicat autem sanguinis exuberantiam, non exquisita ratione confecti.* Igitur, quia integerrimi humoris exuberantia est, idcircò sine periculo est, sed quia humidioris, & etiam serosioris, eget coctione. Si igitur temporis spatio fit concoctio, meritò talis vrina significat, vt diuturnior, quàm primi, morbi solutio futura

tura sit. Est & prærubra vrina, & rubra. Rubræ maiorem sanguinis copiam semicocti ostendunt, quàm subrubræ; idcircò multò adhuc longiorem fore morbum denunciant, sed perinde vt subrubræ salutares sunt. Prærubræ affectos renes demonstrant, ac minùs benè munere suo fungi, solent hæ in nephriticis doloribus excerni, neque diuturnitatis morbi, sed periculi signa sunt, ex 1. *prorrhet. text.* 31. & 2. *prorrhet. text.* 25. Super quo textu hunc in modum scribit Galenus: *Subrubens igitur vrina, cuius meminit in prognost. à prærubra, de qua nunc agit valde distat. Nempe quòd prærubra ex incoctis sit, supra ostendit, subrubentem verò commendat quidem, tanquam salutarem, sed diuturnioris temporis, signum esse ait.* Quòd verò rubens vrina in medio tum prærubræ, tum subrubentis constituta, medium tum laudis, tum vituperij obtinet. Subrubram vrinam habuit Cleonactides. Hic longo tempore laborauit, tamen superstes fuit. Vxor Epicratis, cùm huiusmodi vrinis à morbo non est liberata, nisi quadragesimo die.

Dicetis, cur hic ægrotans eodem non est functus fato? Sed breui obiit.

Resp. Non est omnibus in sustinendo morbum par robur; nam etiamsi vrinæ sua natura essent salutares, requirunt posteà virtutem, quæ tempus possit sustinere, & præsertim, si quid aliud sit, quod magis aggrauet virtutem, vt hîc videmus: non enim erant simpliciter rubræ, sed erant crassæ, & habebant sedimentum dispersum, ex quibus longiorem futurum morbum suspicio erat euidens, & ebullitionem maximam in genere venoso adfuisse erat conspicuum, quod etiam desumitur ex Galeno 1. *in* 3. *epid. comment.* 5. sic: *At enim cùm crassas etiam fuisse indicet, nec subjecisse vrinas, planè sunt illæ ex conturbatis, & turbidis, vt solet hic appellare, quæ semper turbationem eandam annunciant, multo præditam spiritu flatuoso, vt mustum.* Quo fit, vt capitis dolores his vrinis sint adiuncti, quòd spiritus caput cum calidioribus succis petat, à quibus meritò intenduntur vigiliæ, & periculum est delirij futuri, si acrimoniam humores obtineant. De huiusmodi vrinis turbidis iam dictum est *suprà*. Quare, vt ad rem redeamus, si malo functus est fato, non quia rubræ, sed quia turbidæ erant vrinæ. Et si istæ vrinæ apparuêre in febre acuta ex inflammatione, quomodo non debebant eleuari fuligines acres ad palatum; & sic lingua exsiccari. Illud quod admirationem facit, est, quomodo in tanta linguæ siccitate non sitiret: iam enim sitis causa erat euidentissima, cùm interna inflammatione laboraret, & qua causa aridam habebat linguam, eadem debebat sitire, & magnopere, & tamen Hippocrates scribit;

[b] *Non perinde erat sitibundus.*] Id est, non sitiebat tam valde, vt ferebat incendium internum: huius causa potest esse multiplex: nam vel delirant, vel humor defluit ad fauces, vel virtus est extincta: propter primum minus sitiuisse crediderim, sed vtcunque malum est, quia cùm in summa humoris inopia, & caloris copia non bibunt ægrotantes, neque potest alens distribui, neque ex eo succus exprimitur, & celerrimè,

ac magis humores exteruntur, tandémque exusto humido primogenio tum potionis defectu, tum febrili incendio, aliquando etiam incidunt in conuulsiones. Itaque vtcumque esset, malum existimandum erat hoc signum.

c *Quarto die febris acuta.*] Modus loquendi Hippocratis, vt significet morbum habuisse intensionem, nonne erat & primis diebus acuta? Quare, perinde est, ac si diceret: febris acuta est, vehementiam suscepit, quo factum est, vt doloribus totum corpus afficeretur. Id non rarò euenit in febribus valde acutis: solent enim ægri ita doloribus totius corporis vexari, vt lassi reddantur, maximè à febre malè affectis musculis, neque remittebatur, sed magis inualescebat, & colliquationis notam non obscuram attulit quinta die, cùm minxerit leue, oleosum, multùm, quod vt denotaret addit: *Febris acuta.* Non immeritò igitur, inquit Galenus *in comment.* in eo prope fuisse, vt die quinto moreretur, ita scribens: *Die quinto conspicuum erat illi instare mortem, præter prædicta symptomata redditis vrinis oleosis. Hinc compatiente cerebro, & exusto, delirium vehemens die sexto, & vigiliæ: erant enim vtrunque efficientes causæ non leues.* Quòd autem sextus hæc attulerit, non est nouum, in septima autem tam grauiter se habuisse, id quidem erat perniciosum admodum, id est, aucta, quod vt denotet, inquit.

d *Septimo omnia irritata sunt.*] Primum enim vrinæ non sunt mutatæ, sed erant eædem, signum euidens, naturam ne adhuc minimum coctionis signum præbuisse; immo, maiori ebullitione facta in humoribus, cerebri intéperies est aucta, & per cõsequens deliriũ, quod denotat per verba illa,

e *Multùm loquebatur, sibi imperare non poterat.*] Et hoc est quod volebat intelligere, dum inquit, *omnia irritata sunt.* Et quemadmodum ex vrinis colliquationis nota desumebatur; ita, quæ per aluum excernebantur, perinde indicabant: erant enim liquida, turbida; liquida, quia cruda; turbida, quia colliquationem denotabant, cùm essent oleosa. Euacuatio omnino symptomatica, facta à mala humorum qualitate irritante, quod verum sit, inquit, *aluus irritata*, innuens à bile prouenisse hoc irritamentum, vt sui moris est, propter acredinem quam habet annexam. Aut dicamus, persensisse hanc irritationem, quia excernebantur vermes: dicebat enim Hippocrates oris ventriculi dolores cum tormine ventris animalcula erumpere faciunt, quia sæpissimè contingit, vt vermibus existentibus multa fiant tormina, morsus cordis, & cum torminibus venter dissoluitur, contingit hoc sæpissimè in pueris vermiculosis, aluum scilicet fieri liquidiorem, torminibus angi, & dolore stomachi vexari: etenim, neque hoc signum est proprium, & inseparabile: sæpissimè enim pendet ab acri materia, & à flatibus, qui per intestinorum ambages circumuoluuntur, quo tempore non necessariò vermes excernuntur. Vermium autem triplex est generatio. Alij enim dicuntur lati, alij rotundi, alij ascarides. Isti sunt parui, & exiles, caseique vermibus similes ἀπὸ τοῦ ἀσκαρίζειν, quod pungere est, quia perpetuò pungunt nec quiescere permittunt. Hi ad ventriculi os non perueniunt, sed recto intestino familiares, sine deuictione

fal

ferè descendunt. Qui autem ἕλμινθες πλατεῖαι dicuntur, id est, lati lumbrici, raró admodum conspiciuntur. Hi sunt longissimi, & sæpè per tota intestina extenduntur. Qui autem rotundi sunt, ac teretes, hi magis in superiore intestino generantur, & in cæco magna ex parte, vbi fæces, & pituita diu retinetur. Ab ea parte ad ventriculum ascendunt; hinc fit, vt non raró propter vermes istos cardialgia, & varia etiam symptomata in aliis corporis partibus fiant, tum quia mordent: tum etiam quia ab illa vermium putredine, putridi vapores ad cor transmittuntur, & caput, quo fit, vt quamplurima patiantur, qui ita sunt affecti: nam & superueniunt tormina, animi deliquia, alui fluxus: & innumera alia. Quod cùm ita sit, non est mirandum fortasse, si dum erat excreturus vermes, persensit irritamentum, & aluus mota est, crederémque fuisse potiùs teretes dictos, quando hi præcipuè videntur excerni in febribus, vt habetur ex Hippocrate *lib. 2. progn. text. 16.* cuius verba sic leguntur: *Ac lumbricos teretes, eunte in iudicationem morbo descendere vnà cum deiectione, non inutile est.* Et notandum dicere Hippocratem, morbo eunte in iudicationem: nam plurimum refert, quo tempore excernantur in morbis vermes; quia, si circa initia morborum sint generati, substantiam suam ex subiacente corruptione capiunt: si circa vigorem, id ex malitia morbi fit. Circa declinationem verò ex permutatione omnium in melius, qui sanè citiùs separantur: natura enim ipsos instar reliquorum excrementorum foras propellit. Consideratur propterea excretionis modus; videlicet, si viui, an mortui expellantur; nam si viui signum minus malum, si mortui deterius: ita dicebat Aëtius *lib. 3. serm. 1. cap. 39.* Annotat dilectissimus pater meus *in comment. ad text. progn. citatum.* Cur autem melius sit viuos expelli, quàm mortuos, si cupitis scire, videte Auicennam, qui de vermibus agens *lib. 3. Fen 16. tractat. 5. cap. 2.* hunc in modum scribit: *Et cùm egrediuntur vermes habentium febres acutas viui, non sunt vehementis malitiæ: nam significant sanitatem virtutis, & potentiam expulsionis, & propriè post declinationem. Et si egrediuntur mortui, sunt signum malum, & ad summum eorum exitus in febribus cum gestione, non est significatio bona, & præcipuè ante declinationem.* Et iusta de causa, inquit, non esse significationem bonam excerni vermes, quia omnes sunt putredinis soboles. Verùm, non est putredo sufficiens, sed concurrat oportet vehemens caliditas, dicebat Galenus *in comment. text. 26. sect. 3. Aphor. Lumbrici verò, & ascarides videntur aliјs animalibus proportionaliter gigni, quæ non ex semine, sed ex putredine habent generationem. Sola enim putredo hæc, non est ad generandum sufficiens, sed & calore plurimo eget, hæcque est causa, propter quam in tenellis minimè generantur vermes*, inquit Galenus, *quia non tantùm habent caliditatis, quæ sit sufficiens ad eorum animalium generationem. Verùm caliditas*, inquit, *in valde tenellis nondum materiam superat, in adultioribus autem, & materia est idonea ad talium animalium generationem, & præterea caliditas adest.* Hæc Galenus. Quo in loco multa habentur ad vermes spectantia. Quare si verum est, quod ex mente Galeni est dictum, nimirum, si in initiis morborum fiant, prouenire ex ingenti

humorum

humorum corruptione, certè in hoc ægrotante apparuêre in morbi initio, si principium dicatur illud, quod terminatur signis coctionis, & cruditatis: hucusque enim, ne minimum apparuit coctionis signum, immò omnia coctioni contraria, & per consequens hanc expulsionem dicemus fuisse maximæ corruptionis indicium, quæ cùm est, vix credi potest, quin caput à vaporibus illis adustis vehementer afficiatur, & proinde etiam vigiliæ fiant infestæ, & propterea addit:

[f] *Noctem laboriosam habuit.*] Quasi velit innuere, illam lumbricorum expulsionem fuisse inutilem, & tantùm indicasse excellentem humorum putredinem, quòd fuerit inutilis, sequentia indicabunt apertè, nisi videamur alleuationi sequutæ fidem præstare, nam,

[g] *Octauo die mane riguit.*] Riguisse non est quid magnum, quia vbi est humorum corruptela, rigor est familiaris: quotiescumque enim incipiunt concitatiori motu moueri humores, moti per sentientes corporis partes, rigorem inducunt, mitiorem, aut vehementiorem, pro humoris qualitate. Huic, vt plurimum, insequitur febris, & quo vehementior est rigor, vehementior etiam naturæ motus arguitur, & per consequens maior calor concitatur, qui autem vehementior est, à bile producitur, & propterea, cùm sequuta sit febris acuta, id est, aucta sit vehementer febris, verisimile est prouenisse rigorem à bile, solé que semper rigorem aliqua sequi euacuatio, vt *anteà* vidimus, qua morbi soluuntur, si tamen tempestiuus fit rigor: verùm nonne hic fuit tempestiuus, quia febrem sustulit, medio euacuationis per sudorem sequutæ: attamen attendite modum loquendi Hippocratis. qui scribit, *febre carere visus est*, quod perinde est, ac si diceret, alleuata sunt omnia ab illa euaeuatione ita, vt spes esset melioris conditionis, sed tamen vos in huiusmodi casibus multa debetis attendere. Primùm, diem ;, secundò, conferentiæ perseuerantiam. Diem, quia non multùm debetis fidere iis euacuationibus, quæ in die minimè legitimo apparent, est autem octauus dies in iudicando parum dissimilis sexto, vti iam aliàs dictum est cum Galeno. Conferentiæ perseuerantiam, quoniam quando videtis ægrotantes alleuatos, nihilominus priora sequi accidentia, tunc non est tutum iudicium. Quomodo enim, cum febre carere videretur, posteà non multùm dormiebat. Erat hoc non obscurum indicium fuisse omnino symptomaticam euacuationem, & istæ cùm intempestiuæ sunt, celeriùs virtutem deprimunt: si enim sublati fuissent peccantes humores, sine dubio frequens adustorum humorum euaporatio fuisset sublata; & sic cerebri affectio non æquè grauis extitisset. Quòd somnus ille leuis, neque fuerit salutaris, ostendit euentus, dum subdit:

[h] *Frixit.*] Ex hoc suffocari, & obrui calorem natiuum vnusquisque elicere potuisset, cum quo tẽpore solet calor magis viuificari, eo tempore sit factus minor, reponitúrque hoc inter lethalia signa ab Hippocrate, dum ait: *Vbi somnus laborem facit, malum* 2. *Aphor. text.* 1. in cuius *comment.* Galenus hæc habet: *Per somnum solet natura euincere causam morbificam, humores malignos, si id non fiat, extrema virtutis imbecillitas indicatur,*

dicatur , vt in hoc apparet , quando post somnum frixit , vti dictum est.

[i] *Spuit.*] Nescio, an quid magnum sit hoc : nam huius facere mentionem , non sine causa est , cùm Hippocrates nihil ponat frustra. Quare possumus dicere spuisse , quia præ vi caloris liquata materia, ad fauces delaberetur , & propterea spueret. Verùm , in hoc ægrotante putassem esse phreniticum quoddam signum , & vomitus indicium , & præcipuè si fuerit sputum integrum, & rotundum : est enim Hippocratis sententia 1. *in 3. Coacarum, text.27.* huiusmodi. *Quibus phreniticis cum refrigeratione, si subinde sputatio nigra , vomitus significatur* : est autem nigrum, lethale admodum , rotundum phrenitidis antesignanum , de quibus sermo habetur à Galeno 3. *in 6. epid. comment.36. Absolutam ferocissimi humoris malignitatem detegit rotunda sputi figura, cuius materia, crassities est, & viscositas humorum in bronchijs pulmonis : efficiens verò causa calor immoderatus loci, vnde manat. Nam, cùm glutinosus humor in aspera arteria colligitur, atque ibidem multas horas remoratur, eandem cum illa formam acquirit , siquidem ipsa quoque globosa est , & in orbem circunducta.* Verùm formam hanc non adipisceretur humor, nisi incendium ibi esset; qui in materia illa adustionem faceret , quíque torrefaciens vndique latera, quidquid promineat consumeret : cùm ergo subiectum glutinosum sit , vbi semel rotundam formam acquisiuerit , eandem retinet , si verò sine viscositate sit, amittit. Qua re ita existente efficitur, sputum retinendum non solùm difficilis expectorationis , sed etiam caloris extranei , & vehementis signum esse. Quòd si caput sua natura sit dispositum ad patiendũ , exquisitíq; sensus, si ad caput acres vapores ascendent, tunc cum tali sputo facilè delirabit ægrotans, & præsertim, si quid aliud sit, quod delirium prænunciet. Maximéque sunt attendenda huiusmodi sputa, quia etiamsi appareant in non febricitantibus, aliquando ferè omnes cum huiusmodi sputo in tabem incidunt. Quomodo igitur huiusmodi sputa generentur , & quid ex his prædicendum sit, dictum est. Hoc cùm ita sit, non immeritò addit *spuit* vt denotaret, veritum esse, ipsum deliraturum, quod etiam legimus apud Hippocratem *6. in 6. epid. text.20. Sputa rotunda* , inquit , *delirium significant*, vt illi, qui Plinthio. Huic fluxit sanguis ex sinistra nare , & solutus est morbus die quinta. Verùm , neque hoc signum adeò certum habebitis , vt cum huiusmodi sputo delirium superuenire debeat : nam , hoc signum videtur esse vnum eorum , quæ rarò fiunt ; videlicet, tunc solùm cùm acres, & calidi vapores à pulmone in cerebrum mittuntur, illúdque cum replent, tum calefaciunt : neque enim satis idoneum est hoc signum ad hoc significandum , nisi cum aliis signis delirium portendentibus adiungatur , vti dictum est. Quòd igitur huiusmodi sputum delirium aliquando prænunciet , & vomitum, euentus indicat , cùm vesperi à sputo multùm delirauerit , & non multò pòst vomuerit nigra, pauca , biliosa. Vomitus ille à somno toto genere præter naturam erat, & maximè damnandus ; primò, quia niger, de quo 2. *progn. text.38.* Niger enim vomitus, vt omnis excretio nigra , crudo

morbo lethalis est. Secundo autem, quia paucus : pauca enim excerni in ægris vnum est ex eis, quæ ex toto habent prauitatem, vti *suprà* dictū est, pauca autem fit deiectio, vel quia copiam, aut malignitatem ferre non potest, vt ineunte morbo, vel quia natura per se infirma est, & in opere deiicitur, sed vtcunque sit. Febricitanti, siquidem ineunte morbo, nigra bilis prodierit, lethale dicitur incipiente morbo, quotiescumque nullum adhuc extat coctionis signum : hoc tempore igitur, nihil benè excerni potest; quòd si tunc exeat atra bilis, non solùm hac ratione malum est, sed etiam ob prauitatem humoris. Hoc quidem certum, non statim, ac nigra euacuatio apparet, mortem esse prænunciandam, quando tria sunt genera excretionum nigrarum : aliquando enim euacuatur sanguis crassus, vt in hepaticis quibusdam : aliquando melancholicus humor, quem appellamus fæcem sanguinis, quemadmodum in lienosis contingit; aliquando euacuatur atra bilis. Duo prima genera nigrarum nomine comprehenduntur, solus sanguis crassus concrescit, & in grumos vertitur, tum in corpore, tum extra corpus, vti apertissimum est. Alia duo genera fusa, & liquida semper manent. Verùm atra bilis à succo melancholico differt, & generatione, & substantia, & qualitatibus : illa enim à calore præter naturam gignitur ex bile flaua, sanguine crasso, & succo melancholico, quoties incenduntur, ac putredinem malignam contrahunt. Quare apparet dilutior, splendidior, sapore aceti acris, deterrima, acris, mordax, feruens, & bullas in terram effusa excitans, spirituosa, inquiunt, quadam motione, vt in feruente musto. Paulatim & sæpe excernitur, donec interfecerit. Vt signum, & vt causa lethalis est, quocumque tempore appareat, & per quemcumque locum feratur. Vt causa quidem, quia in tenuitate partium quarundam calidiorum, tantam retinet acrimoniam, vt viscera ipsa nobilia, itémque ventriculum, & intestina arrodat, & exulceret : crassitiei verò ita contumaciter adhæret, vt nec celeriter permeare queat, nec tota simul excerni, ita vt non raro producantur cancri, & alia insanabilia vlcera. Vt signum, quia adurentem calorem indicat, & putredinem intensissimam à validissima partium principum intemperie promanantem. Hæc si fuerit syncera, quocunque tempore appareat, lethalis est, sed præcipuè si morbus adhuc crudus sit, vt modò euenisse conspicimus, quia talia euacuauit crudo morbo existente.

[k] *Die nono frigebat.*] Quòd antecedentia iuuerint, ex consequentibus clarum fit, dum scribit *Nono frixisse, delirasse, & somnum non cepisse.* Hæc omnia denotabant non tantùm non iutum fuisse ægrotantem, sed naturam propè extinctam esse; sequitur enim hoc ad refrigerationem externarum partium, inflammatione, ritu cucurbitulæ ad internas trahente sanguinem; propterea, cùm non tantus esset calor, qui posset extendi ad externas, refrigerabatur, nec dicit amplius recaluisse, quod perniciosum erat : quoniam verò, vt credibile est, partes internæ æstuabant, non omninò extincto calore natiuo, qui vapores ab interna inflammatione ferebantur ad caput, delirium concitabant, & non leue, quia ferini,

&

& atrabilarij erant humores, & eadem ratione vigil reddebatur. Hæc igitur cùm ita essent, vnusquisque suspicatus esset non immeritò de morte, breuique futura, quando morbus multò magis ingrauescebat, dum decimo die non tantùm deliraret denuò, sed omnia sint exacerbata, eorum scilicet, quæ dicta sunt. Quòd si doluissent crura, quia materia deponeretur à natura ad ignobiles partes, benè actum esset cum ægrotante, sed dolebant crura, quia musculi à vi febris quasi torridi erant: dolor insequens internum incendium. Et notate dicere Hippocratem:

[1] *Delirauit.*] Et non addit multùm, vt anteà, quia solet semper natura propè extinctionem, grauissima accidentia, habere mitiora; & hoc euenit, non quia causa peccans diminuatur, sed quia non perinde potest natura insurgere aduersum eandem, quæ cùm ad id redacta est, haud multò post concidat necesse est; & sic euentus indicat, quando vndecimâ est defunctus. Hippocrates *6. in 2. epidem. text.* 15. scribit: *Quicunque obeunt, necesse est in die legitimo, & legitimo mense, & legitimo anno.* Neque quãtum ex arte Medica discitur, poterat amplius hic ægrotans vitam producere; nam, cùm prauam habuerit quartam, pessimam septimam, & hæc iudicet vndecimam, reliquum erat, vt in vndecima fieret iudicium, & vbi iudicium, ibi & mors sequeretur, vti euenit. Hinc discat vnusquisque, quàm sit perniciosum incautè viuere quocumque tempore, sed multò magis inchoantibus morbis, etiam leuissimis: nemo enim potest suipsius statum cognoscere. Aliquando enim in febre humor deleterius, & veneno similis generatur per corruptionem propriæ substantiæ, aut malignus per adustionem bilis, vel sanguinis, cuius excretionem natura non aggreditur, donec copiâ, aut malignitate aucta, grauiùs sæuientem, huc, atque illuc exturbare cogatur, vnde subitò lethalia signa eduntur, etiam his, qui sani antè putabantur. Id vidimus in Critone, obseruabimus in phrenitico *infrà*, & perinde contigisse huic ægroto certissimum est. His igitur sic præmissis, etiamsi restitui non posset ægrotans, tamen neque quandiu vixit sine præsidio relinquendus erat, sed quantum fieri poterat opportunis præsidiis occurrendum.

Curatio.

MOrbus erat apertissimus, quando laborasse febre acuta, cum interna hepatis inflammatione stabilitum est. Quare, ratione vtriusque venæ sectio conueniebat, neque erat tardandum, sed statim ad id remedij genus erat deueniendum extracto sanguine ex brachio dextro, & perpensa diligenter virtute, iteratò debebat mitti, ex vena interna, præmisso clystere, nisi vehementiùs vrgente necessitate, vt ventris cruditates euacuarentur, post quam euacuationem non essem veritus, in tanta humorum copia sic paratum medicamentum exhibere, quod reciperet *syrupi rosati solut.* ℥.*ij. lenitiui cassiæ an.*℥.*vj. cum decoct.*

marindorum facta in aqua boraginis; fieret potio. Sequentibus diebus erat insistendum refrigerantibus syrupis, ex *succo cich. endiuiæ, boraginis acetositatis citri, dilutis syrupis cum aquis eisdem.* Alexipharmaca iugiter exhibere, os ventriculi fouere; hypochondrio linimentum parare, ex quo humorum fluxus intercipiatur, in quem vsum venisset, quod esset paratum ex succo cichorij, cum pulu. santalorum alborum, & corallorum rubeorum, & portione aceti: & fuisset postea immutandum progrediente morbo. In declinatione huiusmodi medicamentum conuenisset, quod reciperet *oleum obsinthij, chamæmeli, olei rosati ana partes æquales, pul. absinthij, rosarum, quantum sufficit, fiat linimentum pro hepate.* Partium infernarum frictiones ex vsu fuissent, lotiones crurum factæ ex herbis refrigerantibus. Neque vigiliæ negligendæ, vt quæ solent à Medicis magnifieri, oxyrhodinis capiti applicis. Remorari oris siccitatem poterat frequens collutio ex aqua hordei, gargarismata refrigerantia, condita lactucæ, endiuiæ, & id genus alia. Et quia vermes excernebantur, eam ob rem expediebat vti clysteribus ex lacte paratis, vt faciliùs euocarentur, & per os exhibere, præter bezoartica, puluerem cornu cerui; commendant quammaximè decoctum secalis, radicum graminis, succum limonum. Quando in pueris vermes vrgent, commendant hanc vnctionem. Sumunt aquam vitæ, in qua maduerint absinthij folia, madentem locum inspergunt puluisculo myrrhæ, & linteolo duplici fascia ligatum puerum pronum in ventrem decumbere faciunt, inungunt autem totum ventrem. Volunt, excludere hanc fomentationem vermes facillimo negocio hoc tamen vtendum in pueris, quia in hoc casu non conuenissent, nisi illa, quæ citra calorem possent commodum præstare. Dolori totius corporis conuenissent frictiones leues, manibus oleo amyg. dulc. inunctis, aut chamæmelino. Si aluus mota mordacitatem habebat, conuenissent clysteres ex lacte: sic enim & faciliùs vermes fuissent educti. Si tot reuulsionibus factis, & aliis cum ratione præstitis, nihilominus omnia in deterius ruerent, ego non deseruissem ægrotantem, sed ea, qua solent Medici dexteritate, persuasissem, quod tamen multo magis est in principio faciendum, vt domesticis rebus bene dispositis, quæ reliqua erant ad animam spectantia diligentissimè componeret, vt si non corpus, animam saltem, quòd maximum est, sanam redderet: neque enim potest Medicus, etiamsi in nullo peccet, omnes sanare. Et hæc hactenus de hoc ægrotante.

APPΩ



ΑΡΡΩΣΤΟΣ τρισκαιδέκατος.

ΓΥΝΑΙΚΑ, ἣ κατέκειτο ἐν ἀκτῇ, τρίμηνον πρὸς ἑωυτὴν ἔχουσα, πῦρ ἔλαβε. αὐτίκα τε ἤρξατο πονέειν ὀσφῦν. γ΄ πόνος τραχήλου. κεφαλῆς. κατὰ κληΐδα χεῖρα δεξιήν. διὰ ταχέων δὲ γλῶσσα ἠφώνει. δεξιὴν χεῖρα παρελύθη μετὰ σπασμοῦ, παραπληκτικὸν τρόπον. παρελήρει πάντα. νύκτα δυσφόρως οὐκ ἐκοιμήθη. κοιλίη ἐταράχθη, χολώδεσιν, ἀκρήτοισιν, ὀλίγοισιν. δ΄ γλῶσσα φωνῆς ἐλύθη. σπασμοὶ τῶν αὐτῶν, πόνοι πάντων παρέμενον. κατὰ ὑποχόνδριον ἔπαρμα ξὺν ὀδύνῃ. οὐκ ἐκοιμᾶτο. παρέκρουσε πάντα. κοιλίη ταραχώδης. οὖρα λευκά, οὐκ εὔχροα. ε΄ πυρετὸς ὀξύς. ὑποχονδρίου πόνος. παρέκρουσε πάντα. διαχωρήματα χολώδεα. ἐς νύκτα ἵδρωσεν, ἄπυρος. ϛ΄ κατενόει. πάντων ἐκουφίσθη. περὶ δὲ κληΐδα ἀριστερὴν, πόνος παρέμενε. διψώδης. οὖρα λεπτά. οὐκ ἐκοιμήθη. ζ΄ τρόμος. ὑπεκαρώθη. σμικρὰ παρέκρουσεν. ἀλγήματα κατὰ κληΐδα, καὶ βραχίονα ἀριστερὸν παρέμενε. τὰ δ᾽ ἄλλα διεκούφισε. πάντα κατενόει. τρὶς δὲ

ÆGROTVS XIII.

MVLIEREM [a] quandam, quæ decumbebat in littore, trimestri fœtu grauidam ignis corripuit. Mox ei cœperunt lumbi dolere. [b] Die tertio colli dolor, & capitis secundùm clauiculam, & manum dextram. Statim lingua obmutuit, [c] dextera manus cum conuulsione elanguit, vt attonitis solet, prorsus delirabat. [d] Nocte cum molestia non dormiuit. Aluus turbata est, ac biliosa, pauco, mera excreuit. [e] Quarto vox linguam defecit. [f] Eadem conuellebantur, dolores omnium perdurarunt. [g] Hypochondrium cum dolore est conuulsum, somnum non cepit, semel delira erat, [h] aluus turbata. Vrinæ tenues, non boni coloris. Quinto acuta febris, hypochondrÿ dolor, [i] planè delirauit, excrementa alui biliosa, nocte sudauit, febre liberata est. [k] Sexto mente constitit, ab omnibus est releuata. Cæterùm clauiculæ sinistræ dolor non est sedatus, sitibunda, vrinæ tenues, non dormiuit. Septimo tremuit, aliquantulum est soporata, nonnihil delirauit, dolores clauiculæ, & brachÿ sinistri, permanserunt,

διέλιπεν ἄπυρος. ιά ὑπέστρεψεν. ἐπερρίγωσε. πῦρ ἔλαβε. περὶ δὲ ιδ΄ ἤμεσε χολώδεα. ξανθά. ὑπόσυχνα. ἵδρωσεν. ἄπυρος ἐκρίθη.

reliqua remissa sunt, planè mente constitit.[1] *Tres eam dies reliquit febris. Vndecimo riguit, rediit, igne est correpta. Ad decimumquartum vomuit biliosa flaua, copiosiora, sudauit, febre liberata est. Iudicata est non citra dolorem ab illis ipsis affectibus.*

COMMENTARIVS.

NON sine causa dictum à Galeno animaduerto Hippocratis sententias non ita strictè esse sumendas, vt eas simpliciter veras existimemus: ita vt, si dicat Hippocrates hoc, aut illud signum esse lethale, propterea putemus ægrotantem cum hoc signo certò moriturum, id quidem vtplurimum euenire videbimus, non tamen semper, quod apertissimis verbis explicauit 5. *Aphor. text.* 2. vbi sic legitur: *Conuulsio ex vulnere lethalis est.* in *comment.* hæc sunt, sic: *Et nunc eam, quæ fit ex vulnere conuulsionem, lethalem dixit esse, & non tanquam ex necessitate, ac semper mortem afferentem, sed, tanquam admodum crebrò.* Quòd si res ita est, desinat quis mirari quomodo potuerit hæc mulier vtero gerens conualescere, cùm tamen acutissimè laborasse sit conspicuum, de his autem sic sentiat Hippoc. 5. *Aphor. text.* 30. *Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto lethale est.* Quia id quidem admodum periculosum esse constat, non tamen ita, quin salutis spes in multis existat. Et ne ad huius rei confirmationem quamplura afferamus exempla earum, quas curauimus, & sine abortu sanatæ sunt; sufficiat præsens, quod dignum est maxima consideratione. Hinc apparet non esse de ægrotantium salute desperandum, quamuis grauia habeant symptomata: fiunt enim in re Medica monstra, & multos præter omnium expectationem, à manifesta eripi pernicie in dies obseruamus, quemadmodum & huic contigisse apertum est, cum trimestri fœtu grauida, acuta febre laborans, ipsa cum fœtu sit seruata, ex quo elicere possumus, vires habuisse firmissimas, & optimi habitus fuisse, quæ potuerit morbi vim sustinere, citra euidens fœtus detrimentum. Si vultis posteà causam, propter quam Hippocrates scribit lethale esse, vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, eam accipite ex Galen. *in comment.* sic: *Cùm sit necessarium ægrotantem nutrire, aut nutrimus ratione fœtus, aut ratione febris. Non ratione febris, quia morbus non indicat de alimento: ergo ratione fœtus, ne scilicet ex defectu alimenti pereat: at nutrientes ratione fœtus augemus febrem, quæ sufficiens est ad destruendum subiectum. Quòd si abstinemus ab alimento, subtrahitur alimentum fœtui, & mater etiam debilitatur. Quare, si ad bonum partum duorum corporum robore indigemus, infantis, & mu-*

lieris; profectò, cùm vterque sit debilitatus, non potest non sequi infelix partus, & periclitari cum fœtu mater. Hanc rem ita explicat Galenus *in comment.* Non absque ratione: si enim cum febre morbus, est necesse ipsum habere febres continuas: talis enim est morbus acutus, & in hoc duplex est peccatum, vnum quidem propter febrem, ipsum fœtum occidentem, alterum verò, quod ex longo interuallo cibum dantes, ex alimenti defectu fœtum destruemus; si verò, vt hunc seruemus, non verebimur crebrò cibum exhibere, febres continuas victu intempestiuo augentes matrem occidemus. Sic, & si absque febre aliquis alius morbus fiat acutus, veluti morbus comitialis, attonitus, Græci ἀποπληξίαν vocant, conuulsio, distentio, propter magnitudinem morbi, & acutiem, impossibile est ægrotantem euadere: ad bonum enim partum duorum corporum robore indigemus, mulieris, & infantis, quod in febricitantibus non potest esse, vti idem Galenus monet 5. *Aphoris. text. citat. comment.* 55. habet: *Quæcumque vtero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt, sine causa manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo, & abortum facientes periclitantur.* Addit Galenus: *Accidit quibusdam grauidis, in quibus vitiosi humores, priusquam conceperint sunt aceruati, nonnunquam à febribus vehementibus corripi.* Adeò vt ex necessitate abortiant, nonnunquam verò à mediocribus quidem, sed, cùm non purgentur sufficienter, aliquid superest reliquiarum humorum in corpore vitiosorum, ex quibus febres erant institutæ, vtpote non potentibus Medicis mulieri grauidæ aliquod validum auxilium adhibere, aut exquisita victus ratione in ipsis vti. Ob hanc igitur causam febris in ipsis reuertitur frequenter, & maxima temporis parte grauiter se habent. Non sine ratione igitur fœtus aliquando nequit obsistere, sed à febribus, & vitio humorum corrumpitur, nonnunquam verò perdurat quidem vsque ad tempus partus, sed cùm & ipse valetudinarius est, vt qui longo tempore laborauerit, & matrem habeat imbecillam, non sine periculo paritur. Rebus hunc in modum existentibus, quomodo potuit hæc mulier conualescere? Galenus refert in mensem, quia scilicet trimestres, & quadrimestres faciliùs causis morbicis resistant; etenimverò, & multum tribuerem dispositioni mulieris, quæ potuerit aduersus tot grauia symptomata tam validè pugnare. Hoc an verum sit, incipiamus à primis verbis: sic enim videbimus quæ & quanta passa sit hæc, de qua agitur.

[a] *Mulierem trimestri fœtu grauidam ignis corripuit.*] Statim à febre múlta superuenêre, quæ copiam denotabant: nam scribit, mox ei cœperunt dolere lumbi, quod maximum calorem ostendebat ab humoribus adustis prouenientem, vt 1. *prorrhet. text.* 26. vidimus, dum Historiam Sileni percurrebamus. Est & aliquando signum maligni morbi, vt habetur *ex Còacis, comment.* 1. *lib.* 3, his verbis: *Lumborum dolor sine causa euidente sæpius impetens, maligni morbi signum est,* de qua re, non est cur pluribus agamus, postquam in hac ægrotante adest causa manifesta, calor nimirum febrilis.

[b] *Tertio die dolebat circa collum, & clauiculam, & manum dexteram.*]

Id

Id propter affectionem cerebri fiebat, potéstque hoc etiam desumi ex Galeno *eodem 3. prorhet. Capitis dolor*, inquit, *caput his affici, veluti, & sensus auditorij læsio, cerebrum ipsum offendi: quo fit, vt colli dolor, & manus tremulæ neruorum principium offensum ostendant.* Quòd adesset affectio cerebri; obmutescentia denotat. Hæc, propter quas causas fiat, iam in superioribus est demonstratum: neque hîc dicendum obmutuisse, quia sola voci asseruientia instrumenta essent læsa, citra cerebri affectionem, quia sequuta est elanguescentia manus, & delirium, ex quo cerebrum trahi in consensum liquidò constabat.

c *Dextera manus conuulsione elanguit, vt attonitis solet.*] Elanguere, vt solent attoniti, est esse sensus, & motus expertem, ita sentit Galenus 5. *meth. cap. 9. Si quis, siue tribus horis, siue quatuor, siue horarum tantum dimidium, toto corpore sit correptus, sic, vt neque sentiat, neque moueatur, hunc nos apoplecticum, siue attonitum dicimus.* Quomodo igitur cum conuulsione elanguit? Dicerem ego, elanguisse cum conuulsione, quoniam, qui apoplexia tentantur, sæpissimè conuulsi moriuntur, liquata materia in capite existente, & ad neruos delata, ita contigit perillustri matronæ huius ciuitatis; ita adolescenti cuidam Mediolanensi. Quare, etiamsi esset manus, quæ pateretur, tamen dicerem elanguisse quidem, vt attonitis solet accidere, qui amittunt sensum, & motum; tamen cum conuulsione, quia aliquando motus fierent conuulsiui propter principij neruorum affectionem. Qui in vtero gerente hæc vidisset symptomata, non parùm dubius fuisset de ægrotantis salute; & tamen conualuisse constat, quod verum esset, etiam delirabat, & hoc erat signum non fuisse verè apoplecticam, sed decubuisse, vt solent illi.

d *Nocte cum molestia non dormiebat.*] Solet natura, cùm aut à mala qualitate, aut à quantitate infestatur moueri ad excretionem; & propterea non est mirandum, si in hoc ægrotante idem præstare sit coacta, etiamsi minus bene sit operata: nam, quæ euacuabantur erant biliosa, & quoniam vellicabant, hinc naturæ irritatio, non euacuatio, cùm scribit fuisse pauca, & mera, quam euacuationem improbat Galenus, vti iam aliàs vidimus: solet euacuatio pauca fieri tribus de causis, aut quia non sit vis naturæ expellentis; aut quia materia non sit disposita; aut quia viæ, per quas est educenda materia minus, quàm oporteat sint laxæ, vti *in Coacis lib. 1. text. 21. comment. 2.* habetur. Quare, cùm hæc fuerint pauca, vno istorum modorum factam esse euacuationem hanc statuendum est, crederémque ita euenisse, quia minus bene materia esset ad expulsionem disposita, neque id poterat esse, cùm morbus vix inciperet, quo tempore cruditas est.

e *Quarto linguam vox defecit.*] In principio obmutuisse scribit, nunc iterum obmutuisse ait, volens innuere, factum esse nouum materiæ defluxum ad linguæ musculos. Affectio admodum periculosa, & eò periculosior, quò vitium est in communi principio; particularis enim instrumenti affectio minus grauis sine dubio est, cùm enim principium læditur, significatur animalis virtutis infirmitas, & materiæ contumacia,

tumacia, & magnitudo morbi, ex quibus omnibus vitæ salus ambigua redditur, & periculum est, ne sic affecti incidant in apoplexiam, quòd infirma vis cerebri, se se ab oppressione liberare non possit, quantumuis motibus conuulsiuis nitatur, quòd si multò magis perseuerent symptomata, aut repetant, multò etiam grauior censenda est affectio. Cur autẽ manus dextra potiùs, quàm sinistra in linguę paralysi sit affecta, quæsitu dignum est, cùm videamus, vt plurimum sinistram affici, vt debiliorem: est enim dextra validior in iis, qui dextra vtuntur, propter motum, qui partes motas firmat. Vallesius doctissimus dicit textum esse corruptum, & pro *dextra*, legendum, *sinistra*, quia *paulò infrà* scribit *dolores partis sinistræ permansisse*. Sed nonne potest aliquando pars dextra ita esse disposita, vt vehementer patiatur. Vidi ego paralyticos parte dextra, an fortasse dicemus tunc euenire, quia sinistrum latus, vt debilius, magísque dextrum repleatur excrementis; & quod plenum est excutit, & à se propellit in dextrum vacuum. Profectò, si res ita esset, quæ partes imbecilliores sunt, eædem minùs conspicerentur affici, quod esset absurdum: nam, qua ratione admittit, eadem difficile à se propellit, apertissimum autem est, naturale esse opus, materiam ad debiliores propelli, eásque non difficilè admittere propter earum impotentiam, & infirmitatem. Est, dicet aliquis fortasse, quia dextræ calor magis alliciat humorem, ac propterea magis hanc partem, quàm illam repleri videamus, tamen non possumus negare esse neruos, & in hac parte, qui vt frigidi sunt, non possunt attrahere. Quomodo igitur euenit, vt aliquando dextra afficiatur, quæ tamen & calidior, & validior est sinistra, vt apertissimè confitetur idem Galenus *lib.* 14. *de vsu partium cap.* 7. cuius causa minùs frequenter succumbit morbo. Concludamus rem sic: non inconuenire partem dextram aliquando magis affici propter ipsius dispositionem, verum quidem est, maius esse periculum, si dextra pars lædatur, & propterea, vt denotaret periculi grauitatem, nominauit distinctè partem affectam, & dixit fuisse læsam partem dextram, non quidem, vt facilè affectionis susceptibilem, sed vt plus periculi afferentem, etiamsi in parte sinistra tardiùs curetur affectio frigida propter vim ipsius debiliorem. Quemadmodum lingua læsa erat, vt in tertio die, ita eadem symptomata sequuta sunt, quod significat per illa verba;

[f] *Eadem conuellebantur.*] Id est, manus dextra, & lingua, iterum ante dictos motus conuulsiuos patiebantur, & dolores omnium perdurabant, id est, manus, & colli, & hypochondrium cum dolore est conuulsum, id est, retractum; id autem solet esse inflammationis indicium, in dextra parte, quia mos est Hippocratis intelligere hypochondrium dextrum, quando sine addito dicit: [g] *Hypochondrium.* Cùm igitur esset hæc mulier malè disposita, pro ratione morbi, etiam sequuta sunt symptomata. nimirum vigiliæ, deliria, quæ ab eadem causa pendere iam sæpiùs dictum est, sed addit, *semel delira erat*, vt innueret, credo, delirium non admodum graue fuisse, sed modicum quiddam delirasse.

[h] *Aluus turbata est, vrina non boni coloris.*] Vrinæ possunt esse tenues,

& tamen non boni coloris, quia iam vidimus dari vrinas tenues, nigras: tenuitas enim refertur ad substantiam: itaque duplex erat malum, & quia crudæ, quæ quantum in seipsis erat, neque mortem, neque salutem solent polliceri, nisi per accidens, quatenus aliquando cum virtute languida coniunguntur, & morbo ad soluendum contumaci: quòd verò essent non boni coloris; nescio an Hippocrates quid perniciosum denotet. Meo quidem animo, puto eum potiùs velle dicere fortasse non fuisse boni coloris, quia bile ad caput delatâ, essent clariores, quàm ferret color naturalis, vt obseruamus sæpissimè, in imminenti delirio: si enim quid in vrinis extitisset, quod perniciem minaretur; non subticuisset, vt solet in aliis; quia, si quid aliud, semper videmus Hippocratem vrinas obseruasse. Aut dicamus fuisse quidem tenues substantia, sed quia habebat in vtero, fuisse etiam claras cum nebula supra earum superficie, aut fuisse coloris cicerum, aut aquæ pisorum, vt ait Auicenna *lib.* 1. *doctrina* 2. *Fen* 2. *c.* 10. Verùm pace tanti viri nullum omnino esse indicium existimarem ex vrinis conceptus, quidquid alij dicant: sunt enim qui iactant, se ex vrinis cognoscere, an mulier conceperit, necne, tamen valeant isti; ego quidem, si videro mulierem iuuenem, cum adolescente nuptam, quæ aliquid incommodi patiatur, dicam vereri me, ne vtero gerat, quod autem ex vrinis cognoscam, neque id me docuerunt præceptores, quos habui felicis memoriæ, Constantinus Lucas, Syluaticus, Gallinius, viri insignes, neque pater meus; sed quod magis est, & certam fidem facere potest. Testari possum me mulieres quamplurimas curasse, & vrinas inspexisse, easdem inuenisse varias, pro temporum morbi ratione, & tandem restitutis ipsis, perinde cognouisse morbi coctionem ex vrinis, non aliter, ac in aliis ægrotantibus, & si dixero voluisse me mulieris vtero gerentis vrinas dum sana esset, sæpiùs inspicere, neque vidisse me, quod scribitur ab Auicenna. Neque falsum me quidpiam pronunciare putent, qui hæc legent, quando vnusquisquam potest suo arbitratu id experiri, præsertim si vxorem habeat, inueniet sine dubio, nullum esse certum iudicium ex vrinis. Hoc quidem videtur minus dubium, si cùm soleret expurgari mulier ex præscripto naturæ; quo tempore deberet expurgari, appareat signum tantùm menstruæ purgationis, & postea desinant fluere, hoc quidem obseruaui certum in plurimis, de vrinis autem nullum esse fidum iudicium, & vos eritis experti. Quòd si qui iactabunt se posse cognoscere, curate, vt plura afferantur vasa, & sic in vno, aut altero ponatur prægnantis vrina, in aliis sint vrinæ non prægnantium, quo ipsis insciis facto, si extrahent prægnantis vrinam, credite, interim illis fidem non præstate, dum certissimum est non esse communionem inter vias vrinarias, & vias vteri, vti constat apertissimè. Sed, vtcumque esset, colorem non habebat naturalem, & fortasse nimis biliosa erat, propter eiusdem bilis prædominium, quo fiebat, vt aluus irritaretur. Solet esse in vtero gerentibus periculosum irritamentum alui, quia frequens surrectio lassam reddit mulierem, & præcipuè, si cum mordacitate excernantur, quemadmodum etiam alui motio. Verùm, cùm euacuatio non esset pro ratione

morbi,

morbi, regurgitata ad ſupernas partes materia iterum die quinto, non diminuta febre, neque hypochondrij dolore delirauit, & multùm, quod exprimit per verbum illud ([i] *planè*) & iterum excreuit biliosa, fortaſſe innuens largiorem fuiſſe euacuationem, vt credibile etiam eſt; quoniam, quemadmodum anteà ſolo irritamento exiſtente, caput ex recurſu humorum lædebatur; ita modò ſequuta euacuatione, & copia dempta, ſine ægrotantis diſpendio, natura potuit ſe eximere à maiori humorum copia; ſudore erupto, qua euacuatione febris ſublata eſt: dico autem maiori humorum parte dempta, quia non erat veriſimile potuiſſe tam cito tolli morbum, qui grauiſſima habebat accidentia. Mira naturæ opera, quæ vt erudita nos docet quàm cautè ſit agendum circa prægnantes: videmus enim eſſe tentatas euacuationes à natura paulatim, neque tam largas, quæ virtuti officerent, neque affatim factas. Hic ſudor, ſine dubio habuit requiſitas conditiones, quando iuuit tam inſigniter, ſublata febre: interim enim conquieſcit virtus, quia alleuatio morbi habet cauſam euidentem. Neque, etiamſi recidiuent tunc ægrotantes, lethaliter recidiuant; ſed redeunte morbo, vtplurimum videbitis ſolui eadem euacuatione, qua priùs alleuatus erat morbus, quod maximè debetis attendere; velum etiam & in hac muliere obſeruabis.

[k] *Sexto mente conſtitit.*] Eſt dies ſextus, vti aliàs dictum, infidus, & eam ob rem etiamſi mente conſtaret, illi non erat fidendum alleuationi, niſi incœpiſſet quinto die, fuit tamen nihilominus talis, ex quo poſſet vnuſquiſquam expectare recidiuam, quia multa erant, quæ id prænunciare poterant, veluti ſitis, vigiliæ, vrinæ cruditas, quo tempore vnquam perfectum fieri iudicium poteſt, quæ omnia corpus adhuc malè diſpoſitum eſſe præmonſtrabant, & ad recidiuam paratum, ſi credendum eſt Galeno 2. *in 6. epid. text.* 21. & euentus confirmat, quando ſeptimo die multa habuit non aſpernenda ſymptomata: nam tremuit, ſoporata eſt, delirauit, quæ omnia capitis affectionem adhuc vigere demonſtrabant. *Tremor*, Galeno dicente, *lib. de ſympt. different. cap.* 3. *Eſt motus deprauatus propter facultatis imbecillitatem*, ita & 1. *in* 3. *epidem. comment.* 2. Facultas autem redditur imbecilla vel per ſe, vel ex accidenti, & propter plenitudinem ipſam pergrauantem, ex eodem, *loco proximè citato*, & 1. *in* 3. *epidem. comment.* 4. In hac ægrotante ſine dubio tremor factus eſt, quia ſcilicet facultas animalis grauaretur, facta tranſpoſitione materiæ in venis exiſtentis, ad neruos, quod fieri aliquando non inficiatur Galenus 6. *Aphor. text.* 26. his verbis: *Qui in febribus ardentibus fiunt tremores, delirio ſoluuntur*, ſuper quo textu hæc habet Galenus ad verbum: *Quæ enim in genere venoſo exiſtunt cauſæ febrem facientes, quando ad neruos transferuntur, primum tremores faciunt, compatiente verò cerebro, deliria: ſicuti etiam in febre ardente tranſlatio, ſic & in omni alia febre poteſt fieri, & omnino ex arterijs & venis ad neruos transfluxus humorum noxiorum, ſicuti rurſus ex neruis ad has* Impropriè igitur dictum eſt, febrem ardentem à tremore ſolui. Re igitur hunc in modum ſe habente, quid mirum, ſi delirio à tremore fuerit correpta: hanc eandem ſententiam habemus

ſcriptam 1. *in* 4. *Coacarum text.* 19. his verbis: *Tremores in ardoribus delirium ſoluit.* Accidens minimè aſpernendum, ſed multò minùs in vtero gerente, propterea quod omnis tremor habet continentem cauſam, virium infirmitatem. Verùm, cùm vires in ſpiritu humore, & ſolidis partibus contineantur, interdum ſpirituum diſſipatione, aut collectione fit tremor, vt in affectibus animi, interdum humorum, & ſpirituum reſolutione, aut vacuatione, vt in fame, laſſitudine, vigiliis, curis, venere immoderata. In acutis verò ſæpiùs, vel oppreſſione à materia, vel ſolidarum partium intemperie, vt ſiccitate in phreniticis, quod lethale eſt. At vt ſciatis cognoſcere, an tremor iſte fiat propter tranſpoſitionem humorum, an ab aliqua alia cauſa, attendere debetis quanta ſit alleuatio morbi poſt tremorem: ſi enim febris diminuitur, ſignum certum eſt fuiſſe materiam à venis, ad neruos transfuſam. Contigit mihi huiuſmodi caſus in Cœnobio ſanctæ Mariæ è Canepa Noua, ſic appellato. Iuuenis acutiſſimè laborans, poſt aliquot dies, circa nonam in tremorem incidit, ſed tamen febris euidenter erat diminuta, delirauit, & aluo, iniecto leui clyſtere, validè mota, integrè conualuit: quod, ſi fiat à reſiccatione neruorum, & virtutis infirmitate, in morbi progreſſu exhauſta optima primigenij humidi parte, moriuntur ſic affecti. In hac igitur fuit tranſpoſitio humorum, qui ſine dubio miſti erant, partim pituitoſi, quibus prægnantes ſunt affluentes, vti ex vomitibus, quibus primis menſibus, vtplurimum ſunt obnoxiæ etiam cum ipſorum commodo apparet, & propterea fuit aliquantulum ſoporoſa; non dicit ſimpliciter fuiſſe ſoporoſam, quia bilis perfectum ſoporem impediebat, & addit aliquantulum deliraſſe, quia pituita, validum fieri delirium prohibebat, ſed vtcunque eſſet, febris calor prauos humores ad caput ſubuehebat, & hinc etiam perdurabant priores affectus brachij ſiniſtri. Hic notat doctiſſimus Valleſias oportuiſſe eſſe à principio ſiniſtram partem læſam, non dextram, ſed tamen etiamſi non multùm referat, niſi ad periculum prædicendum, tamen antea dicebat eſſe manum dextram affectam, non clauiculam, & brachium, non nominaſſe autem fortaſſe à principio, quia non æquè grauis eſſet, & ipſe magnifaceret potius affectionem dextræ partis; ſolent autem affectiones iſtarum partium eſſe ſatis contumaces, tum quia ſiniſtra pars eſt, vti dictum eſt, imbecillior, tum etiam, quia vtplurimum materia, quæ ſeſe inſinuat in eas partes eſt craſſior. Præter harum partium dolores, id cõmodi habuit, quod cætera remiſſa erãt, ex quo virtus poterat interquieſcere, & ipſa commodiùs ali, & ita fœtus inſtaurari, præſertim cùm omnino eſſet apud ſe, ceſſante, quod maximum eſt, delirio, propter quod, vt plurimùm acutè affecti moriuntur, vt in dies obſeruamus, crederem autem ideò ſedatum delirium, quia ſublata ſit febris, quæ erat euidens cauſa euaporationis humorum ad caput, idque elicio ex ſequentibus verbis, quæ ſic habent.

[1] *Tres eam dies reliquit febris.*] Id eſt à ſeptimo ad vndecimam vſque; ſed, & adhuc inſidum erat iudicium, nulla inſigni euacuatione præceſſa, quam ne expectare fas erat in morbo crudo, & propterea iterum

ſurrexit

ſurrexit natura, vt malitiam humorum corrigeret, & etiam eandem euacuaret; quo tempore, cùm magni fiant conatus, & materia violentiùs moueatur, præſertim quæ tenuis eſt, rigores fiunt, & febres augentur, ſi ſunt; ſi non ſunt, concitantur, hócque factum eſt in vndecima, in qua poſt febris auctionem non dicit ſequutam eſſe euacuationem, quo factum eſſet, vt reddiderit de ſalute ægrotantis ambiguum: attamen, videbitis ſæpiſſimè incipere naturam motus ſuos in die decretorio, & perſeuerare ſymptomata vſque ad alterum diem decretorium, in quo die poſtea natura violentiùs mouens, materia meliùs diſpoſita finem ſuum aſſequitur, vti etiam in hac euidenter cernimus, cui perfectum iudicium factum eſt in decimaquarta, ſed non æquè facilè, neque per vnicam viam, quia natura in copia grauante omnes vias tentat; & quia iam humores illi, qui in tunicis ventriculi iam erant diſpoſiti, hac de cauſa, non fuit admodum difficile euacuari per vomitum, præſertim cùm eſſent biliosa, quæ facilè fluitant ad os ventriculi, qua euacuatione ſequuta, & largiore, quia ſic ferebat humorum copia; tandem erupit euacuatio illa, tam febribus acutis conueniens, ſcilicet ſudor, quem credibile eſt fuiſſe pro ratione morbi, quia ſic euentus denotat, à quo integrè ſublatus eſt affectus ille tam grauis, qui à principio, propter ſymptomatum ſæuitiam, mortem minabatur, & eo magis mirandum, quòd Hippocrates non ampliùs recordatus ſit vrinarum, quia nihil vnquam habuerint boni, cruda autem, & inconcocta, atque in malos abſceſſus conuerſa, aut acriſiam, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuam. *2.in 1.epid.text.46.* tamen, quia virtus erat valida, & potuit perferre vim morbi; integrè iudicata eſt, & ſeruata in tam valida pugna cum fœtu, quod certè non eſt de minimis, quia paucis hoc erit datum, etiamſi ſint quadrimeſtres, quibus menſibus multùm tribuit Galenus, vt propterea putet ſeruatum, quia eſſet trimeſtris. Ego quidem puto non negligendos eſſe iſtos menſes, tamen neque parum tribuendum robori iſtius ægrotantis, quia vidi etiam bimeſtres fuiſſe curatas per venæ ſectionem, & ex pede, cùm ſe vtero gerere non animaduerterent, & in brachio, & per ſoluentia, & tamen nullum eſſe ſequutum abortum. Vidi præterea aliquas, quæ abortiuerunt duabus extractis vnciis ſanguinis, & eam ob rem firmitas mulieris præualet menſibus.

Dicetis, Hippocrates *in Aphor.* non facit mentionem tertij menſis, quomodo Galenus tanti facit? Ipſe enim dum tractat de purgatione in prægnantibus facienda, ſic ait, *4.Aphor.text.1. Vtero gerentes ſunt purgandæ, ſi materia turgeat quarto menſe, & vſque ad ſeptimum, ſed hæ minus, ſeniora autem, & iuniora vereri oportet.* Quæ eadem leguntur *5.Aphor.* In his autem textibus, ne minimam facit mentionem menſis tertij. Pluribus modis poteſtis reſpondere, intelligendum eſſe Galenum de tertio menſe iam iam completo, negandum tamen non eſſe, quin quartus maiorem habeat vim. Vel dicamus Hippocratis inſtitutum eſſe docere, quo tempore, ſi purgandæ ſint vtero gerentes, commodius id poſſit fieri, cùm autem præualeat quartus ſibi inferioribus, de quarto tantùm eſſe loquu-

tum Hippocratem, neque tamen prohibere quin aliis mensibus, si occasio vrgeat, curatio possit tentari, & præsertim mense illo, qui quarto proximior est. Vel tandem dicamus sic, menses intermedios esse aliis tutiores, & quia tertius mensis aliquando fit medius, nimirum respectu partus septimestris: centesimo enim, & octogesimo secundo die natus, Hippocratis testimonio vitalis est, idcirco dixit Galenus tertium mensem iniuriis magis resistere, quàm cæteros menses, non absolutè, sed solùm, vt dixi in relatione ad partum septimestrem: quia verò rari sunt hi partus, propterea tertij mensis inter vniuersales regulas, quales sunt sententiæ Aphoristicæ, meminisse noluit Hippocrates, nec Galenus alibi tertij mensis meminit, quàm in præsenti Historia, quod ob raritatem casus factum fuisse existimandum est. Quidquid autem sit, ego viribus huius ægrotantis maximè fidissem, quo tempore, vt in robusta muliere multa possunt bona expectari, secundario autem, non parum etiam mensibus tribuendum, propter rationes à Galeno *in comment. Aphor. adductas.* Si enim mulier sola vena secta abortit propter defectum alimenti, quanto magis potuit periclitari fœtus, aut vtrumque. Stemus igitur cum Celso, & dicamus fuisse hanc mulierem robustissimam, & optimi habitus, quæ potuerit tantum humorum pondus sustinere citra noxam, & docet etiam quomodo easdem curare contingat, cùm casus sese offert.

Curatio.

VErba Celsi hunc in modum se habent: *At firmus puer, & robustus senex, & valens grauida mulier, tutò per venæ sectionem curantur. lib.2. de re medica. cap.10.* Subdit: *Maximè tamen in his Medicus imperitus falli potest, quia ferè minus roboris illis ætatibus subest.* Mulieríque prægnanti post curationem quoque viribus opus est, non tantum ad se, sed etiam ad partum sustinendum. Quare, cùm hæc se, & partum sustinuerit in tam graui morbo, robustissimas habuisse vires certissimum est; & ideò poterat hæc mulier tutò curari per venæ sectionem, aduersus eorum opinionem, qui existimant vtero gerentibus acutè laborantibus, nihil esse moliendum, quia scilicet *secta vena abortiat*, ita dicente Hippocrate 5. *Aphor. text.* 3. *purgata, periclitetur*, eodem dicente 4. *Aphoris. text.* 1. Ergo si res ita esset, nihil omnino moliendum circa ægrotantem; verùm cùm casus occurrit talis, ego inspecta morbi magnitudine, & virtutis robore sanguinem extraho, parciùs quidem, & iteratò mittens, ad fœtum animum adhibens, quæ euacuatio conueniens est, quocunque tempore adueniat casus, etiam in octauo, & nono mense: nam, si videamus vim morbi eam esse, quæ virtutem citissimè possit deprimere, quomodo non debemus succurrere iis, quæ morbi acutiem retundant, priùs tamen prædicto periculo: neque enim potest Medicus aliquid tentare circa prægnantem sine periculo. Testari possum ego in multis in octauo, & nono mense sanguinem extraxisse cum maximo iuuamento. Hoc tamen ante oculos habere debetis, vt si fieri potest assistatis operationi,

quando

quando aliquando plus euacuantes illi, quibus opus hoc committitur, fit, vt virtus celerrimè cadat, totúmque Medico adſcribitur, & ego ſemper in prægnantibus plus timeo leuis medicamenti exhibitionem, quàm paulo largiorem ſanguinis miſſionem, quia hæc euacuatio eſt in manu noſtra, & ſi ſemel non poteſt fieri, eadem ſenſim poteſt repeti, bíſque, ter, & quater ſanguis poteſt extrahi; medicamentum autem exhibitum, poteſt maximam afferre agitationem, etiamſi leuiſſimum ſit, cui non æquè facilè poteſt Medicus prouidere, & vidi non ſemel leuiſſimo exhibito medicamento ſoluente abortiuiſſe mulieres, cum Medici dedecore, quia vulgus non conſiderat niſi euentum, & ſi bene omnibus actis, res feliciter ſuccedat, bonum, ſin minus, Medicus errauit, quia vulgus putat Medicum eſſe Deum, & omnia debere exactè prædicere. Propterea, & vos cauti eritis in ſoluentium exhibitione, quòd ſi curandas ſuſcipitis eas, quæ ſolent abortire, antequam aliquid agatis, ſemper ob oculos ponite operandi neceſſitatem, ſed etiam & abortus periculum; aut, quod melius eſt, vocate ſocium, vt veſtrarum actionum teſtem habeatis, & vulgò ſatisfaciatis, & ſi coacti eritis exhibere medicamenta ſoluentia, leuioribus vtamini, neque tranſcendite mannam diſſoluto medicamento cum decoctione tamarindorum, aut foliis abſinthij, & ſem. citri: dulcia enim mulieribus infeſta ſunt, facta in iure pulli, aut carnis vituli. Hoc medicamento eſſem vſus in hac muliere, niſi à principio morbi irritamentum illud apparuiſſet: eo enim tempore, priùs eſſem vſus clyſteribus lauatiuis dictis, ne ex frequentia ſurrectionis, abortus fieret, poſteà perſeuerante eadem affectione, exhibuiſſem ſyrupum roſaceum ſolutiuum cum ſero lactis, vt ℥.ij.ß. ſyrupi roſati ſolut. cum ſero diſſolutis. Hoc præſtito ad alterantia deueniſſem. Hæc debebant eſſe ſimpliciter refrigerantia, non validè deobſtruentia, quia abortum facere poſſunt. In hunc vſum veniſſent cichoreacea omnia, cum portione aceroſitatis citri. Alexipharmaca conueniſſent. Cerata ſupra renes ex vnguento ſantalino, ex vnguento Comitiſſæ, aut ceratum magiſtrale pro renibus. Ventri commendaſſem linteola vino aſperſa vmbilico applicita. Et propter vocis defectum, inunxiſſem nucham oleo amygdalino, vulpino, & id genus aliis, admotis cucurbitulis ſpatulis cum ſcarificatione, & ſine ſcarificatione, vt materia diuerteretur à capite, quantum fieri poſſet: narrat enim Galenus Hiſtoriam cuiuſdam, qui veniens Româ, decidit è curriculo, & ſtatim manus elanguit, etiamſi dorſum eſſet affectum, manus autem nihil, & cùm Medici illi, qui curationi præerant, medicamenta manui admouerent, nihílque proficerent, ipſe affectus cauſam perſcrutatus, non manui, ſed ſpinæ adhibuit medicamenta & ita iiſdem medicamentis diuerſæ parti applicitis morbum ſuſtulit. Referam verba Galeni, vt dictum fide careat, quæ deſumuntur *ex* 1. *de locis male affect. cap.* 6. *Occurrit*, inquit, *mihi quidam, medicamentum tribus digitis adhibitum oſtendens, dixitque triginta iam diebus ipſorum ſenſum ſe amiſiſſe, illæſa ſeruata motione, ſed nihil præſidij ab impoſitis medicamentis percipere. Ego vero, id quod in huiuſmodi caſibus facere conſueui, ne oblinioni quidem*

dem tradidi. Quippe vocato Medico, qui digitorum medicationem susciperet, interrogaui, cuiusmodi remedia adhibuerit, quæ, cùm intelligerem ad hanc rem esse idonea, causam inuestigare incœpi, cur nullum ab ipsis homo præsidium esset consequutus. Inquirens itaque, quæ præcesserant accidentia, inueni, ipso dicente, neque inflammationem, neque refrigerationem, neque ictum præcessisse, sed ipsum paulatim sensum perdidisse. Captus itaque admiratione, rursus interrogaui, num superiorum partium aliqua icta fuisset. Ille respondit, manum quidem non fuisse læsam, sed dorsi initium fuisse afflictum. Subdit post multa: *Igitur adhibitum medicamentum abijcere iubens, illi præcipuè parti spinæ, quæ affectæ particulæ initium, & originem obtinebat ipsum adaptaui. Secutáque est res, vt aspicientibus videretur & admirabilis, & inopinata, quòd digiti manus, adhibitis spinæ medicamentis essent curati.* Hæc Galenus *loco adducto.* Quare erant applicanda remedia spinæ, tanquam causæ principi istorum affectuum. Propter delirium frictiones brachiis satis validæ, cauentibus nobis partes infernas. Oxyrrhodina, & alia, quæ reprimendi vapores vim habent, & quia turbata erat aluus, neque adiuuanda, quia pauca esset: nam vtero gerentes aluo fluente facillimè abortiunt, neque supprimenda, ne humores sursum recurrentes, aliquam principem partem magis læderent, sed iis vti necessarium erat, quæ possent attemperare malam humorum qualitatem, vt sunt clysteres ante dicti ex sero, lacte, aqua hordei. Hypochondrio dolenti commoda fuisset inunctio ex oleo rosaceo cum portiuncula olei absinthij, & succo cichorij simul omnibus mistis pro hypochondrij fotu. Et cùm sudauerit, & febre libera esset, nutrienda erat alimentis paucæ quantitatis, & multæ qualitatis, & detinenda erat in bona victus ratione: debebat autem esse eorum, quæ facilis sunt nutritionis, & optimi succi, de quibus aliàs est cum Galeno dictum. Sopori esset prouisum oxyrrhodino misto ex oleo rosaceo, & chamæmelo. His omnibus præstitis, cùm perfectam recuperasset valitudinem, nihil aliud erat agendum, solùm monere, vt cautè ageret, ne recidiuaret: cùm enim in omnibus sint recidiuæ periculosæ, in vtero gerentibus sine dubio longè grauiores. De purgante non est agendum, quia in huiusmodi casibus abstinebitis, quantum fieri potest, quòd placidissimè huiusmodi mulieres tractandæ sunt.

Αρρωστοι



Ἄῤῥωστος τεσσαρεσκαιδέκατος.

Μελιδίη, ἣ κατέκειτο παρὰ τὸ τῆς Ἥρης ἱερὸν, ἤρξατο κεφαλῆς, καὶ τραχήλου, καὶ στήθεος πόνος ἰσχυρός. αὐτίκα δὲ πυρετὸς ὀξὺς ἔλαβε. γυναικεῖα δὲ σμικρὰ ἐπεφαίνετο. πόνοι τουτέων πάντων ξυνεχέες. ἕκτη κωματώδης. ἀσώδης. φρικώδης. ἐρύθημα ἐπὶ γνάθων. σμικρὰ παρέκρουσε. ζ ἵδρωσεν. πυρετὸς διέλιπεν. οἱ πόνοι παρέμενον. ὑπέστρεψεν. ὕπνοι σμικροί. οὖρα διὰ τέλεος, εὔχροα μὲν, λεπτὰ δέ. διαχωρήματα λεπτά. χολώδεα. δακνώδεα. κάρτα ὀλίγα. μέλανα. δυσώδεα διῆλθεν. οὔροισιν ὑπόστασις λευκή. λείη. ἵδρωσεν. ἐκρίθη τελέως ἑνδεκαταίη.

Ægrotus XIV.

Melidiæ, quæ decumbebat iuxta ædem Iunonis, [a] cœpit collum, & pectus vehementer dolere, statímque febris eam acuta inuasit, [b] menses pauci fluxerunt, dolores omnium horum perpetui. [c] Sexto die sopore premebatur, fastidiosa, horrens, malarum rubor, [d] aliquantum delirauit, septimo sudauit, febris intermisit, dolores permanserunt, repetiit, somni pauci, vrina perpetuò boni coloris, cæterùm tenuis, biliosa, mordacia admodum pauca, nigra, fœtida deiecit, in vrina subsedit album, læue, sudauit, iudicata est absolutè die vndecimo.

COMMENTARIVS.

Magnitudinem morbi statim aperit Hippocrates, dum hanc mulierem acutè laborasse ponit Detegit causam, dum inquit, menses ei parcè fluxisse. Quem euentum habuerit affectus, ex textu constat. Sed, vt res meliùs innotescat, percurramus Historiam.

[a] *Cœpit collum, & pectus vehementer dolere.*] Nulli dubium est, quin ex fluxione in caput, & collum, & pectus, orti sint dolores earum partium, & fortasse erat dolor, sincipitis, quia inter vterum, & sinciput est magna communicantia, si credendum est Galeno 1. *in 6. epid. text.* 2. & notandum dicere Hippocratem vehementer doluisse pectus, ex quo conicere

possumus non fuisse affectum pulmonis, cùm pulmo exiguum admodum habeat sensum, vt 4. *de loc. malè affect. c.* 8. habetur. Sed neque fuisse pleuriticum, certum est, quia fuisset affecta membrana costas circumambiens, huius autem nullum est indicium; quare, relinquitur dicendum fuisse affectos musculos pectus inuestientes.

[b] *Menses pauci fluxerunt.*] Affert huius affectus, vel potius omnium affectuum causam: neque enim ex iam dictis obscurè patet, quot fiant symptomata: ex recursu enim illius sanguinis ad superiores partes, facillimè prædictæ affectiones originem trahere potuerunt, propter sympathiam, quæ intercedit inter has partes, vt habetur ex Galeno 1. *in* 1. *epid.* & 1. *in* 2. *epid. text.* 11. Quo in textu apertissimè demonstrat, quæ & quanta sit communio partium genitalium cum thorace, quod etiam elicitur apertissimè ex 7. *epid. text.* 26. *in historia Theodori.* Quæ cùm ita sint, non est mirum, si quotiescunque mulieres minùs bene purgantur, retenta excrementa refundantur in partes pectoris; & sic fiant aut pleuriticæ, aut peripneumonicæ, quod non semel in difficili partu obseruaui. Hæc non est facta pleuritica, sed tamen recurrente materia in musculos dictos excitauit, vt puto inflammationem, à qua febris acuta fuerit excitata, & videtur Hippocrates sic loqui: *Hanc ægrotantem acuta inuasit febris, quia menses pauci fluxerunt,* qui recurrentes ad supernas partes, putredinem intensam contraxêre, & inflammationem in partem, in quam sese insinuarunt, & hinc febris acuta, ob malitiam humorum: scimus enim impurum esse sanguinem illum, inculpatum vnquam, in hac ex accidentibus coniicimus fuisse, pituitosa ex sopore, biliosa ex mordacitate, & delirio, melancholica ex nigredine, corrupta ex fœtore, vt videre potestis *in progn.* Et tam fixa erat causa peccans, vt dolorem continuum induceret: inquit enim, dolores horum fuisse perpetuos, & verisimile erat, non fluentibus mensibus, neque pectoris affectionem potuisse leuari, neque colli propter continuam euaporationem: nam quemadmodum tusses diuturnæ, intumescentibus testibus cessant, dicente Hippocrate, ita redeunte tussi, cessat tumor testiculorum; ita fluentibus mensibus, cessat ea pectoris affectio, quæ à retentione eorundem originem traxerat, propter communicantiam istarum partium per venas communes vtrisque partibus, quæ per rectos musculos abdominis producuntur, præter communes neruos ex sexta coniugatione, quod etiam potest deduci ex 5. *Aphor. text.* 35. Textus sic se habet: *Mulieri vtero gerenti, si mamæ graciles fiant repentè, abortiunt.* Galenus addit: *Communes enim quædam venæ sunt mammis, ac vteris, quæ, vbi parum habuerint sanguinis, graciles quidem mammas reddunt, alimenti autem cessatione nonnunquam fœtum perimunt, nonnunquam etiam ad excretionem excitant.* Illam ob causam, quam ipse *in libro de natura fœtus* per hæc verba explicat: *Alimentum, atque auctio à matre veniens, non ampliùs est infanti sufficiens, quando decem menses præterierint, & fœtus auctus fuerit: trahit enim à sanguine ad se id, quod est dulcissimum, & simul etiam lactis parte aliqua fruitur. Vbi verò hæc illi rariora fuerint, & iam infans molem corporis habet, plus*

cibi

cibi requirens, quàm illud, quod adest, calcitrat, membranas disrumpit. Liquet igitur, quòd & ante decem menses, fœtus est indigens alimento, & calcitrans, ac membranas disrumpens, initium partus matri affert. Hæc Galenus, quibus videmus, quanta sit vteri communicantia cùm partibus superioribus.

[c] *Sexto die comatosa, fastidiosa.*] Erant hæc accidentia, humorum varietatem, vti dictum est, significantia, cur autem fiant horridæ, & fastidiosæ mulieres, iam aliàs habuistis cum Galeno, horrent enim sæpissimè mulieres, & quia pars affecta est neruosa, & quia morbus est cacoëthes. Habuisse malarum ruborem, suspicionem inferre poterat, fuisse hanc mulierem peripneumonicam: habent enim peripneumonici malarum ruborem, vt 1. *de locis malè affectis, cap.* 5. habet Galenus. Delirant etiam communicata affectione cerebro, eodem dicente 2. *de locis malè affectis, cap.* 4. immò scribit nunquam fieri in pleuritide, & peripneumonia, quin caput afficiatur, quòd humorum excipiat in inflammationibus putrium fuliginem, vt 4. *de causis pulsuum, cap.* 8. Habent etiam hæc, quòd acutè febricitant, 4. *de locis malè affectis cap.* 8. Quo in loco additur etiam respirationis difficultas tanta quæ prohibet anhelitum, & simul tussiunt, de quo affectu loquens Aëtius hæc habet: *Peripneumonia inflammatio est pulmonis cum febre acuta. Consequitur autem affectos, thoracis grauitas absque dolore. Quòd si pelliculæ ipsius quæ cum thorace secundùm longitudinem ipsius sunt connexæ, sint inflammatæ, etiam dolorem percipiunt, & spirandi difficultas simul irruit, & surrecti, sedere volunt: pulmo enim cordi incumbens suffocationem infert. Rubicunda eis est facies, & maximè malæ, nasus in summo fit simus, venæ temporum eleuantur, prostratus est appetitus, respiratio calida, linguæ siccitas, aquæ frigidæ, magis autem aëris frigidi concupiscentia, tussis sicca,* & quæ sequuntur *lib.* 2. *serm.* 4. *cap.* 66. Quibus verbis videtur posse concludi hanc ægrotantem minimè fuisse peripneumonicam, cùm desint ea signa, quæ talem affectum solent concomitari: nam alio in loco habemus hæc: *In pulmone inflammato bronchia angustiùs coguntur, quàm in pleuritide, & in supino decubitu anteriores thoracis partes considentes, pulmonem arctant, & continentem aëris attractionem impediunt.* Subdit: *Nullus tamen est doloris sensus, nisi grauitatis, quia pulmo sensus est expers. Membranæ autem intersepientes à pleniore pulmone depressæ dolorem grauantem faciunt, extremis potissimum partibus, quibus alligantur, quia maior ibi tensio, vt ad os pectorale, & spinam. Expuunt semper aliquid ob laxitatem partis affectæ, à qua semper aliquid resudat, sentiúntque calidam respirationem, qua partim plurimum efflando partim multum aërem frigidum attrahendo alleuari se putant. Acuta comitatur febris, cum rubore insigni ambarũ maxillarum ex fuligine sanguinis putrentis. Celeriùs pueri, & senes inde moriuntur, quia infirma habent latera, fuliginis maiorem vim, angustiam meatus, & materiam crassiorem. Ab omni alia inflammatione, morte periclitantur magis iuniores, symptomatum vehementia, & febre.* His igitur ita existentibus, non credo hanc mulierem fuisse peripneumonicam, etiamsi multa extent signa hoc ipsum suadentia: ne-

que enim propterea quòd malæ rubent, peripneumonicam dicemus ægrotantem, cùm ob alias causas malæ possint rubere: nam malarum rubor, etiamsi peripneumoniæ propiùs sit, quodammodo à fuligine putrentis in pulmone sanguinis, quam genæ excipiunt propter situm, & raritatem, eiúsque colorem per cutim tenuissimam, ceu per vitrum oculis repræsentant, tamen non ita propè, vt soli conueniat: nam in ambabus maxillis rubor insignis, inflammationis sanguinis & vaporis calidi signum est, aut melancholiæ morbi, aut translationis materiæ ad caput, vt cùm futuræ sunt parotides, quod sæpissimè experientia comprobatur. Cùm igitur iam esset contracta inflammatio in musculis pectoris, quid mirum, si caput elatos ab inflammatione vapores excipiens, malæ imprimis ruberent. Neque est quòd quis dicat Hippocratem insequentia peripneumoniam signa subticuisse, tanquam manifesta, quemadmodum fecisse in multis locis scribit Galenus. Vbi multoties spirationis difficultatem prætermisisse tanquam manifestam dicit, 1. *de difficult. respirat. cap.* 7. Quo in loco hæc habentur: *Demonstrabo, (quamuis præter opinionem hoc esse videbitur,) multos difficulter spirantes esse in morbis popularibus conscriptos, verùm Hippocratem nihil de ipsorum respiratione dixisse, propterea quòd manifesta erat, & omnibus Medicis conspicua: si enim, aut pectus, aut locos circa clauiculas, aut faciem alicui inflammari contingat, & ob id paruus, ac densus spiritus necessariò sequatur, velut in priori sermone est commonstratum.* Hippocrates, neque difficilis spirationis speciem, neque prorsus, quòd difficulter spirans factus est, scribere dignatus est. Non igitur hoc dicendum, quia erant accidentia minùs necessaria ad morbi dignotionem. Quod si *in epid.* id prætermisit, fuit, quia agebatur de morbis vniuersalibus, de febribus acutis, & malignis, in quibus vnusquisque potest coniicere difficultatem spirandi fuisse annexam, aut magnam, aut paruam, vt nihil esset, quòd poneretur ab Hippocrate, ponítque tantùm in duobus, aut tribus, quibus tanquam exemplis vtitur. Vbi verò agitur de affectibus particularibus, non prætermittit, quæ ad morbi dignotionem sunt necessaria: neque enim verba faciens de Anaxione pleuritide laborante aliquid horum prætermisit, quæ ad huiusmodi morbum constituendum esse necessaria iam ipse aliàs docuerat, sed cuncta sigillatim enumerauit, vt 3. *in* 3. *epid. text.* 79. Quare concludi posse crederem peripneumonia hanc ægrotantem minimè laborasse. Ex altera parte, si consideremus, quæ scribuntur ab Hippocrate 7. *epid. text.* 14. Non semper narrat accidentia: nam dum ipse recenset Historiam Cauponis cuiusdam, qui peripneumoniâ laborabat, non narrat accidentia consequentia peripneumoniam, ita in Historia sequenti Hermoptolemi. Sed si hoc opponatis, responderem non fuisse necessarium omnia recensere, sed sat illi fuisse ponere fuisse peripneumonicam, quia ex consequenti supponuntur omnia symptomata morbum insequentia. *In historia Polycratis, text.* 8. *eiusdem sect.* quia non dicit fuisse peripneumonicam, ponit signa, quibus vnusquisque potest morbum talem fuisse coniectare, quia ponit etiam difficultatem respirationis, & alia omnia signa, quæ morbum constituunt.

ſtituunt. Quibus ſic exiſtentibus concludi poſſe apparet manifeſtè non laboraſſe hanc mulierem peripneumoniâ, neque neceſſariò concludi poſſe. Malæ rubent: ergo eſt peripneumonica, quia cumulus bilioſorum humorum in ventriculo exiſtentium, poteſt malas rubras reddere; ita, elatis vaporibus ab vtero, ab hepate; facies enim facilè aſcendentes vapores recipit propter partis aptitudinem, vt bene notat Auicenna *lib.*3. *tract.*4.*Fen* 10. *cap.*11. quod videmus fieri facilè in iis, qui vino nimis liberaliter indulſerunt, aut in iis etiam, quibus aluus plus iuſto retinetur.

[d] *Aliquantulum delirauit.*] Non difficilè delirant, qui circa pectus habent inflammationes, propter aſcendentes vapores ad caput, vt cernimus etiam in pleuritide: at non æquè validè delirauit, quia quæ materia miſta erat, ea, vti dictum, erat pituitoſa, & ob eam rem dicit, aliquantulum deliraſſe, quia partim etiam ſoporoſa erat. Neque propterea quòd febris ſeptimo die intermiſerit, eam ob rem ſtatuendum erat, non potuiſſe eſſe peripneumonicam, quia ſcilicet in huiuſmodi morbis febres ſint continuæ, quoniam ſæpiſſimè obſeruaui accenſas eſſe febres in pleuritide, & extracto ſanguine omnino conquieuiſſe dolorem cum febre, haud multò poſt, noua facta fluxione rediiſſe febrem, propterea poteſt etiam eſſe eadem ratio in peripneumonia, & hac de cauſa hæc non eſſet ratio ſufficiens ad probandum hanc mulierem non fuiſſe peripneumonicam. Itaque febris intermiſit, quia ſeqnuta eſt euacuatio febribus acutis admodum familiaris, ſudor videlicet, verùm in humorum cruditate nunquam fit perfecta criſis, & eam ob rem, remanente craſſiore, & nouam putredinem concipiente, rediit febris, neque ſedati ſunt dolores illarum partium, quia nondum reſoluta erat materia in illis partibus fixa, hincque elatis denuò vaporibus ad caput, vt qui erant potiùs bilioſi, vigilias concitarunt, quæ etiam potuerunt prouenire ex dolorum vi. Quòd ſi vrinæ, vt erant tenues, quæ crudum fuiſſe affectum oſtendebant, prauum etiam habuiſſent colorem, fortaſsè non conualuiſſet, non potente natura & cruditatem, & humorum malitiam euincere; ſed, quia fuerunt boni coloris, eam ob rem indicabatur robur naturæ, in ſuſtinendo morbum, & eo magis, quia ſemper fuerunt boni coloris, non variarunt, vt aliquando cernimus in imbecillitate naturæ, quæ eo tempore inordinatè mouetur. Vrinis reſpondebant alui excrementa, cùm dicat fuiſſe tenuia, mordacia, quia bilioſa. Illud quod dubium feciſſet Medicum in prædicendo eſt, videre alui excretionem nigram, fœtidam, paucam. Tria hæc erant damnanda, primum quia nigra, ſecundò quia fœtida; tettiò quia pauca, & vt ab vltimo initium ſumamus. Generale præceptum eſt, non ſolùm paucos ſudores, ſed etiam omnes excretiones, aut abſceſſus morbo minores praua eſſe, ſiue ſanguis per nares excernatur, ſiue deorſum per ventrem, ſiue per vomitus, aut vterum, aut ſimilia: oſtendit enim paucitas illa, vti aliàs dictum eſt, quæ excernuntur, vel ferri non poſſe ob copiam, atqtie ob id à partibus affectis diffluere, vel moueri quidem à natura, non tamen tota excerni ob eiuſdem infirmitatem.

tem. Quare mala censenda erat illa euacuatio. Præterea erat materiæ nigræ. Huiusmodi euacuationem damnari à Galeno in conspicuo est iis, qui *libros prognost.* percurrerint, præcipuè ex 2. *lib.progn. text.*22. cuius verba sic leguntur. *Exitiosior est, si nigra*, confirmat Galenus his verbis: *Nigra deiectio ab atra bile syncera tingitur, graueolentia verò putredinis est indicium.* Additur & id, quod legitur 2. *in* 3. *epid. comment.*2. Vbi Galenus apertissimè scribit semper esse exitiosa, quæ fœtent, confirmatum ab Hippocrate 2.*progn. text.*42. verba faciens de vomitu: *Omnis subputris, ac fœtidus odor in omni vomitione malus est*, quibus addit Galenus: *Constat, vt cuiuis affectioni, permisceatur putredo, ea ipsa euadat deterior.* Quibus ita existentibus, potiùs censendum erat signum pernicio-sum, quàm salutare, & tamen euentus aliter suadet. Cur ergo res in hoc benè cessit? Hîc oportet animaduertere modum loquendi Hippocratis, qui tractans de huiusmodi euacuationibus 4. *Aphoris. text.*21. hæc habet: *Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ.* Quæ verba dum expendit Galenus *in comment.* ita loquitur. Quare ab initio quidem, nunquam ad bonum fiunt huiusmodi euacuationes, magnam viscerum læsionem ostendentes, ad morbos verò consistentes sequuntur sæpiùs, natura superfluitates expurgante. In *eodem lib. text.* 22. hæc habentur: *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel suprà, vel infrà exierit, lethale.* Huius rei rationem reddit Galenus *in comment.* sic: *Quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia casus earum, quæ in corpore sunt dispositionum: quo enim tempore natura grauatur à causis quidem morbum facientibus, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid benè euacuari est impossibile; si quidem oportet coctionem præire, subsequi discretionem, & posteà euacuationem, vt bona sit crisis, siue iudicium. Quando igitur post morbi coctionem aliquis humor vitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur, & propter hoc atra bilis, & alius omnis huiusmodi humor, vbi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significant euacuationem, si verò aliter excernantur, sine signis coctionis, exitialis est casus.* Alio in loco habetur: *Febricitanti, siquidem ineunte morbo nigra bilis prodierit, lethale.* Quo in loco attendi oportet sermo Hippocratis: nam videtur in excretione atræ bilis tria notare, tempus, qualitatem, & excernendi modum. Tempus, quia non parum refert, quo tempore excernatur nigra bilis: si enim in principio excernitur, lethalis est: definitur autem principium hoc, non pro primo insultu, neque per spatium trium, vel quatuor dierum, sed pro toto eo tempore, in quo apparent signa cruditatis: sunt enim coctionis tres differentiæ, vna est obscura, altera manifesta, tertia perfecta. Prima coctionis signa principium finiunt, & incrementum futurum prædemonstrant. Secunda signa iam aduenisse denotant, tertia autem statum adesse, & haud multò post futuram crisim. Ergo toto eo tempore, quo non apparent signa coctionis, nihil potest cum ægrotantis commodo euacuari. Quòd si illud excre-

tum

tum ſit atra bilis, tunc non ſolùm, quia in principio, ſed etiam, quia prauus humor euacuatur, malum. At tria eſſe genera nigratum excretionum iam ſtatutum eſt *ſuprà*, & demonſtratum, quænam harum ſit deterior, & quomodo cognoſcatur atra bilis, etiam cum Hippocrate, & Galeno 4. *Aphoriſ. comment.*23. Hæc igitur, cùm in morbis apparet, eſt ſignum ſemper lethale, & etiam vt cauſa. Vt cauſa eſt lethalis, quoniam ea eſt malitia prædita, vt partes principes inſigniter labefactet, ventriculi actionem deprimat, inteſtina erodat. Vt ſignum, quia ipſa apparente, nonniſi ſignum vehementis caloris eſt, & ingentiſſimæ putredinis, & maximæ intemperiei illarum partium, à quibus emanat, præſertim hepatis. Quòd ſi res ita eſt, dicetis fortaſſe, cur Hippocrates dicit tantùm in principio eſſe lethalem, quaſi in aliis temporibus poſſit citra detrimentum excerni: ſcribit enim Galenus *in lib. de atra bile, c.*3. humorum hunc ſemper eſſe lethalem. *Ego verò*, inquit, *cùm ab adoleſcentulo apud Pelopem præceptorem notas vtriuſque humoris didiciſſem, tum eas per totam vitam meam ad id vſque temporis obſeruaſſem, ſemper exuſtæ bilis atræ humorem lethaliter excerni, nigrorum autem euacuationem non infrequenter bonis auſpicijs fieri conſpexi.* Et tamen Hippocrates ſcribit tantùm morbis incipientibus. At non eſt difficile vobis ſatisfacere, ſi diligenter attendantur verba Galeni; ipſe enim non abſolutè intelligit omnem atræ bilis excretionem lethalem eſſe, ſed eius, quæ exactè atra eſt, quæ nullum alium habet humorem miſtum, quæ ſyncera eſt: aliorum enim humorum admiſtione retunditur eius acrimonia, & malitia: ſyncerus enim quiuis humor, malus eſt, præter ſanguinem, vti aliàs dictum eſt cum Galeno; rem ita eſſe deducitur non obſcurè, ex *loco adducto de atra bile*, dum ſubdit: *Proinde, quibus corporis partibus pura, & impermiſta adhæſerit, eas prorſus exedendo vlcerat.* Probant idem, Hippocratis verba, quæ *in epid.* habentur, dum recenſet peſtilentem illam conſtitutionem. *Horum excrementorum*, inquit, *plures differentiæ fuerunt; nam quædam ad atram bilem proximè accedebant, alia verò, ne mordicationem quidem, nec fœdum odorem in deiectionibus habebant, multa quoque inter hæc media exiſtebant.* Addit: *At qui puram, exactámque atram bilem deiecerunt, omnes periêre.* Ita igitur ſunt exponenda verba Galeni de atra bile. Veniamus modò ad textum, & dicamus, non fuiſſe lethalem euacuationem hanc, quia tempeſtiuè eſt facta, ſignis ſcilicet coctionis apparentibus, conſiſtente morbo, vt ait Galenus. Quòd ſi vrinæ erant tenues, habebant tamen bonum colorem, quod plurimum refert, & coctionem repræſentat. Factum propterea eſt, vt alleuata natura à ſarcina, quod reliquum fuit concoxerit, vti ex ſubſequentibus vrinis clarum fit, quæ contentum habuerunt album, & læue, quod ſedimentum ob id probatur, quia euidentem denotat coctionem, vt colligere poteſtis ex 2. *progn. text.*16. Et ex hoc robur naturæ attenditur, quæ potuerit ſe à tanta humorum vitioſorum ſarcina eximere. Bene humores iſtos exiſſe, denotat tolerantia, & conferentia, quod annotatur ab Hippocrate 4. *Aphoriſm. text.*47. his verbis:

verbis. *Excretiones liuidæ in febribus non intermittentibus, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ, omnes malæ, & si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per vrinas, bonæ, si verò non aliquid eorum, quæ iuuant per hæc loca excernitur, malum.* Galenus super hoc, post multa ita scribit: *Non enim simpliciter dixit prauas excretiones bene exeuntes, bonas esse, sed speciatim ipsarum meminit, inquiens, liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ, vna aut communis est in omnibus ratio. Malæ euacuationes sunt prauarum signa dispositionum, prodeúntque sæpiùs eodem modo, quo in vlceribus putridis, à quibus idores, hoc est liquores saniosi prodeunt, nihil dispositioni conferentes, nonnunquam verò ita, sicuti pus ex abscessu disrupto, bene expurgans partem patientem.* Subdit: *Indicia verò quòd bene excernatur, maxima quidem sunt coctio, & bona tolerantia, cum ipsis verò, & morbi species, & post ipsam tempus anni, regio, ætas, natura ægrotantis.* Quare illam euacuationem fuisse bonam argumento est, quòd iuuerit, & tolerauerit, apparentibúsque signis coctionis. Quòd iuuerit, euentus probat, cùm post hanc euacuationem, natura facta robustiori, quod erat reliqui per sudorem euacuauerit; & verisimile est fuisse sudorem copiosum, quoniam ita iudicatus est, vt non ampliùs recidiuauerit, & facta in die vndecimo. Quanti possit vis naturæ in concoquendo discat vnusquisque, cùm videamus hunc ægrotantem adhuc in septima habuisse vrinas tenues, nihilominus breuissimo temporis spatio ita fuisse coctas, vt potuerit integrè in vndecima iudicari, etiamsi pessimas habuerit euacuationes, vt benè dictum est à Galeno 2. *prognostic. text.* 51. *In omni materia, quæ ex corpore secernitur, facilitatem potissimum spectari conuenit: sæpè enim valuit natura prauam vincens affectionem expurgare corpus, & in hoc terrentur multi aspicientes vitium eius, quæ excernitur materiæ, nequaquam cognoscentes, vtrum id accidentis ratione fiat, an quia natura prauam materiam foras propellat.* Ita 1. *epidem. text.* 42. *sectione* 2. *Erant*, inquit, *his vrinæ copiosæ, crassæ, variæ, rubentes, purulentæ cum dolore, atque si superstites omnes fuêre, nec vllum horum periisse cognoui.* Cum excretionibus nigris, seruatus est ægrota illa, de qua fit mentio 7. *epidem. text.* 24. Leophorbida dicta. Quibus sic habetis conciliatur Galeni locus, vbi habet: *Omnia fœtida esse exitiosa*, & etiam vidimus, quomodo prauæ excretiones possint cum ægrotantis commodo euacuari, & etiam quomodo hæc ægrotans tam grauiter affecta potuerit conualescere. Reliquum modò est, vt videamus quomodo potuerit iste affectus propulsari, & quibus medicamentis fuisset occurrendum.

Curatio.

Curatio.

IAm, quæ fuerit ægritudinis causa, apertissimum ex textu est, cùm idem Hippocrates dicat paucos fuisse menses. Cùm igitur omnium affectuum causa referatur in menstruam purgationem diminutam, ferebat recta medendi ratio, vt Medicus esset præcipuè sollicitus de iisdem euocandis, quoniam reuulsis humoribus ad partes infernas, supernæ fuissent minùs affectæ. Ad hoc præstandum multa commendantur. Aqua destillata ex foliis ficuum albarum, Aqua rubræ tinctorum sabinæ, trochisci de mirrha ad ʒ.j. cum aqua pimpinellæ. Fermentum cum saccharo, & modica portione croci, magnitudine auellanæ singulis diebus sumptum, & multa alia, quæ à practicantibus haberi possunt; sed tamen cùm, quæ menses mouent, habeant calorem adiunctum, cuius causa febris augeri potest, eam ob rem standum cum iis est, quæ citra calorem iuuare possint. Itaque ego inter cætera sanguinem extraxissem ex vtroque pede; præsertim, cùm vires fuisse constantes certissimum sit, non prætermissis interim aliis reuulsionibus partibus infernis: ita enim curabitis eas, quibus per paucos menses, purgamenta sunt suppressa; quia, si aliter esset, & iampridem essent detenta, ego in illo casu mitterem sanguinem ex brachio, posteà ex pede. Facta igitur venæ sectione, vt dixi, quoniam puto diminutos fuisse menses propter sanguinis crassitiem, eandem attenuare tentassem, & obstructas vias reserare. Medicamenta, quæ id potuissent citra dispendium præstare, sunt syrupus de agrimonio, capill. veneris, betonicæ, cichorij, endiuiæ, cum decoctis, ex iisdem radicibus graminis pentaphylli, foliis boraginis, rutæ, caprariæ, acetosæ, sem. melonum, floribus cordialibus, sem. citri, & id genus aliis, priùs tamen leniissem aluum cum flore cassiæ, & sem. citri, aut manna, & lenitiuo dissolutis cum decocto absinthij, tamarindis, & sem. citri. Doloribus colli, & pectoris conueniebat inunctio demulcens, vt ex oleo amygdal. dulc. liliorum alborum, ex sem. lini. Quòd si nihilominus perseuerasset fastidium, & alia accidentia, quæ enarrantur, neque hæc erant negligenda, quia maximum est symptoma, quod spectat ad ventriculum, præcipuè ipsius os, & nunquam negligendum, quamuis videatur leue: potest enim appellari pars princeps, non quidem primariò, sed saltem secundariò, cùm propter oris ventriculi affectionem, quamplurimi, qui leuiter videntur affecti, moriantur, præter spem, & expectationem. Huic igitur prouisum esset commodè, aut emplastro ex crusta panis, aut omento in oleo rosaceo madefacto, & tepido admoto, aut alio opportuno medicamento. Quod spectat ad delirium, ad soporem, ratio suadet, posse tolli secta vena ex pede; attamen, si factis istis euacuationibus, perseuerassent, oxyrrhodinis erat insistendum, quæ mistam haberent facul-

tatem, nimirum resoluendi, & repellendi. Si morbo soluto, necessaria fuisset purgatio ad tollendas quæ supererant reliquias, vti potuissetis syrupo rosaceo solutiuo, syrupo de cichorea cum rhabar. diacat. & lenitiuo. Victus ratio ea esse debebat, quæ & vim haberet refrigerantem, & optimi succi, neque omnino plena, quoniam morbus non est multùm productus, & cum virtute valida. Et hæc dicta sint satis de Ægrotantibus primæ constitutionis.



PETRI



PETRI FRANCISCI PHRYGII

COMMENTARIORVM in Historias Epidemicas Hippocratis

PARS SECVNDA;

IN QVA

Historiæ Ægrorum XII. ab Hippocrate propositæ sectione prima, & secunda libri tertij Epidemiωn, accuratè explanantur.

ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΠΡΩΤΟΣ.

ΠΥΘΙΩΝ, ὃς ᾤκει παρὰ γῆς ἱερὸν, ἤρξατο τρόμος ἀπὸ χειρῶν, τῇ πρώτῃ πυρετὸς ὀξὺς, λῆρος. δευτέρῃ, πάντα παρωξύνθη. τρίτῃ τὰ αὐτά. τετάρτῃ ἀπὸ κοιλίης ὀλίγα, ἄκρητα, χολώδεα, διῆλθε. πέμπτῃ πάντα παρωξύνθη. ὕπνοι λεπτοί. κοιλίη ἔστη. | ἕκτῃ πτύελα ποικίλα, ὑπέρυθρα. ἑβδόμῃ στόμα

ÆGROTVS I.

Pythion, qui propè Telluris ædem habitabat, cepit [a] *primo die tremor à manibus, febris acuta, nugabatur.* [b] *Altero die cuncta sunt exacerbata. Tertio eadē erant.* [c] *Quarto aluus pauca, mera, biliosa fuit deiecta.* [d] *Quinto omnia sunt exacerbata, tremores manebant,* [e] *somni erant tenues, aluus constitit.* [f] *Sexto sputa varia, subrubra.* [g] *Septimo os est distortum.* [h] *Octauo*

παρεφρύνθη. ὀγδόῃ πάντα παρωξύνθη. τρόμοι παρέμενον. οὖρα δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν, καὶ μέχρι τῆς ὀγδόης, λεπτὰ, ἄχροα. ἐναιώρημα εἶχον ἐπινέφελον. δεκάτῃ ἵδρωσε. πτύελα ὑποπέπονα. ἐκρίθη. τὰ οὖρα ὑπόλευκα περὶ κρίσιν. μετὰ δὲ κρίσιν, τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν ὕστερον ἐμπύημα περὶ ἕδρην. καὶ στραγγουριώδης ἐγένετο ἀπόστασις. πι. π. ου. μ. υ.

omnia exacerbabantur, tremores etiamnum permanebant. Vrina à primo ad octauum vsque diem tenuis, decolor, quæ suspensiones habebat nubilosas. [i] *Decimo sudauit, sputa subcocta,* [k] *iudicatus est. Vrina circa iudicium subtenuis. Quadragesimo à iudicio die, suppuratio circa sedem, & stranguriosus factus est abscessus.* πι. π. ου. μ. υ. *id est, probabile est vrinarum multitudine sanatum quadragesima.*

COMMENTARIVS.

QVAM grauiter esset affectus Pythion, vnusquisque ex textu non difficilè elicere potest; cùm; quæ habuit annexa symptomata, non tantùm demonstrent magnum, & vehementissimum fuisse affectum, verùm etiam non parum fuisse de vita periclitatum: nam tremor ille manuum, & thoracis affectio erant tanquam febris symptomata: cùm enim esset febris vehemens, vi caloris multa fiebat attractio ad caput, cuius causa nugatus est, erátque hoc symptoma minimè aspernendum, cùm in principio, statim inuadente morbo, apparuerit, quod denotat vim maximam statim habuisse morbum: humores igitur isti, qui caput replebant, à caloris magnitudine liquati, ad primum intercostale defluxerunt, ex quo, vt notat Galenus *in comment.* enascuntur nerui, qui manuum musculos mouent, ibíque ab humore illic decumbente, obstructis neruis, & à copia grauatis, impeditóque spiritu animali, quominus posset ad eas partes ferri, tremores sequebantur manuum. Horum portio ad pectus delabens thoracem infestabant, collecta materia in ea parte, vt ex sputis constat. Hæc omnia, an vera sint, textus ipse, si examinetur fidem faciet: incipit enim sic.

[a] *Primo die tremor à manibus.*] Statim in principio se se produnt duo symptomata minimè aspernenda, delirium, etiamsi leue, quod innuit per verbum illud, *nugabatur: & tremor*, quæ duo neruorum principium, & & cerebrum ipsum esse affectum præmonstrabant. Tremor motus est deprauati symptoma, ex Galeno 2. *de sympt. causis, cap.* 1. Est enim quidam compositus motus, quo membrum motibus contrariis, vicissim sibi inuicem succedentibus mouetur, nunc in sublime facultatem attollente,

nunc

nunc deorſum membri grauitate ferente, vt notat Galenus *in lib. de trem. cap.* 5. Id enim quod mouet, & quod mouetur, pari magiſterio certant inter ſe, vti etiam 7. *Aphoriſ. comment.* 21. Huius cauſa ſemper eſt facultatis imbecillitas: tremores enim cauſam habent coniunctam, vt ita dicam, virium imbecillitatem. Sunt autem imbecillæ, vel per ſe, vel ex accidenti. Per ſe languent dupliciter, vel quia non influit facultas animalis ad organa motui deſtinata, neruos ſcilicet, & muſculos, vel quia organorum vitio non ſuſcipiuntur. Non influunt autem, vel quia diſſipantur ſpiritus animales, vel aliò euocantur. Diſſipantur ratione ætatis, ex diuturno, & graui morbo, ex immodicis euacuationibus, vigiliis, exercitiis, balneis, immodica venere, & his, quæ à tota ſubſtantia neruis ſunt infeſta, vt eſt hydrargyri vapor. Aliò autem euocantur, vt contingit in inflammatione capitis, videlicet in parte dextra, vbi in ſiniſtra tremor exoritur. Quòd ſi facultas, organorum vitio, in membro non ſuſcipiatur, hoc euenit, vel quia in ipſis adeſt intemperies, vel aliqua anguſtia. Si verò vires ex accidenti ſint imbecillæ. Hoc, vel propter animi perturbationes, vt in timore, vel propter oneris grauitatē accidere poteſt, quæ quidem oneris grauitas, vel extrinſeca, vel intrinſeca eſt, quatenus à plenitudine ipſa, ponderis modo degrauante, imbecilla ad motum redditur virtus, vt notat Galenus *lib. de trem. c.* 5. & in præſenti Hiſtoria. Pithioni non alia ratione accidit tremor, quàm ob onus intrinſecum vires pergrauans, non quidem ob vires per ſe imbecillas, quia nulla præceſſit cauſa huiuſmodi: neque enim tanta præceſſit euacuatio, quæ ad id ægrotantem poſſet redigere, neque ob animi perturbationes, neque oneris grauitatem extrinſecam, quia id non dicit Hippocrates. Relinquitur igitur, vt ſit ob onus intrinſecum vires pergrauans, copiam videlicet humorum, neruos, qui exoriuntur à ceruicis medulla, & manuum motui deſtinatos infeſtantium, vt obſeruat Galenus. Cùm enim huius ægroti corpus ſcateret varia humorum ſorte; accedente febrili calore, euenit, vt quemadmodum dictum eſt, pituita & ſanguine liquatis, & ad neruos, qui manuum motui præſunt, delapſis, ibique anguſtiam excitantibus, exortus ſit illarum tremor, cùm verò ab eodem febrili calore vapores, & humores bilioſi ad caput ipſum tranſmitterentur, ortum habuit delirium, vti dictum eſt, quod ex Galeno *in comment.* fieri ſolet, cerebro ob inflammationem, vel ob humorem bilioſum offenſo.

[b] *Altero die cuncta ſunt exacerbata.*] Quia morbus erat vehemens, non erat mirum tam citò augmentum ſuſcepiſſe, & omnia ſecundo die fuiſſe exacerbata, videlicet febrem, delirium, & tremorem, neque mirum, quoniam ſolent morbi acuti, vtplurimum quidem moueri per tertium, ſed aliquando etiam per pares, vt hic, neque aliquid noui fuit in die tertio etiamſi eſſet dies impar, neque tamen diminuta ſunt, cùm dicat fuiſſe eadem, vt die ſecundo.

[c] *Quarto aluus mera, pauca, billioſa fuit deiecta.*] Iam aliàs dictum eſt, pauca excerni prauum eſſe, & eò magis, ſi illa ſint ſyncera, quæ priuata ſerò damnantur, vti iam non ſemel vidimus. Itaque hæc euacuatio du-

pliciter erat mala, & quia pauca, & quia syncera, quæ critica nunquam esse potest, quia moderati caloris, & concoquentis non est indicium, sed omnino præternaturalis. Et notandum intelligere Hippocratem per bilem synceram, bilem flauam; & in genere syncera dicuntur illa, quæ nulla sunt aquosa humiditate permixta, solo humore excreto, siue is sit biliosus, siue melancholicus, siue æruginosus, aut porri colorem repræsentans, quæ omnia, natiuam humiditatem à calore febris exustam omnem indicant. Excipitur autem sanguis, quia in locis iam aliàs adductis habetur à Galeno quemuis humorem syncerum, sanguine excepto, malum esse, quia syncerus sanguis intelligitur, qui rubens, floridúsque est, qui autem niger, ille deterior: ita habetur 2. *prognost. text.* 47. Hinc non difficilè colligitur fuisse irritamentum factum à biliosa materia: hoc enim est ipsius proprium 1. *in* 1. *epid. text.* 25. quo in loco hæc habentur: *Alui turbatæ erant, & biliosæ, & pauca, meráque deijciebant, & assiduè deijciebant*, in cuius *comment.* hæc sunt: *Mordacia porrò erant haud iniuria, vt quæ biliosa, meráque erant.* Quod cùm ita sit, meritò suspicari potuisset quisque in septima longè grauiùs habiturum, cùm quarta sit septimæ index, vt 2. *Aphor. text.* 24. præsertim, cùm die quinto res laberetur in deterius: scribit enim,

[d] *Quinto omnia sunt exacerbata.*] Visa est hæc febris mota à principio per pares, cùm secundo die auctus sit affectus, sed tamen non est mirum variare morbum, cùm adest humorum varietas: dicit tremores permansisse, hoc autem ita erat, quia nondum poterat esse resoluta materia obstruens neruos, quia quæ crassa sunt, non ita facilè dissoluuntur, etiamsi in hoc ægrotante aliquid commodi potuerit afferre febris, quomodo autem omnia sint exacerbata, notat per particulam illam;

[e] *Somni erant tenues, aluus constitit.*] Tanti facit vigilias Hippocrates, vt hoc symptoma nunquam subticeat, quod & vos attendere debetis: semper enim arguit partis principis affectionem, & quando hæ partes in morbis insigniter læduntur suspecta res est, etiam in morbo, qui sua natura videatur leuis, quia calorem internum, & maximam siccitatem arguit; & eò magis si aluus supprimatur, quia recurrunt impetuosiùs vapores acres ad supernas partes, & caput faciliùs afficitur. Verùm, non vno modo aluus supprimitur, cùm adstringatur aluus, vel propter intemperiem calidam, & siccam hepatis, & renum, vel propter intestinorum siccitatem, & excretricem imbecillam, aut propter sensum obtusum intestini, vt 1. *de sanit. tuenda, cap.* 13. colligitur. Adstringitur etiam aluus propter exitus excrementorum interceptionem, vt in abscessu intestinorum, aut mesenterij, aut stercore duro retento, aut cruditatibus ventris, & corruptis: raritas etiam cutis, à qua immodicè corpus euacuatur, aluum adstringit. Retinentur pariter excrementa propter inuersum intestinorum motum, vt in voluulo, quo tempore nihil inferius excernitur, sed & quando quis propter aliquam occupationem retinet excreta. Et propter musculi sphincteris refrigerationem, hæc enim est causa contractionis, quæ prohibet quominus tempestiuo tempore fiat euacuatio: hinc ex-

siccatio,

ſiccatio, & induratio, vnde plùs iuſtò poſteà retinentur. Cùm igitur tot cauſis excrementa retineri contingat. In hoc ægrotante nullam aliam excogitarem, quàm caloris vehementiam, cuius cauſa elatis vaporibus acribus ad ſupernas partes, inteſtina non vellicabantur, neque facultas expultrix poterat excitari, quo tempore retinentur excrementa. Hoc poterat eſſe in cauſa, vt & pectoris affectio exacerbaretur,& caput magis pateretur.

f *Sexto ſputa varia & ſubrubra.*] Cœpit natura ſexto die pectoris affectionem reddere placidiorem, cùm cœperint apparere ſputa varia, quæ varietatem quidem humorum denotabant:cæterùm erant ſubrubra,id eſt miſta ſanguini,ſunt autem placida ſatis, quæ ſanguinea ſunt ſputa, & ex hoc poterat quis dubitare,num eſſet Pythion peripneumonicus, an pleuriticus, in quibus affectibus etiam apparent hæc ſputa, dicente Galeno 2.*de different.febr.cap.*9.vbi ſic legitur: *Eius verò,quod dicitur fidem facere poteſt,id etiam,quod in lateris inflammationibus cernitur: nam quidam in ipſis ſpumeum,quidam pallidum, quidam rubeum liquorem expuunt,quod nihil aliud eſt,quàm ea humorum pars in inflãmatione expurgans, quæ retineri non poteſt,ſed præ tenuitate ſudat exteriùs.* Et 2.*de locis malè affectis cap.*9. de inflammatione agens,ita habet: *Idque modò hoc,aliàs alio colore infectum,vt interdum rubrum,interdum flauum, aut rufum, aut ſpumoſum quoque,& nigrum, & liuidum appareat.* Verùm, cùm nullius accidentis, aut pleuritidis, aut peripneumoniæ fiat mentio ab Hippocrate,aliter puto ſentiendum,videlicet id eueniſſe,vt Galenus *in comment.* ſtatuit,quia humores delapſum habuerunt ad primum intercoſtale,qui propter ipſorum paucitatem non poterant ſpirandi difficultatem inducere; præſertim,cùm hæc pars non multùm faciat ad reſpirationem. Verba Galeni ſic leguntur: *Quamobrem probabile eſt in primis thoracis regionibus, vbi eſt continens ad vltimas ceruicis vertebras,affluentiam aliquam humorum conſtitiſſe, non multam, quæ diſpnœa non eſſet excitanda*, quòd non referat magnopere ad officium reſpirationis primum intercoſtale: ſunt enim duo & viginti,& appellantur metapleuria,id eſt, intercoſtalia, *lib.de muſcul.diſſectione,cap.*23.

g *Septimo,os eſt diſtortum.*] Quàm nocuum ſit ſupprimi alui excrementa apertiſſimum eſt,quoniam caput non mediocriter afficitur, vt notat Galenus *lib.*3.*acut.comm.*33. & 3.*de ſympt.cauſis, cap.*2. quibus in locis apparet manifeſtè, quot fiant incommoda retentis excrementis, ſed multò maiora ſunt,ſi retineantur, quo tempore caput eſt malè affectum, vti etiam 6.*de tuenda ſanitate cap.*10. habetur: augetur enim tunc affectio,& exacerbatur non parum: nam, ſi ipſa non exiſtente fit, exiſtente, augetur ſine dubio. Quapropter dicere poſſumus os eſſe diſtortum, quia aluus conſtiterit,recurrentibus humoribus ad ſupernas partes. At, ſi rem expendamus diligenter,os fuiſſe diſtortum ſeptimo quidem, non tamen aucta cerebri affectione, ſed potiùs diminuta, nimirum humoribus ad infernas partes tranſmiſſis. Quòd verum ſit, non amplius meminit affectionis cerebri, quam rem non ſubticuiſſet, ſi fuiſſet exacerbata, vti eſt

Hippocra

Hippocratis mos. Accidit autem oris tortura, musculis ipsum mouentibus, conuulsione, vel paralysi affectis, ea solùm intercedit differentia, quòd in paralysi pars sana ægram, & resolutam ad se trahit: in conuulsione verò, conuulsa, sanam. Dignoscitur affectionis causa dolor, qui duntaxat in conuulsione reperitur. Quocirca, cùm hîc nulla doloris fiat mentio: putauerim Pythioni distortum esse os ex paralysi ab iisdem humoribus, à quibus & manuum tremores fiebant, quod nerui manuum, & buccarum proximo loco sunt positi.

h *Octauo omnia sunt exacerbata.*] Si attendamus verba Hippocratis, videtur quidam quartanarius motus: nam quinto scribit omnia fuisse exacerbata, à quinto autem ad octauum mediant duo dies, in quibus, etiamsi febriret, tamen non adeò exacerbabatur morbus, vt esset hoc dignum obseruatione, vt in octauo: hinc tamen elicimus humores peccantes fuisse heterogeneos, biliosos, pituitosos, & melancholicos, qui tamen propter ipsorum paucitatem non æquè manifesti sunt ac biliosi, & pituitosi. Cur autem omnia octaua die exacerbata sint, crederem ideò esse factum, quia moueretur humor pituitosus, cuius proprium est accessiones facere per pares: sunt autem morbi, qui per pares mouentur, diuturniores, vtpote, qui pendent à materia magis contumaci, neque mirum perseuerasse tremores, propterea quod, quæ causæ tremores faciebant, nundum integrè erant sublatæ propter ipsarum crassitiem. Vrinæ erant nubilosæ, tenues, & decolores, quia cruditatem habebant: omnia enim tenuia cruda 1. *in* 1. *epid. text.*25. Ex his vrinis, neque moriturum, neque conualiturum ægrotantem dicere non potestis, sed oportet consideretis, quanta sit virtus patientis: si enim virtus est imbecilla cum vrinis tenuibus periclitatur ægrotans, si verò præter cruditatem aliquid etiam habeant deterrimi præter id, periculum imminet, id est, cum virtute valida. Galenus dicit suspensiones nubilosas mediare inter bonas, & malas: nam quemadmodum albæ sunt bonæ, atræ malæ, ita nubilosæ inter dictas mediæ, neque omnino bonæ, neque omnino malæ, id etiam potest desumi ex eodem exemplo deducto ab æstate, vt scribit 2. *in* 1. *epid. text.*46. ibi inquit: *Æstas ferè tota erat nubilosa.* cui Galenus subscribit inquiens: *Candida, vbi inter se totam radios solares admittat, atra verò, cùm eos planè excludat. Medios inter hos colores, nubes pro quantitate splendoris, qui ipsis admiscetur accipiunt. Ita vrina albam habet suspensionem, cùm perfectè cocta; atram, cùm extremè cruda; nubilosam, cùm neque omnino bona, neque omnino mala, sed media inter vtramque.* Vtcunque sit, cruda censetur, quapropter non est mirum si etiamsi sudauerit in decima, non sit integrè iudicatus, quia in cruditate, nunquam perfecta crisis, & non tantùm erat cruditas in genere venoso, vt demonstrant vrinæ, verùm etiam in pectore, vt denotant sputa, quæ non erant cocta, sed subcocta, vt Hippocrates inquit.

i *Decimo sudauit, sputa subcocta, indicatus est.*] Id commodi præstitit sudor ille, quòd natura euidenter cœpit euincere peccantem materiam, & euidentis coctionis signum præbere: nam non amplius scribit vrinas fuisse

fuisse tenues, sed fuisse subtenues, id est, minùs tenues, quod coctionem indicat, quemadmodum fuisse sputa subcocta; & ex hoc coniectare possumus sputa faciliùs fuisse educta, & simul cum hac sputorum eductione, cessasse manuum tremores, cùm ab hac causa penderent, vti Galenus obseruat *in comment.* dicens: *Hæc inde confirmantur, quòd tremores vnà cum sputis, quæ successerunt permanerent, & etiam, quòd vbi aliquod in his signum apparuit coctionis, non ampliùs fierent tremores, & morbus tolleretur, cùm iudicium consequeretur per sudores.* Et quamquam cruda esset vrina, sputorum tamen concoctio iudicauit, & iudicium adduxit, vt neutrum signum, quod solet denotare, falleret. Notandúmque hîc Hippocratem dicere,

Iudicatus est.] Sine addito, quia supponebat esse imperfectum iudicium, vti aliàs dictum est, & hoc vos potestis perpendere, dum videtis vrinarum cruditatem, & etiam iudicium factum in die parum laudabili, de quo suprà, & Galenus *in comment.* id notat, & 3. *in* 1. *epidem. comment.* 14. Et neminem reperiemus in decima iudicatum. Hoc quidem verum esse potest, affectionem thoracis omnino coctam fuisse, vt verisimile sit credere, paulò post decimam omnino fuisse coctam, qui autem humores febrem faciebant in venis existentes, iidem cùm longum tempus requirerent ad sui coctionem, produxisse morbum vsque ad diem quadragesimum, quòd verum sit, etiamsi sudauerit, nihilominus superuenêre abscessus circa sedem, & renes. Neque mirandum ex complicatis morbis aliquos euinci integrè, adhuc aliis crudis existentibus, quia natura coctioni semper vacans, eos imprimis euincit, ac superat, qui ad concoquendum sunt faciliores, cæteris minimè neglectis. Hoc pulcherrimè habetur à Galeno, & experientia etiam comprobatur. Demus hominem laborare duobus, aut tribus affectibus, istorum alter sit in principio, alter in declinatione, & alter in statu, continget ægrotantem mori, etiamsi istorum affectuum vnus sit in declinatione, & planè edomitus, sed hoc non euenit propter incipientem, neque declinantem, sed propter vehementer auctum. Et ne dictum fide careat, adducamus verba Galeni, quæ leguntur *in lib. de totius morbi temporibus*, quæ sic habent: *Nam vno, & eodem tempore duobus, tribúsve morbis homo infestari potest, quorum alius iam inclinat, alius principij tempus adhuc, vel augmenti primordia occupat, tertius plurimum auctus est, deinde hominem mori contingit, non propter inclinantem, neque nunc incipientem, sed ob vehementer auctum. Huius rei etiam habemus præter hanc historiam, exempla ab Hippocrate adducta* 2. *in* 1. *epid. text.*84. *quo in loco ponit historiam cuiusdam Cratistonactæ, & pictoris ancillæ, quibus suppurarent parotides, & tamen obijt istorum ægrotantium alter, redditque huius rationem, quoniam videlicet causæ, quæ erant in venis non erant coctæ. Verba Hippocratis sunt. Cratistonactæ, qui apud Heraclium decumbebat, & pictoris ancillæ suppurarunt. Obijt Scymni pictoris ancilla. Suppurarunt. Eius tamen nouitatem excedit, quod in hoc sermone scripsit, Cratistonactem, & pictoris ancillam, cùm tubercula secundùm aures suppurassent, perijsse. Nam, cum hoc pu-*

gnare videtur, Coctiones celere iudicium, & securam securitatem promittunt. Subdit propter quid id eueniat. Sed, ne nunc quidem causæ febrium, quæ intra venas continerentur erant concoctæ Cratistonactæ, & pictoris ancillæ; nam, non obijssent. At parotides erant tamen maturæ, quod infrequens esse, & debere memoria teneri dicebam: nam posse fieri quapiam in parte priuatim concoctionem toto morbo adhuc crudo. Hæc Galenus, quibus confirmat, quæ *cap. adducto* dicta sunt. Neque Pythion, cùm iudicatus fuerit, id est, liber euaserit ab affectibus, quibus erat obnoxius, fuit omnino à febre immunis, cùm vrinarum cruditas demonstraret, venosi generis affectionem adhuc subesse, neque fortasse fuit sine mortis suspicione in tam diuturno morbo, nisi robusta natura conatus suos demonstrasset in expellendo, quæ relinquebantur in venis ad infimas partes, circa quas duo abscessus facti sunt; vnus per depositionem circa sedem, alter per effluxum materiæ circa vesicam: solet enim Hippocrates appellare abscessus non minùs qui fiunt per depositionem, quàm qui fiunt per effluxum materiæ. Qui erat circa sedem per depositionem materiæ, suppurauit. Alter per effluxum ita dicitur, quia materia illa mordax, quæ excernebatur per illas partes, sua mordacitate vellicabat, & dolorem inducebat, non aliter, ac quando per intestina transeunt, nulla affectione laborantibus intestinis, appellatúrque illa læsio, stranguriosus affectus, non nephriticus ab Hippocrate 2. *in* 1. *epid. text.*8. quo in loco abundantem fuisse talium abscessuum illam constitutionem, monet his verbis: *Stranguriosæ, non nephriticæ, sed his alia pro alijs.* Quem ita exponit Galenus. *Et per se dem, excretiones fiunt prauæ sæpiùs, cùm liber quidem ab affectu sit venter, per eum tamen purgetur totum corpus, aut abscessus in illo fit ab effluxione aliqua. Nam vult Hippocrates ipse decumbendo, & etiam effluendo fieri abscessum. Ita etiam per renes, nonnunquam & vesicam, nullo illos laborãtes suo affectu repurgatum totum corpus. Neque mirum his factis abscessibus superstitem fuisse, quando scribit multos hac facta expulsione fuisse seruatos. Solùm verò, inquit, bonum, maximúmque inter signa, quæ fiebant, quódque multos à maximis periculis vindicauit, hoc fuit, quibus ad stranguriam diuerterent, & in hoc abscessus fierent.* Hæc ille. Addit Galenus: *Dixerat etiam anteà stranguriam his, & non nephritim accidisse, & si communitatem quandam habeat, sed alia pro alijs. Nósque diximus vbi per renes excremẽta purgãtur totius corporis, vrinæ illos stillicidium corripere, tum ob alia, tum ob confluentium vrinarum acredinem, quæ nunc etiam in causa fuit.* Subdit: *Tenendúmque rursus memoria est, hìc quoque abscessus dicere illum in stranguriam factos, licèt per effluxionem, non autem decubitum de toto emanarent corpore infesti humores.* Vt enim repurgatur non rarò per ventrem vniuersum corpus; & item quoque per vesicam, & renes potest euacuari. Sed & stranguria diuturna, & cum dolore repurgat totum corpus. Has autem partes erat necessarium, per quas excernebantur vrinæ, affici, quia vellicabantur scilicet, continuáque excretione solicitabantur. Eiusmodi autem symptomata ob excretorum, quæ euacuabantur copiam, longiori tempore perdurabant. Qui autem ita erant affecti saluabantur

bantur omnes, quoniam superfluitatem vitiosorum humorum totum corpus deponeret, vt scribit *eodem loco, text.*42. Atque haud multo post *text.*43. iam dicta repetens, scribit: *Atque si superstites omnes fuere, nec vllum horum quempiam perijsse cognoui.* Quibus sic stantibus, & hunc ægrotantem à graui morbo seruatum fuisse dicendum est propter abscessus istos, quoniam natura expurgauerit per has partes morbificam causam, etiamsi longo tempore laborauerit, & dolorificus fuerit propter humoris per renes expurgati mordacitatem. Duo igitur hi abscessus hunc ægrotantem à manifesta pernicie eripuerunt. Quòd Hippocrates appellet abscessus non minus qui per effluxionem, quàm qui per decubitum fiunt, comprobatur alia Galeni auctoritate desumpta *ex* 2. *in* 1. *epid. comment.*21. vbi sic legitur: *Tu verò fac memineris, vt hîc vsurpetur rursus hoc nomen ab Hippocrate, cùm dicat. Abscessus in quartanas factos esse.* Videtur non tantùm abscessus quosdam per effluxionem appellare; verùm etiam, cùm alius transit morbus in alium. Et hæc dicta sint pro viribus de hoc ægrotante.

Curatio.

Erat affectus iste acutus quidem, sed pendens ab humorum varietate, & si Hippocratis dicta attendamus, videmus modò adfuisse signa bilis; modò humoris pituitosi, modò melancholici, hincque fiebat vt varij fuerint concitati affectus: nam factus est abscessus, crassiore materia ad aluum decumbente, factus est tumor, obstructis neruis, & febris materia in venis putrescente, quæ magis erat biliosa. Itaque in curatione & particulares, & vniuersales affectus erant attendendi, neque negligenda sputa. Cùm igitur eiusmodi esset affectuum idea, pro illorum curatione hoc in primis erat attendendum, vt scilicet ratione febris, refrigerantibus, & humectantibus vteremur; ratione causæ, euacuaremus, & alteraremus. Quod autem pertinet ad particulares affectus, erat reuellendum, deriuandum, & euacuandum. Inter euacuantia, quibus solent Medici vti in morborum principiis, primas partes habet venæ sectio, & propterea hæc administranda erat statim inuadente morbo, priùs tamen aluo euacuata, leui aliquo pharmaco euacuante primas vias: neque debebatis habere venæ sectionem suspectam, quia scilicet tremore laboraret, quoniam tremori à copia pendenti, vt est per accidens, ita eidem conuenit medicamentum, quod calefaciat per accidens, éstque venæ sectio, vt vidimus obseruatum ab Hippocrate in Stymargi ancilla: ita enim copia dempta viuificatur calor, penè à copia obrutus, ita consulente Hippocrate 4. *epidem. text.*5. *sect*.... *lib.*2. Hanc eandem curationem ipse laudat in hydrope incipiente anasarca, ortum habens à suppressa aliqua euacuatione. Quare, vbi tremor incidit, morbo ineunte, nec vlla fuit causa exolutarum virium, sanguinis detractio necessaria est; immò, miratur idem Galenus cur Hippocrates non meminerit venæ sectionis, sibimet verò respondens ait, illud tanquam notum ab ipso præ-

 termissum,

termissum, non tanquam in hoc ægro, sed etiam in quamplurimis aliis. Verisimile igitur est, illud fuisse ab Hippocrate administratum, etiam primo die propter symptomatum vehementiam, modò fuerit vocatus, vel ad summum tertia die, cùm exacerbatus fuerit morbus secundo die. Hoc præstito ad alterantia erat deueniendum. Et in hoc conuenisset syrupus de betonica, oxymel simplex, syrupus de cichorea cum decoctione foliorum capill. veneris, endiuiæ, acetosæ, graminis, hordei, sem. citri, fol. rutæ caprariæ. Delirio prouidissent oxyrrhodina capiti applicita, quæ haberent vim refrigerantem; sputa quæ sexto die apparuêre erant adiuuanda lambitiuis ex iulep violaceo paratis, ex syrupo de liquiritia, de endiuia, iulep capill. ven. & id genus aliis. Tremores manuum, & tortura oris curata fuisset facta inunctione nucæ ex oleo chamæmeli, quod ad digerendum plurimùm valet, ex oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborum, & tandem ex oleis modicè calentibus. Transacta decimaquarta poterat exhiberi aliquod euacuans medicamentum, ex vnciis quatuor syrupi rosacei solutiui, & vncia vna lenitiui, aut infundere poteramus, rhabarbarum in aqua endiuiæ; & sic parare medicamentum. Hoc peracto poteramus insistere validioribus deobstruentibus, & addere portionem syrupi de cichorea cum rhabarbaro in alterantibus; & sic sensim alterando, & sensim euacuando erat procedendum ad finem morbi vsque. Sed & attendendus erat naturæ motus; quæ, cùm inclinaret ad vias vrinæ, incumbendum erat huic euacuationi. Abscessus circa sedem erat maturandus. Stranguria curanda erat demulcentibus acrimoniam humorum. Id commodi pręstitisset aqua maluarum stillatitia, alchechingi saccaro conditi, folia violarum, acetosæ, sem. melonum, hordei, in decocto parata. Victus rationem potest facilè præscribere longitudo morbi. Quòd si & in hoc morbo vsi fuissetis alexipharmacis, neque errauissetis; quia & non nocent, & vulgò satisfacimus his qui frequentius illis delectantur, quàm par sit, quia nostris temporibus inualuit vsus, vt si quis morbus increscat aliquantulum, statim ad id remedij genus confugiamus; propterea & vos iuuenes curate, vt satisfaciatis plebi, & præcipuè mulieribus, quæ tanto cum delectu Medicorum actiones damnant.

ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ.



ΡΜΟΚΡΑΤΗΝ, ὃς κατέκειτο παρὰ τὸ καινὸν τεῖχος, πῦρ ἔλαβεν. ἤρξατο δὲ ἀλγέειν κεφαλὴν, ὀσφῦν. ὑποχονδρίου ἔντασις λαπαρῶς. γλῶσσα δὲ ἀρχομένῳ ἐπεκαύθη. κώφωσις αὐτίκα. ὕπνοι οὐκ ἐνῆσαν. διψώδης οὐ λίαν. οὖρα παχέα ἐρυθρά. κείμενα οὐ καθίσταντο. ἀπὸ δὲ κοιλίης οὐκ ὀλίγα ξυγκεκαυμένα διήει. πέμπτῃ οὔρησε λεπτά. εἶχεν ἐναιώρημα. οὐχ ἵδρυτο. ἐς νύκτα παρέκρουσε. ἕκτῃ ἰκτεριώδης. πάντα παρωξύνθη. οὐ κατενόει. ἑβδόμῃ δυσφόρως. οὖρα λεπτὰ, ὅμοια, τὰς ἐπομένας παραπλησίως. περὶ δὲ ἐνδεκάτην ἐόντι, πάντα ἔδοξε κουφισθῆναι. κῶμα ἤρξατο. οὖρα παχέα, ὑπέρυθρα, κάτω λεπτὰ, οὐ καθίστατο. ἡσυχῇ κατενόει. τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἄπυρος, οὐχ ἵδρωσεν. ἐκοιμήθη. κατενόει πάντα. οὖρα παραπλήσια. περὶ ἑπτακαιδεκάτην ἐόντι, ὑπέστρεψεν. ἐθερμάνθη. τὰς ἐπομένας, πυρετὸς ὀξύς. οὖρα λεπτά. πάλιν δὲ εἰκοστῇ ἐκρίθη. ἄπυρος. οὐχ ἵδρωσεν. ἀπόσιτος παρὰ πάντα τὸν χρόνον. κατε-

Ægrotus II.



ERMOCRATES, *qui ad nouum murum habitabat*, [a] *igne est correptus. Cœpit illi caput, lumbúsque dolere.* [b] *Hypochondrium molliter intendebatur, lingua initio adusta fuit,* [c] *statim obsurduit,* [d] *somnum non habuit,* [e] *sitibundus non admodum,* [f] *vrinæ crassæ, & rubentes, deposita* [g] *non subsidebant,* [h] *ab aluo combusta, & non pauca exibant. Quinto die reddidit vrinam tenuem, suspensiones habebat, nec subsidebat, sub noctem delirauit.* [i] *Die sexto auriginosus euasit, omnia exacerbata sunt, mente non constabat.* [k] *Die septimo grauiter se habuit, vrinæ erant tenues, similes proximis item diebus.* [l] *Sub diem vndecimum omnia illi visa sunt remissa esse. Sopor cœpit, vrina crassior, subrubra, infra tenuis, non subsidebat, aliquantulum mente constabat.* [m] *Quartodecimo die à febre erat liber, non sudauit, dormiuit, omnino mente constabat, vrina eadem.* [n] *Ad diem decimumseptimum redijt, in sequentibus diebus incaluit, febris erat acuta, vrinæ tenues, delirauit.* [o] *Iterum vigesimo die est indicatus, & à febre liberatus, non sudauit. Perpe-*

νόος. διελέγετο οὐκ ἠδύνατο. γλῶσσα ἐπίξηρος. οὐκ ἐδίψα. κατεκοιμᾶτο κωματώδης. περὶ δὲ εἰκοστὴν καὶ τετάρτην, ἐπεθερμάνθη. κοιλίη ὑγρὴ, πολλοῖσι λεπτοῖσι ῥέουσα. καὶ τὰς ἐπομένας, πυρετὸς ὀξύς. γλῶσσα ξυνεκαύθη. ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, ἀπέθανε. τούτῳ κώφωσις διὰ τέλεος παρέμενεν. οὖρα παχέα καὶ ἐρυθρὰ, οὐ καθιστάμενα, ἢ λεπτὰ καὶ ἄχροα, καὶ ἐναιώρημα ἔχοντα. γεύσασθαι δὲ οὐκ ἠδύνατο. πι. ε. δι. κζ. θ.

tuò à cibo abhorrebat, [p] *omnino mente constabat, loqui non valebat, lingua inaruit*, [q] *non sitiebat, obdormiscebat aliquantisper sopore tentatus. Ad diem vigesimumquartum incaluit, aluus lubrica cum fluxione tenui, & multa. Proximis diebus acuta febris, lingua combusta est. Vigesimoseptimo defunctus est.* [r] *Hic perpetuò obsurduit, vrinæ autem crassæ, & rubentes, non subsidentes, aut tenues, decolores suspensiones habentes, gustare non poterat.* πι. ε. δ. κζ. θ. *Hoc est, probabile deiectionibus suppressis vigesima septima mortuum.*

COMMENTARIVS.

ACVTISSIMAM fuisse Hermocratis febrem constat ex iis, quæ passus est. Causam dicerem humorem biliosum, vt ex vigiliis, & delirio perspicuum est, sed tamen extitisse humoris crassi mistionem non potest negari: ita enim fuisse, & vrinæ, & sopor, & in tam graui febre non habuisse sitim, denotant. Sunt deteriores morbi illi, qui ab humorum varietate pendent, & longè deteriores, si fiant in corpore non admodum firmas vires habente. Erat prætereà, eo malignitatis particeps, quæ tamen non videbatur adeò nota, quoad accidentia, excepto vno, quod fuit, semper à cibo abhorruisse: neque enim in morbis negligendum est huiusmodi symptoma, vt *infrà* probabitur. Videamus modò diligenter, quoad fieri potest, quomodo fuerit hic ægrotans affectus, quod non erit difficile, si historiam exactè percurramus. Inquit igitur,

[a] *Igne est correptus. Cœpit caput, & lumbus dolere.*] Harum partium dolores indicabant humorum abundantiam, & agitationem à calore febrili, quorum aliqui, cùm sursum reperent, & capitis membranas infestarent, cephalalgiam inducebant, aliqui verò, cùm in venam magnam, necnon arteriam, quæ per lumbos perreptant, confertim irruerent, illis igneum calorem conciliando, doloris fiebant auctores: neque profectò huiusmodi dolores sunt parui pendendi in magnis febribus, & præcipuè si maligna habeant symptomata, propterea quòd, quodammodo lethales sunt.

ſunt. Ita Hippoc. *lib.* 3. *progn. text.* 11. Capitis autem dolores vehementes, & continui cum febre, ſi quod ex indiciis extiterit exitioſis, lethales admodum ſunt, ſi verò ſine talibus indiciis dolor vigeſimum tranſeat diem, & febris detineat, expectare oportet ſanguinis è naribus eruptionem, aut alium quempiam abſceſſum ad infernas partes. Ita 7. *lib. epidem. text.* 55. *Quibus capitis dolor grauis cum calore, alijs quidem ſecundùm alteram capitis partem: & per nares humidum quiddam exit tenue, aut coctum, aut in aures, aut in fauces ex capite ſecurius: alijs autem ſicca hæc, & ſphacelus grauis, periculum infert.* Subdit: *Si autem accedat anxioſus, & bilioſus vomitus, aut ſopor oculorum, aut obmuteſcentia, & raro quid loquitur, aut delirium quoddam, mortalia, & conuulſoria.* Non ergo aſpernandus capitis dolor in febribus acutis, poſtquam ab hoc poteſt prouenire aut delirium, aut conuulſio, vt notat dilectiſſ. Pater meus *in prognoſt.* præcipuè *in expoſitione textus citati.* Probat hoc quod dictum eſt hiſtoria ſeruæ Cononis *lib.* 5. *epidem. text.* 81. Quæ ex capitis dolore incipiente mota eſt mente, vociferatio, clamores multi, raro quies, circa quadrageſimum mortua eſt. Decem autem dies, antequam moreretur, voce deſtituta, & conuulſa eſt. Cùm igitur ſit dolor capitis primùm per ſe terrificus, præcipuè tum habetur peſtifer, ſi & prægrandis, & contumax, febris acutæ, prauíque alicuius ſigni coniunctionem habuerit, vti in hoc ægrotante obſeruatur, & Philiſta, veluti ſuo loco videbitur.

[b] *Hypochondrium molliter contendebatur.*] Hoc eſt, tenſio aderat ſine duritie, & tumore, erat phlogoſis in hepate, ſed tamen, aut exigua erat, aut quia in ſimis iecoris partibus, molliter contendebatur, intelligit autem dextrum. At quomodo erat diſtentio cum mollitie, cùm illa ſint ἀσύςατα? Diſtentio erat iecoris propria, mollitudo autem in hypochondrio percipiebatur. Cùm igitur ſtatus talis eſſet, meritò lingua facta eſt arida: id enim familiare eſt in febribus ardentibus, & iecoris caliditate, ídque ex Galeno 4. *acut. text.* 4. habetur apertiſſimè, his verbis: *Lingua exareſcit, quòd tota corporis affectio ſicca ſit, & calida, febriſque ipſa talis.* Secundò lingua exaruit, quia cum phlegmone eſſet in parte caua, linguæ communicabatur affectio: habet enim lingua inſignes venas, & inſtar lanæ, aut ſpongiæ ſeroſos humores combibit, & ex aliis partibus in ſe excipit longè faciliùs, & promptius cæteris membris, quæ dura ſunt, ac denſa, quare æſtuantibus partibus internis hepate, & ventriculo, linguam exſiccari facile eſt. At attendere in hoc debetis verba Hippocratis: neque enim dicit fuiſſe exſiccatum: plurimum enim refert ſcire, an in ægrotante lingua fuerit initio exſiccata, an progreſſu temporis; nam non eſt quid mirum circa ſtatum humores abſumi, cùm longo interuallo id fiat, & modicus etiam calor id efficere poſſit. Verùm, ſtatim in principio linguam exſiccari quid maximum eſt, quoniam pernicioſiſſima eſt lingua illa, indicans calorem acerrimum, qui tam breui interuallo linguam exſiccare potuerit, neque hoc fit, niſi in vehementiſſimis inflammationibus, & febribus acutiſſimis, in quibus etiam adeſt ingens humorum malignitas. Quomodo autem exſiccetur lingua in febribus, ſi cupitis

pitis scire, audite. Primùm à calore febrili, calida, siccáque totius corporis dispositione exhauritur humor, & glandulis affluens, & attenuatus exhalat: deinde superficies exasperatur absumpto humido, quo partes continuatæ æquantur, aucta immodicè siccitate, quæ est caloris ignei effectus. Causa igitur est febris acuta, & frequentiùs inflammatio viscerum nobilium, maximè iecinoris, diaphragmatis, aut lienis. Ex his tum caloris communicatio, tum fuliginosus halitus per œsophagum ascendens linguam exsiccant, exasperant exsiccatam, primùm quidem leuiter, & in superficie tantùm, deinde inualescente morbo altiùs, vt etiam findatur in rimas, quod sæpissimè vidimus. Oportet autem distinguere, an ex vi caloris, an ex cibo, aut humore corrupto in ventriculo proueniat: quæ enim ab hac causa pendet, minus habet periculi. Hoc etiam expedit animaduertere, non propterea quòd lingua sit exsiccata, moriturum ægrotantem, sed alia signa adiungere oportet, quæ si bona sunt, nihilominus æger conualescet, si autem praua erunt, lethalis tunc est: ad faciendam enim certam fidem omnia signa expendere expedit. Cum huiusmodi lingua obiit Philiscus, & Silenus, quia signa alia habebant deterrima. Conualuit Epicratis vxor cum lingua torrida, sed ita factum esse notat Hippocrates die decimaoctaua, neque habuit adeò pessima symptomata, vt hic ægrotans. Neque desunt quotidiana experimenta. His igitur sic stantibus, apparet quantùm faciat ad prognosim linguæ consideratio, & quantopere sit Hippocrates diligens linguæ obseruator, quem & vos imitari debebitis in grauium morborum curationibus.

c *Statim obsurduit.*] Et in his verbis attendendus est Hippocrates, dum inquit, *statim*: nam hoc demonstrat magnam vim morbi, cuius causa vix incipiente morbo pars princeps afficeretur, quod maximè suspectum est: semper enim mala est surditas, tum in acutis, tum in longis morbis, quia vtcunque sit, affectionem partis principis, cerebri nimirum, significat, quod annotauit Hippocrates *comment. 2. text. 2. sectione 2. Coacarum*, his verbis: *Surditas in acutis, & perturbatis superueniens, malum, malum quoque & in longis.* Est tamen surditas, vel inueterata, vel iam firmata, vel temporaria. Quæ inueterata est, difficilè curatur: quæ firmata est, illa non recipit curationem: Temporaria verò potest curari. Est & alia, quæ pendet ab extincta audiendi facultate, quam & lethalem esse apertissimum est. In Hermocrate, aut erat facta surditas à bile ad supernas partes recurrente, aut ob extinctam audiendi facultatem. Dicerem tamen ego id prouenisse à recursu bilis ad supernas partes, quia aliter non potuisset tandiu superuiuere. Illa de causa fieri sæpissimè, testatus est Galenus 4. *Aphoris. text. 28.* Fuisse humorem biliosum, delirium denotat, & solet sæpissimè surditas delirium prænunciare, vt habetur 1. *in 2. Coacarum, text. 9.* vbi legitur sic: *In acuta febre aures surdescere, furiosum.* Et *alio in loco. Progresso morbo, surditas, cùm vrinæ subrubræ appareant, quæ nihil deponant sedimenti, sed sublimamentum habeant, emouendæ mentis signum est.* Hinc apparet apertè, quàm sit vana illorum opinio, qui putant surditatem in ægrotantibus bonam esse, id præcipuè est in mulierum

eie,

ere, quæ dum vident ægrotantem ſurditate affici, exiſtimant eſſe admodum ſalutare, quod pernicioſum eſſe poteſt, vt fuit in hoc ægrotante, qui ſtatim in initio morbi ſurditate fuit correptus.

[d] *Somnum non habuit.*] Somnum non habuiſſe, multò magis confirmat ſurditatem ab humoribus bilioſis fuiſſe factam: nam habet Galenus 3. *prorrhet. comment.* 76. ſurditates ab humore pituitoſo, & bilioſo fieri, ſed magis à pituitoſo, quo in loco ſic legitur: *Succi enim ad caput recurrentes, calidi quidem, & tenues deſipientias, & ſanguinis eruptiones procreant, craſſi autem, & frigidi comata, & parotidas.* Capitis dolor vtriſque eſt communis, veluti & ſurditas, ſed calidis, magis capitis dolor, frigidis verò ſurditas. Cùm igitur ſomnum capere non poſſet, humores fuiſſe bilioſos demonſtrat, ex quibus vigilias concitari teſtatur Galen. 3. *prorrhet. text.* 12. vbi habentur hæc: *Neque interdiu, neque noctu dormiunt ij, qui ex dolore, ac labore contenduntur, & item, qui incipiunt delirare: nam id quoque committit inſomniam propter temperamenti in cerebro ſiccitatem.* Eſt autem ſymptoma minimè aſpernandum non dormire, & præcipuè in febre acuta, in qua ſomnus imprimis eſt neceſſarius, ídque non poteſt fieri ſine apertiſſima delirij ſuſpicione: ſunt enim vigiliæ peſſimæ vt cauſa, & vt ſignum. Vt cauſæ, quia prohibent humorum coctionem: non modò enim non coquitur crudum alimentum, ſed crudius, quam ingeſtum eſt relinquitur; deinde, quia copia bilis generatur, & vniuerſum corpus exſiccatur, viréſque exoluuntur. Vt ſignum, quia prænunciant delirium.

[e] *Sitibundus non admodum.*] Verba hæc digna ſunt maxima conſideratione: nam lingua arida, vigiliæ, indicabant humoris bilioſi prædominium: quomodo igitur & ſitis non reſpondebat febri, & his, quæ dicta ſunt? In hoc ægrotante non deerat ſitis cauſa, calor nimirum, quod cognoſcitur ab effectu. Si dicamus adfuiſſe materiæ delapſum ad fauces, quomodo tam citò lingua facta eſt aduſta? cùm deſtillatio humectet, vti habemus ab Hippocrate 2. *in 6. epidem. comment.* 24. Textus ſic habet: *In ardoribus námque febrium, ſine arida tuſſi magnopere ſitiunt, quòd ſi tuſſis arida accedat, ſibi quidem carere non poſſunt, ſed ipſorum ſitis acrimonia retunditur, vt aliquantulum, ſed non ſecundùm febris magnitudinem ſitiant,* quod idem 4. *Aphoriſ. text.* 54. in quo loco ait, minus ſiticuloſos fieri in febribus ardentibus ægrotantes, quia ex defluxione tenui à capite aliquo modo madeſcunt loca, quæ ad aſperam arteriam pertinent. Præterea tollitur etiam ſitis in his, qui mente mouentur, quia illi indigentiam non ſentiunt, propterea eos paucibibas appellabat 1. *in* 1. *prorrhet. text.* 16. & 1. *de diffic. reſpirat. cap.* 12. & etiam habetur hoc *lib.* 3. *Coacarum, comment.* 1. *Phrenitici,* inquit, *rariùs bibentes.* Et tandem non ſitiunt, quibus facultas demoritur. His ſic ſtantibus, quomodo dicemus in tanta efferueſcentia ſublatam, aut ſaltem diminutam fuiſſe ſitim in Hermocrate. Non dicemus fuiſſe ſublatam ſitim, quia deeſſet calor: erat enim febris ardens. Neque quia humiditas deflueret ad fauces, quia lingua ſtatim ab initio non fuiſſet aduſta, cùm etiam in ſtatu vehementem exſiccationem prohibeat, vt idem Hippocrates teſtatur in *text. citato*

epid. dum ait: *Tusses aridæ parùm irritantes in febribus ardentibus, & si non secundùm proportionem siticulosi, neque linguæ valde torrefactæ.* Si igitur nullo dictorum modorum siti premebatur, relinquitur vt concludamus esse propter tertiam causam, nimirum propter extinctionem facultatis naturalis, qua cibos appetimus: hoc autem dicere, non videtur ita conueniens, cùm statim à principio hoc symptoma apparuerit, tamen ex alia parte, cùm toto morbi decursu ita fuerit affectus, crederem ego ab hac causa prouenisse: dicere enim propter mentis ægritudinem ita fuisse affectum, etiamsi haud multo post delirauerit, nihilominus ita grauiter interius erat conflictatus, vt etiam à principio partes coctioni deseruientes elanguerent. Et idem Galenus videtur huic annuere sententiæ, sic scribens: *Nam quando non sitiant, nec cibum appetant quidam in morbis, vel propter delirium non sentiunt, quæ patiuntur, vel propter extinctionem naturalis in ventriculo facultatis.* Subdit: *Si id citra delirium habeant, facultatem relinquetur eorum naturalem extingui.* In hoc non erat delirium, dicetis vos: ergo est propter secundam causam. Et 1. *in* 1. *epidem. comment.*24. ait: *Est enim maximæ signum malignitatis, vbi calida, & adurente febre, aut fluxione delabente in ventriculum acri non sitiant.* Atque hoc symptoma partis virtutem sentientem deperditam indicat, & extinctam, siquidem particulæ affectus non sentit. Additur his auctoritas 2. *in* 1. *epidem. comment.*75. scripta sic: *Atque quando qui anteà siti flagrarent, posteà essent à siti liberi, horum duorum fit necesse est alterutrum; aut morbi solutio, aut virtutis extinctio, itavt præsentia mala ampliùs non sentiat.* Subdit: *At non contingit à morbo hos vindicari, siquidem exitialia erant symptomata. Proinde his signum erat perditi sensus, non sitire.* Sed neque prætermittenda est auctoritas ex *lib.* 2. *prorrhet. text.*22. desumpta, vbi sic legitur: *Sitis, quæ non ex ratione in acutis morbis soluitur, mala.* Galenus. *Cùm igitur, neque per vomitum, neque per sudorem, neque per deiectionem, neque etiam per abscessum iudicatorium solui sitim contingat, non quòd affectio sedata fuerit, sed quòd sensus elanguerit. Id si fiat, signum bonum non est.* Quibus sic stantibus, quis non videt deterrimum fuisse, Hermocratem cum tali febre non sitiuisse, quomodocumque fuisset: nam sedata siti immeritò, graue malum. Neque ego dicerem fuisse causam imminens delirium, quia scilicet non enumerans dies, nisi vsque ad quintum potuerit minùs sitire, cùm iam mens inciperet sensim vacillare, euidens autem delirium factum sit in quinto die: hæc enim accidentia apparuere, statim inchoante morbo, ita vt dicendum sit, incœpisse partes elanguere, statim ab initio, & propterea non dicit, omninò fuisse sitis expertem, sed non fuisse admodum sitibundum, quoniam incipiebat tantùm facultas deperdi, quæ non potuit vnquam instaurari, vt videbimus.

[f] *Vrinæ crassæ, & rubentes, depositæ non subsidebant.*] Vrina est serum sanguinis, siue humorum in venis contentorum, scribit Galenus *in comment.* Cùm igitur vrinæ essent quales ponuntur, à sanguine inconcocto

proue

prouenisse, & serosiore concludendum est; atque ideò credi potuisset, non lethalem futurum morbum sua natura, sed tantùm diuturnum: verùm cùm virtus est languida, potest cruditas mortis esse indicium, quod Galenus apertissimis verbis confirmat sic. *Cùm igitur vrina est rubra, à sanguine prouenire est dicendum, morbúmque salutarem esse, sed diuturnum. Præterea*, inquit, *vrinam serum esse humorum in venis contentorum nos ille docuit. Quare ratio conuincit, vbi amplius sanguis semicoctus per vrinam expellatur rubram eum hanc efficere; atque ideò diuturnum fore morbum, quòd requirat scilicet ad coctionem longius spatium sanguis, siquidem spatio temporis fiunt concoctiones.* Subdit: *At non erit talis morbus, vt ab vrinis exitiosus, neque phrenitidi obnoxius. Lib.2. prognost. text.27. Si vrina fuerit subrubra, ac sedimentum subrubrum, & laue, diuturnior hic morbus, quàm primus, sed admodum salutaris.* Idem scribitur in *lib. de vrinis*, his verbis: *Sedimentum rubeum fit à copia cruoris, id est, sanguinis incocti: significat autem coctionis defectum, non tamen mortem: cùm enim succus benignus, & amicus naturæ sit, magnum periculum inferre non potest, quia tamen indicat cruditatem, facit morbum diuturnum.* Subdit: *Quando igitur vrina sedimentum habet rubeum, indicium est, quòd à cruore colorem accepit, cruor autem fit, antequam sanguis fiat. Si ergo natura proprio colore tinxit sanguinem, manifestum est quòd nondum perfectè est coctus, & tamen indiget natura, vt progressu temporis ex illo faciat sanguinem.* Hæc Galenus *locis citatis*, quibus demonstratur, vrinam, quam Hermocrates emisit, quoad colorem spectat, potuisse indicare longitudinem morbi, mortem autem nequaquam, neque delirium. Verùm, cùm præter rubedinem, esset etiam crassa, neque subsideret, quam ni fallor turbidam appellat Galenus *in comment.* Propterea iudicanda erat admodum mala, & lethalis, cúmque triplex sit turbidarum vrinarum genus, crederem ego intelligendum esse de ea vrina, quæ mingatur turbida, remanet talis, propterea minimè mirum, si cum tali vrina delirauit: solent enim capitis affectionem indicare 4. *Aphorism. text.*70. Cùm ita res habeat, obiisse dicendum est, non ratione rubentis vrinæ, sed quia esset crassa, & non subsideret, quæ humorem crudum significat à calore fusum, qui in spiritum versus flatuosas exhalationes transmittens ad caput, illius partis dolores concitabat, vt 5. *in 6. epidem. comment.*15. legitur. Perinde videtur scriptum ab Hippocrate de huiusmodi vrinis *lib.* 1. *Coacarum, textu* 11. *sectione* 2. *comment.*1. *Progresso morbo*, inquit, *Surditas, cùm vrinæ subrubræ appareant, quæ nihil deponant sedimenti, sed sublimamentum habeant, emouendæ mentis signum est*, de quibus satis diximus in Historia Cleonactidis.

8 *Ab aluo combusta, & non pauca exibant.*] Aluus hæc reddidit excrementa, fortasse, quia iniectus fuerit clyster: combusta enim excrementa difficilè excernuntur, nisi arte id fiat: sed, vtcumque essent indicabant efferuescentiam hepatis, vti Galenus *in comment.* monet, sed & ob alias causas id contingere habetur ex eodem Galeno *lib.*1. *de sanit.*

*tuenda, cap.*13. quo in loco omnes istas causas recenset singillatim, appellantúrque à Galeno huiusmodi excrementa in spyras circumducta, quo in loco adduntur hæc: *Si intercepta aluus parua, nigra, & in spyras circumducta ad necessitatem dimiserit, & per nares eruptio fiat, malum.* Galenus σπυράθους *vocant caprarum deiectiones: sunt autem hæ sicca, atque id, quod excernitur propria circumscriptione rotundum, circumductúmque existit.* Cùm igitur quis hoc pacto sicca, rotundáque, & circumducta deiecerit σπυραθώδη, id est, in spyras voluta, appellantur, fiúntque talia, & quòd plusculo tempore retineantur, & propter copiam igneæ caliditatis. Si igitur præterquam quòd talia existant, nigra quoque fuerint, flagrantem, ardentémque circa medium corporis affectionem esse declarant. Neque propterea quòd reddiderit vrinas tenues quinta die, illud erat bonum: nam etiamsi dicat alui excretionem ante quintam factam fuisse largam, cuius causa poterant vrinæ claræ fieri, tamen diligenter omnia erant expendenda, an scilicet cùm hac vrinarum mutatione antedicta symptomata diminuerentur, an eadem, & fortasse maiora fierent; quando, perseuerante nihilominus surditate, vigiliis, aut fortasse grauioribus factis, suspicio erat, ne ingrauescente cerebri affectione, tandem mente vacillaret, præsertim cùm vrinæ essent quidem minùs crassæ, sed tamen cum suspensionibus elatis, id est, sursum petentibus, idque innuit per verbum illud:

h *Non subsidebant.*] Quod non alia de causa eueniebat; nisi, quòd materia crassior ferebatur ad caput, & propterea non poterat euacuari, nisi tenuior per vrinam, & quæ materia in vrinis continebatur, eadem à flatibus sursum eleuabatur, quod dum in morbis apparet, non parua est suspicio delirij, vt vidimus in Sileno. Rem perinde esse, ac dicitur, euentus indicat, cùm statim post talium vrinarum emissionem delirauerit, & dicit, sub noctem delirasse, quia videtur molestius delirium nocturnum, quàm diurnum, neque aliam adducerem causam, quàm hanc, videlicet, quia noctu flatus illi, qui in corpore existunt, & humores minus spirant nocturno tempore, quàm diurno, & hac de causa in corpore feruidissimo, facilius est fieri delirium illo tempore, quàm diurno: neque propterea mirum, si scribat Hippocrates *sub noctem delirauit:* quòd scilicet cùm flatus abundarent, vt suspensiones elatæ demonstrabant; illi cùm minorem haberent resolutionem à vi caloris impetuosiùs ad supernas partes eleuabantur, & caput afficientes delirium concitabant.

i *Die sexto auriginosus factus est.*] Scribit Hippocrates *lib.*4. *Coacarum text.*7. *comment.*2. sic: *Icterus ante septimum quidem diem, malo est, septimo verò, nono, vndecimo, decimoquarto, iudicialis est, nisi hypochondria dura sint. Si verò non, ambiguum.* 4. *Aphor. text.*62. *Icterus ante septimum diem malus.* Reddit Galen. rationem, quòd scilicet sequatur vel tumorem, vel obstructionem, vel inflammationem. *At regij morbi, inquit, qui ante septimum accidunt diem, ex aliquo istorum ortum habent, id est ex tumore, obstructione, inflammatione: nam citiùs non potest iudicatoriè bilis ad corpus*

pus effundi. Ante ſeptimum quidem diem, morbum regium eſſe malum verum exiſtit, non tamen poſt ſeptimum vacare periculo eſt pariter verum, neque hoc nunc eſt dictum: poteſt enim & inflammatio,& obſtructio longiori tempore perdurare,ante ſeptimum autem iudicatoriè bilem effundi eſt impoſſibile, quòd ſi appareant ſigna coctionis ante ſeptimum diem, etiam bona eſſet euacuatio, ſed quia ſupponit Galenus fieri non poſſe, vt ante ſeptimum appareant ſigna coctionis, propterea dicit eſſe impoſſibile, de eadem re tractat *eadem Aphor. ſect. text.64. Quibus*,inquit, *febribus morbus regius ſeptimo,nono,decimoquarto, vndecimo ſuperuenit,bonum,niſi dextrum hypochondrium obduruerit, ſi verò non,non bonum.* Galenus ſuper hæc, ita ſcriptum reliquit: *Ante ſeptimum quidem diem morbum accidere regium, malum omnino,poſt ſeptimum autem,bonum,niſi dextrum hypochondrium obduruerit,id eſt, niſi aliquis malus affectus ex ijs, quos anteà diximus viſceri,id eſt.hepati acciderit,ſunt autem tumor,obſtructio, & inflammatio, ſi autem obſtructio fuerit in locis, ad quæ transfertur, ſiue inflammatio, ſiue durus tumor, neceſſarium eſt omnino non expurgari ſanguinem,& vnà cum ipſo bilem per totum corpus deferri,hincque morbum regium generari.* Cùm igitur Hermocrates haberet inflammationem in dextro hypochondrio, non erat dicendum ſuperueniſſe hunc affectum natura operante, ſed quia ſanguis non expurgaretur, & per vniuerſum corpus diffunderetur: in magnis enim hepatis inflammationibus,ſanguis vnà cum bile à ſuperiorum partium vehementi incendio ſurſum rapitur; ibíque exæſtuans partes extimas auriginoſo colore inficit, & eò grauius eſt hoc ſymptoma, ſi die ſexto fiat, vt huic contigit, propterea non eſt mirum, ſi addat, omnia fuiſſe exacerbata, & capitis affectionem perduraſſe, quod peſſimum eſt,vti aliàs dictum eſt: quando enim perſeuerant poſt euacuationes accidentia, aut augentur, maximè perniciosum eſt, quia & copiam, & maximam humorum malitiam arguit hoc; præſertim, cùm poſt bilis effuſionem per vniuerſum corpus,alia non ſit ſequuta euacuatio; quia aliquando fiunt ſuperſtites, etiamſi icterus ſuperueniat ſexto die, modò per aliquam partem euacuentur, vt optimè etiam notat Galenus 2.*in* 1.*epid. text.65.* hunc in modum: *Erant qui ſexto die morbo regio afficerentur, ſed his purgatio profuit per veſicam, vel turbata aluus,vel largum ſanguinis profluuium, vt Heraclites, qui apud Ariſtoclidem decumbebat, cui per nares ſanguis profluxit, aluúſque fuit turbata,& per veſicam eſt purgatus. Vigeſimo autem die iudicatus eſt longè aliter, ac Phanagoreon ſeruus, qui cùm ipſi nihil horum eueniret, perijt.* Galenus ſubdit: *Quibus non valuit natura bilem excernere, his collecta ad cutim, morbum regium excitauit.* Prauum erat autem, vt *in Aphor.* eſt dictum, ante diem ſeptimum exiſtere illum. Atque horum ipſorum, illi ſoli ſalui fuerunt, quibus alia ratione retrimenta natura excernere valuit, quas tres commemorauit, excretiones vrinarum, ventris turbationem, & ſanguinis eruptionem. Quoſdam autem ait hæc habuiſſe,vt Heraclidem,hùncque vigeſimo die iudicatum fuiſſe. Quare ſi Hermocrates eadem habuiſſet, fortaſſe peſſimo fato non fuiſſet functus. Confirmant hæc ea-

dem, quæ habentur 4. *acut. text.* 8. *Ante diem septimum morbus regius enatus cum rigore, soluit morbum, si verò absque rigore, præter temporis occasionem superuenerit, pestiferum. Si fiat ičterus ante septimum diem, & fiat rigor, indicium est naturam moliri euacuationem aliquam humoris biliosi, aut per vomitum, aut per aluum, aut per sudorem*, 2. *in* 1. *epid. text.* 64. veluti etiam apertissimè colligitur 3. *prorrhet. text.* 58. Quòd posteà dicit. Si verò absque rigore præter temporis occasionem, id est, ante signa coctionis, pestiferum, meritò id scribit, quia indicium est fieri à causis prænarratis. Verùm, etiamsi dicat ičterum ante septimum diem cum rigore esse bonum, non est tamen intelligendum hoc simpliciter: nam, si rigori non sequeretur posteà euacuatio, admodum & hoc esset perniciosum. At enimvero dum hæc fiunt, diligenter animaduertere oportet, ne iudicium feramus intempestiuè; quando, etiamsi in ičtero ante septimum fiant euacuationes, ego, quòd sciam, neminem hucúsque seruatum vidi, cùm tamen aliquot viderim ičtericos factos; nam aliqui, etiamsi vitam produxerint, nihilominus obiêre, cùm tamen aluus esset mota. Itaque expedit omnia diligenter expendere, & vires examinare: nam, si firmæ sunt, possunt multa promittere, si tamen vacuatio iusta sit, id est, si ab euacuatione soluatur febris, aut saltem remittatur, si æger leuiùs habeat: hoc enim facit ad excretionis, & abscessus bonitatem, quod etiam attendere oportet, si post septimum fiat: neque enim propterea bona est, quia post septimum, sed antedicta attendere oportet: nam si die critico appareat, & extinguatur febris, bonum est, si verò post excretionem fiat febris, occidit. Itaque non propterea quod ante septimum malus est ičterus, post septimum est bonus, sed omnia obseruare oportet, vt firmum feratur iudicium.

[k] *Septimo die grauiter se habuit.*] Status istius ægrotantis in dies ruebat in deterius, quia in die decretorio mala fieri peiora, admodum graue est: nam, quo die solet natura, aut morbos soluere, aut saltem futuram solutionem præmonstrare, grauiter se habuit, id est, exacerbatus est morbus, neque vllum apparuit signum coctionis, sed nihilominus vrinæ erant tenues, & eodem procedebant modo, quo suprà, quod denotabat naturæ imbecillitatem in coquendo, & materiæ malitiam: & etiamsi, quantum ex vrinis elicitur, nisi longitudo posset expectari, tamen cæteris perpensis grauibus symptomatibus, non erat obscurum cum graui morbo, non suffecturam ad morbi solutionem; & in eodem statu perseuerasse ad vndecimum diem vsque fit verisimile, cùm de intermediis diebus nihil dicat, sed subdat;

[l] *Sub diem vndecimum omnia visa sunt remissa esse.*] Morbi mutatio in melius sine ratione, & de repentè, cui nullo modo erat fidendum, tum quia modus loquendi Hippocratis id suadet, dum inquit, *visa sunt*, volens indicare infidam alleuationem; tum etiam, quia si consideremus attentè omnia, inueniemus repentinam hanc mutationem nullam habuisse causam, cùm nihil horum præcesserit, à quibus solet morbus placidior reddi, propterea meritò notat id Galenus *in comment.* dum inquit; *Neque enim*

enim periculosissimis ex signis potuit subitò, cùm eadem permaneret humorum cruditas, ad meliorem statum peruenire, idque adeò, cùm nihil eluxisset decretorij die vndecimo, quod solet non rarò conspici, quia natura hominem liberat, aut sanguinis excretione, aut alui, aut vomitibus, aut sudoribus, aut parotidibus, aut decubitus copiam. Quòd verum sit soporosus factus est, id est, ad somnum erat propensus, éstque hoc, cùm vigilare ægrotantes nequeunt, non apertos habentes oculos, sed conniuentes. Habet ortum hæc affectio à cerebri humectatione, vel sola refrigeratione, vel ab vtroque, aut demum propter virium infirmitatem. Non est autem credibile, in cerebrum se succum contulisse die vndecimo, in morbo, qui siccus, & calidus est ab initio. Reliquum igitur dicere perfrigerationem insignem cerebri, & facultatis imbecillitatem Hermocrati comatosos induxisse somnos. Vtrùm autem horum sit, extremè perniciosum est. Nam insanabilia ea esse demonstratum est frigora, cùm calidis morbis, & siccis succedunt, quoniam intemperies frigida, febrilis ardoris consectaria, est insanabilis, & ea lege funestus est hydrops à consumptione retorrida, quam febris acuta induxit. Cæterùm, qua ratione non erat verisimile existimare succum pituitosum cerebrum irrigasse in morbo calido, & sicco, ita neque perfrigerationem illius insignem statim aduenisse erat opinandum, cùm intemperies sine humore nequeat, nisi diuturno tempore introduci. Quare magis est rationi consonum ob facultatis, imbecillitatem coma aduenisse huic ægrotanti. Illud tamen obstat, quòd, vbi coma ab ea causa emanat, pulsus adsunt languidissimi, tardi, rari, & parui: nam sic affecti præ imbecillitate palpebras attollere non possunt, resoluta animali potentia, quo fit, vt morti proximi, commissis palpebris, dormientium instar iaceant cum pulsu paruo, & languido. Vnde non est verisimile cum huiusmodi pulsu Hermocratem potuisse perdurare vsque ad vigesimumseptimum diem. Dicendum igitur laborasse Hermocratem comate vigili ex miscella humoris biliosi cum pituitoso, cui phlegmone erat associata: dari enim coma vigil phreniticum, auctor est Galen. de comate. Neque adeò inconueniens esse videtur in affectione, quæ statim ab initio ignea visa fuit, aliquos frigidos, & pituitosos humores fuisse repertos, qui vi febrilis caloris ad caput elati, eiusmodi comatis speciem excitare potuerint, cùm idipsum confirmatum habeamus à Galeno 2. *in* 2. *epidem. text.* 3. his planè verbis: *Hi autem duo affectus, hoc est coma, & desipientia, si materiæ habeatur ratio, contrario nomine opponuntur: coma enim ex humectatione, refrigerationéque cerebri, desipientia verò ex contrarijs qualitatibus plerúmque existere videtur, sed tamen sæpè perpericulosa humorum coniunctione miscentur, atque in vnum conueniunt, sicuti in Sileni narratione habetur. Parum,* inquit, *delirauit, somni tenues, comatosi.* Vbi in fine textus, subdit: *Difficillimi esse existimantur, in quibus biliosorum, crudorúmque, aut incoctorum humorum colligitur copia.* Quare sicuti non fuit absonum Sileno comatosos somnos aduenisse ex frigidis commistis humoribus, qui tamen laborabat febre ardente, cum totius hypochondrij phlegmone, siti, lingua arida,

arida, vigiliis, delirio, excrementis alui biliosis, neque hoc idem de Hermocrate affirmare erit inconueniens; quinimmò idipsum videtur fateri Galenus *in præsenti comment. text.* 8. dum scriptum reliquit: *In hoc casu fuisse Hermocratem, vel sopor qui hominem die vndecimo corripuit, arguebat; siquidem vnà cum ardente febre, & succum habente mordacem, acrémque adiunctum, si quis symptomate teneatur, humidos, frigidósque humores, atque non mordaces comitante, non esse profligatum incommodum ostendit, cùm nihil acciderit decretorij, sed suffocari, & extingui natiuum calorem.* Præter soporem habuit vrinas crassiores, id est, quàm priùs erant, non tamen crassas, quia crassescerent à coctione, iuxta illud: *Excrementum spissari oportet, dum itur ad crisim.* Quinimmò ex Galeno *præsenti comment. Huiusmodi vrinæ crassæ, quæ non subsident, dicuntur turbidæ, & iumentorum lotio similes, quæ arguunt perturbationem in venis à spiritu flatuoso, cum calore præter naturam.* Quod autem rubra essent, significabatur exusti sanguinis perturbatio à calore febrili: vrinæ autem huiusmodi, hoc est simpliciter crassiores, & si sui ratione non sint signa lethalia, sed ambigua, vt notat Galenus *in comment.* tamen redduntur exitialia, & sinistri iudicij, si eis accedant, & annectentur, quæ periculum minantur, vt accidit huic, de quo est sermo, qui cùm huiusmodi vrinis simul corripiebatur comate. Quòd posteà dicit *infrà* tenues; est, quia non subsidebant: nam suspensum illud crassum, cùm infimam matellæ partem non peteret, reddebat vrinam tenuem in parte inferna, crassitie sursum tendente, quod totum, vti dictum est, significat cruditatem. Aliquantulum mente constabat, id est, minùs mente vacillabat, discussa delirij causa insensibiliter. Bona sunt hæc, quæ die vndecimo euenêre, sed longè meliora, quæ die quartodecimo. Quòd verum sit, subdit;

m *Quartodecimo die à febre erat liber.*] In tam graui morbo, cum signis lethalibus à febre esse liberum, dormire, mente constare, optimum. Sed tamen quæ causa alleuationis? Nulla profectò, & propterea attendere omnia diligenter in huiusmodi casibus expedit: nam videtur alleuatio hæc, sed tamen infidam esse euidenter constat, cùm nullam habuerit causam, nimirum nullam insignem euacuationem, qua solent tales morbi solui. Et in hoc loco expedit obseruare mirum Hippocratis artificium in loquendo. Nam, dum quæ bona videntur narrat, addit tamen duo, quibus monet Medicum oculatum, vt caueat scilicet à ferendo iudicio præcipitanter, quoniam sæpissimè aberrat à via: sunt autem hæc: *Non sudauit: vrina eadem.* Quomodo erant vrinæ eædem, si à febre liber erat, & melior videbatur ægrotantis conditio? Quia non sudauit: vult enim per hæc Hippocrates admonere non esse fidendum iis, quæ dicta sunt, cùm non præcesserit causa morbum leniens: tantùm enim abest, vt bona sint, quæ sine ratione leuant, vt potiùs perniciosa censeantur, quæ sine signis coctionis, aut excretionis mitiora sunt. Galeno dicente *lib.* 2. *prorrhet. text.* 17. quod etiam colligitur ex 2. *Aphor. text.* 27. Sed & addi potest auctoritas ab Hippocrate desumpta *lib.* 3. *prognost. text.* 22. quæ sic legitur: *Si quibus febris desinit non cum indicijs solutionis,*

neque

neque in diebus decretorijs recidiuam expectare oportet.] Quos appellat dies iudicatorios, Galenus alibi, legitimos, contemplabiles, imparésque nominat. Dicuntur autem iudicatorij, quòd in ipsis plerumque iudicia fiunt. Impares, quia impar est vniuersum illorum genus, ratione septenarij in quem incidunt. Contemplabiles, propterea quod sunt contemplatione digni, ob repentinas, quas afferunt morborum solutiones. Legitimi, quòd crises in ipsis factæ legitimæ censeantur, quæ verò in aliis diebus, ob illegitimam aliquam occasionem euenisse existimantur. Cùm igitur vehemens, & acuta febris hominem apprehenderit, derepentéque, ac nobis minimè expectantibus desinit, non modò non euacuato corpore, aut per vomitum, aut sudorem, aut alio aliquo modò, sed ne viso quidem antè vllo coctionis signo, existimare oportet infidam esse huiusmodi quietem; atque adeò febrem esse redituram, quoniam adhuc extare prauorum humorum reliquias in corpore constat, quibus denuò putrescentibus breui interuallo, febrem contingit reuocari, & recidiuam fieri: succus enim, qui alienus à natura nostra est, in corpore contentus, cùm sit ad nutritionem ineptus, necessariò in putredinem conuertitur, & eò citiùs, si locus in quo continetur sit calidus. Ita Auicenna *lib.4. Fen 2. tract.1. cap.21.* ad verbum habet. Leuitas, quam inuenit æger absque euacuatione manifesta est ex iis, in quibus non est habenda fiducia: nam illa est propter quietem materiæ, non propter bonitatem eius, immò multoties digeritur etiam, & deficit natura propter eius debilitatem ab expulsione eius. Ita *in Coacis lib.4. text.39. comment.2. Febres quæcunque neque diebus criticis, neque cum signis solutionis decedunt, in recidiuam incurrunt.* At fortasse, quia non sudauit, dicendum est nullam aliam sequutam esse euacuationem; Hippocrates per verbum illud *non sudauit:* vult innuere nullam omninò sequutam esse euacuationem, quomodocumque intelligatur, quod ipse declarat *in comment.* his verbis: *Ne quicquam videatur adiectum. Non sudauit: cui est simile, non illi profluxit sanguis, non vomitus, parotidas non habuit.* Sequitur, *sed vt non multò antè dixit; Sub diem vndecimum, omnia illi visa sunt esse remissa; qui cùm dicere potuisset simpliciter; Omnia sunt remissa, adiecit, visa sunt, quò illorum admoneret, quæ alicubi scripsit. His, quæ præter rationem leuant, non est habenda fides. Ita etiam hic, non dubitauit cumulum addere, non sudauit, vt ob oculos poneret, quàm sit infida morbi remissio: nam, si quæ postularat res, quartodecimo die euenissent, conseruarant hominem. Itaque, quia non apparuerunt, hinc malignitatem nobis morbi subiecit. Quos quidem affectus ignorat vulgus Medicorum, & gaudet, si quæ fiat morbi alleuatio, tametsi hæc ex signis exitiosis, & symptomatibus prioribus proficiscatur, nescium cùm natura enecatur, & extinguitur insitus calor, tales solere affectiones incidere, non secus ac partes, quæ defluxione mala in tumorem assurgunt, vbi omnia præ infirmitate haudquaquam attingit coctionem humoris, qui excitauit tumorem.* Hæc Galenus. Ipse etiam *lib.4. acut. text.12.* scribit sic de causo. *Verùm, si absque his soluatur ægritudo, reuertetur.* Galenus *in comment. Vbi de sanguinis eruptione, sudoréque egit, si absque his*

causus desierit, suspectam ait esse solutionem. Ergo, cùm Hermocrates esset à febre liber, neque præcesserit euacuatio, per quam saltem potuerit diminui causa morbifica, non erat huic alleuationi fidendum. Fuisse infidam, euentus demonstrat, cùm redierit febris circa diem decimumseptimum, vt verba sequentia declarant, quæ sic leguntur.

n *Circa diem decimumseptimum rediyt.*] Recidiuæ multis de causis fiunt. Primùm, manente eodem humore morbifico, qui tantùm locum mutauit. Secundò, fiunt recidiuæ, quando aliqua portio humoris relicta est in corpore per imperfectam crisim, hæcque fit ordine dierum decretoriorum, & natura reliquos humores excernente, ac concoquente, quam non censet Galenus periculosam, quoniam indicat robur naturæ in concoquendo, & expellendo. Tertiò fiunt recidiuæ, redeunte humorum putredine, & natura superata. Quartò posteà fiunt, quotiescumque ægrotantes errant in victu, aut propter aëris inclementiam, qui corpus imbecillum leui occasione lædit, nondum benè confirmata valetudine, cuius causa Hippocrates commendabat mutationes, sed tamen quæ possent prodesse. In hoc ægrotante puto esse factam recidiuam, quia natura fuerit superata, & inducta noua putredo, eorum humorum, qui morbum faciebant, cùm visus esset deferbuisse calor, neque tamen materia peccans sit euacuata. Euenit autem in die decimoseptimo, quia in morbis acutis per quaternarios fiunt mutationes insignes. Idem visum est in Clazomenio, de quo scribebatur: *Vigesimo die febre liberatus est, & iudicatus, non sudabat, prorsus mente constitit. Circa diem vigesimumseptimum recidiuauit.* Ita & de Philisco, neque statim desiit, sed sequentibus diebus incaluit, & ita incaluit, vt vires acquirens febris, acutiem fuerit adepta, in qua ebullitione, noua inducta humorum cruditate, vrinæ apparuerunt tenues, vt erant etiam antea, ex quibus cruditas humorum denotabatur, præsertim autem fuisse in hoc tenues verisimile est, quia instabat delirium, quo tempore humores ad supernas ferri certissimum est, & ita vrinas tenuiores reddi, quod in praxi sæpissimè obseruabitis verum esse.

o *Iterum vigesimo die est indicatus, à febre liber, non sudauit.*] Non dissimile iudicium à priore facto in decimaquarta, quod notat Galenus *in comment.* addens: *Non sudauit.* Verùm, quomodo poteramus sperare tutum iudicium in tanta humorum cruditate, nullam tentante natura euacuationem, & hac de causa non bona spes salutis poterat concipi, præcipuè cùm dicat semper à cibo abhorruisse: nam extingui calorem natiuum apertissimum erat. Et Galenus *in comment.* hæc habet: *Quo die rationi consonum fuisset febrem exacerbari, siquidem natura omnino coctionem aggressa humorum esset, aut solum, vt ostendebant vrinæ, quæ tenues permanebant, eo die febris perfectè cessauit. Neque enim septimo die accessit caloris natiui ratione, sed sola putredinis, succensis febriliter humoribus. Itaque eorum feruor digestus, a febre hominem vindicauit. Sed quia exitialia symptomata permanebant, vt postea dicit, Hermocratem clarum erat obiturum. Iam quòd in die decimoquarto non sudauit, scripsit: vigesimo*

item

item addidit, admonens remissionis, quæ sine signis aduenit. Nam, quòd permanserint symptomata, extingui naturam ægri ex his perspicias, quæ vigesimi diei subiunxit narrationi: quibus nunc animum adhibe. Hæc Galenus, quibus videmus, quid de hoc ægrotante esset sentiendum, etiamsi vigesimo die fuerit iudicatus, & à febre liber: nam erat potius existimandum fuisse indicium prostrationis virtutis, quæ modò insurgeret aduersus causam morbificam; & ita febris excitaretur, vt solet in vehementissimis naturæ motibus, sed præ imbecillitate non posset infesta à corpore deturbare; & ita succumbendo omnia viderentur leuiora, quod est confirmatum à Galeno *lib.3. de cris. cap.9.* vbi verba faciens de declinatione infida, hæc habet: *Nam vnà cum alijs tunc calor febrilis exspirat, atque hinc spes melioris exoritur, & naturam prope extinctionem fuisse apparet manifestè ex his, quæ habuit, & præter cætera à cibo abhorruit.* Quod emorientis facultatis appetitricis signum est, Galeno confirmante 2. *in 3. epidem. comment.3.* quo in loco referens Historiam filiæ virginis Eurianactis; ita scribit: *Hæc perpetuò nihil sitiebat, nec quicquam degustare sustinebat.* Galenus *in comment. Sanè maximum sit tibi signum facultatis ciborum appetitricis semel emorientis, si parata hæc, quæ desiderare dicebant, vt gustarunt, culpent, nec etiam edant. Qui tametsi habeant pessimè, deteriore sunt in statu, qui nihil appetunt, extremam indicantes naturalis virtutis extinctionem, qua cibum, & potum appetimus.* Parius quidam 3. *in 3 epidem. text.32.* à cibo abhorrebat, de quo *in comment.* sic scribit Galenus: *Iam, quod extinguebatur naturalis facultas eius signum proprium fuit ipsa, quæ in morbo euenit inappetentia.* Non appetunt autem ægrotantes, aut quia minima fiat inanitio, vt in frigido, & sicco senum habitu, aut propter languidum venarum suctum, vt resoluta, aut imbecilla facultate nutrice hepatis, aut propter laxationem ventriculi ab humore calido in ipsum effuso, aut propter extinctionem sensus suctionis in ore ventriculi, vt in moribundis, aut propter deprauatum animalis appetitum, vt in phreniticis. Potest & præter hæc euenire inappetentia ex destillatione in ventriculum delabente, ídque apertissimè testantur Galenus, & Hippocrates 1. *in 1. epidem. text.28. Cibos*, inquit, *quosuis fastidiebant.* Galenus *in comment. Appellant Græci appetentia carentes, qui cibum non sumunt ἀσίτυς, qui verò oblatos fastidiunt, ἀποσίτυς.* Subdit: *Constat autem hoc fastidij symptoma tabidis accidisse, & quod destillationis, quæ fauces, & pulmones infestabat, pars aliqua in ventrem deflueret.* Quod idem repetit *in lib. de aëre, aquis, & locis, cap.2.* his verbis: *Post multa, & ventres ipsorum frequenter exturbari pituita à capite influente, & formas ipsorum, vtplurimum debiliores esse, ipsósque ad edendum, & bibendum non appositos esse.* In hoc ægrotante dicerem euenisse propter emorientem facultatem, vti etiam apertissimè confirmat Galenus *in comment.* Vtcunque autem sit, prauum erat, & magnifaciendum hoc symptoma, præsertim cùm toto morbi cursu perdurauerit: grauant enim signorum perseuerantia, & exacerbatio fatiscentem naturam, & morbum ingrauescentem ostendunt, vnde confirmatur mortis præsagium. Ita Hippocrates

2. *Aphor. text.* 33. *In quouis morbo benè se habere ad oblata, & mente constare, bonum, contrarium autem, malum.* Rationem reddit huius rei Galenus, videlicet, quòd indicatur robur partium coctioni deseruientium, sana omnia esse significatur, quæ ad ventrem, & cor attinent, vbi adest promptitudo ad cibos, qui offeruntur: cùm autem hæc omnia robusta sunt, non parua spes de ægrotantis salute haberi potest. Et propterea volebat Galenus Heropytum Abderæ 3. *in* 3. *epidem. comment.* 80. sanatum fuisse à periculoso, & graui morbo præter spem, & incredibile, quia benè se habuerit semper ad ea, quæ offerebantur, cum spiratione libera, & pulsu constanti. *Iam etiam,* sunt verba Galeni, *respiratio videtur, & appetitus laborare, & inculpatus fuisse, quæ magni sunt ad salutem ponderis.* Quibus sic stantibus, quæ spes salutis de Hermocrate haberi poterat, cùm omnia ruerent in deterius, & omninò à cibo abhorreret, quod hepar malè esse affectum, & cor indicabat, & facultatem extingui, vti dictum est, quod etiam idem Galenus confirmat his verbis: *Vnde ex his collectis, quæ dicta sunt, perspicuum est iure fuisse affectum hepar principium vegetatricis, & naturalis animæ, cuiuis ostensum est esse quatuor virtutes, attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem, quæ suppeditant corporibus & nutrimentum, & augmentum, & hac affecta, mirum in modum appetitus perit, vt mori citiùs, quàm gustare quicquam sustineant ægri.*

p *Omnino mente constabat.*] Profectò non est mirum mente constitisse: nam sæpissimè videmus delirantes ad extremum redactos ad mentem redire, & omnia intelligere: crederem ego, quia desinit natura à motu, & quæ fiebat humorum euaporatio, eadem cessat propter naturæ imbecillitatem: caput enim tunc à vaporibus illis mordacibus minùs læditur, hinc delirij alleuatio: quotiescunque enim natura succumbit, cessant symptomata, quo tempore videtur esse melior ægrotantis conditio, cùm tamen longè deterior sit, & salutis spes sublata, quod potest desumi ex Hippocrate exemplo puris 2. *Aphoris. text.* 47. *Dum pus conficitur, dolores sunt, & febres intenduntur magis, quàm iam confecto.* Super quo textu aliqua scribit Galenus, veluti & 1. *progn ost. comment.* 6. & etiam 1. *de differ. feb.* Quòd res esset perinde ac dictum est, illud non potuisse loqui comprobat: erat enim extremæ imbecillitatis indicium, & tamen erat interna corporis dispositio æstuans, vt lingua denotat, quam aridam fuisse ponit. Hæc propter quas causas fiat, iam sæpiùs dictum est. Illud inter cætera, quod negocium faciebat, erat non sitiuisse: nam inquit,

q *Non sitiebat.*] Iam *suprà* dictum est, propter quas causas in huiusmodi febribus sitis tollatur, & *lib.* 2. *Coacarum, comment.* 1. *text.* 22. habetur sic: *Sitis in acutis, quæ citra rationem soluitur, omninò mala, quia indicat adhuc intus remanere causam morbificam.* Neque in hoc ægrotante dicendum est, prouenisse propter delirium: nam omninò mente constitisse habemus, sed id prouenisse propter extinctionem naturæ: duo enim sunt, quæ prohibent, quominus sitiant, & appetant, delirium,

&

& extinctio natiui caloris, ita Galenus *in comment. Nam quando non sitiant, nec cibum appetant quidam in morbo, vel propter delirium non sentiunt, quæ patiuntur, aut propter extinctionem naturalis facultatis in ventriculo. Si id citra delirium habeant, facultatem relinquetur eorum naturalem extingui.* Neque bonum fuit obdormiuisse, quia erat impotentia vigilandi, insequens ad extremam virtutis debilitatem, ita vt omnia, quæ die decimoquarto apparuêre, etiamsi melioris haberent faciem, re tamen intimiùs perpensa, deterrima cernebantur, & hac ratione etiam non est mirum, si die vigesimoquarto adhuc morbus incrudescebat: nam post accensum nouum calorem euacuauit per aluum materiam crudam, & multam, quæ sequebatur defectum caloris. Itaque duobus modis erant mala, & quia tenuia, quæ longum tempus requirebant ad coctionem, & quia multa, quæ facilè virtutem dissoluunt, & præsertim si iam sit imbecilla, qui calor ita vehementer auctus est, vt linguæ siccitatem induxerit, quod apertissimum erat indicium, tam grauem causam fuisse, quæ à natura non potuerit reddi placidior, & ob id cùm causa morbifica in dies euaderet superior, non est mirum, si tam malo fato est functus vigesimoseptimo. Neque fortasse cum grauibus symptomatibus tantopere vitam produxisset, nisi firmissimas habuisset vires. Notat hic doctissimus Vallesius, non omnes acutos morbos finiri intra vigesimum, vt Galenus videtur putasse, sed ad vigesimumseptimum quoque posse produci, non deposita acutie, neque id profectò immeritò, quia quatuor septimanæ, quæ eodem die finiuntur, vnico lunæ motu finiuntur, à quo vires diebus decretoriis accedere probabile est. Addit posteà Hippocrates.

[r] *Hic perpetuò obsurduit, vrinæ autem crassæ, & rubentes, non subsidentes: aut tenues, decolores, suspensionem habentes, gustare non poterat. Probabile est, deiectionibus suppressis vigesimaseptima mortuum.*] Habuit hic ægrotans perpetuam capitis affectionem, cùm semper obsurduerit, vti colligimus ex Galeno 4. *Aphor. text.* 28. *&* 60. Habuit etiam vrinas semper malas, cùm essent aut crassæ, & rubentes, non subsidentes, aut tenues, decolores, suspensiones habentes, quæ præter cruditatem, humores etiam ferri ad supernas partes denotabant, neque vnquam cessauit hepatis, & ventriculi affectio, cùm semper fuerit inappetens, quod maximum erat, simúlque credibile est fuisse semper auriginosum, quia si debebat auferri, id medio euacuationis alicuius fieri debebat. Cùm igitur nulla sit sequuta euacuatio insignis: ergo neque est putandum sublatam esse auriginem. Adduntur postea verba illa, quæ ita exponuntur. Probabile fuisse Hermocratem obiisse propter deiectionum suppressionem, quod tamen Galenus non recipit, cùm apertissimè dicat Hermocratem obiisse propter ingentem iecoris affectionem, & capitis, dum sic scribit: *Nam Hermocratem quidem, neque per adstrictam aluum, neque per solutam contingit perire.* Verùm hæc symptomata ipsi affectui superapparuêre, sicuti cùm excerneret anteà combusta, quorum vtrunque iecoris affectiones sequitur, vt ostendimus, tum *alijs in locis*, tum *in commentarijs de locis malè affectis.* Est autem hoc 5. *lib. cap.* 5. *At perijsse,*

ſubdit, *potiſſimum hic iecinoris vitio videtur, iam etiam quod caput non commodè haberet.* Hæc Galenus, quibus docet propter quid obierit Hermocrates,& quàm grauiter haberet.

Curatio.

MEdici officium eſt in curationibus morborum,non tantùm perpendere morbum, & ſymptomata, ſed etiam eorum magnitudinem, vt ſciat, an ad maxima præſidia ſit deueniendum. Quare, cùm Hermocrates iſte, non tantùm laboraret febre, ſed magna febre, non eſt ambigendum, fuiſſe ſtatim deueniendum ad validiſſima præſidia, nimirum ad venæ ſectionem, iteratámque, vt quamprimum ſi fieri poſſet morbi vis infringeretur, & reuelleretur materia, quæ hypochondria infeſtabat, & quoniam ſcribit non pauca deieciſſe, ſed combuſta; ego,ſi fluentem aluum largiter vidiſſem, clyſteribus refrigerantibus eſſem vſus, ſtatímque deueniſſem ad refrigerantia, & deobſtruentia interna, & externa. Interna fuiſſent præcipuè cichoreacea omnia,quæ vt ſunt hepati proficua, ita etiam modicè deobſtruunt, citra caliditatem. Externa, veluti ſunt fotus, linimenta hepati efferueſcenti facta, vt ſunt ſuccus cichorij, agrimonij,oleum roſaceum, myrthinum, abſinthij, vnguentum ſantalinum, & id genus alia, quibus paſſim vtimur ad hepatis efferueſcentiam. Lumbis conueniebat inunctio ex vnguento ſantalino, roſaceo, refrigerante Galeni. Expedit pariter in lumborum intenſo calore ſupponere folia nympheæ, aut pellem, ſæpiúſque immutare, aut madefacere linteolum in aqua roſacea, & ſuperponere. Capiti commodum attuliſſet oxyrrhodinum ex lacte muliebri, aut ex aqua roſacea, & oleo violaceo, cum portione aceti, deraſis capillis; non prætermiſſis toto morbi tempore cucurbitulis ſcarificatis, & ſine ſcarificatione. Aduſtionem linguæ demulcere poterat oris collutio ex aqua hordei, ſæpiùs facta, ſed quoniam ægrotantes, quoties colluunt os, toties etiam aliquam aquæ portionem deglutiunt, quo fit, vt ſæpiſſimè ventriculus patiatur, eam ob rem expedit in ore tenere, aut morſulos ex ſaccaro roſacco, aut parare morſulos ad formam lupinorum, quorum alter ſub lingua teneatur. Parantur autem ex mucilagine pſillij, ſucco ſeminum melonum, cucumeris, & id genus aliis, exceptis omnibus cum ſaccaro,& factis morſulis ad formam lupinorum. Laudat Aëtius *lib.2. ſerm.1. cap.118.* collutionem aquæ puræ, aut deterſionem linguæ ſpongia factam, portulacæ item ſuccum in ore detentum, oſſa prunorum Damaſcenorum, quod ſæpiſſimè obſeruaui proficuum, aut lactucæ conditæ fruſtum. Et quoniam ſtatim obſurduit, & huic etiam prouidere erat neceſſarium, tum reuulſionibus ad deriuandam materiam à capite, tum medicamentis in aures inſtillatis, vt quæ ad aures iam fluxerat, eadem celerrimè diſſiparetur. In hunc vſum poterant adminiſtrari multa, & varia medicamenta,qualia fuiſſent,oleum amygdalarum amararũm, oleum etiam in cortice cepæ decoctum, & expreſſum. Laudatur hoc medicamentum, ℞. *radicis panis porcini,diligenter*

genter à cortice mundatæ ℥. ij. hanc fortiter contundere oportet ; huic postea addere expedit olei chamæmelini, rosacei, amygdalarum amararum an. ʒ. vj. apponantur omnia igni, & bulliat tandiu, dum olei medietas absumatur : exprimantur postea omnia, & fiat olei percolatio, instillentur huius olei guttæ aliquot. Nec huiusmodi medicamentum improbatur, quod ℞. *aquæ vitæ ℥. ij. radicum cyclaminis ʒ. ij. nucleorum persicorum, amygdalarum amararum an. ʒ. ij. infundantur omnia triturata in prædicta aqua vitæ per tres dies : & facta postea forti expressione, ponatur guttula in aurem.* Præstat autem animaduertere, an ingens adsit capitis calor, & quæ materia facit surditatem, eadem sit biliosa magis, necne, quia pro ratione humoris, medicamenta variari certissimum est. Ad somni conciliationem præstat vti iis, quæ leuiora sunt à principio, veluti inungere nares, & tempora vnguento populeonis, vnguento nenupharino, violaceo, abluere crura, & brachia eorundem decoctis, cum lactuca, mandragora, foliis salicum, vitium. Odoramentis vti, ex fructibus mandragoræ, seminibus papaueris albi, quòd si vigiliæ vrgeant, exhibere solemus syrupum papaueris albi, pilulas ex cynoglossa, syrupum nenupharinum, nec deuenimus ad opiata, nisi valde vehementer vrgeat res. Aëtius inquit tunc manus, & crura deliganda, quo tempore ad somnum conuerti solent, hortaríque oportere, vt assiduè aperiantur, & claudantur palpebræ, donec satis sint defatigati, deinde repentè soluendas esse ligaturas, & sublata lucerna imperandum esse somnum. De siti componenda non erat cur admodum esset Medicus sollicitus, cùm non admodum esset sitibundus, & miror cùm somnum non caperet, quomodo non sitiret, de qua re iam diximus. Delirio, iisdem prorsus medicamentis, quibus capitis dolor tolli consueuit à bile pendens. Icterus posteà solet tolli medicamentis internis, & externis. Internis, iis quæ vrinas mouere possunt, aut aluum ciere, aut sudorem. Mouent vrinas, quæ diuretica sunt citra calorem : mouent aluum medicamenta soluentia, quæ validiora esse debent in huiusmodi affectibus propter corporis stipticitatem ; mouent sudorem, quæ vim habent attenuantem. Exteriùs applicata iuuant, quæ rarefaciunt cutim, vt est aqua tepida, qua corpus foueatur, & olea rarefacientia, vt oleum chamæmelinum, anethinum. In huiusmodi autem febre non erat locus medicamentis calidioribus. Qui autem citra febrem hoc morbo laborant, ij tutò curantur ex aliquorum opinione hoc medicamento, quod ℞. *amydalarum amararum, dulcium, spodij, fol. rosarum, absinthij, mastiches, spicæ, anisi, omnium an. ʒ. iiij. seminis scariolæ ʒ. x. coriandri syluestris ʒ. ix. aloës ʒ. vj. terantur & cribellentur, & excipiantur cum vino. Datur ad ʒ. ij.* Hoc valere in icteritia flaua aiunt. Cùm sopore inciperet tentari, poterat oxyrrhodinum mistum parari, cum portione olei chamæmelini. Et cùm quartodecimo à febre esset liber. Ego exhibuissem aliquod euacuans medicamentum, vt sequuta euacuatione, minus aggrauaretur natura, posteà iterassem medicamenta deobstruentia. Iugiter in hoc erant exhibenda alexipharmaca, & tentanda etiam euacuatio per venas hæmorrhoïdales, si huic euacuationi fuisset obnoxius. Et quoniam frustra

omnia

omnia essent parata, nisi conuenienti victus ratione fuisset vsus, eam ob rem hoc præcipuè erat ante oculos habendum, quòd quemadmodum erat necessarium, ita non æquè facile consequi, cùm semper inappetens fuerit. Inappetentiæ pluribus de causis fiunt: nam quæ causæ concurrunt ad appetentiam, eædem concurrunt ad inappetentiam: quemadmodum enim ad appetentiam quinque concurrunt, vt ex Galeno habetur 1. *de sympt. causis*, *cap.* 7. ita ad inappetentiam: sunt autem hæc, vacuatio: secundum, vacuatarum partium appetentia naturalis: tertium, ventris suctio: quartum, eius sensus: quintum, appetentia animalis, quæ omnium est vltima. Itaque appetitus perditio contingit, aut ob sensus exuctionis venarum perditionem, aut quòd exuctio non fiat, aut quòd corpus non vacuetur. Contingit autem sæpè etiam ob immoderatam ventris, & intestinorum fluxionem, & ob biliosi humoris in ventrem delationem, tenacísque & acris, ac porri speciem habentis: fit etiam ob pharmaci potionem, ob immoderatam aliquam sanguinis euacuationem; sed & multis aliis de causis. In hoc ægrotante hoc certissimum est, si credendum est Galeno factum fuisse symptoma propter exolutionem facultatis ciborum appetitricis; sed vtcunque accidat, symptoma est minimè vnquam aspernendum; quia cùm non possumus resarcire deperditum, citissimè virtus concidit. Quare hoc præcipuè debebat Medicus spectare, quia vos etiam in curando non rarò videbitis, & præsertim in malignis febribus. Si igitur fiat à resolutione, non est remedio locus, præsertim si toto morbi tempore perduret, quoniam indicium est virtutem ad id esse redactam, vt etiam euacuationibus non posset tolli, & præsertim periculum maius est, si in pueris id accidat, quia voraces pueri sunt, & magnis fomitibus indigent. Consulit igitur Aëtius, vt plura proponantur alimenta, vt eligant, quod magis illis arridebit: sæpissimè enim obseruaui, aliquando ægrotantes in delectu habuisse potius hoc, quàm illud alimentum, quod assumptum fuit proficuum, etiamsi sua natura fuerit prauum; huius igitur rei occasione, referam ego, quæ vidi in iuuene quindecim annorum, qui tertiana laborabat duplici. Hic prostratam adeò habuit appetentiam, vt omnia oblata renueret: tandem cùm ego casu hora cibi inuiserem, viderémque à matre multa, & varia fercula esse parata, quæ tamen omnia omnino negligebat, cúmque interrogarem, quid potissimum desideraret, an fortasse frustum farciminis assumpsisset, ille statim se assumpturum promisit: sícque priùs in sartagine assatum datum fuit Non comedit, sed deuorauit, & ab ea hora, quæcunque oblata assumpsit, & quatuor dierum spatio conualuit integrè, & nunc viuit religiosè in Cœnobio S. Saluatoris Papiæ. Demonstrant hæc licere aliquando Medico, aliquantisper declinare à recto, modò quantitas non officiat. De appetitu deperdito dum tractat Aëtius, scribit: *Cibi apparentur plures, varij. Diuitibus gallorum testes exhibendi sunt, & ex volucribus non graucolentes, macræ, & montanæ: pedes suilli in decoctione plurimùm eliquati: eiusmodi enim cibos, si gustauerint tantùm, sufficiens alimentum deinde corpori afferendum est.* Subdit posteà: *Quod si non obtemperent, sed præ alimenti negligentia*

gligentia contabescant, vicissim contemnere, ac negligere eos oportet, ac cibum parum deteriorem exhibere. Posteà exterius expedit ventriculum fouere iis, quæ ventriculo robur addant, quæ omnia in hoc ægrotante præstari poterant. Qui tamen cum tam grauibus symptomatibus, cum tam praua corporis dispositione non poterat humanis remediis sanari, vti clarum est. Et eam ob rem virtus erat optimis, & facilè coctu alimentis seruanda, vt inde non desideraretur Medici officium, prædicto itidem periculo, & omnia in manu Domini languores sanantis relinquentes, cui sit honos, & gloria.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΤΡΙΤΟΣ.



Κατακείμενος ἐν τῷ Δεάλκους κήπῳ, κεφαλῆς βάρος. καὶ κρόταφον δεξιὸν ἐπώδυνον εἶχε χρόνον πουλύν. μετὰ δὲ προφάσιος, πῦρ ἔλαβε. κατεκλίθη. δευτέρῃ δὲ ἐξ ἀριστεροῦ ὀλίγον ἄκρητον ἐῤῥύη αἷμα. ἀπὸ δὲ κοιλίης κόπρανα καλῶς διῆλθεν. οὖρα λεπτὰ ποικίλα, ἐναιωρήματα ἔχοντα. κατὰ σμικρά. οἷον κρίμνα γονοειδέα. τρίτῃ πυρετὸς ὀξύς. διαχωρήματα μέλανα, λεπτὰ, ἔπαφρα. ὑπόστασις πελιδνὴ διαχωρήμασιν. ὑπεκαρώθη. ἐδυσφόρει περὶ τὰς ἀναστάσιας. οὔροις ὑπόστασις πελιδνὴ, ὑπόγλισχρος. τετάρτῃ, ἤμεσε χολώδεα, ξανθὰ, ὀλίγα. διαλιπὼν ὀλίγον ἰώδεα. ἐξ ἀριστεροῦ ὀλίγον ἄκρητον ἐῤῥύη. διαχωρήματα ὅμοια, οὖρα ὅμοια. ἐφίδρωσε περὶ κεφαλὴν καὶ κληῗδας. σπλὴν ἐπήρθη. μηροῦ ὀδύ-

ÆGROTVS III.



Vi in Dealcis decumbebat horto, [a] *diu capitis conflictabatur grauitate, atque dexrum tempus dolebat,* [b] *cum occasione igne est correptus, decubuit. Secundo die modicum meri sanguinis de nare sinistra manabat.* [c] *Aluus stercora rectè deiecit, vrinæ tenues, cum varijs suspensionibus minutim dispersis, perinde ac farina crassiore semen referente.* [d] *Tertio die febris acuta, deiectiones nigræ, tenues, spumosæ. Quæ in retrimentis subsidebant liuida erant:* [e] *nonnihil veterno tenebatur, ægrè desurgebat,* [f] *in vrinis, quod residebat, liuidum erat.* [g] *Quarto vomuit biliosa, flaua, pauca, posteà virulenta.* [h] *De sinistra aliquantum fluxit meri sanguinis: aluus eadem, & item vrinæ quoque, sudauit circa caput, & clauiculas, lien intumuit: femur è directo doluit.*

νη κατ' ἴξιν. ὑποχονδρίου δεξιοῦ ξυντάσιος ὑπολάπαρος· νυκτὸς οὐκ ἐκοιμήθη. παρέκρουσε σμικρά. πέμπτῃ διαχωρήματα πλείω, μέλανα, ἔπαφρα. ὑπόστασις μέλαινα διαχωρήμασι. νύκτα οὐχ ὕπνωσε. παρέκρουσε. ἕκτῃ διαχωρήματα μέλανα, λιπαρά, γλίσχρα, δυσώδεα. ὕπνωσε. κατενόει μᾶλλον. ἑβδόμῃ, γλῶσσα ἐπίξηρος. διψώδης. οὐκ ἐκοιμήθη. παρέκρουσεν. οὖρα λεπτὰ, οὐκ εὔχροα. ὀγδόῃ, διαχωρήματα μέλανα, ὀλίγα, συνεστηκότα. ὕπνωσε. κατενόει. διψώδης οὐ λίην. ἐνάτῃ ἐπερρίγωσε, πυρετὸς ὀξύς. ἵδρωσε. ψῦξις. παρέκρουσε. δεξιῷ ἴλλαινε. γλῶσσα ἐπίξηρος. διψώδης. ἄγρυπνος. δεκάτῃ, περὶ τὰ αὐτά. ἑνδεκάτῃ κατενόει δι' ὅλου πάντα. ἄπυρος. ὕπνωσεν. οὖρα λεπτὰ, περὶ κρίσιν. δύο διέλιπεν ἄπυρος. ὑπέστρεψεν τεσσαρεσκαιδεκάτῃ. αὐτίκα δὲ νύκτα οὐκ ἐκοιμήθη, διενόει, πάντα παρέκρουσε. πεντεκαιδεκάτῃ, οὖρον θολερόν. οἷον ἐκ τῶν καθεστηκότων γίνεται, ὅταν ἀνταραχθῇ. πυρετὸς ὀξύς. πάντα παρέκρουσεν. οὐκ ἐκοιμήθη. γούνατα καὶ κνήμας ἐπώδυνα εἶχεν. ἀπὸ δὲ κοιλίης βάλανον προστεθείσης, μέλανα κόπρανα διῆλθεν. ἑξκαιδεκάτῃ, οὖρα λεπτὰ, εἶχε δὲ ἐναιώρημα ἐπινέφελον. παρέκρουσεν. ἑπτακαιδεκάτῃ, περὶ


[i] *Hypochōdrium dextrum molliter contendebatur, nocte non dormiuit,* [k] *delirauit aliquantum.* [l] *Quinto, deiectiones plures, nigræ, spumosæ, in his nigra subsidebant. Nocte nihil dormiuit, delirauit. Sexto die retrimenta nigra, pinguia, spumosa, viscosa, graueolentia. Dormiuit, mente meliùs constabat.* [m] *Septimo lingua arida, erat sitibundus, non dormiuit, delirauit, vrinæ tenues, haud boni coloris. Octauo, retrimenta nigra, pauca, compacta. Dormiuit, mente fuit compos, non erat admodum sitibundus. Nono, riguit, febris acuta, sudauit, infrixit, delirauit, dexter oculus distortus est, lingua arida, sitibundus erat, insomnis. Decimo, eadem. Vndecimo, omninò mente constabat, febre erat liber, sudauit,* [n] *vrinæ tenues circa iudicium erant. Duos dies febris integrè intermisit,* [o] *rediit quartodecimo, statim nocte non dormiuit, prorsus delirabat.* [p] *Quintodecimo, vrina turbata, cuiusmodi ex his, quæ subsederunt fit, vbi agitantur. Febris acuta, prorsus delirauit, non dormiuit, genua, & tibiæ dolebant, aluo subiectis balanis, reddidit nigra stercora. Sextodecimo, vrinæ tenues, inerant nubilosæ suspensiones, delirauit.* [q] *Septimodecimo, mane extremæ partes frigidæ, cooperiebatur, acuta febris, toto corpore sudauit, allcuatus est, meliùs sapiebat,*

non

ἄκρεα ψυχρὰ, περιεστέλλετο. πυρετὸς ὀξύς. ἵδρωσε δι' ὅλου. ἐκουφίσθη. κατενόει μᾶλλον. οὐκ ἄπυρος, διψώδης. ἤμεσε χολώδεα, ξανθὰ, ὀλίγα. ἀπὸ δὲ κοιλίης κόπρανα διῆλθε. μετ' ὀλίγον δὲ μέλανα, ὀλίγα, λεπτά. οὖρα λεπτὰ, οὐκ εὔχροα. ὀκτωκαιδεκάτῃ, οὐ κατενόει. κωματώδης. ἐννεακαιδεκάτῃ, διὰ τῶν αὐτῶν. οὖρα λεπτά. εἰκοστῇ, ὕπνωσε. κατενόει πάντα. ἵδρωσεν ἄπυρος. οὐκ ἐδίψα. οὖρα δὲ λεπτά. εἰκοστῇ πρώτῃ, σμικρὰ παρέκρουσεν. ὑπεδίψα. ὑποχονδρίου πόνος. καὶ περὶ ὀμφαλὸν παλμὸς διὰ τέλεος. εἰκοστῇ τετάρτῃ, οὔροισιν ὑπόστασις. κατενόει πάντα. εἰκοστῇ ἑβδόμῃ, ἰσχίου δεξιοῦ ὀδύνη, οὖρα λεπτὰ, καὶ εἶχον ὑπόστασιν. τὰ δ' ἄλλα εἶχεν ἐπιεικέστατα. περὶ δὲ εἰκοστὴν ἐνάτην, ὀφθαλμοῦ δεξιοῦ ὀδύνη. οὖρα λεπτά. τεσσαρακοστῇ, διεχώρησε φλεγματώδεα, λευκὰ, ὑπόσυχνα. ἵδρωσε πολλῷ δι' ὅλου. τελέως ἐκρίθη.

non tamen à febre liber, sitibundus, vomuit biliosa, flaua, pauca: venter stercora deiecit, paulo mòx nigra, tenuia, pauca: vrinæ tenues, non boni coloris. [r] *Octauodecimo, mens illi lababat, sopore tenebatur. Vndevigesimo, in eodem statu erat. Vigesimo, dormiuit, planè mente constabat, sudauit, liber erat à febre, non sitiebat. Primovigesimo, parum delirauit, nonnihil sitiebat. Hypochondrium dolebat, & ad vmbilicum perpetua erat palpitatio.* [t] *Vigesimoquarto, vrinæ habebant subsidentia, prorsus erat mentis compos. Vigesimoseptimo, dextra coxa dolebat: vrinæ tenues, in quibus subsidentia erant, cætera mitissima habebat. Ad vigesimumnonum dexter oculus dolebat, vrinæ tenues. Quadragesimo, aluus pituitosa, alba, subcrebra, multùm toto corpore sudauit,* [v] *absolutè est iudicatus.*

COMMENTARIVS.



NEMO quisquam propriam corporis dispositionem exactè cognoscit, & eam ob rem expedit etiam leues affectus magnifacere, præsertim in iis, qui anteà praua, & inordinata victus ratione iam vsi: nam, in huiusmodi corporibus sæpissimè propter copiam cruditatum accenduntur morbi, qui ab initio videntur mitissimi, posteà maiore contracta putredine, in grauissimos degenerant, qui aut difficulter posteà euincuntur, aut etiam mortem inferunt. Et benè actú est cum hoc ægrotante; qui, cùm neglexerit continuum capitis dolorem, tandem in febrem, qualem hîc describit Hippocrates incidit, & tamen cùm tot ve-

rendis ſymptomatibus potuit conualeſcere, ſed & cur conualuerit, & quomodo grauiter fuerit affectus conſtabit, ſi Hiſtoriam diligenter examinemus: Incipit autem ſic.

[a] *Diu capitis grauitate conflictabatur.*] Multitudinem humorum in capite fuiſſe collectum à partibus ſibi ſubiectis tranſmiſſam credendum eſt: grauitas enim humorum copiam indicat, 1. *ad Glauc. cap.*15. vbi ſic legitur: *Nam qui cum grauitate dolores fiunt, multitudinem oſtendunt.* & *lib.*3. *de locis malè affect. cap.*8. *Dolores à plenitudine procedentes grauitatis ſenſum inferunt, quibus, ſi rubor accedat, calidos, ſine his non calidos humores ſignificat.* Et notanda ſunt verba Galeni, quando inquit, *dolores à plenitudine procedentes grauitatis ſenſum afferunt*; quia, vbi adeſt humorum multitudo, ibi fit grauitatis ſenſus, ſed non è conuerſo, ſi adeſt grauitatis ſenſus, neceſſariò adeſt multitudo; quia poſſunt membra grauari citra multitudinem, quod accidit in paralyſibus, confirmante Galeno *lib. de multitudine, cap.*5. quo in loco ſic ad verbum habet: *Nam cui aliquorum in corpore humorum copia exiſtit, huic partibus in ijs, videlicet ſenſu præditis, in quibus plenitudo conſiſtit, grauitatis ſenſum ſuppetere verum eſt. Cæterùm id non verum, ſi grauitas aliqua in parte ſit, humorum in illa redundantiam eſſe, quandoquidem fieri poteſt, vt quemadmodum in paralyſibus, à ſolidis partibus ægrotans facultas grauetur. Nam ea languente, cùm muſculi membri totius agitandi ad id dimouendum, transferendúmque impotentes reddantur, ſenſus paralyticis fit grauitatis.* Grauatiuum ſenſum non ſemper eſſe ſignum multitudinis repetit *eodem libro citato.* Sed clariùs ad Hiſtoriam Pythionis *cap.*4. Vbi ab imbecillitate grauari etiam membra ſcribit, ſic: *Veſica enim, vti oſtenſum eſt, ad reddendam vrinam in ſtranguria priùs properat, quàm iuſto ſit eius modo impleta duabus de cauſis, vel quòd non eius ferat qualitatem iam mordacis, vel quòd per debilitatem, priúſque ſit vrina coaceruata, vt pauca planè ſit, grauetur.* Quare grauitas non minùs ab imbecillitate, quàm à copia prouenit. Hoc tamen loco non eſt dicendum, cùm eſſet caput affectum in principio morbi, neque affectum paralyſi, & viribus valentibus: relinquitur igitur vt dicamus, à multitudine humorum ſenſim in corpore congeſtorum, qui vapores ad caput tranſmitterent, illúdque plus iuſto replerent, & fortaſsè magis dextrum, ex vaporis, aut humoris acrimonia, inſignia vaſa, quæ illud perreptant, ferientis. His ſic ſtantibus haud multò pòſt ægrotaturum dixiſſes, ſi quæ ſcribit Galenus animaduertiſſes, qui futuræ ægritudinis anteſignanum conſtituit, dolorem capitis perſeuerantem *lib. artis medicinalis, cap.*8. *Sicuti,* inquit, *neque qui capite grauantur, aut dolent, aut vigilant, cùm nondum in operationibus conſuetis impediuntur.* Subdit: *Hic in huiuſmodi diſpoſitionibus ægrotandi terminus eſt.* Et ita factum, quando haud multò pòſt igne eſt correptus, & addit.

[b] *Cum occaſione eſt correptus.*] Non ſine cauſa Hippocrates hoc loquendi modo vtitur, nimirum addens, cum occaſione, quia debet Medicus ſemper diſtinguere, & ſeparare id, quod à cauſa externa contingit, ab

eo,

eo, quod morborum ratione fit, vt præcognitiones faciat diligentiores, vt notat Galenus 3. *Aphor. com.* 5. Nam procatarcticæ causæ præsagiis omnibus detrahunt, atque lethalia ex occasione facta, minus sunt lethalia. Cùm igitur hic esset ad morbum paratus, vt diuturna capitis grauitas demóstrabat, mirum non est, si ex aliquo perpetrato errore in lethalem statim inciderit ægritudinem. Non enim dicente Galeno, quemadmodum repentina est morborum generatio, sic & ipsius generationis causa: nam generatio causæ morbificæ paulatim fit, impressio autem morbi in puncto indiuisibili, & quo inueteratio causæ morbificæ maior est, & repentina, eò impressio periculosior esse solet, & Galenus 4. *acut. text.* 111. hæc scribebat: *Corpore nostro ad morbosam affectionem nonnunquam parato, ita vt prope completa sit, externum quippiam adueniens eam affectionem manifestauit, febrem videlicet accendens, vel capitis dolorem, vel catarrhum, vel tussim excitans, vel aliquid huiusmodi. Quando igitur,* inquit, *cum occasione, ita intelligendum est, vt de causa manifesta: nam occasio* à Græcis dicitur πρόφασις, manifesta causa, quas esse attendendas etiam consulebat Hippocrates 3. *in 6. epidem. text.* 36. *Cæterùm*, inquit, *consideranda sunt, vnde cœperunt ægrotare, siue capitis dolor, siue auris, siue lateris, nam quo maiores sunt occasiones, eo etiam maior indicatur affectus*, & Galenus *in comment.* scribit: *Nam capitis diuturna grauitas, & temporis dextri dolor hominem iam paratum ad morbum demonstrabant; tamen ideò videtur non obiisse, quia à causa externa adueniente ita fuerit affectus, etiamsi grauissimus extiterit morbus.* Grauitatem morbi aperit per verbum illud *igne*, sed & reliqua insequentia huius euidentem facient fidem: neque enim contemnenda erat euacuatio per nares facta, cùm nonnisi nocua posset esse multis modis; videlicet, & ratione temporis, & ratione quantitatis, & ratione qualitatis ipsius. Primo modo, quoniam secundo die apparuit, qui nullo modo potest crisim inferre, cùm longiori opus sit tempore ad bonam crisim. Secundo modo, quia modicum sanguinis fluxit: si enim larga extitisset euacuatio, etiamsi materia esset cruda, poterat tamen iuuare, quia multas hæmorrhagias in materia cruda iuuisse euidenter vidimus: eorum autem, quæ critica sunt, nihil conuenit esse modicum: nam hoc indicat aut malignos, aut multos humores naturæ imperio regi non posse, vt in hoc ægrotante, aut etiam denotat naturæ fatiscentis summam exolutionem. Tertio tandem modo ratione qualitatis sanguinis, quia erat merus, hoc est niger, ob incendium internum, veluti etiam annotauimus cum Galeno *in historia Philisci.* Hoc signum diximus esse lethale, aut saltem difficilis iudicij. Addamus modò quartum modum, cum è sinistra nare fluxerit, dextrum autem tempus doleret: sanguinis autem ad diuersum latus eruptiones, malæ, quia arguit huiusmodi excretio, quæ à diuerso fit, humoris malignitatem, & obsessæ partis imbecillitatem: cùm enim dextri temporis diuturnus dolor præcessisset, è directo debuisset fieri excretio: hanc enim commendat Galenus 2. *in 6. epidem. text.* 12. dum inquit, *Secundùm rectum, & costarum dolor, & quæ sequuntur: iuuantur enim plurimùm acutè laborantes*, modò seruetur

κατ' ἴξιν, hoc eſt rectitudo: eam enim valde damnat Hippocrates, quæ ἀνάπαλιν, hoc eſt è contrario accidit, ſicuti quando contingit liene tumido exiſtente, ſanguinem è nare dextra euacuari, & etiamſi vna tantùm ad naſi radices veniat vena, nec lien vllam ad ſiniſtram venam mandet, niſi hepatis medio, tamen tantùm poteſt rectitudinis ſeruatio in corpore humano, vt ſi quæ fiant criſes, ſi qui abſceſſus fiant per rectum, tunc iuuare ſit obſeruatum.

c *Aluus ſtercora deiecit.*] Quid minimum erat hoc ad conciliandam ſalutis ſpem, quam terrificum ſanguinis ſtillicidium ferè deiecerat, & quòd verum ſit, etiamſi reddiderit excrementa, tamen vrinæ erant tenues, cum ſuſpenſionibus variis, quæ & cruditatem, & humorum varietatem indicant, ſimúlque natiui caloris imbecillitatem, quod ex Hippocrate colligitur 3. *in* 3. *epid.* Vrinæ iſtæ nihil criticum, nec ſalutare præ ſe ferunt; fiunt autem tenues tribus modis. Primus modus ex inæquali, & varia materiæ conditione, & facultatis concoquentis imbecillitate, cuius cùm materiam ſuperat, progreſſus nec repentinus eſt, nec interciſus, cùm verò ſuperatur, aut æquè in omnes partes humoris non agit, coctionis ordo interturbatur, vt hodie appareant, cras deliteſcant concoctionis ſigna, & interdum vrinæ moderatè craſſæ, mox crudæ, & tenues fundantur, ex quibus, vel naturam à morbo vinci, vel variam, & compoſitam eſſe ægritudinem colligimus, vel redundantis ſeroſæ humiditatis ſymptomaticam fieri excretionem, ſi multæ ſint, & inutiles, quemadmodum ſudores, & deiectiones interdum copioſæ excernuntur, vt ſymptomata immoderatæ copiæ prauorum humorum, interdum verò naturæ vi ſeſe expurgantis, cùm facilè tolerantur, & proſunt, ſic & vrinæ tenues multæ, à ſuperfluente ſero humorum, cuius copiam continere, aut acrem, & mordentem qualitatem ferre partes ipſæ non poſſunt, nihil iudicatorij, nihil commodi habent. Secundus modus eſt primo adhuc deterior, cùm ſubitò vrinæ attenuantur, humorum ſymptomatica tranſlatione in caput, aut in aliam partem phlegmone obſeſſam. Sic imminente phrenitide, vrinas interdum & attenuari, & expalleſcere cernimus, ſigno admodum periculoſo. Tertius modus eſt optimus, & criticus, cùm ex paucis, & craſſis, tenues, & copioſæ profluunt, natura per renes totius corporis ſuperflua expurgante. Cùm igitur ita res ſit, in hoc ægrotante non fiebant criticè, neque ſecundo modo, ſed dicerem factas eſſe propter cauſam primo loco adductam, nimirum propter inæqualem, & variam materiam, multúmque habet periculi & difficultatis hæc vrina, quam vrinam cùm minxiſſet Philiſcus, ſexto obiit, quòd ſi habeat ſedimentum ſimile farinæ craſſiori, longè difficilior eſt morbus *ex* 2. *progn. text.* 28. propterea quòd fiunt, aut aſſato ſanguine craſſiore, vel conſumptis inæqualiter carnibus à calore igneo. Quare, ſi ſit colliquatio carnoſi generis, perpetuò eſt lethale, ſin ab ingenti calore ſanguinem perurente, morbi longitudinem prænunciat, dicente Galeno 7. *Aphoriſm. text.* 31. *Quibus febricitantibus in vrinis ſubſidentiæ craſſiores polentæ ſimiles fiunt, longum morbum ſignificant.* Sic igitur duo portendit, aut breuem mortem, in morbis, qui

qui graues sunt, aut saltem longitudinem morbi, vti in hoc apparet, qui sine dubio obiisset, nisi viribus fuisset robustissimis: nam scribit Galenus sic *in comment. ad Aphorism. adductum. Et hic sermo adhibita distinctione verus est,& ab experientia comprobatus: nam tales vrinæ exitiales sunt, sicuti etiam in prognostic. dictum est, plurimíque morte præripiuntur, antequam ægritudo diutius protrahatur, & quicunque ex ipsis sunt liberati, iis omnibus in longum est producta ægritudo, cùm dispositio multam requireret coctionem, in qua talis vrina mingitur.*

a *Tertio die febris acuta.*] Mouebatur hæc febris per dies impares, neque propterea mirum, si inualuit eo die,& videbantur omnia in deterius ruere, cùm statim subdat qualitatem excrementorum, dum inquit fuisse nigras,& tenues deiectiones, simúlque spumosas. Hinc apertè constat ea excrementa, quæ secundo die fuêre reddita per aluum, nihil boni attulisse, sed fuisse reliquias eorum excrementorum, quæ tempore sanitatis fuerunt congesta, cùm nunc nigra excernantur, quæ exitiosa esse ab Hippocrate habetur *lib.7. progn. text.*22. sed & apertè admodum 4.*acut.*57. his verbis: *Si autem nigra deiecerit, fore mortem indicat.* Erant,& tenues, quæ cruditatem indicabant, vt 1.*in* 1.*epid.comment.*25. *Et de humoribus, qui tenues sunt, omnes esse crudos, & robustam desiderare naturam, vt concoquantur.* Fit autem ob tenuis,& serosæ humiditatis exuperantiam, 3.*in* 3.*epid.comment.*75. maláque est, quia,& si quantum in se est, neque euasurum, neque moriturum ægrotantem significat, attamen diutinum fore morbum indicat, vti Galen. idem confirmat 1.*Aphor. comm.*12. Spumosa autem excrementa redduntur duplici de causa, aut propter intensum calorem, aut propter flatus; vna istarum dicitur causa materialis, scilicet humida, ac flatuosa substantia. Efficiens, vel calor maximus, vel vehemens motus, vel vtrumque simul. Calor, vt in feruente lebete,& apris ira percitis euenire solet. Motus vt in aquis ventis violenter perflantibus, agitatis. Si quis autem cupiat scire, quid sit spumosum, videat Galenum 2.*prorrhet. comm.*60. qui ita describit spumosum: *Omnes autem spumosum inquiunt appellari, facta vtique spuma, cùm flatuosa substantia, vel crudis, pituitosisque humoribus, vel pinguitudinis remista fuerit.* Cùm igitur à memoratis causis pendeat, dicerem adfuisse quidem flatus, sed cùm in acutis morbis apparet spumans deiectio, etiamsi ab aliqua dictarum causarum pendeat, tamen esse igneæ caliditatis argumentũ; ferè enim semper in solis adurentibus febribus spumosum deiicitur, à quibus euacuationibus magnum malum imminere solet, præsertim, cùm in hoc ægrotante essent etiam nigra, cum subsidentiis liuidis, quæ magnam visceris læsionem meritò præmonstrabant, ex Galeno 4. *Aphorism. comment.*21. indicium enim est, magnum adesse in hepate calorem, qui humores assauerit,& torridos reddiderit: nam confirmante Galeno 2.*progn. comment.*22. *Nigræ deiectiones ab atra bile syncera tinguntur, liuidæ verò, vbi modica modicè ipsis permiscetur, qualis mistio in subsidentia cernebatur.* Huiusmodi autem deiectiones sinistri sunt iudicij, ne dicam lethalis, Dureto confirmante ob prauam excrementi qualitatem, quo ducitur aluus. Omnia enim

iudicato

iudicatoria, non iudicantia, quæ in contrarium naturæ vergunt, cuiuſmodi eſſe dicuntur maligna excrementa, ſine exceptione funeſta ſunt. De iiſdem etiam loquitur Galenus 1. *progn.* dum ita ſcribit: *At verò nigreſcunt, & liuent, dum refrigerantur, refrigerantur autem dum extinguuntur.* Subdit: *Ita fit, vt hi colores prorſus exitiales ſint aſſiduè.* & *lib.* 1. *de criſ. cap.* 11. *Si autem liuidum quoddam in excremento fuerit, vbi non fuerit tale aliquod intus aſſumptum, partium infernarum validum frigus, ac veluti mortificationem indicat.* Sequitur modò Hippocrates, & inquit:

[e] *Veterno nonnihil tentabatur, ægrè deſurgebat.*] Veternoſi dicuntur, qui in graues incidunt ſopores, & veternum, & morbos attonitos, id eſt apoplecticos: graues autem ſopores fieri à frigiditate, & humiditate legitur 5 *de locis malè affect. c.* 5. *& multis alijs in locis*, quo exiſtente in maximo vitæ diſcrimine fuiſſe verſatum hunc ægrotantem nemo non videt, cùm in ardentiſſima febre apparuerit ſignum frigiditatis, quod maximè obſeruatur in Galeno *in comment. ad hiſtoriam Hermocratis*, de quo ſic ſcribitur, *ſopor cœpit.* Hanc particulam, dum exponit Galenus, hæc habet: *Nam inſanabilia ea eſſe demonſtratum eſt frigora, cum calidis morbis, & ſiccis ſuccedant.* Illud quod in hoc minuit periculum, eſt, quòd Hippocrates ſcribit nonnihil veterno tentabatur, quaſi per illa verba vellet innuere, habuiſſe quidem euidentem ad ſomnum inclinationem, ſed tamen non fuiſſe æquè grauem ſoporem. Addamus, quòd ſopor non vbique malus eſt, ſed tunc dicitur peſſimus eſſe, quando aduenit cum virium infirmitate, ſi fiat à peſtilenti exhalatione, à maligna cauſa: & eam ob rem in hoc ægrotante non æquè infeſtus fuit, quia non aliunde proueniebat, quàm à calore febrili ſurſum elatis vaporibus, cerebrum infeſtantibus: ſi enim exquiſito caro laboraſſet, tum motus, tum ſenſus adeò fuiſſet abolitus, vt etiamſi patientes ſtimulemus, vel feriamus, vel inclamitemus non ſentiant, vt dicit Galenus 2. *prorrhet. comment.* 29. & propterea non eſt mirum, ſi ægrè deſurgebat, cùm ſic affecti ſoleant difficulter deſurgere ſomno ferè obruti.

[f] *In vrinis, quod reſidebat, liuidum erat.*] Liuida hypoſtaſis ſolet eſſe argumentum partis emortuæ, liuidus enim color extinctionem, caloris arguit, ſic iam morientium partes omnes liuent, nigricántque vitalis ſpiritus radiis non amplius illuſtratæ. Ita Hippocrates *in Coacis. Quæ liuent in febribus, mortem in propinquo eſſe ſignificant.* Et iam in ſuperioribus dictum eſt, liuidum colorem tum in ſolidis partibus, tum in excrementis nigro eſſe deteriorem, quia fit interdum nigredo per decubitum humoris atri, ſic nigri digiti minus liuidis mortiferi: at liuor malè audit, vt ſemper extinctionem, vel internecionem ſpiritus, & vitalis caloris denunciet. Vnde mirari ſcribit, quomodo hic cum tali vrina euadere potuerit: nam ſi Galenus neminem ſeruatum vidit ex iis, qui nigram vrinam minxerunt, quomodo euaſit hic cum liuida, quæ deterior eſt. Vt prætermittamus quæ ab aliis dicuntur, nos ita reſpondebimus. Cùm Hippocrates tractat de liuore partium extremarum, non immeritò dicit eſſe illud ſignum lethale,

thale, quia videtur non posse fieri nisi deficiente calore,& eò deterius est signum illud, quo maiores corporis partes liuorem contrahunt, sed de excrementis alia est ratio, vti apertissimè constat ex textu Hippocratis, quod verum sit, quando Hippocrates tractat de liuore partium infernarum, dicit esse mortiferum hunc liuorem in acutis febribus, vt 2. *in 3. epidem. comment.* 5. habetur; quando autem tractat de excrementis, dicit esse mala, non lethalia, vti *ex* 4. *Aphorism. text.* 47. colligere possumus; quando scribit fœtidas, liuidas,& cruentas excretiones omnes esse malas, non dicit esse lethales, immò, inquit esse bonas, si benè exeant. Ergo aliquando fient euacuationes liuidæ,quæ poterunt esse bonæ,& per consequens,non semper mortem indicabunt. Loquimur tamen modò de liuore in morbis acutis apparente non alio tempore, quia potest liuor corporis apparere, quia motu materiæ à superficie corporis in viscera, & maiores venas, frigeat, liueátque corpus, tunc non est perniciosus liuor. Aliquando etiam fit propter largam euacuationem. Re igitur hunc in modum existente, dicerem ego non fuisse quid tantopere perniciosum, apparuisse sedimentum liuidum in vrina,quia erat quidem malum, quod periculum poterat minari, non tamen ita malum, vt certò posset Medicus mortem prænunciare, etiamsi liuor semper sequatur frigiditatem.

g *Quarto vomuit biliosa.*] Peruentum est ad quartum diem, neque propterea apparuêre, quæ salutem promitterent, cùm multa, & verenda symptomata apparuerint, inter quæ fuit vomitus, qui omnino erat symptomaticus, vti ex vrinis constabat, & propterea fuit multis rationibus damnandus. Primò, ratione temporis, & hoc dupliciter, vniuersalis primo, quia in morborum initiis, dum cruda sunt omnia, nulla crisis bona speranda. Secundò respectu diei, quæ quarta erat: quodcunque enim signum graue, die iudicatorio grauius est. Præterea erat infestus ratione quantitatis, quia pauca; addamus & ratione qualitatis, quia primò biliosa, flaua, posteà virulenta. De hoc vomitu loquens Hippocrates in *tract.* 4. *Coacarum, text.* 4. inquit. *Exigui vomitus biliosi, malè habent ægrotos, idque tum alias, tum si vigilias agitauerint.* Quem locum exponens doctissimus Duretus, hæc habet: *Enimverò prauitati vomitus multum adijcitur, cùm vitiosa qualitas rei, quæ vomitur, parca manu, crebrò, & ægrè apperet: omnium enim, quæ parca manu secus ac decet foras eduntur, causa est partis oppressio, vel exolutio, vnde mouetur humoris exclusio. Sed multæ sunt calamitatis causæ à vomitu bilioso, & parco: non enim ab eo febris mitescit, quia non est criticus, nec periodicus, sed omni ex parte symptomaticus, vnde nulla leuatio esse solet, ægritudo maior: nam bilis hoc vomitu, & ipsa affusa magis redditur,& febris vires aquirit magis eundo.* His euacuatis, apparuêre etiam virulenta: huiusmodi autem humor,quomodocumque appareat,& succum ex quo ortum habet,& morbum vehementer tum calidum, tum siccum esse ostendit: generatur enim huiusmodi humor vi febris à vehementissimo calore, materia verò flaua bile: bilis enim naturalis cum suo sero mista, pallida est. Vbi au-

tem incendio febrili, serum absumptum est, primùm quidem flaua, aucta verò vstione, vitellina, tum æruginosa, tum atra tandem efficitur, idque solet contingere in acutissimis febribus, phlegmone interiore, aut erysipelate in cerebro, pulmone, ventriculo, iecore. Quare, vtcumque excernatur, siue per vomitum, siue per ventrem inferiorem, siue per sputa, siue per vrinas, humor æruginosus exeat, & succum ex quo est genitus, & morbum tum vehemẽter calidum, tum siccum esse declarat. Cùm huiusmodi igitur vomitu tria possumus præsagire, morbi celeritatem, insaniam, & interitum. Hinc scribebat Hippocrates 2. *in* 1. *epidem. text.* 54. *Et virulenta vomunt, & ex his quidam moriuntur subitò*, cui subscribit Galenus sic. Hæ vomitiones fiunt, vbi aduritur flaua bilis, & propterea est admodum periculosus, quod demonstrat Hippocrates 1. *in* 5. *Coacar. text.* 20. hunc in modum: *Qui in dolore capitis æruginosa vomunt, accedente surditate, & vigilia in vehementem insaniam incidunt.* Hanc eandem sententiam habemus *in* 1. *prorrhet. text.* 10. At enimverò etiamsi talis vomitus sit lethalis admodum, non propterea omnes moriuntur, quòd verum sit. Hic conualuit, quia aliquando natura tantam vim habet, vt expellat malignum humorem, & superet causam generantem: habemus enim à Galeno fuisse, qui euomuerint syncerum, & æruginosum humorem cum febre, & totius corporis conuulsione, commorso, & vellicato ventriculi ore ab humoris acrimonia, qui neruos in consensum traxerat, statimque liberatum fuisse ærugine illa euacuata, ab omnibus affectibus 5. *Aphor. text.* 51. 13. *meth. capite vltimo in fine.* Itaque, etiamsi hic humor excernatur, non tamen simpliciter pronunciandum est moriturum ægrotantem, sed omnia expendere oportet, quia, si alia vergant ad perniciem, res malè habent; si aliter, non sublata est spes, vti apparet apertissimè in Cleonactide, qui cum tali vomitu conualuit, etiamsi longo tempore laborauerit. Phreniticus autem citissimè obiit, vt vidimus. Sed vtcumque sit, semper prauum est signum, etiamsi in omnibus non sit lethale.

[h] *De sinistra aliquantulum fluxit meri sanguinis.*] Verba Hippocratis demonstrant non fuisse stillam sanguinis, & propterea non æquè damnanda euacuatio erat: nam de stilla, vti iam vidimus, hæc habentur 1. *in* 2. *prorrhet. text.* 47. *Si vomitus ex igni, biliosique fuerint, malum, tum alias, tum si ægri superuigilauerint, narisque in his stillans, malo est.* Quibus hæc addit Galenus: *Excerni pauca in ægris vnum est ex ijs, quæ ex toto prauitatem habent, idem & in sudoribus est, & ijs, quæ per vterum excernuntur: nihil etenim eorum, quæ decretoria existunt, exiguè excerni conuenit, sed quæ ita vacuantur, omnia duorum alterum subeunt: nam vel quod non queant tolerari ob copiam, ab affectis partibus effunduntur, vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere, sed nequit: neque enim possunt morbi magni alio modo iudicari, quàm per sanguinis largas euacuationes.* Propterea ita scriptum reliquit Galenus 3. *in* 3. *epidem. comment.* 80. *Morbi magni, quales sunt acuti, quærunt, quæ se iudicent egregia.* Quòd si hæc sanguinis per nares euacuatio non iuuit, id

fuit

fuit quia quarto die: nam *quarto die facti fluores sanguinis, difficilis sunt iudicationis*, dicebat Hippocrates, 2. *in* 3. *epidem. text.*16. *Multo magis difficiles sunt si pauca, & non pro morbi ratione, quia non iudicant*; ita etiam 1. *prorrhet.* ex Galeno *comment.*1. *Cùm itaque stillatio è naribus semper sit malum signum, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto die fiat, vt in die iudice; quia scilicet diebus huiusmodi, signa omnia tum salutis, tum mortis firmiora sunt*, ex Galeno 3. *in* 1. *prorrhet. comment.*56. Substilla enim, & hæmorrhagiæ quarto die contra naturam morbi cientur, qui paroxismos habent dierum imparium: quæ enim malo sunt orta, è malis pessima esse solent, signo, & causa. At sanè malum est, è malis ortum sanguinis stillicidium die quarto è naribus, quia nimirum naturæ imbecillitas oppressæ in summa excernendi necessitate declaratur. Prætereà illud quoque sinistri aliquando accedit, quòd redeunt sanguinis stillæ. De stilla illud præceptum est, quòd eò peius res ire denunciatur, quò sepiùs redit, vt colligitur *ex Coacis*, vbi sic habetur: *Vndecimum diem agentibus substilla sanguinis mala sunt*, ídque cùm aliàs, tum si bis fiat, & redeat: quò enim sæpiùs proritatur natura, éstque irritata eius contentio, & inanis, eò peius est ægro, quoniam ex naturæ irritata contentione, frustráque tentato sanguinis profluuio maior infirmitas comparatur. Rebus igitur sic stantibus, non æquè graue fuit signum, quia non fuit stilla, fuit quidem pauca euacuatio, & ob id non effatu dignum commodum attulit, cùm nihilominus & vrinæ, & excrementa alui essent eadem, quod poterat indicare naturam, ne minimum quidem fuisse alleuatam: neque etiam à sudore sequuto, quia scilicet fuit tantùm circa caput, & clauiculas, qui sudor damnatur multis modis. Primò, quia quarto die: sudores autem febricitanti, si incœperint, boni, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono. Hi sudores iudicant morbos, qui verò non ita fiunt, laborem significant, morbi longitudinem, & recidiuam 4 *Aphorism. text.*36. Hoc tamen intelligendum venit in morbis imparium paroxismorum, qui diebus imparibus exacerbantur, qualis hic videtur extitisse, quòd extra paroxismum nihil benè, aut criticè mouetur, secùs in aliis: nam Periclem Abderitanum die quarto sudorem criticum, & salutarem habuisse scribit Hippocrates his verbis: *Quarto die sudauit toto corpore, multo sudore calido, iudicatus est, febris expers, nec idem relapsus.* Hoc autem fidem accipit ab illo theoremate. *Quæ paribus exacerbantur, paribus iudicantur.* Vtrùm modò damnandus esset ratione qualitatis, subticuit Hippocrates, tamen vtcumque esset damnari poterat ratione loci, quia circa caput tantùm, & ceruicem fiebat: huiusmodi autem sudores ex *lib.*2. *prorrhet. comment.*7. fiunt aut ob copiam in sudantibus partibus existentem, vt modò contigisse credo; aut propter retentricis facultatis imbecillitatem, & hac de causa malus est: si qui enim sudantes, & præsertim capite, in acutis paulum implacidi sunt, malum. Inter cætera symptomata illud quod potuit aliquid commodi afferre, fuit intumuisse lienem, & femur è directo partis affectæ, videlicet lienis: nulla enim alia ratione id euenisse putarem, quàm propter depo-

sitionem factam à natura, humorum peccantium; etiamsi fuit symptomatica ista motio, quia nullum aderat coctionis signum: huiusmodi autem abscessus praui sunt, neque possunt morbum perfectè iudicare: *Cruda enim*, inquit Hippocrates 1. *in* 2. *epidem. text.* 46. *& inconcocta, & in prauos abscessus conuersa, aut morbi longitudinem, aut periculum, aut mortem minantur*, ita & 4. *Aphor.* hæc habentur: *In febribus abscessus, qui ad primas indicationes non soluunt, longitudinem morbi significant*, & etiam 2. *in* 2. *Coacarum*, ita legitur: *In febribus inguinum tumor longum morbum significat.* Quomodo autem id fiat paucissimis verbis potest explicari sic. Bubones sunt in duplici differentia, alij fiunt à causa manifesta, alij à causa recondita, & interna. Iam superiùs habuistis, quid intelligendum sit per causam externam. Itaque, & ab vlcere, & à contusione, & aliis bubones solent oriri, aliquando sine febre, cum febre aliquando. Quòd si contingat inflammationem contrahere, febrem etiam mouent, & diariam; si verò cum impuritate corporis sint, etiam febrem à putridis humoribus ortam generant, sed bubonum genus non multùm facit ad præsagium. Est & aliud bubonum genus, quorum causa recondita est, cum febre putrida: hoc duplex est, criticum, & symptomaticum. Critici bubones, vt aliæ excretiones fiunt operante natura, fiúntque hi in statu, vt aliæ crises, & subitò ægrum liberant, qui verò sunt symptomatici, aut sunt pessimi, & citissimè ægrum enecant, fiúntque aut in principio, aut in augmento, aut, etiamsi non nocent, parum tamen iuuant, quo fit, vt diuturnum indicent affectum, atque eo diuturniorem, quo magis anticipant statum morbi. Indicant enim materiæ copiam, aut malignitatem, quam natura irritata expellere non potest, etiamsi conetur id efficere. Hi igitur abscessus necessariò longitudinem morbi denunciant, duabus de causis: vna, quia relinqui materiam intus ostendunt, quæ si maligna est, quod ex signis malignitatis cognoscitur, æger morte periclitatur: si copia tantùm vrget, cæteráque salutaria apparent, à sola diuturnitate metus est. Altera, quia cùm materia, quæ transmittitur sit incocta, non potest pars, ad quam transmittitur præ ipsius imbecillitate concoquere, neque etiam totam materiam admittere. Itaque copia per vasa magna, quæ vicina sunt, & capacia facilè intrò refluit, & corrumpitur. Quare apertissimum est hos bubones & producere morbum, & producendum præsagire. Præstereà bubones critici fiunt mouente natura, concitata tamen, aut velocitate, aut alio modo irritata, & hoc fit diebus criticis, ordinatè, & cum signis coctionis, aut obscuris, aut manifestis: symptomatici verò inordinatè mouentur sine signis coctionis, potiùs irritata à putredine natura, quàm eadem sponte operante. Aliquando insequuntur inflammationes internas, aliquando insequuntur venenatam qualitatem, aut ingentem alicujus visceris corruptionem, celerriméque hominem rapiunt, quoniam virtus tunc temporis ad extremum redacta, vt vidimus in peste præterita, non mouetur ad pugnam aduersus veneficam materiam, & etiamsi in huiusmodi bubonibus aliquando morbus non videatur æquè validus, tamen moriuntur quasi sine symptomatibus, non potente

tente natura insurgere aduersus causam morbificam, cognoscitúrque hoc ex virtutis extrema imbecillitate sine euidenti causa. Hi bubones non indicant diuturnitatem, sed breuissimam mortem. Alij fiunt vitio nobilium viscerum, sed sine venenata qualitate, qui quidem minus sunt lethales, sed tamen non desinunt esse maligni. Ex bubonibus ergo alios esse malignos, alios lethales, alios diuturnitatem morbi significare certissimum est, & quod dicitur de bubonibus, idem dicendum est & de inguinis dolore critico per decubitum materiæ ad inferiora, quemadmodum Herophonti commodè accidisse vidimus, & decimaquarta facta est crisis. At etiamsi sint critici, tamen neque carent periculo, quia bonos appellamus abscessus, qui longè à partibus principibus fiunt, qui aliter, eosdem suspectos esse certissimum est, etiamsi aliquando contingat ab his morbos diminui, quamuis longo temporis tractu id accidat, veluti præsens Historia confirmat. Sed redeamus ad rem. Fuit in hoc ægrotante non incommodum, lienem, & femur intumuisse, quia quæcumque depositio à supernis ad infernas sine dubio commendatur, sed tamen arguebat copiam maiorem, quo plures partes infestabantur: in hoc vtrumque hypochondrium lædebatur, vt denotant verba illa;

[i] *Hypochondrium dextrum molliter contendebatur.*] Quia, quæ materia præcipitabat, eadem neque tumorem ingentem faciebat, & flatuum copiam suscitabat, calore agente in eandem materiam crassitiem habentem, & quemadmodum certissimum est, in frigida iecoris intemperie, etiam totum corpus compati, & faciem omnium primam intumescere, ita in calida caput primò compatitur, quia facies ad suscipiendos vapores maximè est apta, & caput ascendentes ab hepate vapores non difficilè admittit, hinc fit vt vellicantes calore suo præternaturali delirium concitent: vtplurimum autem præcedant vigiliæ, quæ propterea à Medicis plurimi fiunt, tanquam delirij antesignanæ, & multò maiorem contraxisse intemperiem calidam hinc elicere possumus, quòd anteà veterno tenebatur: nunc igitur delirasse necessarium est dissipatam fuisse materiam affectum frigidum inducentem, quod etiam demonstrant vigiliæ, cùm veternum sanet phrenitis ex mente Galeni *6. in 6. epidem. comment.*8. nisi velimus moderari vim affectus, per verbum illud.

[k] *Aliquantulum delirauit.*] Innuens leue aliquod delirium, remissa scilicet vehementia propter dispositionem capitis. At quomodocumque esset ex hoc Medicus poterat coniectare quantitatem materiæ, & periculum: quantitatem materiæ, quia, quotiescunque videbitis materiam ferri ad infernas partes, & nihilominus partes superiores lædi, indicium est præ copia, non omnino exonerasse supernas partes; etiamsi iam posse eleuari vapores ab iis partibus, ad caput, sed tamen non æquè facilè, & ego nunc coniecto potiùs adesse copiam insignem, cui natura non potest æquè benè moderari: periculum posteà, quia hæc accidentia non inducit, nisi malitia humorum. Quòd adesset copia, verba Hippocratis sequentia confirmant, dum ipse ait.

[l] *Quinto deiectiones plures, nigræ, spumosæ.*] Hoc verbum *plures* potest

 referri

referri ad quantitatem, potest referri ad qualitatem, vt dicamus fuisse plures, quàm priùs erant, & ex hoc copia: vel plures, id est, variæ, hincque malitia. Itaque vtrumque fuisse constat: qualitatem enim prauam denotat nigredo excrementorum, & spumositas, quæ mala qualitas visa est esse aucta sexto die, cùm deterioris fuerint qualitatis excrementa, quoniam nigra ponit extitisse pinguia, spumosa, viscosa, & graueolentia, quibus excrementis euacuatis visa est affectio leuior; etiamsi soleant hæc improbari, tanquam perniciosa, & vt alia omittam, tantùm de pinguibus, & graueolentibus dicemus. Hæc lethalia esse testatus est Hippocrates 2. *prognost. text.* 22. dum scribebat sic: *His autem magis lethales sunt nigræ, vel pingues, vel liuidæ, vel æruginosæ, & fœtidæ.* Pingues excretiones fiunt, cùm recens compacta substantia pinguedinis, ac carnis ab ardente febre resoluitur, & colliquatur. Solet id euenire in febribus pestilentibus: ita enim habemus *in hac sectione, comment.* 57. *Quæ euacuabantur erat colliquatio*, quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris, quam pestilentem priuatim vocitant, cùm mortales, vel citra pestem corripiat; annotatum hoc à dilectiss. Patre meo *in commentarijs in prognostica.* Quòd verò essent fœtida, & hoc erat ex perniciosis: nam fœtida omnia pessima sunt, teste Hippocrate *in prognostic. Omnes*, inquit, *subputridi & fœtidi odores in ijs omnibus, quæ vomitu reiecta sunt, mali.* Hac de causa sputum in phthisicis ex odore esse examinandum præcipiebat, non solùm tanquam signum demonstratiuum suppurationis, verùm etiam tanquam imprimis lethale, si vehementer fœteat: quando enim persentitur ingens fœtor, ingentem putredinem adesse, caloris extranei abundantiam, & caloris natiui extinctionem in parte, à qua prodit semper demonstrat. Et quod dicitur de sputis, idem intelligitur & de vrinis, & alui excrementis, & præsertim si in febribus continuis fiant, & tantam vim esse in hoc signo statuunt viri grauissimi, vt putent magnifaciendum esse semper, & huic minimè fidendum, etiamsi alia essent signa salutaria: nam quamuis in purulentis omnia signa reperiantur salutaria simul, nec vlla intercedant lethalia, qualia sunt inquietatio, dolor vehemens, sputi suppressio, spiratio difficilis, sitis, extimarum partium frigus, & id genus alia, vnius tamen huius præsentia, recidiuæ, & morti prædicendæ satis esse potest. Verba, quæ debent à vobis attendi in horum morborum curationibus, & maximè memoria mandari. Hoc confirmatur *in Coacis lib.* 3. *text.* 129. *sect.* 3. sic: *Lethales sunt deiectiones pingues, nigræ, liuidæ, cum odore graui.* Ergo, si huiusmodi excrementa tã sunt lethalia, quomodo cõualuit hic ægrotans. Non propterea quòd scribit Hippocrates esse lethalia, eam ob rem talia esse simpliciter est intelligendum: nam quæcumque euacuationes attendendæ sunt, si benè exeant, necne. Benè exire intelligemus, si iam apparuerint signa coctionis, si cùm hac virtus plus iusto non debilitetur, si æger impostetùm meliùs ferat morbum: nam hoc imprimis attenditur in omni euacuatione, vt facilitas, & tolerantia euacuationis spectetur. Hinc Hippocrates 4. *Aphorism. aliàs adducto*, scribebat in hunc modum: *Excretio-*

nes

nes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ omnes malæ, sed cùm benè excernuntur, non malæ. Addit Galenus: *Malæ euacuationes sunt malarum signa dispositionum, prodeúntque sæpiùs eodem modo, quo in vlceribus putridis, à quibus ichores, hoc est, liquores saniosi defluunt, nihil dispositioni conferentes, nonnunquam verò ita, sicuti pus ex abscessu disrupto benè expurgans partem patientem. Indicia verò, quòd benè excernatur, maxima quidem sunt coctio, & bona tolerantia, cum ipsis verò & morbi species, & post ipsam anni tempus, regio, ætas, natura ægrotantis.* Idem Hippocrates 2. *prognost. text.* 51. *In omni materia, quæ ex corpore secernitur facilitatem potissimum spectari conuenit: sæpè enim valuit natura prauam vincens affectionem expurgare corpus, & in hoc terrentur multi aspicientes vitium eius, quæ excernitur materiæ, nequaquam cognoscentes, vtrum id accidentis fiat ratione, an quia natura prauam materiam foras propellat.* Si benè, an malè exierint excrementa hæc, ostendit sanatio, cùm ab euacuatione remissa sint symptomata, scribit enim dormiuisse, & meliùs mente constitisse, quod potuit ideò euenire, quia vitiosi humores, præsertim atri, delati sint ad infernas partes, quemadmodum fugax surditas biliosis superuenientibus deiectionibus solet finiri. Potuit etiam id euenire, quia esset dies par, scilicet quietior, attamen fuit somnus non inutilis, quia diminuit delirium, cùm meliùs constitisse dicat. At enimverò, quemadmodum infidus semper est dies sextus, ita etiam non multùm fidendum alleuationibus, tali die factis, quod etiam sequentia confirmant: nam totus immutatus videbatur die septimo, de quo sic habetur:

[m] *Septimo, lingua arida, sitibundus erat, delirauit, vrinæ tenues, haud boni coloris.*] Quoniam mouebatur hic morbus diebus imparibus, parum perdurauit quies illa, quæ visa est die sexto: nam, habuisse accidentia enarrata in textu, aliud nihil demonstrant, quàm auctam esse febrem, & quia acuta erat, etiam ex vi caloris lingua exsiccabatur: eadem ratione sitis vrgebat, calor autem, cùm esset immensus, lædebat caput, contrahens intemperiem calidissimam, à qua vigiliæ, & delirium; hinc vrinæ tenuitas, elatis vaporibus ad superna, & minimè vrinarum bonus color; erant tamen, quantum coniecto, minùs malæ, quàm *suprà* recensitæ. Quòd in die pari minùs affligeretur, dies octauus fidem facit, quando eo die, etiamsi excrementa alui essent improbanda, vt nigra; tamen erant pauca compacta, id est, aliquo modo compacta, quasi velit denotare habuisse aliquod coctionis principium, & proinde sequuta conferentia, & tolerantia omnia sunt remissa, cùm dormiuerit, apud se esset, neque siti æquè infestaretur, minùs commotis humoribus, & etiamsi in nona terrifica habuerit symptomata, nihilominus, si pulsus potuisset tangi, huic maximè præ cæteris fuisset fidendum, quia verisimile habuisse constantem. Terrifica dico symptomata, quia superriguit, febris fuit acuta, sudauit, infrixit, delirauit, & alia passus est accidentia, quæ poterant timorem incutere, & præsertim cùm apparuerint eo die, qui contemplabilis dicitur à Galeno, quia sæpissimè iudicia in septima imperfectè facta, ipse perfi-

perficit, aut præoccupat in vndecima futura. Ita in hoc ægrotante incœpit crisis, sed ea quidem & imperfecta, & periculosa. Imperfecta, quoniam non iudicauit, quod neque erat expectandum, nulla sequuta coctione, & propterea non est mirum, si euenit relapsus. Demum fuit periculosa, quia cum grauissimis symptomatibus, quæ fuerunt excitata ab humoribus huc, & illuc agitatis à natura bonos succos à malis secernente, veluti euenire solet in perturbatione critica. Quòd postea fuerint periculosa symptomata ex textu habetur: nam inquit, *riguisse, posteà sudasse, à quo iterum refrigeratio.* Rigorem hunc nulla insignis est sequuta euacuatio: neque enim effatu dignus fuit ille sudor. Illud tamen, quod auget periculum, est, riguisse à sudore: nam scribit Hippocrates 2. *prorrhet. text.* 32. *Si ex perfrictione sudantes recalescant, malum.* Galenus *in comment.* ἀναθερμαινομένους, id est, recalescentes, nunc intelligit, qui rursus febricitant. Sermo autem talis est. *Si in morbo quis, postquam sudauit, frigidior quidem protinus, quàm naturæ conueniat, fiat, rursúsque febricitet, non sine periculo afficitur.* Quòd autem & idipsum malum sit, cuiuis patet. Ergo, cùm à sudore frigidus factus fuerit, rursúsque febricitauerit, vt verisimile est ex sequentibus, meritò non sine periculo fuisse ægrotantem, vnusquisque videre potest, quòd si aliud non significasset, saltem morbi longitudinem, ídque ex eodem Hippoc. habetur 4. *Aphor. text.* 40. Qui sic habet: *Et vbi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel color alter, ex altero fiat, longitudinem morbi significat.* Galenus: *Dispositiones variæ diuturniores semper sunt, quam quæ sunt vniusmodi, cùm non possit natura in paruo tempore multas conficere dispositiones.* Sed præter id, quòd infrixit, delirauit, lingua exaruit, sitis vrgebat, & vigilabat, quæ omnia non obscurè demonstrabant à sudore non fuisse alleuatum, & nescio quomodo dicat Galenus *in comment.* delirasse in nona, & dextro oculo strabonem fuisse, quia crisis immineret. *Nam,* inquit, *quòd delirauerit in nona, & dextro oculo strabo fuerit, res sunt, quæ solent in iudicijs euenire:* nam, si his fidendum oportet præeant signa coctionis, nisi mentiatur Galenus, aliter sunt infida, *in* 3. enim *de crif. cap.* 2. Postquam enarrauit, quæ crises antecedunt, subdit: *Deinde repentè multus sudor erumpit, aut vomitus aliquis.* Quòd si respondeamus hæc facta fuisse repentè, dicendum tamen necessaria esse signa coctionis, quorum ne minimum quidem extabat. Quod clariùs exprimit *cap.* 3. his verbis: *Dicam vero summatim, & nunc omnia, quæ & præsentem crisim, quo euasura sit ostendunt, & futuram præmonstrant. Primum quidem, & maximum inter omnia est considerare coctiones ex vrinis, & alui excrementis, & sputaminibus.* Ex quibus verbis vult crisim semper habere, quæ eandem præmonstrent, videlicet signa coctionis, si non perfectæ, saltem manifestæ. Ergo cùm in hoc ægrotante nullum apparuisset coctionis signum, hàc non vi naturæ crisim molientis, sed potiùs vi morbi factam dicendum esset: nisi velimus non rarò fieri à natura motus symptomaticos cum ægrotantis commodo, túncque dicuntur iudicati ægrotantes, etiamsi non perfectè. Et si erat aliquid, quod posset ruinam minari, non erat in

postremis

postremis oculi distortio, à qua cerebri vitium significabatur, & non tantùm poterat dici signum periculosum, verùm etiam mortiferum, quod est experta Oecetai vxor, quæ cùm huiusmodi symptomate ab abortu decimoquarto die obiit, hic autem conualuit quidem, non sine labore, vt ex textu appatet, neque mirum tantum periculum afferre, quia vtplurimum sequitur conuulsionem musculorum oculos mouentium; dico, vtplurimum, quia potest prouenire etiam à flatibus, vt in hoc, quia breuitas symptomatis ita suadet, cùm ferè fuerit momentaneum, & non diutiùs permanens, & quemadmodum omne bonum signum, quò persistit diutiùs, eò melius: ita omne malum tantò tolerabilius, quantò breuius est; hæcque est causa, cur minus aliis læsus sit, etiamsi eadem essent decima die. Sic vndecima visus est ægrotantis status immutatus, cùm omninò mente constaret, & alia haberet, quæ nonnisi meliorem ægrotantis conditionem denunciabant, præsertim cùm à sudore sit febris sublata: tamen quia in materia cruda nunquam fit perfectum iudicium, eam ob rem statim addit.

n *Vrinæ erant circa iudicium tenues.*] Quod non alia de causa addit, nisi vt cautos nos reddat in ferendo iudicio salutis, aut mortis: neque enim propterea quòd meliùs habeat ægrotans, statim prædicendum est sublatum esse timorem, sed alia attendere oportet, & videre, an concurrant simul, quæ certum iudicium pollicentur: si enim vrinæ adhuc remanent crudæ post iudicium, genus venosum non integrè conualuit, & eam ob rem suspicari semper oportet, ne qui ægrotans visus est integrè iudicatus, iterum in morbum incidat, quod ita esse confirmat præsens Historia, cùm decimaquarta die iterum febricitauerit, remanentibus antè enarratis accidentibus, quæ demonstrabant adhuc priorem putredinem viguisse. Neque intermisisse duos dies fuit indicium febrem versam esse in tertianam, quia illa intermissio non fuit ex propria morbi figura, sed fiunt hæc interquiescente sæpissimè natura, quod multoties vidi ego, & ex istis aliquos obiisse scio, aliquos difficilè conualuisse, pro ipsorum statu minùs, aut magis malo. Quare & vos adolescentes dilectissimi huius Historiæ exemplo accurati eritis circa symptomatum cognitionem, ne minima ægrotantis alleuatio vos decipiat, vt non rarò euenire videbitis.

o *Rediit decimoquarto.*] Vix credibile erat, posse integrè iudicari in tanta humorum cruditate, & copia, præsertim cùm iudicium sit factum sine indiciis coctionis. Quare non est mirum rediisse, & prorsus eadem fuisse symptomata, & fortasse grauiora, cùm & vigiliæ vrgerent, & delirium inualesceret. Hîc locum videtur habere sententia *Coacarum ex lib.* 1. *text.* 100. desumpta, quæ sic habet: *Quibus excussa insania, febris acuta superuenerit, phrenitici rursus fiunt.* Phreniticorum enim relapsus accepti feruntur insaniæ reliquiis, quæ in cerebro supersunt, quia insaniæ tanta est feritas, tãtáque cerebri alteratio, vt superstite empyreumate, id est, ignis fomento, vix videatur posse depelli; siquidem in illa parte impressa maneat veteris vestigium mali. Videtur autem ambiguum, an istud delirium

dicatur phrenitis, necne: phrenitis enim habet perpetuum delirium, vt suo loco demonstrabitur, hoc autem erat interpolatum: nam cùm obscurè in quarta, manifestè in quinta apparuisset, alternis tantùm diebus ægrum infestabat, vsque ad vndecimum, qua per imperfectum iudicium à febre, & à delirio liber euasit, ita vt potius paraphrenitis, quàm phrenitis videatur dicenda, insequens exacerbationem febris, quæ per dies impares mouebatur. Visus quidem est phreniticus à decimaquarta, vsque ad vigesimum diem, quo tempore delirium fuit perpetuum, neque mirum id ita euenisse, quia calefactum cerebrum à priori delirio, potuit non difficilè validiùs alterari: semel enim contracta intemperies paruo negocio incrementum suscipit. Hæc cùm ita habeant, nullus potuisset adhuc affirmare in tuto esse statum istius ægrotantis, præcipuè cùm in dies exacerbari accidentia animaduertamus, vt dies decimaquinta demonstrat, de qua sic scribitur.

P *Quintodecimo vrina turbata, cuiusmodi ex ijs, quæ subsederunt fit, vbi agitantur.*] Vrinæ, quas decimoquinto die emisit, maximam humorum in venis agitationem, & flatuosi spiritus permistionem arguunt. Ita 4. *Aphorism. text.* 70. capitis dolorem prænunciare vult Hippocrates, quia cùm fiant à materia crassa, & densa à calore agitata, facillimè spiritus flatuosus eleuatur ad caput, quibus repletum caput dolet, & præ calore etiam in huiusmodi casibus arcetur somnus, delirant, & febricitant. Illud, quod inter hæc signa, aliquid boni habebat, est doluisse crura, & tibias: nam, si verum est, in eas partes defluere humores, in quibus dolores excitantur, erat etiam pro certo habendum ad eas partes fieri humorum transmissionem, & cum maximo ægrotantis commodo, hac facta à nobilibus ad ignobiles. Simili facta depositione in Herophonte, præter omnium expectationem euasit: solet enim talis depositio etiam citra coctionem iuuare non mediocriter, vti in antecedentibus est obseruatum, quod etiam quammaximè & vos attendere expedit. Vt autem demonstraret, non perinde aluum fuisse lubricam, ac in principio, subdit, vsum fuisse balano ad educendas fæces, sed tamen etiam videmus respexisse ægrotantis virtutem, non præsentem tantùm, sed etiam futuram, quando sciens in morbo diuturno virtutis prostrationem imminere, vsus est leuissimo medicamento, de qua re iam dictum est *suprà*. Excrementa, quæ excernebantur erant nigra, quibus non fidendum, propterea quòd cùm subesset feruor, poterat quid sinistri euenire: neque enim adhuc capitis affectio remittebatur, cùm denuò sextodecimo die deliraret, & haberet vrinas coctionem requirentes: erant enim tenues cum nubilosa suspensione, quas reponit inter mediocres Galenus in Historia Pythionis; neque tamen desinebat natura suo munere fungi, nimirum omnes suos conatus adhibebat, vt morbificam causam sensim euinceret, concoqueret, & expelleret, quod dum fiebat, multa patiebatur, quæ minùs tuta esse apparebat, vt ex textu elicitur, dum scribit,

q *Septimodecimo mane extremæ partes frigescebant.*] Videmus naturam semper inclinasse ad sudorem, cùm & die nono, & vndecimo sudor erupe rit,

perit, ſed tamen propter materiæ diſpoſitionem, fuit imperfectus, quemadmodum & in hoc die, in quo maximè agitatam naturam cernimus. Hæc dum ſe diſponeret ad euacuationem, refrigerabatur, calore intus recurrente, visáque eſt acceſſio, cùm ſit coactus cooperiri, & poſteà febris aucta ſit, quòd etiamſi fiat imminente criſi; tamen neque poterat expectari integrum iudicium in materia contumaci, quæ plures naturæ motus expoſuit, antequam integrè euincatur, quemadmodum & nunc videmus: etiamſi enim ſudor, qui erupit fuerit laudabilior, cùm toto corpore eruperit, & ſolito copioſior, quem alleuatio euidens ſequuta eſt, vt ex diminutione delirij, & febris conſtat; tamen, neque potuit perfectè iudicari, cùm nihilominus perduraret febris, & ſimul ſitiret, quod euidenter denotabat, febrem fuiſſe alicuius momenti. Prauam adhuc ſubſtitiſſe diſpoſitionem demonſtrat vomitus, qui fuit materiæ bilioſæ, qui ſi fuiſſet copioſus, maiorem vtilitatem attuliſſet, at quoniam fuit paucus, eam ob rem & morbus producebatur; id autem ita factum crediderim, quia adhuc extarent phlegmatica, quæ vt tenacia, non ſinebant ſe trahi. His reſpondebant, quæ per aluum euacuabantur, quod ſpectat ad quantitatem, ſed deteriora, cùm eſſent nigra, & tenuia, quæ cruda eſſe denotabant, & prauitatem, vt inde poſſet Medicus non omninò certam ſalutem polliceri, morbo diuturnitatem habituro. Neque ſublata erat ſuſpicio affectionis cerebri, vrinis ex turbidis in tenues commutatis, vti factum conſtat ex ſequentibus, dum ſubdit.

r *Octauodecimo mens illi lababat.*] Mentem labare, & eſſe comatoſum: perinde eſt, ac ſi diceret, incidiſſe in coma vigil. Hæc dum fiunt in morbo calido, ſuſpectam reddunt ægri ſalutem, quoniam inutiliter vertitur phrenitis in veternum, Galeno dicente *6. in 6. epidem. comment.* 8. quia videtur potius naturæ extinctio, vt de Hermocrate dicebatur, etiamſi in hoc ægrotante non æquè grauis erat affectio, quamuis humoris pituitoſi copia adeſſet. Etenimverò benè actum eſt cum illo ægrotante, qui in morbo grauiſſimo vires habet adeò firmas, vt poſſit reſiſtere morbificæ cauſæ ad perfectam coctionem vſque. Hic ægrotans etiamſi morbo verendo detineretur, nunquam tamen natura ei defecit, immò validiùs in dies mouebat, & quò cauſa erat contumacior, eò validior motus in expellendo apparebat. Ecce vigeſimo die adhuc tentauit conſuetam, & maximè conuenientem euacuationem febribus intendentibus, ſudorem videlicet, qua euacuatione in die decretorio facta, dormiuit, & planè mente conſtitit. Itaque ceſſarunt omnia: delirium, ſitis, febris, & ita videbatur iudicatus, ſed tamen non omninò fidendum, dum vrinas poſt iudicium tenũes habemus, niſi id fiat propter vrinarum multitudinem, vt contingit in iudiciis, ſecus oculatus ſit Medicus oportet, neque alleuationi tantopere fidat, vt putet non reuerſurum morbum, quia in magnis morbis, magnæ requiruntur euacuationes ad fidum, & integrum iudicium, aliter reuertuntur morbi, vt præſens caſus demonſtrat, dum ſubdit.

s *Primeuigeſimo iterum delirium, & ſitis, dolor hypochondrij.*] In hoc

ægrotante alleuatio fuit euidens, etiamsi redierint accidentia: nam scribit, *parum delirauit, nonnihil sitiebat*, signum, quòd & febris mitior erat facta, cuius causa cùm vapores, neque tot, neque æquè calidi eleuarentur, neque etiam æquè grauia reddebantut symptomata. Doluisse hypochondrium, id est, dextrum, hoc fiebat ab humore fugaci motu illac transeunte. Perpetua illa palpitatio circa vmbilicum poterat perturbationem significare, aut delirium, si credendum est Hippocrati 1. *prognost. text.* 28. *Si pulsus*, inquit, *in hypochondrio insit, perturbationem significat, & delirium.* Ita *lib.* 2. *Coacarum*, *text.* 18. *Palpitatio ventris in febre insaniam facit, per translationem nimirum humoris calidi, tenuísque sursum ad caput.* At, cùm palpitatio multis modis dicatur, videndum est, de qua palpitatione sit intelligendum: nam triplici modo sumitur palpitatio. Primò, pro illa, quæ fit à spiritu flatuoso, & crasso, vt 2. *lib. de causis symptom. cap.* 2. & *lib. de rigore conuuls.* Secundò, pro vehementi, insignique arteriarum motu, qui vel ab ipso ægrotante sentitur, vel à Medico potest manifestè conspici, nondum admota manu, quemadmodum 2. *epidem.* in Historia Pithodori, & filij Eratolai apparet. Tertiò, pulsus dicitur de motione illa, quæ in magnis inflammationibus dolorem excitat, de qua Galen. 7. *Aphoris. comment.* 2. & 4. *acut.* 26. Primus modus neque hic, neque in prognosi locum habet, quia hæc, neque delirium, neque insaniam indicat, aut aliquam perturbationem. Neque tertius videtur admittendus in hon ægroto, quia de nulla inflammatione partium in hypochondriis contentarum hîc sermo fit. Quare relinquitur secundus modus, qui etsi inflammationem propriè dictam, tanquam causam non agnoscat, & distinguatur à tertio modo, attamen incensionem, & phlogosim arteriarum vtrique admittit. Ita in hoc ægro palpitatio originem ducebat ex causa dicta, hincque fomentum habebat delirium, subministrato calido, tenuique humore, atque perturbatio significabatur, quia ab huiusmodi partium affectionibus, non potest abesse periculum, cuius causa æger Medicus, & adstantes perturbantur.

[t] *Vigesimoquarto vrinæ habebant subsidentiam.*] Erat sine dubio subsidentia materiæ crassæ, cuius maxima copia extabat in huius ægrotantis corpore, detrudente natura talem materiam ad vias vrinæ; & ideò erat mentis compos, delirij causa discussa. Et tandem apparet apertè naturam victam esse, quando post multam defatigationem euasit superior, potente peccantem materiam ad inferna deponere, vt colligitur ex coxæ dexteræ dolore. Depositio admodum commoda, quod ostendit sanatio, quando ab hac humorum depositione omnia sunt reddita mitiora. Quòd si nihilominus vrinæ essent tenues, erat tamen subsidentia; neque enim poterat natura adhuc in tanta humorum crassorum copia perfectam coctionem moliri, nisi aliis superuenientibus euacuationibus, quod nonnisi longissimo tempore erat expectandum: nam adhuc vigesimonono erant tenues vrinæ, & dexter oculus dolebat. Dextrum oculum doluisse, posset referri hoc in futuram crisim, sed tamen dicerem fuisse flatus sursum ascendentes, qui dolorem hunc concitarunt: cùm enim caput, vt vidimus,

mus, esset quammaximè repletum, oculi autem sint quammaximè vicini cerebro, potuerunt cerebri affectionem persentire, & dolere, & inquit, fuisse dextrum oculum, fortasse è directo partis affectæ: iam enim dixerat dextrum tempus doluisse. Vsque ad hunc diem vrinæ erant tenues, indicium non obscurum, adhuc crudam extare materiam, & propterea non posse integrè iudicari, quod tandem sequutum est die quadragesimo. Hoc die aluus pituitosa, alba, subcrebra deiecit, multum toto corpore sudauit. Absolutè est iudicatus. Binas tandem, & satis copiosas tentauit natura euacuationes, quibus integrè fuisse iudicatum hunc ægrotantem scribit. Vna erat per aluum, & erat materia talis qualis, crassa nimirum. Altera per sudorem tenuioris materiæ, & inquit *sudasse* verùm, non vt primis diebus, sed addit *multùm*, vt innuat crisim fuisse factam, vt in tali morbo erat necessarium: maximæ enim humorum copiæ maxima debebatur euacuatio: potest enim aliquis sudare, sed non copiosè, potest & copiosè, sed non toto corpore, propterea addit vtrumque, copiosè, & toto corpore, vt denotet vim naturæ in expellendo noxia post longam pugnam, de quo sudore hæc habet Hippocrates 1. *prognost. text.* 26. *Sudor optimus est per omnes morbos acutos, si per diem decretorium euenit, & integrè sedat febrem.* Bonus etiam, si ex toto corpore prodeat, faciátque vt æger faciliùs ferat morbum. Galenus super hoc ita habet ad verbum: *In optimo sudore duo scribens indicia, prætermisit tertium, tanquam necessariò sequatur ea, quæ dixit: Qui enim euenit die decretorio, & integrè sedat febrem, is quoque ex toto corpore it.* Ergo sudores priùs facti erant boni, qui ægrotantem alleuarunt; hic autem fuit optimus, cùm integrè iudicauerit, & ex toto morbum sustulerit, quod significat per verbum illud.

v *Absolutè.*] Habet hoc optima crisis, vt dum ægrotans iudicatur, febris soluatur, atque aliis accidentibus liberetur, & meliùs sit coloratus pro ratione euacuationis, cum melioribus pulsibus, & robustior fiat: cùm aliquod istorum deest, tantùm ab optima deficit, quantum est eius, quod deficit vis. Sustinuit hic ægrotans sæuissima accidentia, vt mirum etiam sit, naturam potuisse vsque ad morbi perfectam solutionem sufficere, vt non immeritò de hoc dici possit, quod Galenus memorauit de Heropytho, dum inquit: *Hic vir memoratu dignus, qui morbum grauem virium robore excepit, alioqui tanto morbo futurus impar*, & de hoc ipso Galenus *in præsenti comment.* scriptum reliquit: *Apparet hunc virum validis fuisse viribus, vt quæ cum grauissimo morbo luctantes resisterent*; signum, quòd vires, vbi sunt valentes omnia contemnunt, ac tolerant. Aliud in hoc ægrotante est notandum, fuisse quadragesimo die, qui est terminus acutorum ex decidentia iudicatum per sudorem, quod infrequens esse scribit Galenus, & experientia docet: Hippocrates enim de sudore verba faciens incipit sic: *Sudores boni sunt, si febricitanti incœperint, & tertio die, & quinto, & septimo vsque ad trigesimum quartum*, quadragesimi autem nullam facit mentionem. quod Galenus obseruat *in comment.* subdens: *Quadragesimi non meminit fortasse, quia hunc prin-*


 cipium

cipium morborum longorum existimauit, qui non admodum per sudores iudicantur. Nam, & trigesimumseptimum, & trigesimumquartum, & ante ipsos vigesimumseptimum raro inueniemus per sudorem iudicare. Cùm igitur hic ægrotans iudicatus fuerit per sudorem, habuisse virtutem validissimam constat, quæ ita materiam crassam potuerit attenuare, vt verteretur in sudorem, & potuerit integrè in tam contumaci morbo æger liberari. His igitur ita præmissis, postquam, quæ ad partem theoricam spectant tetigimus, videamus aliqua ad praxim attinentia.

Curatio.

FEbris hæc fuit ex iis putridis, & acutis, quæ præter id, quòd erant magnæ, erant etiam mali moris, propterea non erat ambigendum, an huic febri conueniret venæ sectio, necne, quando omnia ea aderant, quæ ad huiusmodi operationem Medicum poterant cogere. Hac de causa, statim ac inuisissem hunc ægrotantem, nulla interposita mora sanguinem extraxissem, & in magna quantitate, vt morbi vehementia sedaretur, viribus præsertim permittentibus, idque ex vena iecoraria brachij dextri, præsertim parte capitis dextra dolente. Aluo sponte mota, non erat cur clyster iniiceretur, & cùm maximus esset in corpore apparatus humorum prauorum, insistendum erat medicamentis putredinem arcentibus: accidentibus prouidendum, rationéque veternosi affectus, reuulsoria medicamenta erant necessaria, vt cucurbitulæ, frictiones, & alia id genus, quibus passim nos vti vidistis. Ventriculi robur erat seruandum, & præcipuè in hoc ægrotante id erat agendum, cùm soleat in morbis diuturnis ventriculus non parùm labefactari. Secundo die modicum meri sanguinis ex nare sinistra fluxit, demonstrabat natura quid agendum esset, videlicet poterat sanguis iteratò mitti, sed ex brachio sinistro, & cùm vndecimo febris intermiserit, ego duodecimo arripuissem occasionem exhibendi aliquod lene medicamentum, quo primi ductus exinanirentur, & alleuaretur natura à sarcina, & à mala humorum qualitate, nisi tamen aluus fuisset nimis lubrica, quod tamen non dicit Hippocrates, vt aliàs solet, posteà iterum insistendum erat syrupis refrigerandi, & humectandi vim habentibus, & inter cætera mihi fuisset commendatum oxymel, quia morbi longitudo denotabat humorum crassitiem. Quomodo vigiliis esset prouidendum, & delirio, iam in aliis dictum est. Et quoniam excrementa emittebat nigra, erat pernecessarium ægrotantem, an alicui euacuationi sanguinis esset obnoxius, interrogare, veluti euacuationi, hæmorrhoidum, quia sæpissimè euenit, vt his retentis euacuationibus huiusmodi fiant excrementa, & eam ob rem, si hac causa nigredo excrementorum apparuisset, poterant applicari hirudines, quia sic facta fuisset non inutilis reuulsio à partibus superioribus. Hepatis ratio erat habenda efferuescentis, opportunis linimentis. Transacta vigesimaprima non essem veritus aliquod leue medicamentum iterare, & ita semper alterare, euacuare non validioribus, sequentibus nobis morbi motum, & cùm videretur

deretur natura ad vias vrinæ ducere, diureticis moderatis per eam partem erat ducendum: oportebat autem mutare medicamenta, ne iisdem sæpiùs iteratis odiosa reddantur. Tandem iudicato ægrotante, viribus mediocriter constantibus, poterat purgans exhiberi, quod reciperet mel rosaceum, & syrupum rosaceum solutiuum cum diacatholicone: optimum enim est medicamentum hoc, sed multoties frustratur Medicus sua spe, quia scilicet Rhabarbarum ingrediatur minùs opportunum, quàm conueniat, si verò fideliter sit paratum, benedictum est medicamentum. Neque enim credibile erat in tam diuturno morbo potuisse crisim tam perfectam fieri, quin relinqueretur locus medicamento soluenti, præsertim cùm crisis præcipuè fuerit facta per sudorem, quæ autem per aluum euacuabantur, essent quidem pituitosa, non tamen multa. De victus ratione erat statuendum à principio, quæ posset seruare robur virtutis, ad perfectam morbi solutionem. Et hæc satis.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΤΕΤΑΡΤΟΣ.

ΕΝ Θάσῳ Φιλίστης, κεφαλὴν ἐπόνεε χρόνον πουλύν. καί ποτε καὶ ὑποκαρωθεὶς, κατεκλίθη. ἐκ δὲ πότων πυρετῶν ξυνεχέων γενομένων, ὁ πόνος παρωξύνθη. νυκτὸς ἐπεθερμάνθη τὸ πρῶτον. τῇ πρώτῃ ἤμεσε χολώδεα, ὀλίγα, ξανθὰ τὸ πρῶτον. μετὰ δὲ ταῦτα, ἰώδεα πλέον. ἀπὸ δὲ κοιλίης κόπρανα διῆλθεν. νύκτα δυσφόρως. δευτέρῃ κώφωσις. πυρετὸς ὀξύς. ὑποχόνδριον δεξιὸν συνετάθη. ἔρρεπεν εἰς τὰ ἔσω. οὖρα λεπτὰ, διαφανέα. εἶχεν ἐναιώρημα γονοειδές. σμικρὸν ἐξεμάνη, περὶ μέσον ἡμέρης. τρίτῃ δυσφόρως. τετάρτῃ σπασμοί. παρωξύνθη πάντα. πέμπτῃ πρωῒ ἀπέθανεν.

ÆGROTVS IV.

IN Thaso caput Philistæ dolebat, & tandem veterno aliquantulum correptus decubuit. Cùm verò [a] *pocula febrem continuam excitassent, dolor nocte cœpit esse grauior,* [b] *incaluit primùm. Primo die biliosa, pauca vomuit, flaua illa primum, sed deinde virulenta, pluráque alui stercora deiecit. Noctem habuit molestam. Altero die surditas, acuta febris,* [c] *dextrum hypochondrium contentum est, ac intrò inclinabat, vrinæ tenues, per lucidæ, suspensiones habebant paruas, genituræ similes. Circa meridiem insaniuit. Tertio die grauiter se habuit.* [d] *Quarto, conuulsiones. Omnia sunt irritata.* [e] *Quinto, summa luce est defunctus.*

COM

COMMENTARIVS.

MORBI acuti, aut sunt acuti exactè, aut non exactè. Isti ad vigesimum diem, illi ad decimumquartum diem perdurant. Ex acutis alij dicuntur peracuti, qui dupliciter diuiduntur, in peracutos exactè, & non exactè. Isti ad septimum diem. Illi ad quartum finiunt, dicente Galeno 2. *de diebus decret. cap.* 12. Quare cùm hic ægrotans diem quintum vix potuerit attingere, morbo peracuto exactè laborasse non est obscurum,& præter febrem habuisse etiam in dextro hypochondrio ingentem phlogosim, cùm intrò inclinasse, & fuisse contentum dicat. Duplex fuit huius tam grauis affectus causa, externa, & interna. Externa, praua victus ratio. Interna, pessima corporis dispositio, quo factum est, vt noua adueniente causa externa, tam lethaliter ægrotauerit. Hinc apertissimè colligitur sæpissimè prauam corporis dispositionem posse exacta victus ratione emendari, praua autem victus ratione bonum corporis habitum posse dissolui,& multos morbos generari à victus ratione, multos sanari, & inhiberi ab eadem pro ratione administrationis. Exemplum sit hic ægrotans, qui cùm minus esset bene dispositus corpore, quod denotabat dolor capitis, vt in antecedente Historia vidimus, addens prauam victus rationem, nimirum in quantitate vini peccans, breui obiit, nec immeritò, quia fuit magnum malum dolente capite vinum assumpsisse, & plus iusto: vinum enim ob calorem promptè subit, ac penetrat; præsertim, si non ita crassis partibus constet; propterea neque in febre, neque in desipientia, sed neque in doloribus capitis vinum est sumendum. Verba Hippocratis sunt: *Cùm verò in huiusmodi morbis fortem capitis grauitatem, vel mentis læsionem suspicatus fueris, à vino abstinendum prorsus est.* Galenus: *Mens tentari, lædique dicitur, cùm æger febre correptus desipuerit.* Nunc ergo mentis læsionem desipientiam dicit, in qua vino abstinendum præcipit. Pari modo, & in vehementibus capitis doloribus. A vino igitur erat abstinendum, cùm capitis dolore afficeretur,à quo non tantùm abstinuit, sed immoderatè eodem vsus est, quod Hippocrates innuit per verbum illud.

[a] *Pocula.*] Id etiam testatur Galenus 1. *lib. ad Glauc. cap.* 3. Ibi loquitur de febribus ephemeris,& post multa concludit,nullo modo vinum esse exhibendum, si capitis dolor adsit. *Vinum verò omnibus,* inquit, *sed præcipuè his, qui vigiliam passi sunt intrepidè offerendum est*, subdit, *nisi capitis dolore premantur, aut pulsum venarum in temporibus sentiant*, quod idem repetit apertissimè *in eodem lib.* vbi agit de febribus cum accidentibus, in quibus multoties est necessarium vinum exhibere, & ita ad verbum scribit. *Vinum etiam aqua temperatum frigida, curat eas, quæ ex magnis fiunt euacuationibus dissolutiones, & tunc præsertim, cùm fluunt ad ventriculum humores. Sed aduertendum est, an aliquid sit, quod prohibeat huiusmodi exhibitionem, velut si vnum aliquod ex visceribus, aut caput vehementius*

hementius doluerit, aut passio aliqua, quæ delirare cogat, affuerit, aut febris incendens in morbo crudo: magna enim, & insanabilia ex vini potu in huiusmodi affectibus nocumenta proueniunt. Neque est quòd aliquis respondeat esse id intelligendum de calidis affectibus, quia hoc intelligitur de dolore capitis tam à causa calida, quàm à causa frigida, vt idem Galenus testatur 2. *lib. de compos. medicam. secundùm locos. Cùm enim vinum feriat caput, omnésque partes neruosas, meritò ipso dolente, assumpto vino, si non esset, fiet, & si erit, augebitur.* Quod feriat valenter neruos, & ipsorum originem, manifestum scriptum reliquit Galenus *in historia adolescentuli Melibeæ*, qui ex nimio vini potui decubuit, & obiit, *in cuius comment.* hæc habentur: *Multa quidem pocula neruis nocent, & origini eorum cerebro.* In historia Adolescentuli, qui in Mendacium foro habitabat, ita habetur: *Quare, vt dixi de offenso per vinum adolescente nihil habeo firmi statuere, nisi hoc. Omnium est vinorum immodico vsui commune, quod neruos tentet, & mentem, & hic quoque obijt.* Neque dissimile habetur *lib. de præsagitione ex pulsibus, cap.*7.] Quod cùm ita sit, manifestè apparet dolente capite, offensas inemendabiles à vini potione intempestiua fieri, vt etiam minimè mirandum sit, hunc ægrotantem, dolente capite, morbo crudo existente, & veterno affecto, vino plus iusto assumpto in morbum lethalem incidisse, ex quo quarto, vel quinto die sit defunctus. Vt autem hæc omnia, quæ passus est, reddantur clariora, singillatim eadem sunt obseruanda. Quapropter à primo exorsi dicimus, magnam, & ingentem humorum crudorum copiam fuisse in huius ægrotantis corpore congestam, cùm per multum temporis spatium, antequam febrire inciperet, capitis dolore laboraret, & puto grauatiuo potiùs, existente copia, à qua etiam veternosus fiebat affectus: fuisse autem non omnino veternosum, id erat propter mistionem biliosi humoris. Re igitur hunc in modum se habente, cùm nouam dederit occasionem propter vinum, febre continua correptus est, neque tamen à primis diebus admodum graui, quod explicat per verbum illud,

Incaluit.] quia non ita citò solent humores ingenter putrefieri: vitiosa enim collecta humorum abundantia à modicis febribus cœpit, qui cùm in dies ex prauo victu peius haberet, posteà in grauissima incidit symptomata, & mortem: nam postquam incaluit, vomitus est excitatus, vehementis caloris indicium, quæ enim fuerunt euacuata, erant biliosa, primùm flaua, posteà etiam virulenta, de quibus *suprà* iam dictum est. Erant pauca, quia debebat esse potiùs nausea quædam segnis, quæ irritaret quidem, sed pauca excerneret: quotiescumque enim imbibiti sunt humores in ventriculi tunicis, pauca semper euacuantur; sed & fortassè etiam pauca, quia à ventriculo ad aluum maior pars descenderet, cùm plura per aluum fuisse euacuata scribat, & fortassè eadem, ac per vomitum, & sine commodo ægrotantis vtraque istarum euacuationum est facta, quia illa dicitur euacuatio bona, quæ adeò confert ægrotanti, vt aliquo modo leuiorem reddat morbum, hæc autem reddidit nihilominus noctem insomnem, indicium, quòd morbus reddebatur grauior, & quòd

cerebrum euidenter lædebatur, idque multò clariùs cernimus ex iis, quæ secundo die euenêre, in quo surditas, febris acuta: hypochondrium dextrum contentum est. Iam *suprà* dictum est surditatem aliam esse temporaneam, aliam inueteratam, fierique propter capitis repletionem, neque est quòd eadem repetamus. Quòd si caput tantopere fuit læsum, ea re id eueniebat, quia febre aucta maior vaporum copia transmittebatur, à quibus surditas. Erat autem admodum periculosa hæc surditas, cùm virtus esset depressa à vi morbi. Et hac ratione dicerem hìc habere locum Hippocratis sententiam *in 1. Coacar. text. 78. Quibus iam morbo fractis vis videndi, audiendiue perit, mors instat*, nam, etiamsi plurima vaporum copia eleuaretur, vti verisimile est, tamen in vigenti virtutis prostratione credẽdum est fuisse factá surditatem propter resolutionem facultatis animalis.

c *Dextrum hypochondrium intrò inclinabat, ac contentum est.*] Galenus verba hæc exponens, scribit, id fieri tribus modis: ratione affectionis septi transuersi, vel ob inflammationem magnam membranæ costas succingentis, vel ob principij neruorum affectionem, quo tempore & nerui ipsius tenduntur, vel quia septum transuersum fit inflammatum. *Dextrum*, inquit, *hypochondrium contentum est, ac intrò inclinabat.* Illud fit, vbi à septo transuerso vicinæ partes velluntur: Subdit: *At ipsum tenditur septum transuersum interim in pleuritide ob inflammationis magnitudinem succingentis membranæ costas, interim ob originem neruorum, ad se neruos, qui ad septum transuersum pertinent attrahentem, interim per suam ipsius inflammationem, verisimilius est à septo transuerso ob neruorum tensionem attracto, hypochondrium quoque retractum fuisse.* Maximè differt dicere. Dextrum hypochondrium sursum reuelli, intrò trahi, & vehementer deprimi: neque enim eadem sunt, etiamsi videantur similia, à quibus non difficilè Medicus potest decipi: nam hypochondrium valde depressum, non propterea dicitur retractum, & est illud, quod vehementer exaruit, & squallidum admodum existit, vt euenit in Hippocratica facie, non est tamen signum inflammationis, etiamsi illa siccitas vehemens pariat maiorem tensionem septo transuerso, & hypochondrio: differunt autem quòd spectat ad victus rationem: nam, si tale sit hypochondrium, propter inflammationem indiget tenuissimo victu, si verò ob siccitatem, contrario, exhibentibus nobis paucum quidem, sed sæpiùs, & præsertim cremorem ptisanæ. Quando autem hypochondrium intrò trahitur, aut partim intrò trahitur, partim sursum reuellitur, aut etiam ambo hypochondria, tunc signum est inflammationis in diaphragmate, aut succingente membrana, quæ præ siccitate exaruit, & inflammata est, hinc facta breuior, reuellit hypochondrium, vt totum occultari videatur ad partes superiores tractum, nimirum ad thoracem. Quòd si id eueniat propter affectum alicuius partis internæ, tunc non occultatur tensio, & est oblonga, propterea quòd non est quod tensionem occultet, vt in thorace, in quo sunt costæ spuriæ, & pectus ipsum, & tunc hypochondrium magis, introque sursum reuellit, persentitúrque tunc durities quædam dolorifica, & est indicium delirij, vt in hoc ægrotante factum

ctum eſt, qui cùm hypochondrium intrò reuulſum haberet, vrináſque perlucidas, cum ſuſpenſionibus paruis, ſed genituræ ſimilibus inſaniuit. Vrinæ genituræ ſimiles variis de cauſis fiunt, interdum colore ſolo à crudo ſucco, vel vitrea pituita in morbis longis, interdum & colore,& ſubſtantia alba,& lactea. Harum cauſa colliquatio eſt, in qua naturalis partium ſolidarum concretio diſſoluitur, veluti hoc loco, vt non ſit mirum inſaniuiſſe: ſcribit enim Hippocrates: *Capitis dolor in acuto morbo, præcordia reuulſa, ſiquidem ſanguis non effluet è naribus in phrenitidem procedit,& multò magis, ſi adſit vrina genituræ ſimilis.* Ita Philiſcus cum huiuſmodi vrina delirauit, & obiit ſexta die. Refert Galenus hanc inſaniam in vehementem caliditatem, 1.*prorrhet. text.*10.quo in loco ſic legitur: *Qui in capitis doloribus æruginoſos vomitus habent, vigilántque cum ſurditate, citò hi vehementer inſaniunt.* Galenus. *Nam vigilia, & capitis dolor,& ſurditas morbum in capite eſſe demonſtrant,grauiter autem affecto cerebro, ventris os excitari ad vomitum nouimus. Talis enim vomitio ſymptomatica venit per ſympathiam, quam dura meninx, & cerebrum inflammatum inuexit.* Ratione igitur optima homo hic ex calida,& ſicca capitis intemperie, propter flauæ bilis ſupra modum aſſatæ abundantiam vehementer inſaniet. Cito autem id fiet, tum propter affectionis magnitudinem, tum propter ſpeciem redundantiſ humoris: nam humorum qualitate acrium, ſubſtantia tenuium, temperamento calidorum, cita ad vigorem malorum, quæ ipſi faciunt expeditio eſſe ſolet, & eam ob rem ait, tertio die grauiter ſe habuiſſe, quia morbo exiſtente acutiſſimo velociſſimè mouetur.

[d] *Quarto conuulſiones.*] Hîc notandum debuiſſe expectari iudicium breuiſſimo temporis ſpatio: nam habuit quartum grauiſſimum, perinde, ac tertium, & vbi iudicium, etiam mortem, cum grauiſſima eſſent ſymptomata. *Conuulſus eſt*, inquit. Poterat de conuulſione dubitari, cùm priùs veterno laborauerit, poſteà delirauerit, inquit enim Hippocrates. *In ſopore mentis alienationes conuulſionem denunciant*, 2. *in* 3. *Coacarum*, nimirum liquati ſunt humores in caput exiſtentes, & ad neruos habuerunt recurſum; ex quo facta eſt conuulſio, & non immeritò ſcribit omnia fuiſſe irritata: quid enim poſt grauiſſima ſymptomata, illi deterius contingere poterat, quàm conuulſio, quæ vniuerſum corpus concutit adeò, vt per ſe hominem tollat: labefactatur enim quammaximè principium neruorum, ſiue per ſe,ſiue per accidens, Galeno dicente 5. *Aphor. text.*5. *Neque enim aliter*, inquit, *poteſt omnino corpus conuelli, antequam id principium patiatur,vel principaliter, vel per compaſſionem, altero priùs patiente membro.* Et longè deterior poterat iudicari, cùm superuenerit febri: febrem enim conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionem 2. *Aphor. text.*26. Potuit etiam proueniſſe ex immodico vini potu, quia vinum, vbi plus iuſto ſumitur,morbos generat frigidos, apoplexiam, paraplegiam, conuulſiones, tremores, & multos alios affectus, quos enumerat Galenus *lib.*3. *de temp. cap.*2. Verum etiamſi pocula augere potuerint cerebri intemperiem, tamen ex vi febris id ſequutum eſſe

dicerem, quod magnum esse malum statuebat Hippocrates 4. *Aphoris. comment. 66.* Quibus hæc subnectit Galenus: *Febres vehementes, velutì ignis neruos exsiccantes, eos extendunt, & conuellunt, atque hoc modo perniciosas afferunt conuulsiones.* Cur autem in sopore, mentis alienationes conuulsionem afferant. Est, quia multò facilius est conuulsionem fieri affecto cerebro, vt in comate, quàm æstuantibus venis, & corde in ardente febre. In eo igitur comate, cùm aliquid bilis sit permistum pituitæ, ac bilis celeriùs ignem concipiat, putrescátque vtraque, & vapore putri membranas, & neruos conuellat, fit, vt quo magis augetur vitium cerebri, & putredo redditur maior; ita ingrauescat conuulsio. Paulatim autem ea augetur, quia pituita tenuis, & salsa priùs putrescit, deinde, quæ crassior est, & frigidior. Itaque ex varietate materiæ, varia oriuntur symptomata: Vapor enim acris, & mordax cum intemperie calida, magna deliria commouet. Vapor autem frigidus, & crassus, eadémque materia soporem facit. At ea omnia, vbi membranas, & neruos lædunt, conuulsionem accersunt. Quare, etiamsi in ardentibus febribus, & deliria, & conuulsiones fiant, tamen quando omnia hæc simul coëunt, scilicet sopor, delirium, & conuulsio, in iis febribus multus sine dubio est humor crudus permistus bili. Ergo cùm hic ægrotans habuerit hæc omnia, multum humorem crudum cum bile fuisse mistum dicendum est, à quo antedicta symptomata prouenêre. Quid mirum igitur, si tam debilitata virtute à vi morbi citissimè obierit: Qui enim iam fractis viribus delirant, pessimè habent, 1. *in* 3. *Coacarum, text.* 25. Ratio autem talis est. Impotentia vel fit initio morbi, vel in fine morbi. Si in principio, vel fit per resolutionem, vel per oppressionem. Per resolutionem fit à malignitate morbi. Per oppressionem à copia. Ita in epidemiis: *Imbecillitas in ardentibus febribus incipientibus admodum lethalis est*, quia oppugnata morbo natura statim succumbit, & longè periculosior est, quàm si à copia fiat. Si ergo in imbecillitate virium naturali, & vitali, adueniat quoque delirium, certissimum indicium affectionis animalis facultatis, quid inde boni sperandum? cùm enim tribus tantùm facultatibus gubernetur corpus, si ex his vna, & altera insigniter lædatur, quid potest tertia? & hac ratione, nonne desperandum esse de illo ægrotante euidenter constat? Quòd si fiat in fine morbi, non æquè perniciosa, quia habet causam euidentem, quæ solet esse minùs periculosa, quàm si à causa occulta id accidat, propterea quòd fit à magna viscerum intemperie, colliquatione occulta, & oppressione à validis causis: attamen quocumque modo eueniat, siue à causa manifesta, siue occulta, modò ad summum peruenerit: minimis etiam succumbit causis, & tunc nullum grauiorem morbum, nullum symptoma, nullam excretionem, nullum abscessum, siue criticum, siue symptomaticum ferre potest, & multò minùs delirium, præsertim quòd pendeat à phrenitica affectione in cerebro: nam delirium illud quod fit à causa externa, vt à carbonum igne, à vini potione, à domo calce recens illita, à perturbatione spirituum, à vaporibus per accessiones febrium, periculosum quidem est, cum virium imbecillitate, sed

tamen,

tamen, neque omninò lethale est. In phrenitide autem nulla spes salutis relinquitur, ídque duabus de causis. Vna, quia cùm virtus iam sit ad extremum debilitata, non potest seipsam sustinere : adueniente externa causa, non potest resistere; perinde ac si quis sua natura imbecillus, qui præ imbecillitate vix posset incedere, si cogeretur onus grauissimum sustinere, quis non fatebitur non suffecturum oneri portando. Altera causa est, quia phrenitis sua natura vires etiam validissimas celerrimè dissipat. In huiusmodi enim casibus vigilant ægrotantes: vigiliæ autem perinde virtutem prosternunt, ac sensibiles euacuationes. Prætereà continuò mouentur, & agitantur, quod facit maximè ad virtutis dissipationem, & hac ratione deligantur sic affecti, aut si diuites sunt ab hominibus detineri curamus, quæ omnia in corporibus imbecillis admodum sunt lethalia. His omnibus igitur rationibus adductis, apertissimè constat, cur tam citò obierit & quomodo aliter contingere non posset. Inquit enim Hippocrates.

[c] *Quinto summa luce defunctus est.*] Quasi velit innuere in diei quarti fine id euenisse ex vi conuulsionis, quæ affectio est admodum dolorifica, à qua certissimè virtus solet concidere, vti quotidiana experientia demonstrat. Quomodo igitur fuerit affectus hic ægrotans, quem finem habuerit, paucissimis verbis ab Hippocrate explicatur. Videamus modò, quomodo potuisset Medicus occurrere magnitudini symptomatum, & velocitati morbi.


Curatio.

SI vnquam requiritur Medicus promptissimus, profectò est in huiusmodi morbis, qui cùm sint velocissimi, celerrimo indigent remedio, vt & magnitudo reprimatur, & malitia corrigatur. Quare, cùm morbus esset ex putridis, sine dubio requirebat ea remedia, quæ putridis, & magnis debentur, sunt autem venæ sectio, & purgatio. At enimvero, cùm Galenus dicat indicari prauam corporis dispositionem ex diuturno capitis dolore, debebat se Medico committere, & curare, vt quæ infestabant caput, à corpore deturbarentur, facta purgatione, & extracto sanguine, & reuulsionibus factis, ratione capitis, interrogantibus nobis, an iste dolor capitis proueniret ab aliqua suppressa euacuatione : sunt enim alij, quibus consueta est ex naribus euacuatio sanguinis per interualla, aliis per venas hæmorrhoïdales sanguis fluit, aliis per aliquam aliam viam. His statim extrahendus est sanguis per eam partem, per quam consueuerat natura euacuare. Si sint mulieres, interrogare oportet, an suppressi, an diminuti sint menses, quia, vt vidimus, hi etiam non leuem præbent causam morbis. Si igitur euacuatus fuisset iste ægrotans, fortasse seruata bona victus ratione, & euacuato corpore præuenisset imminentem ruinam, sed, postquam non est factum, occurramus præsenti morbo. Statim erat aduersus symptomata pugnandum, vt vehementissima. Scribit Hippocrates aluum reddidisse plura primo die. Itaque excusabat à potione soluente;

& quoniam non scribit perseuerasse hanc euacuationem, eam ob rem poterat sequenti die sanguis mitti, neque erat retardanda hæc euacuatio, sed eadem die iteranda, morbo ingrauescente, & vim maiorem sumente: neque hanc euacuationem impedire poterat vomitus, quia erat potiùs irritamentum, quàm euacuatio. Quo præstito ad alia præsidia erat deueniendum, primò, ad alterantia, quæ recipere debebant, vt sunt cichoreacea, ruta capraria, scorzonara, portulaca, folia graminis, pentaphylli, flores cordiales, & id genus alia, quæ præter id, quòd habent vim refrigerantem, etiam obsistunt maleficæ qualitati, cui pariter erat occurrendum alexipharmacis, lapide bezoartico, margaritis, conserua hyacinthi. Sunt qui vtuntur in huiusmodi casibus spiritu calchanthi ad guttas duas, vel tres cum aqua capill. Veneris. Et quoniam noctem habuit molestam, id est vigilem, quia fortasse præter febrem, os etiam ventriculi patiebatur vim à praua humoris qualitate, hac de causa, quantum per artem licebat, oportebat somnum conciliare, vt virtus posset instaurari. Iam ad hoc accommodata multa proposuimus in superioribus. Ad idem commendantur capita papaueris nigri, aut eiusdem radices, aut mala mandragoræ, aut hyosciamus, quæ subdantur puluinaribus vigilantium ex Aëtij sententia. Odoramentis etiam somnus potest conciliari factis ex papauere viridi, lactucis, aut etiam iisdem in aqua violarum incoctis, & madefacto linteolo naribus imposito, vel instantibus vigiliis sumatur vnguentum populeonis ad ℥. *ij*. olei violarum, nympheæ ad ℥. *j*. olei nucis moscatæ ad g̃. *iij*. opij ad g̃. *vj*. misce, & fiat linimentum, quo tempore, & nares inungantur. Hæc, & alia possunt tutò administrari præter balnea, quæ solent fieri brachiis, & cruribus, ex capitibus papaueris, nymphea, ex fructibus mandragoræ, ex foliis salicum. Et quoniam altero die surditas facta est, potuissent ad hanc affectionem tollendam multa proponi localia, & primo reuulsionis gratia, clysteres refrigerantes, vt humorum impetus reprimeretur: frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ in vsum veniunt. Possent proponi localia, quæ multa, & varia sunt, vti ex Galeno colligimus *lib.* 3. *de comp. medic. secundum loc. cap.* 1. & *lib. de remed. paratu facilibus*, quibus in locis commendatur caprinum fel recens, cum portione mellis ad carbones decocti mistum, tepidúmque in aurem instillant. Laudant quod recipit fellis leporis recentis, mellis ana æquales partes, decoquantur in cortice cepæ, & expressis omnibus tepidum in aurem immittatur, & tantam vim habere id remedij genus putat Galenus, vt etiam nihil audientes sanet. Alij laudant oua formicarum contrita, & in aures immissa, & ita commendant, vt existiment vetustissimam aurium surditatem sanare: tamen, etiamsi hæc & alia proponantur, non est cur multùm immoremur in his, cùm hæc affectio sit temporaria, pendens à bile sursum elata, curatúrque bile euacuata, vt 4. *Aphorism. text.* 48. Ob id in huiusmodi casibus circa hoc præcipuè est elaborandum, vt reuellantur medicamentis iam dictis. Et cùm supponatur hypochondrium fuisse intrò retractum propter phlogosim, huic etiam prouidendum erat iis, quæ haberent vim refrigerandi, & roborandi: nam,

in

in harum partium affectibus, scilicet ventriculi,& hepatis, semper expedit miscere aliquid, quod vim habeat adstringentem, quia vti solis relaxantibus maximum est incommodum, cùm huiusmodi partes coctioni inseruiant, cuius causa robur ipsarum partium seruare oportet, vti ex Auicen. habemus *lib.1. Fen 4. cap.1. doctr.5.* desumptum ex Galeno ad verbum *in lib.2.method. cap.15.* vbi post multa ita legitur: *Atque ob hæc nimirum impensiùs, quàm cætera membra, ventriculus, & iecur adstringentia desiderant.* Iuuant fomenta ex rosis, absinthio, agrimonio, cichorio, & id genus aliis: linimenta pariter ex succo cichorij, agrimonij, vnguento rosaceo, croco, cum modica aceti portione. Sed & multò magis reuellere oportebat, cùm vrinæ vehementissimi delirij essent antesignanæ, veluti contigit circa meridiem, vt propterea expediat iuuenes vrinas inspicere diligenter, & si quæ fiat mutatio in melius, eadem perpendatur, quæ scilicet causa id effecerit: multoties enim putantibus nobis vrinas esse meliores, deterioris morbi sunt indicium, si rem exactiùs examinemus, veluti in antecedentibus monuimus. Neque diminutus est morbus, sed tertio die cuncta sunt exacerbata. Itaque ex hoc vnusquisque expectasset mortem, cùm quæ febres tertio die fiunt fortiores, sint magni faciendæ. Itaque & surditas cum aliis augmentum suscepit: surditas autem, quæ prouenit virtute imbecilla existente, lethalis est ex 4.*Aphor. cap.49.* Sed fuit deterius conuelli in quarta, videbatur differenda curatio; attamen neque erat desistendum à medicamentis opportunis, vt si fieri posset, ægrotantem ab affectibus vendicaremus: etiamsi conuulsio insequens ad perniciosas phrenitidas sit insanabilis, si Aëtio est credendum, qui *lib.2. serm.1. cap.131.* scribit sic: *Et ex his, qui sic conuulsi sunt, neminem seruatum vidi; neque, qui vidisset audiui.* Huic esse succurrendum monet Aëtius hunc in modum. Vt lauetur caput multa aqua calida dulci, ac temperata: præterea manus, ac pedes. Tandem oleo dulci irrigetur caput, cum manibus, ac pedibus, & quies imperetur. Verba Aëtij sic se habent: *Qui verò ob siccitatem conuelluntur propter febris violentiam, & præsertim delirio præsente: his lauandum est caput multa, calida, dulci, ac temperata aqua.* Manus quoque, & pedes illinantur, & pannis lineis foueantur, & quies inducatur. Spina etiam à principio ad os sacrum poterat inungi oleo vulpino, vitellorum ouorum, lumbricorum, & his similibus, prædicentibus nobis haud multo post futuram ruinam, & ob id in omnibus morbis conuenit, sed in huiusmodi affectibus est pernecessarium statim animam præparare ad vitam. Cætera sunt in manu Domini.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΠΕΜΠΤΟΣ.

ΧΑΙΡΙΩΝΑ, ὃς κατέκειτο παρὰ Δημαινέτου, ἐκ ποτοῦ πῦρ ἔλαβεν. αὐτίκα δὲ κεφαλῆς βάρος ἐπώδυνον. οὐκ ἐκοιμᾶτο. κοιλίη ταραχώδης, λεπτοῖσιν, ὑποχολώδεσι. τρίτῃ πυρετὸς ὀξύς. κεφαλῆς τρόμος. μάλιστα δὲ χείλεος τοῦ κάτω. μετ' ὀλίγον δὲ, ῥῖγος. σπασμοί. πάντα παρέκρουσε. νύκτα δυσφόρως. τετάρτῃ δι' ἡσυχίης. μικρὰ ἐκοιμήθη. παρέλεγε. πέμπτῃ, ἐπιπόνως πάντα παρωξύνθη. λῆρος. νύκτα δυσφόρως. οὐκ ἐκοιμήθη. ἕκτῃ διὰ τῶν αὐτῶν. ἑβδόμῃ, ἐπερρίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. ἵδρωσε. δι' ὅλου ἐκρίθη. τούτῳ διατελέως ἀπὸ κοιλίης διαχωρήματα χολώδεα, ὀλίγα, ἄκρητα. οὖρα λεπτὰ εὔχροα, ἐναιώρημα ἐπινέφελον ἔχοντα. περὶ ὀγδόην, οὔρησεν εὐχροώτερα, ἔχοντα ὑπόστασιν λευκὴν, ὀλίγην. κατενόει. ἀπύρετος διέλιπεν. ἐνάτῃ ὑπέστρεψεν. περὶ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτην, πυρετὸς ὀξύς. ἵδρωσεν. ἑξκαιδεκάτῃ, ἤμεσε χολώδεα, ξανθὰ, ὑπόσυχνα. ἑπτακαιδεκάτῃ, ἐπερρίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. ἵδρωσεν. ἄπυρος ἐκρίθη. οὖρα μετὰ ὑποστρο-

ÆGROTVS V.

CHÆRIONEM, *qui habitabat apud Demenetum*[a] *ex potu ignis corripuit. Statim est capitis dolorifica grauitas consequuta: non dormiebat. Aluus turbata est excrementis biliosioribus. Tertio die, acuta febris, capitis tremor, præcipuè inferioris labij. Paulo post rigor, conuulsiones, planè desipiebat. Nocte grauiter laborauit, non dormiuit.* [b] *Quarto, aliquantisper quiete dormiuit, delirauit.* [c] *Quinto, cum dolore omnia exacerbata sunt, nugabatur: noctem habuit molestam, non dormiuit. Sexto, nihil est immutatum.* [d] *Septimo, riguit, febris acuta, per totum corpus sudauit, iudicatus est.* [e] *Huic perpetuò erant deiectiones biliosæ, paucæ, meræque. Vrinæ tenues, & boni coloris, cum suspensionibus nebulosis. Die octauo vrinæ erant melioris coloris, in qua subsiderent candida, & pauca, mente constabat, febris intermisit.* [f] *Nono, repetijt.* [g] *Ad diem decimumquartum febris acuta. Sextodecimo, biliosa vomuit, flaua, subcrebra. Septimodecimo, riguit, febris acuta, sudauit, febre est decretoriè liberatus. Vrinæ ab recidiua, & iudicio boni coloris,*

&

φλὺ καὶ κρίσιν, διχροώτερα, ὑπόστασιν ἔχοντα. οὐδὲ παρέκρουσεν ἐν τῇ ὑποστροφῇ. ιη΄, ἐθερμαίνετο σμικρά. ἐπεδίψα. οὖρα λεπτά. ἐναιώρημα ἐπινέφελον. σμικρὰ παρέκρουσε. περὶ ιθ΄, ἄπυρος. τράχηλον ἐπωδύνως εἶχεν. οὔροισιν ὑπόστασις. τελέως ἐκρίθη εἰκοστῇ. πι. χ. π. δ. ου. κ. υ.

& subsidentiam habebant, nec per recidiuam delirauit. Octauodecimo [h] *nonnihil incalescebat, aliquantum sitiebat: vrinæ tenues, suspensiones nebulosæ, paulum delirauit. Circa vndeuigesimum febre carebat: collum dolebat: vrinæ habebant subsidentiam.* [i] *Planè vigesimo est indicatus.* πι. χ. π. δ. ου. κ. υ. *hoc est. Probabile multitudine vrinarum vigesima seruatum.*

COMMENTARIVS.

INTEMPERANTES, & gulæ deditos, neque venæ sectione, neque purgatione iuuari posse, scriptum reliquit Galenus *in lib. de curan. ratione per sanguinis missionem*, *cap.* 7. Ratio autem ea est, quia non potest medicamentum tam probè munere suo fungi in euacuando, quin longè celerius noua cruditatum congeries fiat ex eduliorum quantitate. Hinc est, quòd etiamsi aliqui singulo anno expurgentur, nihilominus ægrotant sæpè, quia existimant posse se in quacunque victus ratione delinquere, quo fit, vt debilitati ex euacuatione, ægritudine si corripiantur, periclitentur euidenter. Hæc, cùm ita sint, apparet optimam purgationem in sanis esse exactam victus rationem, & præcipuè in cibo, & potu. Ostendit casus huius ægrotantis, qui ex vini largiore potatione in morbum ab Hippocrate descriptum incidit, cui sequutus est capitis dolor grauatiuus, & si id commodi non habuisset, quod viribus erat validis: fortasse, neque conualuisset, cùm ex multis aliis, qui in vino deliquerunt, neminem habeamus restitutum, vti ex Hippocratis textibus elicere vnusquisque potest. Quare, ad sanitatem tuendam, illud est obseruandum, quod ab Hippocrate scribitur 3. *in 6. epidem. text.* 28. vbi sic legitur: *Paucus cibus, sine lassitudine, sine siti.* Quibus verbis videtur nobis ob oculos ponere duo in victus ratione seruanda; videlicet, vt pauco vtamur cibo, id est, parco, sed tamen pro cuiusque hominis constitutione, eum qui non redundet, & grauet; & sic etiam de potu est intelligendum, ne ex immoderato ipsius vsu fiant morbi, qui aut necent, vt multis contigisse vidimus, aut malè habeant, vt huic contigit, quem videmus in febrem acutissimam incidisse, quarum vi solent plerique hominum enecari, vt idem Galenus confitetur 1. *acut.*

text.8. Alterum, quod monet, est, ne moueatur corpus vsque ad defatigationem corporis, neque vsque ad sitim aliquid faciendum; sed, vt diu duret sanitas, retinendum corpus cum pauco cibo, & sine lassitudine, & sine siti, & 2. *de sanit. tuenda. cap*.2. *Labor, cibus, potio, somnus, venus, omnia mediocria.* Sed veniamus ad textum.

* *Ex potu ignis.*] Qualis esset febris, denotatur exactè per verbum illud, *ignis:* non enim dicitur, nisi de vehementissima febre, vti aliàs statutum est cum Galeno. Factum propterea est, vt æstuantibus internis partibus, multis ad caput elatis vaporibus, fuerit repletum, & dolori grauatiuo causam præstiterit, & quia maxima erat portio humoris biliosi, ob id somnum capere non poterat, vti apertissimum est. Rem ita esse demonstrant excretiones per aluum factæ, quæ erant biliosæ nimis, quibus ita existentibus non parùm solet facultas expultrix irritari ad excretionem, qua possent tenuitate, & mordacitate. Hæ euacuationes nihil attulerunt iuuamenti, nec immeritò, quia in principio, & omninò erant symptomaticæ. Demonstrat dies tertius, in quo eadem erant, & grauiora, quando præter febrem acutam, habuit etiam tremorem labij inferioris. Quid sit tremor, quam causam habeat fouentem, iam in historia Pythionis habetis, & etiam ab Aëtio *lib*.11. *cap*.130. *sermone primo*, vt non sint eadem repetenda: neque fuit difficile etiam ita esse affectum, propter excessum in vino, veluti in antecedenti Historia est demonstratum. At quærendum est quomodo tremuerit labrum inferius oris. Labra habent octo musculos, per quos suos perficiunt motus *lib*.11. *de vsu partium, cap*.16. Cùm igitur caput esset imbecillum, reddebatur etiam imbecillior musculus ille, à quo labrum inferius mouetur: significat autem tremor labij inferioris vomitum futurum, vti habemus 3. *prognost. text*.30. veluti etiam alio in loco his verbis: *Concussio labij inferioris morsum in ore ventris vehementem significat*, quo fit, vt tale symptoma vomitus etiam acrium humorum signum sit, *lib*.2. *acut. comment*.44. sic est scriptum: *Adde quod, & os ipsum vomituris sputo plenum tenui, esse videtur propter tunicæ continuitatem, quæ ori toti continua est, faucibúsque, & stomacho, & ventriculo:* hinc fit, vt labrum inferius interdum concutiatur, ventris ore ad vomitum concitato. Sic habemus 1. *lib. prorrhet. comment*.30. & *lib*.3. *de cris. cap*.11. Si tremor est vomitus indicium, cur non vomuit? Fortasse respondebimus non fuisse necessarium vomitum, quia tremuit, non autem est concussus: At concuti, & tremere non sunt idem, vti habetur ex Galeno *in lib*.1. *de diffic. respir. c*.18. dum sic scribit: *Sunt igitur propriæ musculorum affectiones, conuulsiones. concussiones, & tremor.* Concussio aliquando sumitur pro vehementi percussione, vti *lib*.7. *Aphorism. text*.58. *Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum est, necesse statim mutos fieri.* Aliquando sumitur pro rigore, & ita accipitur à Galeno 10. *meth. cap*.4. *Mordens habitus*, inquit, *& succus*, Græcè [illegible], *vbi per sensibilia corpora fertur, horrores, & inæquales totius corporis concussiones fiunt.* Quare concuti est celeriter agitari, moueri: tremere autem non est violenter moueri, immò contrarium significatur, cùm fieri ab imbecil-

litate

litate sciamus. Erit igitur fortasse dicendum tremuisse labrum inferius, factum fuisse propter consensum cerebri, quia scilicet læso cerebro, facilè sit communicata affectio musculis ori inseruientibus, sed præcipuè labro inferiori, háncque affectionem contractam fuisse à vini copia, quia hæc, & alia multa mala fiunt à nimia potatione, vti apertissimè habetur 7. *Aphorism. comment.* 7. Quo in loco etiam declarat, per potationem nimiam esse intelligendum vini, non aquæ, hunc in modum. *Quòd quidem multa potatio non aquæ, sed vini potionem significet, vnicuique manifestum. Desipiunt autem ex talibus potionibus aliqui, capite oppleto plurimo sanguine, ac spiritu calido: ob hanc ipsam verò causam, & calidiores redduntur, præcipuè verò caput, sed & corpus vniuersum.* Pauci enim ex ipsis sunt, qui cum desipientia rigeant, in quibus calor natiuus non accenditur, sed ob multitudinem extinguitur, sicuti ignis lignorum multitudine superiniecta, & lucernæ flamma, vniuersim superinfuso oleo. Ergo tremuit; dicet aliquis, riguit, conuulsus est, desipuit propter vini nimium potum, calefacto, vt solet in huiusmodi febribus neruorum principio cerebro, neque propterea fuisse necessarium vomitum. At putarem ego aliter esse respondendum: neque enim tremere & concuti longè differunt: nam aliquando Galenus exponens textum Hippocratis citatum, scribit, *intremiscens*, aliquando *concutiens*, ita vt parùm referat, quomodo dicamus. Itaque putatem non vomuisse, etiamsi tremuerit labium inferius, quia id non factum in die critico, præcessis signis salutaribus: si enim die decretorio fuit iste tremor, vomitus potest expectari. Verùm, si neque in die critico, neque cum signis salutaribus fiat, non vomitus, sed conuulsio potius est expectanda, aut saltem metuenda, quod maximè est in praxi obseruandum, ne putemus semper prædicere futurum vomitum, veluti rustici solent, qui, si quando in febribus labia vlcerentur, existimant bene esse ominandum, quia scilicet sit indicium febrem solui, quod frequentissimè in tertianis licet videre, & aliquando in acutis febribus os, lingua, nasus vlcerantur salutari præsagio; verùm, neque huic signo fidendum semper: non enim abscessu materiæ id fit perpetuò, sed aliquando etiam febris malignitate, vti in dies experimur in iis, qui acutissimè laborant. Hæc igitur est causa propter quam tremuit: nimirum, quia haud multò pòst erat conuulsionem passurus. Et ille rigor, qui factus est pòst, malus erat: nam rigorem aliqua sequitur euacuatio, quæ cùm non sit facta, inutiliter riguit: in omni autem rigore frustrà citato, transmissio solet fieri materiæ ad diaphragma, & caput. Huius translationis signum est sæpissimè rutila cum sudore facies, dicebat Hippocrates, quæ magnopere est modesta, quoniam pars obsessa totius materiæ non est capax, motúmque affert delirij, & conuulsionis. *Causorum rigores,* inquit, *stata quadamtenus lege fiunt funesti, tum rutila cum sudore facies in his malum.* Quin etiam posteriorum frigus est conuulsificum, *lib.* 2. *prorrhet. text.* 33. In hoc textu exponendo Galenus hæc habet: *Nam, qui vniuersaliter de rigore intellexerunt, perpetuò eos meminisse oportet, quòd si vel tertio, vel quarto die fuerit, talium febrium peculiare est sym-*

 ptoma.

ptoma. In morbis verò posteà apparens, si indicationem non intulerit, deterrimum existit: scis enim quòd indicatoriorum non indicantium quædam sint lethalia, & quædam difficilis iudicij. Subdit: Dictum quoque anteà, quòd quantò plura periculosa homini fiant symptomata, tantò fideliorem in eo efficiant prædictionem, quando si, & signorum salubrium multa appareant, eò certior sit salutis expectatio. Metum igitur affert delirij, & conuulsionis. Delirij, quia fit transmissio ad caput. Conuulsionis, quia frigus cogit, densat, & exasperat partes neruosas, veluti quando in frigore horrescimus, sentimus quandam in cute inæqualitatem, expresso introrsum humido, quod est caloris vehiculum, & diffitis in superficie partibus. Frigus illud appellant frigus vrens, & mordax. Vrens, quia calore concentrato vritur corpus. Mordax, quia à materia intrò pulsa, vellicatis, & lancinatis partibus neruosis conuelluntur à frigore, aut densatæ replentur, prohibita effluuij transpiratione: Vehementiùs autem obrigent, quia frigidæ sunt sua natura, & neruosæ. Quare cur à tremore, & rigore fuerit conuulsus, & delirauerit, iam constat clarè.

[b] *Quarto, aliquantisper dormiuit; delirauit.*] Attendendus semper est dies, in quo mouetur morbus, quia in aliis diebus, videtur semper esse melior ægrotantis conditio, cui tamen non multùm fidendum; neque statim bene ominandum de ægrotante, nisi sint, quæ id firmiter demonstrent. Hic visus est meliùs se habuisse in quarta, quia diebus imparibus mouebatur: scribit enim delirasse quidem, sed cùm aliquo modo non fuerit impeditus, quin somnum caperet, necessariò videtur concludendum fuisse mitius delirium, sed non perseuerarunt, quia vix fuit transacta quarta, cùm iterum grauiora facta sunt omnia, veluti sequentia fidem faciunt, dum scribit.

[c] *Quinto, cum dolore omnia sunt exacerbata.*] Redierunt symptomata, neque aliud erat expectandum quando nulla præmissa erat euacuatio, quæ posset naturam alleuare à sarcina, nisi prima die, quæ euacuatio, præter id, quòd fuit merè symptomatica, non fuit etiam sufficiens euacuatio. Hinc discamus esse oculati, quando morbi videntur mitiores sine causa, ne statim iudicium feramus de ægrotante. Perseuerarunt etiam hæc die sexto, quo die nihil esse immutatum ponit: verùm nihil refert diem sextum parùm boni afferre, cui nunquam fidendum, cùm terrificus semper sit dies sextus.

[d] *Septimo riguit: febris acuta, per totum sudauit, indicatus est.*] Septimus, tanquam rex optimus semper aliquid boni affert, & quæ iudicia affert, eadem magis fida, vti apparet, cùm adueniente septima, cùm ad hunc vsque diem vereda extitissent symptomata, tamen rigor superuenit, non vt ille, qui factus est tertio die, sed hunc rigorem euacuatio huiusmodi morbis maximè conueniens superuenit per sudorem; & ita fuit conueniens, vt hac expulsione facta, fuerit iudicatus. Hîc animaduertere oportet modum loquendi Hippocratis, quando inquit, *indicatus est*, sine alio addito, vt sciamus non potuisse esse perfectum iudicium, materia cruda existente: neque enim tam horrenda symptomata poterant

rant æquè ei tolli; & ideò etiamsi copiosus, & toto corpore eruperit sudor, non tanta fuit euacuatio, quæ responderet magnitudini causæ: id quidem commodi præstitit, quòd exonerata natura insurgebat validius inposterum aduersus causæ morbificæ vim. Addit hîc Hippocrates vnum, videlicet.

[e] *Huic perpetuò erant deiectiones biliosæ: meræ.*] Non omninò erat bonum, deiectiones fuisse biliosas, paucas meras, sed potius erat prauum, quando paucitas indicat virtutis imbecillitatem: quòd essent biliosæ, & meræ, æstuans interna dispositio significabatur: Meraca enim sunt excrementa, quæ naturali sero priuantur ob incendium febris, sed id monet Hippocrates meo quidam animo, vt denotet hanc euacuationem fuisse in causa, vt septima fuerit iudicatus: neque enim tam pauca erant, vt censerentur mala, sed larga potiùs debebat dici; cùm, etiamsi paulatim fieret, perdurauerit per multos dies; & quemadmodum, qui euacuantur multùm, sed mediocriter, quamuis cunctentur, trahántque, non tamen moriuntur, ita qui violentiùs euacuantur, ij periclitantur, & ob id credendum est, non sine ratione mouere Hippocratem aluum fuisse mediocriter mollem, aut sponte, aut arte. In hoc ægrotante id etiam erat boni, quòd vrinæ, etiamsi essent tenues, cum suspensionibus nebulosis, erant boni coloris, quod plurimum refert in morbis acutis, fieri verò potest, vt quæ euacuatio fit cum vrinarum cruditate, ea sit perfecta adeò, vt non sit expectanda recidiua. Ob id hoc attendere debemus. Hic octaua die meliùs visus est habuisse, cùm & vrina fuerit melioris coloris, & subsiderent candida, & mente constaret, & febris esset expers. Totum hoc erat bonum, sed non ita fidendum, dum adhuc suberat cruditas, quin noua recidiua esset expectanda. At cur redduntur aliquando febris expertes ægrotantes medio in morbo? Tripliciter potest contingere, vt æger sit sine febre; vel, quia re vera fuerit restitutus, ac firmam valetudinem fuerit adeptus: vel, quia in mediam quandam affectionem mutatio sit facta: vel quia sit facta mutatio in perniciosam, & planè contrariam naturali sanitati, in qua natiuus calor extinctioni proximus, & humorum putrentium feruor perspirans, & paululum intermittens falsò creditam febris remissionem affert, quam paulò post grauis interitus excipit. Prima mutatio fit præcessis signis coctionis perfectis, præcessa aliqua euacuatione, vel per excretionem, vel per abscessum, ordinato moto naturæ, secundùm naturam dierum decretoriorum. Quare, quotiescunque in acuto morbo æger videtur alleuari, aut sine febre derepente esse, non tamen sudauit, aut aliqua alia euacuatio superuenit, redibit affectio, & grauior: nulla enim alleuatio tuta est, nisi quæ coctionem materiæ, eiusdémque exclusionem diebus criticis, & significatam, & factam consequatur. His non apparentibus, si remittatur morbus, est contra rationem. Hic igitur morbus non desiit primo modo, quia non erant coctiones perfectæ, à quibus posset perfectum sequi iudicium: neque tertio modo, quia cum aliqua ratione erat solutus affectus sudore scilicet erupto, non tamen ita copiosè, vt integrè posset iudicare; & ideò rediit,

vti ex Hippocratis textu colligitur, dum statim subdit:

[f] *Nono, repetijt.*] Conquieuit natura, à prioribus motibus agitata, & ob id videbatur esse sine febre, sed rediens ad pugnam, agitata materia febris succensa est, die impari, quia tali die febres istæ mouentur vtplurimum. In hoc motu illud imprimis est attendendum, vt consideremus qualis fuerit prior morbus: si enim morbus à principio erat cum pernicie ægrotantis, tantò magis est de salute dubitandum in recidiua: at si à principio non erat lethalis, neque recidiua erit lethalis: redeunt enim recidiuæ similes prioribus morbis, si morbus erat lethalis, ita recidiuæ, sin minus, neque recidiuæ, nisi noua inducta causa: *dum enim*, dicebat Galenus, *natura nihil agere videtur, cuius causa febris videtur sublata*, affectus præter naturam βλάβην, ἐκτικὴν, καὶ ἄλυτον, id est, nocumentum faciunt indissolubile absumentes corpus, & pro malitiæ suæ magnitudine, magnitudinem periculi afferunt. Quare erat in hoc ægrotante expectanda recidiua, sed non ea, quæ mortem inferre posset; quia etiamsi grauissima, & terrifica fuerunt symptomata; tamen, si soluta febris est, id fuit in die critico, & cum aliqua, si non sufficiente ad perfectam solutionem, saltem aliquo modo iuuantem naturam, cum vrinarum aliquali bonitate.

[g] *Ad diem decimumquartum febris acuta.*] Maximam vim habet dies decimusquartus in re Medica, & ob id non est quid nouum esse acutam febrim, quod innuit per verbum illud, *acuta*. Et hoc erat indicium naturam omnes suos conatus adhibere, vt infestantem materiam depelleret, quod non poterat tam facilè assequi, propter materiæ dispositionem, & ob id videmus etiam in die decimasexta vehementem factam fuisse commotionem humorum, quos conata est natura per vomitum eiicere; verùm, neque hic dies erat sufficiens ad tollendum morbum, quia habet paucam vim, nisi multò magis mota esset natura ad causæ morbificæ deturbationem, & in die decretorio, quo tentante natura crisim, & febres augentur, & plura alia superueniunt, quæ signis coctionis præcessis non sunt pertimescenda: & rigor ille indicabat motum naturæ, qui eò deterior fuisset, quò factus est in die decretorio, nisi hunc rigorem sequutus fuisset sudor: euacuatio maximè talibus morbis conueniens, vti etiam euentus indicat, quando dicit decretoriè fuisse iudicatum, id est, naturam benè fuisse operatam, cùm in die decretorio hanc euacuationem tentauerit, & ita ægrotans euidens persenserit iuuamentum, quando febre est decretoriè liberatus, & etiam vrinæ meliores factæ sunt; quo ad colorem; quia scribit fuisse boni coloris: quo ad subsidentiam, quia cùm subsiderent, certum coctionis indicium præ se ferebant, indéque minore vaporum copia ad caput translata, neque delirabat. At dum Hippocrates simpliciter addit fuisse decretoriè liberatum, adhuc restat recidiuæ suspicio: verùm, maiore iam humorum parte dempta, non est verisimile futuram recidiuam magni momenti, quia iam vis morbi erat extincta, quod ipse etiam denotat, dum narrans quæ die decimooctauo euenêre, inquit.

[h] *Nonnihil incalescebat.*] Vt denotaret iam fuisse remissam morbi causam,& per consequens accidentia esse mitiora,& etiamsi propter morbi reliquias morbus repeteret ; tamen non esse parem vim , cùm eo die non ampliùs febris esset acuta , sed tantùm incalesceret , nonnihil sitiret , & deliraret. Hæc fiebant , quia nondum integrè causa erat euicta , idque demonstrat qualitas vrinarum , quas fuisse adhuc tenues asserebat , cum aliquali turbatione : neque enim poterat natura in totum materiam morbificam euincere , quin motio quædam fieret à reliquiis humorum , donec natura perfectè eandem à corpore deturbaret , quod vigesimo factum est , idque denotat per illud verbum.

[i] *Planè.*] Quo integrum significat iudicium. Hîc notandum , quòd qui morbi primo quaternario blandè mouentur , ad decimumseptimum perueniunt : qui secundo quaternario,ad vigesimum, quo die integrè iudicatus est, multa per vrinam facta excretione , quæ euacuatio tutissima est, sed longissima , vt propterea virtutem requirat validissimam. Habuit colli dolorem, non alio modo dicerem , nisi quia caput anteà erat repletum, neque fieri poterat,quin circumuicinæ partes paterentur, sed facilis fuit solutio,quia materia diuertebatur ad vias vrinæ, & quæ in parte erat impacta,eadem tenuis,& pauca remanebat. His sic præmissis superest vt aliqua addamus ad curationem spectantia.

Curatio.

VIctus ratio ea est , quæ morbos præcipuè curat : cùm enim ars tota sit magna , non leuissima eius pars est scientia ordinandi victus, 11. *meth. cap.*15. *Frustra*, inquit Galenus , *cætera administrarentur* , *nisi priùs victus conueniens præscriberetur* , quod idem repetit *lib. de remedijs facilè parabilibus*, his verbis : *Porrò, quod modò curandæ lippitudinis,verùm etiam cuiusuis fere alterius ægritudinis, primus, præcipuúsque curandi scopus consistat in exacta victus ratione* , *neminem fugere existimo.* Quare ab hac erat auspicanda curatio;scimúsque victum frigidum, & humidum febricitantibus omnibus conuenire , propterea ora recentia sorbilia , quæ vim habent refrigerantem , & humectantem ex vsu fuissent : panis tritus cum mucilagine seminum melonum , aut papaueris albi,ratione vigiliarum : prisana hordeacea diligenter præparata : succus farri , panatella in iure pulli , aut carnis vituli , & progrediente morbo , vrgente necessitate contusa carnium pullorum gallinaceorum,iura longa consumptione parata, addendo semper aliquid , quod posset partium internarum æstum attemperare. Potus aqua cocta ex hordeo , sem. acetosæ cum portiuncula sem. citri. Aquæ stillatitiæ boraginis, endiuiæ,rutæ caprariæ,scorzonaræ ex vsu fuissent , quibus & febrilis calor demulceri , & humorum malitia attemperari poterat. Instituta victus ratione, ad alia necessaria erat deueniendum, id est , ad illud remedij genus , quod tantopere commendatur

in

in febribus putridis, éstque venæ sectio, dicente Galeno 9. *meth. cap.* 15. *Qui febricitant*, inquit, *si valentes viribus sint*, *omnibus ab initio sanguinem mittes*, sed præcipuè id præstandum in maximis febribus: nam magni morbi indigent, quæ se iudicent egregia. Vena igitur ex Galeni decreto interna statim erat secanda, quæ citissimè euacuat à partibus principibus. Hæc euacuatio magis commendatur iterata, quia fit minori cum virium dispendio. Itaque poterat, subcrescente morbo, altero die, aut tertio iterari, animaduertentibus nobis, an primæ viæ essent excremento repletæ, quas euacuare oportebat, clystere aliquo refrigerante, aut leniente præscripto ex cassia, manna, diacathol. lenit. nisi tamen aluus sua lubricitate impedisset lenietis exhibitionem. Quòd si aluus fuisset irritata biliosioribus excrementis, clysteres abluendi vim habentes probantur, parati ex aqua hordei, lacte, ptissana, saccaro rubeo, non prætermissis alterantibus deobstruendi vim habentibus, & refrigerandi. Sunt in vsum syrupus acetosæ simp. de acetosit. citri, & alij, de quibus dictum est *suprà*: non prætermissis reuulsionibus propter dolorem capitis, & oxyrrhodinis: ita enim & dolori capitis reuellendo, & vigiliis humectando esset prouisum. Ratione tremoris conuulsionem prænunciantis, iam *suprà* dictum est, quomodo conuulsioni possemus succurrere. Quòd si pleno existente capite, secta fuisset vena externa, neque fortasse nocumentum attulisset. Hepati, fotus refrigerandi, & roborandi vim habentes, poterant commendari. Et quoniam morbus fuit satis longus, non abs re erat transacta decimaquarta adiuuare naturam, & inspicientibus nobis eiusdem motum, quæ ad aluum inclinabat, aliquod exhibere medicamentum blandum, videlicet syrupum rosatum cum sero, aut decoctione tamarindorum. Denuò reïteratis alterantibus, quæ possent sudorem magis prouocare: erat enim natura ad hanc propensa euacuationem: debebant tamen esse citra euidentem calorem, veluti sunt, pentaphyllum, hordeum, & id genus alia: oportuisset medicamentum aliquod repetere, & ita procedere donec integrè fuisset sedatus morbus: his enim medicamentis non raro euenit, vt & vrinæ moueantur, quibus perfectum sequitur iudicium: nam erumpente sudore, vrinis excretis morbi soluuntur non raro. Neque est difficile has euacuationes sequi eodem tempore, quod sæpissimè vidi, quia est eadem vrinæ, & sudoris tum materia, tum generationis modus, ita Galen. *lib.* 10. *de simpl. medic. facult. cap. de sudore.* Differunt tantùm elaboratione, quia cùm ad cutim debeat ferri, oportet omnes permeet partes, vsque ad cutim, & per consequens magis sudoris materia attenuetur. Sudor in sanis multus, alimenti copiam, potum largiorem, corporis plenitudinem, cutis raritatem, hepatis, & lienis copiosum calorem denotat. Materia ex qua generatur, est nimius humor, & serum. Expellitur robore naturæ, & calore ambientis. Quare, quod in corpore incaluit, & biliosæ substantiæ aliquid accepit, magísque elaboratum est, quàm vrina, ita vt possit ferri ad cutim, ad aquæ instar, id, sudor est. Non est igitur mirum, si in ægrotantibus fiant sudores attenuata materia, & ad cutim expulsa. Est hic, vel symptomaticus, vel criticus. Criticus cognoscitur

per

per ſigna coctionis: nimirum, ſi fiat progreſſis ſignis coctionis, ſi in die critico appareat; robuſta exiſtente natura: ſi ita moderatus ſit, vt vires non diſſoluantur: toto corpore prodeat, & febris inde, ſimul cum aliis ſymptomatibus conquieſcat. Hæc ſunt indicia certiſſima ſudoris optimi. His igitur ita exiſtentibus, criticum fuiſſe hunc ſudorem, quo eſt integrè iudicatus hic ægrotans, apertiſſimum eſt, vt non immeritò ceſſauerint & morbus, & accidentia, cùm antedicta requiſita habuerit. Hæcque de hoc ægrotante ſatis.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΚΤΟΣ.



Τὴν Εὐρυάνακτος θυγατέρα παρθένον, πῦρ ἔλαβεν. ἦν δὲ ἄδιψος διατελέως. γεύματα οὐ προσεδέχετο. ἀπὸ δὲ κοιλίης σμικρὰ διῄει. οὖρα λεπτὰ, ὀλίγα, οὐκ εὔχροα. ἀρχομένου δὲ τοῦ πυρετοῦ, περὶ ἕδρην ἐπόνεε. ϛʹ, δὲ ἐοῦσα, ἄπυρος. οὐχ ἵδρωσεν. ἐκρίθη. τὸ δὲ περὶ τὴν ἕδρην, σμικρὰ ἐξεπύησεν. ἐῤῥάγη ἅμα κρίσει μετὰ δὲ κρίσιν, ζ. ἐοῦσα. ἐῤῥίγωσε. σμικρὰ ἐπεθερμάνθη, ἵδρωσεν. μετὰ δὲ κρίσιν ὀγδοαίη ἐοῦσα, ἐῤῥίγωσεν οὐ πολλά. ὕστερον δὲ ἄκρεα ψυχρὰ αἰεί. περὶ ιʹ, μετὰ τὸν ἱδρῶτα τὸν γενόμενον, παρέκρουσε. καὶ πάλιν ταχὺ κατενόει, ἔλεγον δὲ γευσαμένην βότρυος, ταῦτα παθεῖν. διαλιποῦσα δὲ ιβ, πάλιν πολλὰ παρελήρει. κοιλίη ἐταράχθη, χολώδεσιν, ὀλίγοισιν καὶ

ÆGROTVS VI.



VRYANACTIS [a] *filiam virginem ignis inuaſit.* [b] *Hæc perpetuò nihil ſitiebat, neque quicquam ſuſtinebat deguſtare.* [c] *Deiecit pauca: vrinæ paucæ, tenues, non boni coloris:* [d] *incipiente verò febre, ſecundùm ſedem dolebat. Sexto die febre erat libera,* [e] *non ſudauit, indicata eſt. Quod ſecundùm ſedem erat, aliquantulum ſuppurauit, & cum iudicatione erupit.* [f] *A iudicatione, die ſeptimo riguit, nonnihil incaluit, ſudauit. Ab iudicatione aliquantulum riguit octauo, poſteà extremæ partes ſemper algebant. Ad decimum diem à ſudore, quem habuerat, delirauit, confeſtim ad mentem rediit. Ferebant autem, quòd racemum vuæ guſtaſſet, ita fuiſſe afflictam. At cùm diem intermiſiſſet, duodecimo iterum multùm delirauit: aluus turbata fuit multis tenuibus, mordacibus, paucis, meris excrementis, cre-*

ἀκρήτοισι, λεπτοῖσι, δακνώδεσι. πυκνὰ ἀνίσατο. ἀφ᾽ ἧς ἣ παρέκρουσε τὸ ὕστερον ἀπέθανε ἑβδόμῃ. αὕτη ἀρχομένου τοῦ νοσήματος, ἤλγεε φάρυγγα, καὶ διατελέος ἔρευθος εἶχε. καὶ γαργαρεὼν ἀνεσπασμένος. ῥεύματα πολλὰ, σμικρὰ, δριμέα. ἔβηχε. πέπονα οὐδὲν ἀνῆγε. ἀπόσιτος πάντων, παρὰ πάντα τὸν χρόνον, οὐδ᾽ ἐπεθύμησεν οὐδενός. ἄδιψος, οὐδ᾽ ἔπινεν οὐδὲν ἄξιον λόγου. σιγῶσα οὐδὲν διελέγετο. δυσθυμίη ἀνέλπιστος αὐθις εἶχεν. ἦν δέ τι καὶ ξυγγενικὸν, φθινῶδες.

brò desidebat. Die septimo, à quo postremùm delirasset, decessit. Huic ab initio morbi fauces dolebant, sempérque rubebant, gurgulio retractus: destillationes multæ, paruæ, tenues, acres. Tussÿt, concoctum nihil excreauit, [g] *quosuis cibos toto hoc tempore fastidiuit, neque appetiuit quicquam, non sitÿt, & nihil effatu dignum bibebat,* [h] *tacita erat, nihil loquebatur, mœsta animum despondebat:* [i] *erat autem & natiuum quoddam tabidum.*

COMMENTARIVS.

NON leuiter hanc mulierem ægrotasse constat, dum videmus pluribus fuisse conflictatam affectibus, etiamsi ex his vnus esset non timendus, abscessus. Scilicet qui circa anum erat, alij autem quammaximè timendi, cùm febris fuerit maligna, & non minùs maligna destillatio: acris enim, & mordax erat. Inter istas destillatio habebat rationem symptomatis, alij erant morbi: nam destillatio erat qualitas, & quantitas mutata, febris morbus totius corporis vniuersalis, intemperies scilicet calida, vt *lib. de causis morborum, cap.* 2. habetur. Tumor erat morbus in magnitudine aucta. Horum affectuum causam triplicem constituere possumus, nimirum humorem biliosum, pituitosum, & melancholicum. Biliosum adfuisse euacuationes per aluum factæ demonstrant: fuisse huius humoris prædominium constat. Melancholicum denotant taciturnitas, & mœstitia. Pituitosum humorem, sed salsum, destillatio, cui fuit obnoxia. Hæc omnia Galeni, & Hippocratis auctoritatibus probabuntur. Cùm igitur talis esset status ægrotantis, quomodo non citiùs obiit, cùm horum affectuum vnus sufficeret ad inferendam mortem; quod vnusquisque poterit certiùs affirmare, qui diligenter morbi sæuitiam expenderit, sed multò magis statim à principio: nam sæuire morbum progressu temporis, sequitur morbi temperantia: statim autem inuadente, lethalia habere symptomata perniciosum. Verisimile igitur est, hepate impensiùs calido existente, plurimam bilis copiam fuisse congestam, quæ intra venas putrescens, febrem concitauerit putridam, & qua erat

erat malignitate donata', etiam malignam. Pars iſtius humoris ab hepate in ventriculum regurgitans,& ſimul cum pituitoſo humore à capite impensè calido recepto,ſalſedinem, & acrimoniam acquirens,& à capite in ſubiectas ſibi partes decumbens,appetitum,& guſtum omnino abſtulit, in ventriculi os defluens, dolorem faucium, & ruborem per ipſas tranſiens: tuſſim in pulmones ſeſe inſinuans, concitauerit. Hæc vt meliùs cognoſcantur, tria ſingillatim perpendenda ſunt, quæ ad hanc Hiſtoriam ſpectant. Incipit igitur ſic Hippocrates.

[a] *Euryanactis filiam virginem ignis corripuit.*] Per hæc verba vis morbi colligitur, quem appellat ignem:ſed magis faceſſunt negotij accidentia annexa, dum vix inchoante morbo, ſubdit:

[b] *Hæc nihil ſitiebat, nec quicquam ſuſtinebat deguſtare.*] Hoc accidens erat indicium ingentis morbi malignitatis: nam cùm tam grauiter eſſet excalfacta,neque adeſſet ſitis,peſſima erat iſtius ægrotantis conditio:nam non ſitire in huiuſmodi morbis multa poteſt indicare, vti iam demonſtratum eſt: neque dicerem vllo modo potuiſſe ſitire, quia ab eadem cauſa,& appetitus, & ſitis auferri contingeret: tuſſientes enim,& quibus à capite ad fauces defluit materia, ſiti non premuntur, niſi adeò vehemens ſit tuſſis, quæ ſiccitatem pulmonibus inducat, tunc etiamſi tuſſiant, ſitiunt tamen quammaximè, quod & *in Aphor.* & *in epid.* habetur ab Hippocrate. Cùm verò adeò vehemens non eſſet tuſſis, rationabiliter factum eſt, vt à ſiti non infeſtaretur, continuo à capite materia delabente in fauces, quia irrigantur partes illæ,& ſic prohibetur exſiccatio, quod veriſſimum eſt in iis, quibus materia fluens non eſt acris, & mordax, & ſalſa. In quibus autem huiuſmodi humor deſcendit ad infernas partes, etiamſi irrigentur, neque tamen deſinunt ſitire, ídque euidentiſſimè colligitur ab Hippocrate,& Galeno 3. *in* 3. *epidem.text.*14. Ibi ſcribit: *Quidam erant ſitibundi, quidam non.* Galenus ſuper illo textu hæc habet: *Quam ob rem poſſent aliqui non ſitire,vel ob facultatis potus appetentis offenſam; non ſecus ac illi, qui cibum faſtidiunt ob facultatis cibum appetentis offenſam.* Subdit: *Liquet autem peſſimam eſſe horum conditionem, vel quia maligna humiditas illis ad ventrem non affluat*, quod idem, & longè clariùs mihi videtur repetitum 1. *in* 1. *epidem. comment.*29. Ibi ſcribit Hippocrates ſic: *Non ſitiebant.* Verba Galeni: *Non ex malignitate deſtillationum, quas ipſe appellauit acres, hoc tabeſcentibus ſymptoma accidit.* Quo factum eſt, quantum equidem iudico, vt cùm fuiſſe illas Hippocrates nouas,& abſurdas iudicare vellet,adſcripſerit: *Non ſitiebat.* Eſt enim ſignum maximæ malignitatis,vbi calida,& adurente febre, aut fluxione delabente in ventriculum acri non ſitiant. Atque hoc ſymptoma partis virtutem ſentientem deperditam indicat, & extinctam, ſiquidem particulæ affectus non ſentit. Quare cùm ſiti non infeſtaretur,deſtillatione acri delabente, & febre vehementiſſima affecta, aliud nihil erat ſtatuendum, quàm quod priùs dicebatur, deterrimam fuiſſe iſtius ægrotantis conditionem; præſertim, cùm non nutriretur, deperdita omninò appetentia, quod ab eadem cauſa factum crediderim, ſcilicet ob elan-

guescentiam facultatis appetitricis, prouenientem tamen propter delapsum malignæ destillationis, quemadmodum accidit ægrotantibus illis, de quibus fit mentio 1. *in* 1. *epidem. comment.* 28. *Ea erat ægrotantium conditio, vt cibos quosuis perpetuò fastidirent.* Galenus addit: *Appellant Græci appetentia carentes, qui cibum non sumunt, ἀσίτους, qui verò oblatos fastidiunt, ἀποσίτους. Constat autem,* subiungit, *hoc fastidij symptoma tabidis accidisse, eo quòd destillationes, quæ fauces, & pulmonem infestabant, pars aliqua in ventrem deflueret,* quod idem repetit Galenus 3. *in* 3. *epidem. comment.* 13. quo in loco esse signum pessimum statuit, cùm significet facultatem ciborum appetitricem esse afflictam. *Ventris,* inquit, *ciborum appetentem facultatem afflixit, vnde cibos fastidiebant.* In *comm. ad historiam Parij cuiusdam* 3. *in* 3. *epidem. comment.* 72. ita legitur: *Iam, quod extinguebatur naturalis facultas eius erat signum proprium, ea quæ in morbo euenit inappetentia.* Quibus additur auctoritas desumpta ex 1. *in* 3. *epidem. comment.* 13. verba faciens de Hermocrate. *Vnde ex his collectis,* sunt verba Galeni: *quæ dicta sunt, est perspicuum mirè fuisse iecur affectum principium vegetatricis, & naturalis animæ, cuius est ostensum quatuor esse virtutes, attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem, quæ suppeditant corporibus nutrimentum, & augmentum: & hac affecta mirum in modum appetitus perit, vt potiùs mori, quàm gustare quicquam sustinerent ægri.* Et tandem *in comment.* sic legitur: *Maximum sit tibi facultatis ciborum appetitricis simul emorientis signum, si parata hæc, quæ desiderare dicebant, vt gustarunt, culpent, nec etiam edant.* Quibus omnibus videmus hunc ægrotantem inappetentem fuisse ex destillatione in ventriculum defluente, quæ maximam facultatis appetitricis elanguescentiam faceret, deterrimámque fuisse istius ægrotantis conditionem non aliter, ac eorum, de quibus fit mentio ab Hippocrate 3. *in* 3. *epidem. text.* 58. vbi hæc habentur: *Etiam hoc symptoma omnes cepit, qui in peste diuturna, quæ modò viguit, laborabant. Quare factum est, vt multi morerentur. Fortiores ergo, qui vim sibiipsis inferentes, cibum oblatum assumpserunt, omnes fere superstites fuerunt. Plurimi verò mori, quàm comedere quicquam prius duxerunt.* Addit: *Atque hæc ipsa illis accidisse videntur, qui tum ægrotauerunt, maximè vitio ventris: etenim, & huius est opus ciborum appetentia.* Quibus sic existentibus, mirum est tandiu superuixisse. Sequitur Hippocrates, & scribit sic.

[c] *Deiecit pauca.*] *Deijcere pauca potest multis modis euenire.* Galeno dicente *lib.* 3. *de sympt. caus. cap.* 2. *vel quia intestina sint debilia, vel quia hebescit ipsorum sensus, vel quia pauca fuerint alimenta assumpta: vel talia sint, quæ pauca generent excrementa: secus autem,* sunt verba Galeni: *quàm ex consuetudine excernit imus venter, vel propter intestinorum imbecillitatem, vel hebetem eorum sensum. vel ob ciborum paucitatem qualitatémve.* Quare, cùm nec cibum, nec potum assumeret, non potuit multa congerere excrementa; hinc paucitas excrementorum per aluum, & per vesicam: sed & erat aliud, quòd vrinæ erant etiam prauæ, ídque maius malum.

[d] *Iaci*

[d] *Incipiente febre secundùm sedem dolebat.*] Videtur hîc Hippocrates nobis innuêre fuisse hanc febrem symptomaticam, nimirum insequentem ad sedis inflammationem: cùm enim doleret circa eam partem, indicabatur esse collectam materiam, & incipere concoqui, quo tempore fiunt dolores, & febres, eo si iam adsint exacerbantur, iuxta Hippocratis doctrinam 2. *Aphor. text.* 47. Firmaret magis dictum, si ad hoc respiceremus, quòd sexto die erat febre libera, & iudicata est, merito euacuationis factæ, & iudicij per sedem; erupit enim materia in tumore existens cum iudicatione, cùm iam suppurauerit. Quibus ita existentibus videtur posse nos apertissimè colligere, febrem fuisse insequutam tumorem sedis, quo suppurato desiit etiam febris. At enimverò aliter suadent multa. Primum, quòd Hippocrates scribit vrinas fuisse non bonas. Hoc signum erat in genere venoso extitisse malignam humorum putrescentiam: ergo non potuit paruitas tumoris tam grauiter afficere ægrotantem. Prætereà in sexto die factum est iudicium, qui dies non attenditur, vti est demonstratum. Addamus, quòd Hippocrates scribit, fuisse à febre liberam, & iudicatam, posteà tumorem fuisse ruptum, apertum, & pus exiisse: ergo non propterea desiit febris, quia suppurauerit tumor, quæ iam soluta erat, ac sine ratione, quòd verum esset, Hippocrates addit: *non sudauit.* Verbum hoc denotat fuisse necessariam maiorem euacuationem ad morbi sublationem, & perinde est ac si dixisset, non habuisse insignem aliquam euacuationem, & hinc colligo tumorem fuisse admodum pusillum, neque sufficientem ad tollendum magnum morbum, qui ad sui solutionem magnis indiget remediis: si ergo per sedem, tumore aperto, larga priùs fuisset sequuta euacuatio, quæ potuisset occurrere imminenti ruinæ, non erat, quod addidisset.

[e] *Non sudauit.*] Fuisse ergo verisimile est portionem humoris, qui à capite sese insinuauit circa venas ani, & statim propter paucitatem materiæ, & ipsius qualitatem suppurauit: quid minimum in tam graui, & acuto morbo. Neque est quòd quis dicat suppurationem esse indicium roboris naturæ vincentis, & per consequens videri inconsonum cum humorum coctione obire ægrotantem, quia, vti aliàs dictum est cum Galeno possunt plures morbi eodem tempore inuadere, quorum alter incipiat, alter vigeat, & alter declinet. Itaque continget ægrotantem mori, non propter incipientem, aut declinantem, sed propter vigentem: neque crederem obiisse ob errata, quòd scilicet racemum vuæ comederit, quia neque Hippocrates id asseueranter concedit, sed scribit, dixerunt: nam, si Philonis filia, etiamsi sanguis copiosè fluxisset, ex qua euacuatione omnes seruabantur, tamen intempestiuius cœnata obiit, fuit hoc in causa, quia vnico morbo cùm laboraret, febre videlicet acuta, intempestiuius cœnata, fuit impedimento naturæ rectè operanti, sanguinem è naribus euacuanti, ex qua fortasse euacuatione non satis perfecta iterum incaluit, & à priori morbo debilitata, facile fuit nouo succedenti succumbere, erat tamen morbus magnus, & in huiusmodi morbis leuia errata mortem inferunt. Hæc autem & febrem acutam, & malignam, acrémque destil-

lationem patiebatur, & à nullo minùs infestabatur, quàm à tumore circa sedem existente, & ob id obiit, hoc suppurato, cæteris autem permanentibus crudis, vt excrementa demonstrant, neque id quod dixi est inconueniens, quia nititur fundamento Galeni, qui *lib. de totius morbi temporibus, cap.*7. hæc habet. Nam vno, & eodem tempore duobus, vel tribus morbis homo potest infestari, quorum alius iam inclinat, alius principij tempus adhuc, vel augmenti primordia occupat, tertius plurimùm auctus est, deinde hominem mori contingit, non propter inclinantem, neque nunc incipientem, sed ob vehementer auctum. Id quod à Galeno scribitur *lib.*3. *de crif. cap.*9. Quod hic à Galeno ponitur, potest Hippocratis exemplis illustrari desumptis ex 2. *in* 1. *epidem.text.*84. ancillæ cuiusdam Scymni pictoris, & Cratistonactæ. Hi ambo ægrotantes obiêre, etiamsi suppurauerint parotides circa aures existentes, de quibus loquitur Galenus *in comment.* dum ait: *Cratistonacta, & pictoris ancillam, cùm tubercula secundùm aurem suppurassent, perijsse.* Nam, cum hoc pugnare videtur. *Coctiones celere iudicium, & securam sanitatem promittunt.* Reddit rationem cur obierint, dum inquit. *Sed ne nunc quidem causa febrium, quæ intra venas continerentur erant concocta Cratistonacta, & pictoris ancilla, nam non obijssent.* Subdit: *At parotides erant tamen matura, quod infrequens esse, & memoria debere teneri dicebam. Nam posse fieri quapiam in parte priuatim coctionem, toto morbo adhuc crudo.* Hactenus Galenus. Quæ hîc scribit Galenus clara adeò sunt, vt nemo sit, qui ambigat, cur concocto tumore, hæc ægrotans sit mortua. Non fuit igitur tumor ille sufficiens ad tollendum morbum, & per consequens non fuit sine febre, quia tumor suppurauerit, sed quia virtus debilitata non insurgebat ad pugnam, præsertim in die sexto. Fuit illa alleuatio breuis temporis, cùm statim subdat.

[f] *Ab indicatione riguit aliquantulum die septimo, nonnihil incaluit, sudauit.*] Post rigorem sequitur aliqua insignis euacuatio, vti iam cum Galeno vidimus; verùm hæc non fuit euacuatio respondens morbo, quod modus loquendi Hippocratis denotat, dum inquit: *sudauit*, sine alio addito. Itaque potiùs censerem fuisse factum rigorem, vt solet in destillationibus, defluentibus nimirum humoribus tenuibus à capite ad subiectas partes, fit tunc rigor tangente materia acri neruosum genus; ijdem humores cùm ad cutim deferuntur, in vapores [versi, sudorem faciunt, ídque non raró obseruabitis in iis, qui destillationibus sunt obnoxij; sed, vtcunque esset, inanis naturæ motus, insequens humorum malitiam, cùm nihil iuuerit, sed potiùs in dies magis suffocari natiuum calorem ostenderet, cùm octauo die fuerint refrigerata extrema, & perseueraret hæc refrigeratio, & ita modò videbatur iudicatus, modò ingrauescebat morbus, non potente natura humorum malitiæ dominari. Quid significet extremorum refrigeratio ex Hippocrate colligetis 7. *Aphor.*1. & 2.*prorrhet. comment.*8. & ob id, cùm quæcunque fiebant in malum tenderent in dies, non poterat concipi spes melioris: nam quando fiunt euacuationes & morbus exacerbatur, malum non leue significatur

ficatur : cùm enim ſudor ſit tam vtilis in his morbis, ſi non iuuat longè deterior, vti in hac ægrotante conſpicimus, quę à ſudore delirauit decimo die, etiamſi confeſtim ad mentem redierit, quia pauci eſſent vapores acres transmiſſi ad caput, eſt tamen meo, quidem animo, prauum admodum ſignum in morbis, quando in euacuationibus praua apparent ſymptomata; tunc enim non parum timendum de ægrotantis ſalute, quia videtur inſequi potiùs extremam virtutis imbecillitatem, quàm eiuſdem robur. Neque ego putarem tam grauiter fuiſſe afflictam, quia racemum vuæ comederet, quamuis in morbis lethalibus minimus error plurimùm poſſit ad citiſſimam perniciem, tamen quantum ex textu coniicimus laborauit à principio morbo lethali: potuit quidem vna flatuoſum reddere corpus, vt Galenus admittit *lib. 2. de aliment. facult. cap. 9.* & ſi non deſcendant, grauiter lædunt, tamen mali cauſa non fuit vna, ſed praua ipſius diſpoſitio, cùm eſſet natiuum tabidum, & fortaſſe ob id Hippocrates vtitur hoc modo loquendi, *ferebant*: volens innuere vulgarium hominum morem, qui in diiudicandis ægrotantium morbis omnem illorum generationem ſolent referre in cauſas externas, cùm potiùs in viſcerum diſpoſitionem præcedentem, & morboſum corporis apparatum cauſa eſſet reiicienda. Non igitur in vuæ racemum, ſed in deſtillationem, in natiuum tabidum, in humorum prauitatem erat cauſa referenda, quibus omnibus concurrentibus, potuit quiuis grauiſſimè affici, præſertim in tanto humorum bilioſorum prouentu, vti ex euacuationibus duodecimo die ſequutis apparet; euacuatio improbanda, tum quia eſſent, quæ euacuabantur pauca, tum quia mera, tenuia, & mordacia: pauca damnantur, vti vidimus, propterea quòd imbecillitas naturæ ſignificatur: mera: flammidam diſpoſitionem internam, & ob id mordacia, quæ irritabant præ acredine, & poſteà erant tenuia, ſcilicet, nullum adhuc coctionis indicium præbentia, hincque magnum delirium, cùm materia intus ebulliens non poſſet ad aluum tranſmitti, neceſſe erat vt eleuaretur ad caput, & accidentia humori reſpondentia inferret. Quòd ſi ad hunc vſque diem nondum morbus fuerat concoctus, immò ingraueſcebat in dies magis, quid poterat inpoſterum expectari boni? Itaque meritò obiit, quantum coniecto ex verbis Hippocratis, die decimonono, aut meliùs vigeſimo. Galenus nullam certam ſententiam de morte iſtius ægrotantis haberi vult, quia cùm tabida eſſet, non poterat eſſe certus mortis terminus: ita enim habet. Quare muliere hac mortua, exemplarium diuerſitatem nihil eſt quòd reſpiciamus, & de diebus quæramus: nam illi, cùm nullum ordinem habent, poſteáque mortem à capite deſtillatio attulit & natiuum tabidum; ideò ſimul diſcordiam exemplaria iuxta, & iudicatu difficilem, & inanem arbitratus prætermiſi. Sed vtcunque ſit, cùm acutiſſimè laboraret, & natiuum haberet tabidum, ideò ſimul ſuſpicari poſſumus mortuam eſſe vigeſimo die, vti in multis obſeruauimus. Sequitur poſtea Hippocrates, & narrat, quæ illi ab initio morbi euenerint.

Fauces, inquit, *dolebant, ſempérque rubebant, gurgulio retractus.*] Iam diximus paſſam fuiſſe deſtillationem acrem, & mordacem, & ob id fauces

ces doluisse, & rubras fuisse, cuius occasione etiam gurgulio retrahebatur.: cùm enim malignæ sint huiusmodi destillationes, rubent fauces, cùm ad eas partes delabuntur: id apertè satis confirmat Galenus 1. *in* 1. *epidem. text.*27. sic: *Plerisque horum fauces à primo dolebant, & cum inflammatione rubebant. Destillationes paruæ, acres, tenues, statimque marcescebant, & affligebantur.* Galenus addit: *Simul vt symptomata, quæ ad tabescentium conspiciebantur fauces, prædixit, causam adscripsit his verbis. Destillationes paruæ, acres. Nam, quia malignæ erant destillationes, quæ à capite manabant, fauces dolebant, quòd verò ab ipsis vellicarentur, ruborem, & inflammationem habebant.* Quia iam ipsa calida destillatio, non erat mirum in Thaso, si præ cæteris tabescentibus, qui ita haberent, ad extremam deuenirent gracilitatem. Esse calidam huiusmodi destillationem, & cerebri calidam arguere dispositionem, fieríque à pituita salsa, quam simul morbum fouere *suprà* diximus, euidentissimáque Galeni auctoritate comprobatur, quæ legitur 3. *Aphorism. comment.* 12. Ibi tres pituitæ species constituit, acidam, dulcem, salsam. Primam à forti frigiditate, à mediocri caliditate secundam, sicuti à vehementi caliditate tertiam fieri confitetur, sic scribens. Inest autem & hoc pituitæ generationi, vt quæ à forti fit frigiditate, acida euadat: quæ verò à caliditate replente caput, salsa: sicuti sanè, quæ à pauca fit frigiditate, vel paucam dulcedinem, vel nullam manifestam habeat qualitatem. *Lib.* 1. *de aliment. facult. cap.* 1. multas constituit pituitæ species, & 2. *lib. de different. morbor. cap.*6. & *lib. de multitudine, cap.*11. habetur fieri à salsa pituita siticulosos, quòd autem salsa, sit etiam acris, nemo est, credo, qui ambigat, sed præcipuè, qui huiusmodi destillationes experiuntur: ab affectu enim tales esse confiteri oportet: siccat destillatio salsa, vtpote quæ habet vim siccandi propter salsedinem, vti notat Galenus 4. *acut. comment.* 8. tractans de rebus salsis. Ibi sic legitur: *Quo fit, vt tum salsa, tum acria tanquam augentia vitare oporteat, hæc autem acribus magis siccant, sed minus calefaciunt: non igitur mirum, si gurgulio retractus est, à siccante destillatione ita factus.* Addit: *Destillationes multæ, paruæ, tenues.* Destillationes erant multæ, quia semper à principio ad finem fuerunt infestæ. Paruæ, quia sensim humor destillabat, neque admodum violenter. Simile quid ei, quod de imbre scribit Hippocrates, dum appellat magnas pluuias, quæ affatim irruunt, aut quæ sensim, sed longo tempore perdurant, ita legitur 1. *in* 1. *epidem. in fine* 1. *comment.* Gurgulio igitur erat meritò retractus propter delabentem acrem destillationem. *Gurgulio, dicente Galeno 6. de compos. medicam. secundum locos, cap.*3. *est particula quædam carnosa in summo ore dependens, apparétque, si quis aperto ore linguam plurimùm deprimat, vocatúrque gargarçon, cion, id est, gurgulio, & columella, siue columna.* Huius gratia factus est gurgulio, ne frigidus in fauces aër cumulatim irrumpat *lib. medic. inscript. cap.*11. Hic igitur, quoties destillatio est crassa, incrassatur, & intumescit, quo fit, vt videatur retractus, quoniam quæ replentur, quodammodo retrahuntur, si verò sit subtilis, longior redditur, & si acris, & mordax est humor, retrahitur ad superiora.

riora,

riora, quia exsiccatur, & aliquando etiam marcescit propter humoris decumbentis malitiam; ita vt sæpissimè ad sectionem sit deueniendum; neque tamen sine periculo, vti ex Galeno habemus *lib.* 3. *prognost. text.* 21. Aliquando ad nihilum reducitur à continuis destillationibus, & voci euidentem infert læsionem, & multo magis, si subtiles sint, quæ nullo modo, aut nonnisi cum labore possunt expui, quemadmodum huic contigisse cernimus. Hæc tussiebat, quia humoris pars delabebatur ad partes spiritales, à quibus nihil potest educi, nisi cum tussi, ex Galeno *lib.* 4. *de loc. malè affectis, cap.* 5. at nihil concoctum expuebat, quia cùm humor esset tenuis, poterat quidem à valida tussi infestari, sed modicum expuere, quia huiusmodi destillationes non intercipiuntur à spiritu, vt habetur 1. *in* 1. *epidem. comment.* 12. quo in loco tussis siccæ causas refert: priùs enim hic humor per guttur, & asperam arteriam delabendo in pulmone funditur, quàm à spiritu concitato per tussim subduci possit. Tussiebat igitur, sed quoniam humor erat subtilis, & crudus, qui à spiritu diuisus refluebat, eapropter nihil expuebat, quam eandem causam reddit Galenus idem *lib.* 4. *de loc. malè affectis, cap.* 8. & si aliquid expuebat, erat illud admodum paucum, & quia subtile, non nisi difficulter educebatur.

g *Quosuis cibos toto hoc tempore fastidiuit, neque appetiuit quicquam, non sityt, nec quicquam effatu dignum bibebat.*] Ea erat morbi malignitas, vt defluente humore in ventriculum, labefactata sit facultas appetitrix, propterea nihil appeteret, nec cibi, nec potus. Inappetentia est symptoma facultatis ventriculi, in qua inest appetitus. Aliquando accidit ventriculo primariò affecto, aliquando contingit aliis partibus transmittentibus. Primariò, vt cùm humore crudo repletus est ventriculus: tunc enim appetitum tollit: aut quando ventriculus opprimitur à quadam concocti alimenti corruptela: aut, quando cibum adhuc inconcoctum retinet. Per consensum autem, si quæ humoris portio à capite in ventriculum defluat, si in venis existat humorum copia, ex quibus serosa humiditas in ventriculum confluat: tunc enim læditur os ventriculi, quod præ cæteris exquisitissimum habet sensum, cognoscitúrque ex nausea, inappetentia, cordis dolore. Fit tandem ab hepate valde affecto, quod est principium tum nutricis, tum naturalis appellatæ animæ, qua læsa, graues inappetentiæ fiunt, vt mori potiùs ægrotantes velint, quàm cibum assumere. Hæc omnia non incommodè videbit, vnusquisque *lib.* 1. *de sympt. causis, cap.* 7. Ibi Galenus tractat diffusè de hac re. Cùm igitur tot sint causæ inappetentiæ, putarem ego duas fuisse præcipuas in hoc ægrotante, nimirum destillationem acrem, & salsam, & hepatis affectionem. Neque est quòd quispiam statim obiiciat, oportuisse fuisse siticulosam, quia ita fiunt à salsa destillatione: hac enim excepta, omnes aliæ tollunt sitim, quoniam id eueniebat propter facultatis euidentem prostrationem, quo existente non sentiebat indigentia, vti ex Galeno colligitur *in comment.* sic. Maximum sanè sit tibi facultatis signum ciborum appetitricis semel emorientis, si parata hæc, quæ desiderare dicebant, vt gu-

 starunt,

ſtarunt, culpent, nec etiam edant. Qui, tametſi habeant peſſimè, deterio-re ſunt tamen in ſtatu, qui nihil appetunt, extremam indicantes extinctionem naturalis virtutis, qua cibum, & potum appetimus.

[h] *Tacita erat, nihil loquebatur, mœſta animum deſpondebat.*] Dictum eſt in principio fuiſſe portionem humoris melancholici, & hac motus ſum ratione, quòd Galenus 3. *in* 3. *epidem.* ſcribit, multùm loqui eſſe phreniticorum, tacere melancholicorum. Hæc erat tacita, & nihil loquebatur: ergo neque deerat humor melancholicus. Præterea erat timida, cùm mœſta animum deſponderet, timor autem, & mœſtitia, ſi diutius perdurent, melancholicum ſignificant, vti 6. *Aphor. text.* 23. & apertius 2. *in* 1. *epidem.* quo in loco ſic legitur: *Timores verò magnopere acris, & decoctæ bilis flauæ ſymptomata ſunt.* Cognatæ iam timoribus mœſtitiæ ſunt, & etiamſi in aliquo differant melancholici, in hoc tamen conueniunt, quòd omnes timent, mœrent, vitam damnant, quamuis non omnes mori cupiunt, vt inde colligamus mœſtitiam, & timorem ſemper concomitari melancholicos, dictum à Galeno, probatum ab omnibus. Addit tandem in vltimis verbis.

[i] *Erat autem & natiuum tabidum.*] Hæc verba ab Hippocrate non ſunt addita, tanquam nihil ſignificantia: neque enim eſt Hippocrati conſuetum, dicit Galenus 1. *de vſu partium*, *cap.* 8. his verbis: *Eſt ab illo tamen*, inquit, *ſi quid iudico, perperam ſcriptum nihil.* Et *lib. de comate*, vnamquamque Hippocratis dictionem aliquid ſignificare apertiſſimè fatetur, vt propterea dicendum ſit, & non temerè hanc particulam eſſe additam.

[k] *Erat autem & natiuum tabidum.*] Quaſi velit dicere, ſumma cum ratione facilè in hunc affectum incidit, quia iam natura eſſet propenſa ad tabem: ſcimus enim alios aliis magis, aut minus ad hunc, vel ad illum morbum eſſe propenſos, quare cùm hæc haberet natiuum tabidum, faciliùs etiam id morbi genus potuit incurrere. Vt autem meliùs hæc Hippocratis verba intelligantur, eſt conſulendus Galenus, qui explicat verba hæc, dum inquit, eos habere natiuum tabidum, qui adeò anguſtum habent thoracem, & reſtrictum, vt ſcapulæ in morem alarum promineant, & qui caput habent adeò imbecillum, vt facilè repleatur, & qui facilè ſunt obnoxij deſtillationibus 1. *in* 1. *epidem. comment.* 18. Tabidos Græcè φθινώδεις appellant veteres Medici, qui morbo tabifico, quem etiam φθίσιν vocant, ſunt obnoxij. Tales planiſſimè ſunt, qui adeò anguſto ſunt thorace, & reſtricto, vt à tergo in modum alarum promineant opercula ſcoptula, vnde etiam πτερυγώδεις, quaſi alatos vocant. Præterea quibus caput facilè repletur, quod ſpiritus organis multas demittit deſtillationes, hi facilè tabeſcunt, 3. *Aphoriſm. comment.* 13. ſic legitur: *Quibuſdam eorum phthiſim, id eſt, tabem qui ſcilicet ad hunc affectum natura apti ſunt, & anguſto pectore, & quibus à capite ad pulmones fluxio defertur,* quod idem ab Hippocrate 3. *in* 6. *epidem. comment.* 18. ſcribit ibi Hippocrates. *Quæcumque alatæ naturæ coſtarum propter impotentiam occaſionis, & in deſtillationibus malignis, & ſi excretio ſit, & ſi non ſit, malum.* Et *eo-*

dem

dem lib. Medicas eos alatos nominare ſcribit, qui ſcapulos eminentes habent alarum auium inſtar, retrorsùmque productas, idque fieri dicit propter vitalis caloris inopiam, propter paruitatem cordis. Tales igitur ſunt, qui natiuum habent tabidum. Hîc expedit notare, tres eſſe phthiſis differentias; nam vna fit à diſtillatione è cerebro, vel multa, nec euacuata, quæ pulmones non difficilè putrefacit, propter ipſorum aptitudinem: ſunt enim ſubſtantia molles, ac tenelli, cuius occaſione dicebat Hippocrates: *Deſtillationes, quæ tandem non conſiſtunt, alteram tabis differentiam gignunt.* Aut fit phthiſis, quia decumbens deſtillatio ſit acris, & mordax, vt ſalſa. Aut tertio modo, quia aperiuntur vaſa, quod frequentiſſimum eſt: apertis enim pulmonis vaſis fit vlcus, eroſis pulmonis tunicis, & carne. Inter has periculoſiſſima eſt hæc, quæ dicente Hippocrate, ſequitur ad inſanabilia pulmonis vlcera, nec minus periculoſa eſt, quæ ab acri pendet deſtillatione: nam in his difficillima redditur curatio propter immoderatam fluxionem, vlceris magnitudinem, ſanguinis acrimoniam, & putredinem, quæ vim cordis obruit, & ob id non rarò per magnos ductus euacuato pure, ſæpiſſimè ægrotantes linquunt animo, ex quo etiam moriuntur. Addamus curationis difficultatem, propterea quòd medicamenta cùm peruenerint ad partem affectam, iam refractam habent vim. Quòd ſi poſtea acris deſtillatio continuò fluat, non facilè curatur phthiſis; quia, cùm præceps ſit deſtillatio ad pulmones, tuſſiunt neceſſariò, & hinc vlceris amplificatio, intemperies in dies magis ſuccreſcit, & irremediabilis fit affectus: his enim verè contingit, vt non tantùm vera cicatrix, ſed ne cruſta quidem, cuius beneficio interdum ſanguis ſupprimitur, poſſit induci, trahitúrque in conſenſum, & ventriculus, & hepar, & aliæ partes coafficiuntur, vti in dies conſpicimus. Hæc omnia apertiſſimis verbis comprobat Hippocrates ſic: *Cùm pus in ventre moram traxerit, totum corpus ab ipſo caleſcit, tum maximè viciniſſimæ partes: caleſcente enim corpore, humidum maximè eliquatur, & quod à ſupernis partibus eliquatur, in ſupernum ventriculum præcipuè confluit, fitque pus. Pars verò eius etiam in infernum ventriculum defertur, & quandoque aluus ab ipſa turbatur, & hominem perimit: nam cibi ingeſti ſuccedunt incocti, & alimentum ab ipſis corpori non ſuccedit. Et ſputi ſurſum purgatio non æqualis contingit, aluo nimirum calefacta, & omnia deorſum trahente in ſeipſam. Et à ſputo quidem ſuffocatur, & ſtertit, dum non purgatur, à ventre verò fluente debilitatur, & plerumque perimitur.* Paulo pòſt addit: *Cùm igitur caput fluere cœperit, & reliquum corpus colliquari, non ampliùs æqualiter ne vſti quidem euadunt: ſuperant enim ſupra pus influentia mala, ea quæ defluunt, & carnes magis: ac magis liqueſcunt, quàm nutriantur ab ingeſtis.* Mortis verò tempus, & modus habetur *lib. 2. eiuſdem*, dum inquit: *Huic ſi iam à capite pili defluant, & nudum ſit caput, velut ex morbo, & ſi prunis inſpuenti ſaliua graueolens ſit, intra breue tempus moriturum ipſum prænuncia. Id verò quod accidet, alui profluuium fore.* Hæc Hippocrates. Quemadmodum tres ſunt maximæ differentiæ tabis, ita triplex eſt ad tabem præparatio. Vna eſt ex conformatione corporis vitioſa; altera

ex constitutione aëris, veluti Austrina, Aquilonia. Tertia ex ætate. Constitutionem corporis tabificam tres partes constituunt. Pulmo, Thorax, & Caput, in singulis istarum partium triplicem inuenimus dispositionem. In pulmone mollities natiua, cauitates multæ excipiendis fluxionibus idoneæ, excernendis ineptæ, & ab ortu, quasi ab ortu naturæ ex vitioso parentum semine contractum. Ratione thoracis, veluti iam dictum est. Angustia in latum, & profundum, collum oblongum, & gracile: extantes scapulæ retrorsum in modum alarum, & excarnes. In capite autem, quando redditum est ita imbecillum, vt quacunque ex causa repleatur. Intemperies, quæ propter caliditatem, ritu cucurbitulæ trahat, & facilè repleatur propter patentes meatus, qui ad excipiendos vapores maximè sunt apti. Fit etiam propter frigidam intemperiem, nimirum hæc multa excrementa congerit, & quæ ad caput feruntur incrassat. Hæ sunt causæ propter quas tabes fiunt facillimè concurrente praua corporis dispositione, vt inde eliciamus non fuisse admodum difficile ægrotantem, de qua agitur tam grauiter fuisse affectam, cùm natiuum haberet tabidum, id est, haberet corporis constitutionem tabificam. Addamus, quòd præter constitutionem dictam, habebat etiam destillationem, quæ non consistebat; hæ autem solent alteram tabis speciem generare: sunt enim duæ, vna, quæ ex illis, quas caput demittit fluxionibus constat. Altera, quæ ipsius malis pulmonis proficiscitur, de qua re iam est dictum cum Galeno 1. *in* 1. *epidem. comment.* 17. Quarè, si ita erat affecta, & tot etiam habebat, quæ tabem sua natura minarentur, non poterat non-nisi in id morbi genus incidere. Neque aliquis dicat, Epicratis vxorem laborasse destillatione non dissimili, & tamen neque obiisse, neque tabidam fuisse factam, quia est quòd facilè respondeatur: nam, neque omnium est eadem dispositio, neque hæc, perinde ac illa habebat natiuum tabidum, neque accidentia æquè grauia, vti ex textibus elicitur, neque quod in morbis est maximum, erat illi sublatus appetitus, sed maior ægritudinis causa fuit mensium suppressio, à qua, etiamsi difficulter, & longo tempore, tamen integrè conualuit. Prætereà, etiamsi posset dici maligna destillatio; tamen, neque in ventrem, neque ad partes spiritales confluebat, quantum ex textu coniectare possumus. Vt igitur sermonem concludamus, dicimus ægrotantem hanc laborasse maligna admodum destillatione, proptereáque obiisse citiùs: nam malignæ destillationes dicuntur illæ, quæ à capite in pulmonem descendentes subtiles sunt, & viribus corrodentibus. Hæc fuit huiusmodi. Ergo fuit maligna. Maior probatur Galeni auctoritate desumpta ex 3. *in* 6. *epidem. comment.* 18. vbi hæc habet: *Destillationes igitur à capite in pulmones, tunc malignas esse putandum est, si defluentia subtilia, & corrodentibus viribus sint prædita.* Minor patet ex textu. Aliud in hac historia est notandum; videlicet, rigores illos, & sudores inordinatè factos causam habuisse à destillatione, quod frequentissimum esse videbitis in praxi, & etiam à Galeno notatur 1. *in* 1. *epidem. text.* 34. quo in loco verba faciens de illis tabescentibus ad verbum scribit, *In summa, qui tabescebant leuiusculè ægrotabant,*


tabant, non more tabeſcentium à febribus cum horrore venientibus, parum ſudantes aliàs alij, vt quos inuaderet febris, non ſtatuto circuitu; & vt paucis, quos nunquam febris reliquerit, ſed inuaderet more febris tertianæ naturam referentis. Sunt hæc, quæ ægrotantibus tabeſcentibus eueniebant, de quibus fit mentio in prima tempeſtate, quæ omnia etiam huic ægrotanti euenêre, cùm modò rigeret, modò ſudaret, modò febricitaret, quod, vt diximus, admodum eſt familiare tabeſcentibus, provt humor ad hanc, vel illam partem decumbit: ſi enim ad neruos, rigorem; ſi ad cutim, ſudorem; ſi ad venas, febrem concitat. Quibus ſic præmiſſis, vidimus quibus affectibus fuerit conflictata hæc mulier, quas cauſas habuerit fouentes, & quem euentum. Quid per natiuum tabidum intelligi debeat, & quid per deſtillationes malignas, omniáque pro viribus à Galeno, & Hippocrate fuêre deſumpta. At quoniam hæc ſpectant ad theoricam, addamus modò aliqua ad praxim attinentia.

Curatio.

CVm tres eſſent affectus, ad tria erat dirigenda curatio, nimirum ad tumorem ani, ad febrem, & ad deſtillationem. Quod ſpectat ad tumorem, non admodum fuiſſet ſollicitus Medicus, propterea quod erat in partibus inferioribus, & admodum exiguus, & ob id etiam celerrimè eſt ſolutus. Quæ maiorem diligentiam expoſcebant, erant deſtillatio, & febris: nam tumor, ſi quam exigebat curationem, ea fuiſſet facta cerato altheæ admoto, emplaſtro maturanti ex pomis coctis dulcibus, ſaccaro, & butyro: ex farina hordei, tritici, malua, oleo amygdalino: ex lacte, pane trito, & oleo liliorum alborum cum portione radicum liliorum alborum, & id genus aliis. Galenus cùm plures ſunt affectus, illum præ cæteris eſſe attendendum monet, qui præcipuè vrget, altero non neglecto. Quare in curandis iſtius ægrotantis affectibus: ego priùs attendiſſem febri; quia, etiamſi deſtillatio tabem minaretur, quod maximum erat; tamen exiſtimarem ego iampridem, & multò antè huic deſtillationi fuiſſe obnoxiam, & ob id, nouo adueniente morbo, illum fuiſſe curandum, qui celerem mortem minabatur, etiam diligentiſſimè curatus, & eò magis, quia iiſdem remediis poteramus duabus iudicationibus ſatisfacere, ſi non omnino, ſaltem ex parte: vterque enim iſtorum refrigerantia expoſcebat. Quare, cùm ratione febris, & deſtillationis eſſet refrigerandum, illud imprimis attendere oportebat, vt præcederet conueniens victus ratio, ſcilicet refrigerans: ita enim & intemperiei calidæ febris, & deſtillationi ſalſæ eſſet prouiſum. Vinum debebat ſtatim interdici, vt minimè vtrique affectui vtile. Aqua cocta poterat parari ex hordeo, aut ſimul cum ſeminibus citri, coriandrorum, aut iſtarum aquarum loco vti ſtillatitiis, veluti ſunt acetoſa, ruta capraria, endiuia. Cibus, panis tritus cum mucilagine ſeminum melonum, aut papaueris albi, & præcipuè vigiliis infeſtantibus: ſuccus farri probatur, & ſi ſuſpecta ſit ipſius craſſities, additur ſucci limonum, aut aceti parum,

nec minùs probatur ptiſſana hordeacea, de cuius vtilitatibus iam aliàs dictum eſt, cum vitellis ouorum. Quòd ſi tenuiſſima victus ratione vſa fuiſſet, ſic affecta bene ſibi conſuluiſſet, etiamſi hæc nimis exacta vteretur, cùm nihil ſuſtineret deguſtare. In huiuſmodi caſibus, ne ægrotantem ſine cibo relinquamus, licet aberrare à via in nutriendo, concedentibus nobis aliquid, quod etiam ſit minus conueniens, ſæpiſſimè enim videbitis ab alimento non multùm boni ſucci excitari appetitum, & in morbi progreſſu ægrotantes magis appetere, & quæcunque porriguntur admittere. Sed vtcunque eſſet, neceſſaria fuiſſent contuſa carnium, iura longa conſumptione decocta, ſuccus carnis aſſæ. Aqua carnis quæ tantopere extollitur à Petro Baio; tamen quæ eo modo paratur, exactam requirit diligentiam: nam aduritur facilè; niſi moderatus ſit ignis, & tunc guſtui eſt ingrata, veluti etiam, quæ fit in patinis. Mihi maximè arridet, quæ in hunc modum præparatur. Aſſumatur caro ex coxa vituli, abiiciatur pellicula, ſi quæ eſt, & pinguedo, vt ſola caro remaneat, ſecetur in minuta fruſta, vt poſſit phialæ collum ingredi, quæ vitrea ſit, ponatur caro in phiala, ſine aqua, & diligenter obturata phiala, eadem ponatur in caldario ſatis lato, aqua frigida pleno, ſed appenſum remaneat phialæ collum, ne inter coquendum frangatur. Bulliat aqua in qua repoſita eſt phiala, & ſpatio horæ, aut paulo plus extrahetur ſuccus cum ſuaui odore, & maximè conueniens debilitatis, ſi ad ℥. *iij.* vel *iiij.* exhibeatur, animaduertentibus nobis; ne, ſi caldarij aqua abſumatur inter coquendum, addamus, aquam frigidam, quia ſtatim frangeretur phiala, oportet enim vt ſuperaddatur aqua, quæ iam in altero vaſe ſeruetur calida; neque, cùm ſuccus erit factus, & deponatur caldarium ab igne, debet phiala extrahi donec aqua ſit refrigerata. Hic eſt facilior modus præparandi aquam, quæ à Medicis dicitur ſuccus carnis, & vires fractas velociſſimè reparat, cum velociſſimè nutriat. Nec ſunt inutilia ſtillatitia carnis vituli, aut pulli herbis refrigerantibus repleti. A cibo expediebat aliquid exhibere, quod poſſet vapores aſcendentes coërcere, veluti ſunt pira cocta, cotonea, aut citoniatum ſaccaro factum, nec improbatur portio ſaccari roſacei. Huiuſmodi igitur fuiſſet non inutile genus vitæ in tali caſu, pro regulari talium morborum curatione, & præcipuè maxima cautio eſt adhibenda, quando ægrotantes non appetunt: neque enim tam facilè datur locus cæteris medicamentis, quando virtus ex non aſſumpto cibo redditur imbecilla, vt in hoc caſu: attamen, periculo prædicto expediebat aliquid moliri. Præſentaneum remedium fuiſſet ſanguinem mittere; & quoniam erat mulier, oportuiſſet eandem interrogare, an aliquis defectus eſſet in naturali ſua euacuatione, quod plurimùm refert ſcire: nam ſi minùs, quàm pro diſpoſitione corporis requirebatur, fuiſſet euacuata per vterum; & ideò dediſſet febri cauſam, expediebat ab infernis partibus ſanguinem detrahere, aliter ſupernas ſecare venas, & ſi quid erat tentandum, illud erat ſtatim inuadente morbo faciendum: nam progrediente tempore ſublata fuiſſet occaſio, ipſa omnino alimentum renuente. Ob hoc abſtinuit Galenus à ſanguinis miſſione in muliere Romana

mana, quia ſpatio quatuor dierum nihil aſſumpſerat, quanto magis id erat obſeruandum in præſenti muliere, quæ nihil omnino deguſtabat. Itaque erat res conſilij, & bene erant attendendæ vires; præſertim, cùm parum laudabili ſanitate frueretur, etiam ante febrem, quantum ex textu elicere poſſumus; parum igitur detrahere, & potiùs iteratò mittere, vos autem adoleſcentes dilectiſſimi monitos volo, vt quando huiuſmodi caſus præ manibus habetis, in quibus ſtatim ſuſpecta res eſt, ſubitò cureis ſeniores vocari Medicos: ſic enim, & vulgo ſatisfacietis, cuius conſuetum eſt ſemper Medicorum famæ detrahere, ſic ferente eius deprauatá natura, & quod maius eſt, conſcientiæ conſuletis dignitatémque veſtram; ſic facientes, in dies augebitis magis. Quod ad aluum emolliendam ſpectat; etiamſi ab aliquibus in huiuſmodi deſtillationibus acriores clyſteres commendentur, nihilominus ego vſus eſſem placidioribus concinnatis ex decocto refrigerante, & ſoluente, vt malua, betis, violis, hordeo, additis, ſem. aniſorum, quo ad ℥.*vj.* ſumpto, addidiſſem caſſiam ad ʒ.*vj.* mel violaceum ſolut. ſaccarum rub. ad ℥.*ij.* cum butyro ad ℥.*iij.* clyſterem concinnaſſem, neque valido leniente vſus eſſem, ſed contentus fuiſſem huiuſmodi, quod reciperet caſſiam ad ℥.*j.* cum ſem. aniſorum. Quòd ſi in muliere fuiſſet ſuſpecta, non tranſcendiſſem mannam diſſolutā, in iure in quo priùs fuiſſent decocta, ſem. aniſ. puluis, ſem. citri, & tamar. hac ſumpta ad ℥.*ij.* præparaſſem alterantia ex ruta capraria, violis, nenuphare, capill. ven. gramine, acetoſa, hordeo, & ſem. melonum in iure omnibus decoctis cum foliis boraginis, bugloſſi, & floribus cordialibus; aut, ſi magis placuiſſet, poterat parari ſyrupus ex ſucco depurato cichorij, acetoſæ, endiuiæ, boraginis, ex ſyrupo violaceo ſimplici, cum herbis, aut aquis cordialibus. Aut, cùm omnia abhorreret, poterat ex eiſdem repleri pullus, & extrahi aqua vitreis organis, de qua aſſumeret ad libitum. Alexipharmacis vti: vigiliis prouidere opportunis remediis, de quibus aliàs dictum eſt, morſulis diacodiō dictis, ſaccaro roſaceo, violaceo, ſed ex violis. Ab oxyrrhodinis abſtinuiſſem, ne caput imbecillum magis redderetur, & fluxio maior. Gargariſmata incraſſandi vim habentia, reuulſiones vtiles. Quod ſpectat ad natiuum tabidum, non eſt cur loquamur de lacte, aut balneo aquæ dulcis, quia medicamenta natiuo tabido conuenientia non admittebat febris putrida, quæ etiam ſua vi tam celeriter enecauit ægrotantem, vt non fuerit talibus medicamentis locus: non erat cur Medicus de iſtius ægrotantis ſalute eſſet ſollicitus, quod ſpectat ad tabidum natiuum, & ob hoc ad alia erat animus conuertendus.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΒΔΟΜΟΣ.



ΚΥΝΑΓΧΙΚΗ, ἡ παρὰ τὰ Ἀριστίωνος, ἧ πρῶτον ἀπὸ γλώσσης ἤρξατο. ἀσαφὴς ἡ φωνή. γλῶσσα ἐρυθρή. ἐπεξηράνθη. τῇ πρώτῃ, φρικώδης ἐπεθερμάνθη. γ΄, ῥῖγος. πυρετὸς ὀξύς. οἴδημα ὑπέρυθρον. σκληρόν. τραχήλου καὶ στήθεος ἐξ ἀμφοτέρων. ἄκρεα ψυχρά. πελιδνά. πνεῦμα μετέωρον ποτὸν διὰ ῥινῶν ἐχεῖτο. καταπίνειν οὐκ ἠδύνατο. τὰ διαχωρήματα καὶ οὖρα ἐπέστη. δ΄. πάντα παρωξύνθη. ε΄. ἀπέθανε κυναγχική. π. δ. ε. ε. θ.

ÆGROTVS VII.



ILLIVS [a] *Anginosæ, quæ apud Aristionem agebat,* [b] *primum à lingua cœpit esse vox obscura,* [c] *lingua rubens, desiccata erat.* [d] *Primo die horrida, incaluit. Tertio, rigor, febris acuta: tumor colli, & pectoris ex vtraque parte subruber, durus.* [e] *Extremitates frigidæ, liuidæ, spiritus sublimis,* [f] *potus per nares effluebat, deuorare non valebat.* [g] *Deiectiones, & vrinæ substiterunt. Quarto, cuncta sunt exacerbata. Quinto, perijt anginosa.* π. δ. ε. ε. θ. *id est. Probabile deiectionibus suppressis esse mortuam.*

COMMENTARIVS.

ANGINÆ [a] nomine omnes gutturis affectus, qui comitem habent difficilem respirationem illæso thorace, aut pulmone complecti Galenum apertissimum est ex iis, quæ scribit hunc in modum. *Cur igitur omnes anginosos appellauit? Quia difficulter spirabant, nullo existente, vel in thorace, vel in pulmone vitio, quippe hac in re differt anginosus concursus à peripneumonico, & laterali, atque ex eo, quòd angustia sensus in gutture est.* Addit: *Præterea in præsagiorum libris, videtur anginæ nomine intelligere omnes affectus huic loco accedentes, quos spirandi difficultas comitatur. Lib. 4. de loc. malè affectis, cap. 3. Quare, quotiescunque afficitur guttur, quomodocumque fiat, eos anginosos appellabimus.* Itaque non mirum est, si plures anginæ species habemus ab Hippocrate descriptas 3. *prognost. text.* 16. Neque in his recensendis fuit, vt veteres

Medici,

Medici, curiosus, qui distinxerunt anginam in Cynanchen, Paracynanchen, & Synanchen, sed paucissimis verbis rem explicat, sic scribens: *Angina grauissima est, ac celerrimè interficit, quæcunque nec in ceruice, nec in faucibus conspicuum aliquid efficit*, plurimùm verò doloris infert, ac spirationis difficultatem, quæ nonnisi recta cernice trahatur: hæc enim, & eodem die, & secundo, & tertio, & quarto strangulat; & hæc est prima species anginæ, quam Medici posteriores appellant Cynanchen, cuius etiam fit mentio ab Hippocrate *lib.2. prorrhet. text.54. Fauces*, inquit, *dolentes absque tumore, cum implaciditate, strangulantésque acutè perniciosæ.* Secunda species est hunc in modum descripta. *Quæcunque verò dolorem alteri similem infert, attollitur verò, ac ruborem in faucibus efficit, admodum exitiosa, sed paulò longior, quàm superior*, de qua ni fallor loquutus est Hippocrates 4. *acut. text.*30. Tertia est, vbi fauces rubent, ceruix, ac pectus: diuturnior est hæc, & maximè seruantur ij, quibus ceruix, ac pectus traxit ruborem, nec sacer ignis intrò recurrit, háncque appellant Synanchen: secundam Parasynanchen: de his autem nominibus non fuit Hippocrates curiosus, quia non faciunt ad curationem, & ob hoc, vti dictum est, affectus omnes, qui gutturi adueniunt, si spirationem quoque reddunt deteriorem vno Cynanches nomine comprehendit, deinde à rei essentia, & periculi magnitudine exorsus eandem in tria membra distinguit, vt *in prognost.* habetur, hinc fit, quod ab eodem Hippocrate reponitur modò inter acutos, modò inter peracutos morbos. *Lib.2. Aphorism. comment.19.* Ponit anginam inter morbos acutos: duplex enim est morborum acutorum natura: vel enim ab humoribus calidis solùm, qui nullum obsedêre locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus sunt, vel loco aliquo patiente fiunt, vt in morbo laterali, pulmonis inflammatione, angina. Eandem reposuit inter morbos peracutos 1. *Aphor. comment.*12. Morbus enim lateralis, & qui peripneumonia, & phrenitis à Græcis dicitur, morbi acuti sunt. Angina verò, Græcè Synanche, & Cynanche, & cholera, & neruorum distentio Græcè tetanos, peracuti: & cùm intra quartum iugulet, erit etiam inter peracutos exactè reponenda. Causa anginæ fluxio est. Huius causa est capitis intemperies cum materia, cùm caput eam habet dispositionem, vt facilè repleatur, ille humor, qui in capite existit, tandem ad aliquam partem præcipitet necesse est, facilè autem fit, vt ad viciniores partes defluat à capite, nimirum tanquam à termino *à quo*, ad subiectas partes, tanquam ad terminum *ad quem*: fluxiones autem, quæ à capite defluunt sunt in duplici differentia: aliæ enim sunt substantia tenues, aliæ crassæ, quæ tenuiores sunt, per latiores venas facilè penetrant, sed posteà detinentur in angustioribus, huiusmodi autem sunt venæ gutturis. E contrariò autem quæ crassæ sunt, eæ in angustioribus non firmantur, quia easdem penetrare non possunt, hinc fit, quòd plures anginæ differentiæ ponantur: nam prima species anginæ fit, quotiescumque tenuissima, & acerrima fluxio sese insinuat in venulas interiorum musculorum laryngis, & hac de causa, quæ inflammatio contrahitur in iis partibus à materia

illa plus iusto incalescente delitescit omninò, vt neque videatur, neque possit tangi, & neque mirum si Hippocrates dicat hanc esse lethalem admodum. Secunda autem per consequens pendeat oportet à materia crassiore ad eam partem fluente. Hæc in faucium venis consistit, atque illic impacta facit, vt pars, quæ fluxionem recepit, in tumorem attollatur, & etiam sensui visus pateat, propterea quòd venæ earum partium patentiores longè sunt, & magis latæ, quàm venæ laryngis, & musculi inflammatione tentati manifesto tumore se produnt. Tertia, modo, ex fluxione crassiore ortum ducit. Hæc tum in ceruicem, tum in partem exteriorem thoracis, siue sterni influit, tum in colli musculos, qui per latera œsophagi ad cartilaginem scutiformam descendunt, & hac de causa fit, vt modò inter autumnales, modò inter vernales morbos reponat Hippocrates 4. *acut. text.* 30. Synanche, inquit, id est angina, fit, cùm hyeme, veréque fluxio multa, & viscosa à capite ad iugulares venas defluxerit, plurimúmque hæ propter latitudinem traxerint spiritum, & quæ sequuntur, longéque inter se differre anginas notat; nam, quæ autumnali tempore fiunt, has magis biliosas, nervales autem magis pituitosas nuncupat. *Lib.* 3. *Aphorism. comment.* 22. *Anginæ verò*, sunt verba Galeni, *ex biliosis humoribus ortum habent, qui ad fauces autumno decumbunt, ab illis, quæ verè fiunt differentes*; quoniam illæ sunt quodammodo pituitosiores: succedit enim hyemali tempore, & in vtroque tempore fiunt familiares fluxiones, quia autumnus sua frigiditate comprimens; ver liquans fluxionibus dant causam, minùs autem in æstate, quia geniti humores dissipantur, hyeme verò omnia redduntur torpida: neque propterea mirum si Galenus dicat autumnali tempore fieri morbos æstiuos permultos, manente adhuc æstiuo humore in ipso, flaua bile: neque enim sicuti æstas veri superueniens humores euacuat, ita & autumnus æstiuos; sed contrarium ex toto accidit; nam ex partibus extimis ad intimas ducit. Cum ratione igitur æstatem, inquit, nonnullas ex morbis vernis generare. Autumno verò non ex æstiuis aliquos, sed multos, quod idem reperit *in eadem sectione, text.* 9. Autumno hoc imprimis inest, quòd eadem die aliquando calorem, aliquando frigus continet. Deinde, quòd æstiuo succedat tempori, in quo multi quidem humores fuerunt assati, quibusdam verò & vires debilitatæ; subdit statim: *Non solùm verò hac ratione malus est autumnus, sed etiam quia primum quidem humores mouebantur ad cutim, atque difflabant, autumno verò ob aëris ambientis frigiditatem retunduntur, atque ad interiora impelluntur.* Hoc cùm ita sit, dicerem ego anginas autumnales esse periculosiores, & deteriores, & hanc ægrotantem autumno potius fuisse conflictatam. Cùm igitur tot sint anginæ species, & à variis humoribus pendeant, videamus, cùm hanc fuisse anginosam scribat Hippocrates, qua anginæ specie laborauerit. Hoc non difficilè consequemur, si quæ passa est breuiter examinemus. Incipiens autem Hippocrates nobis ob oculos ponere, quomodo esset affecta, ait.

[b] *Huic primum à lingua cœpit esse vox obscura. Lingua rubens, desiccata*

ta erat.] Vocis instrumenta, dicente Galeno 2. *in* 1. *epid. comment.*78. per quæ spiritus redditus vox efficitur, sunt aspera arteria, guttur, fauces. Cùm igitur esset vox obscura, vocis organa lædi significabatur: nam actione læsa, & instrumentum affici contingit, à quo actio prodit, ídque eueniebat, quia in dictas partes sese insinuabant humores: quotiescunque enim ad subiectas partes delabuntur, fauces etiam noxam contrahunt, vti quotidiana experientia demonstrat, & id etiam confirmat de ægrotantibus quibusdam Hippocrates 3. *in* 3. *epidem. text.*10. quando scribit multos è faucibus laborasse, vocésque fuisse vitiatas. His hæc addit Galenus: *Quibus caput sua sponte promptè replebatur, his in præsentia exundantia humorum plenum, in pulmonem cœpit, & ventrem per fauces fluxiones dimittere.* Porrò iure dicit voces etiam his affectas fuisse; nempe, & hoc assiduè fieri videtur destillationibus, vbi abundè fauces, & guttur irrigauerit.

[c] *Lingua erat rubens.*] Quemadmodum vox erat obscura, id est, quæ vix audiretur propter vehementem fluxionem, ita lingua erat rubens, quia erat inflammata, neque quid nouum & linguam pati, quæ facilè propter magnas venas, quibus est donata, fluentes recipit humores, & etiam propter substantiæ aptitudinem dicit Galenus 5. *in* 6. *epidem. comm.*14. & *loco etiam adducto acut.* vbi ita habetur: *Lingua autem vi ex venis humidum recipit, atque ex lata, rotunda, ex bene colorata, liuens: ex molli dura, atque ex facilè flexili, flectenti contumax efficitur.* Ita profectò læditur lingua, vt viderim ego sic tumefactam, quæ intra dentes detineri non posset, dum medicinam facerem in oppido Trumelli. Erat hîc vir rusticus, qui maximos labores in agrorum cultura sustinebat: cœpit gutture dolere, neque ob hoc à laboribus abstinuit: tandem paucis transactis diebus ex improuiso magna deglutiendi difficultate correptus fuit, & in eo prope erat, vt moreretur suffocatus: in tumorem elata est lingua adeò, quæ intra dentes non poterat detineri. Hoc spatio septem dierum ad minus, quibus diebus transactis, paulatim cœpit detumescere, & in pristinum rediit omninò. Habuit hoc non parui momenti in huiusmodi casibus, quòd in tam euidenti linguæ tumore, nihilominus bene spirabat post vniuersales totius euacuationes. Quare non est mirandum si huic ægrotanti idem euenerit, nimirum minùs bene disposita, cùm esset rubens, inflammationis particeps, desiccata propter calorem.

[d] *Primo die horrida incaluit.*] Horror in principio factus solet ingentem humorum putredinem, & malignitatem denunciare, Galeno confirmante 3. *in* 3. *epidem. comment.*69. Verùm in hac muliere dicerem id euenisse præcipuè propter affectionem partis neruosæ: communicatur enim affectio propter congenerem substantiam omnibus partibus neruosis, veluti obseruamus in vteri affectibus: rigent tunc mulieres, quia pars affecta est neruosa: sed addamus in violentiore naturæ motu concuti vniuersum corpus, & pati præcipuè neruosas partes: at enimverò nullus fit concitatior motus, nisi quando suffocatio imminet, veluti in anginosis: tunc natura omnes suos adhibet conatus, vt se eximat à mo-

lestante materia; & tunc si materia est crassior, non rigor, sed horror concitatur, qui medius est motus inter rigorem, & refrigerationem: ita enim scimus fieri horrorem, videlicet aliquando à materia acri vellicante membranas, veluti in purulentis: vel agitatione caloris influentis, & materiæ calidæ, aut crudæ concitatiore motu, aut diffusione in habitum corporis. *Horruit* igitur ratione dicta, *Incaluit*. Bene dictum, quia in principio morbi omnes sunt leuiores: id est, febricitabat quidem, sed non vehementissimè, nondum inflammatione vigente. Quid fortasse, si quemadmodum etiam nostris temporibus obseruamus, neglexisset affectum, & etiamsi incalesceret, non abstinuisset ab iis, quæ potuerint irritare morbum, cùm de secundo die nihil dicat, quasi eodem modo haberet. Refert historiam alterius anginosæ Hippocrates 7. *epidem. text.* 19. & inquit: *Anginosa quæ apud Metonem dextram manum, & crus doluit. Febricula tenebat eam:* hoc perinde est ac si diceret, *incaluit:* modus loquendi Hippocratis, veluti habemus in historia eius, qui calescens cœnauit. Verùm cùm morbi isti non possint diutius protrahi, quin aut omninò soluantur benè, aut hominem tollant celerrimè, ob id cùm ad magnitudinem inflammationum sequantur febres, vti ex Galeno habetur 2. *prorrhet. comment.* 21. Soleant autem quamcelerrimè vigere, propterea, acriori facto sanguine, impetuosiùs moto, validiùs natura insurgente, non ampliùs horruit, sed riguit, neque ampliùs dicit incaluisse, sed febris acuta: & iure maiore facta inflammatione, quod ex consequentibus dignoscitur, videlicet ex colli tumore, qui vtramque obsidebat partem, veluti etiam pectoris; & dicerem ego ita factum fuisse vigente iam inflammatione, humorum maiore copia ad eum locum præcipitante, internam & externam obsidente partem, ex quo longè grauius periculum: nam ambas affici partes, grauitatem morbi arguit. Prætereà erat colli, & pectoris tumor durus, vigentem inflammationem denotans *lib. de tumor. cap.* 2. Neque propterea deterreantur adolescentes in tam grandi malo, quia sæpissimè contingit expandi ad extimas partes cum ægrotantium commodo, erysipelatem enim intrò foras erumpere bonum. Quodnam igitur erat grauius malum in hac ægrotante dicet iuuenis? Verbum illud, *subruber*: quasi mortiferum facit morbum: neque enim respondebat color vehementiæ inflammationis, oportuisset fuisse valde vehementer rubram partem externam, & pectus, quia fuisset indicium materiam deturbari ad externas partes, & ita partibus internis minùs afflictis, minùs oppresso calore natiuo, spiratione faciliori existente, euitasset suffocationis periculum. Itaque non immeritò vtitur hoc verbo Hippocrates: *subruber*: quasi moneat adolescentes (ipsos enim alloquor, non prouectos) & dicat si continget huiusmodi morbos curare, attende naturæ impetum, & obserua qualis sit color inflammatæ partis; nam si est subruber, denotat imbecillitatem naturæ oppressæ à sarcina, & mala humorum qualitate. Ecce euentus comprobat, cùm subrubrum tumoris colorem insequatur statim frigiditas extremorum, materia intus manente: pulcherrimè id confirmat Hippocrates 6. *Aphorism. text.* 25. sed apertiùs

lib. 3.

lib.3. progno∫t. cùm ait: *Nec ∫acer ignis intrò recurrat*, ∫ubdit *text.18. Securi∫∫imúmque e∫t, ∫i rubor, quammaximè foras vertatur*, quod quia in hac non e∫t factum, ob id in dies apparebant veloci∫∫imæ mortis indicia, vti ex ∫equentibus habetur, dum ∫ubdit.

e *Extremitates frigidæ, ∫ubliuidæ: ∫piritus ∫ublimis.*] Quomodo extremitates refrigerentur, iam ex dictis aperti∫∫imum e∫t: ∫equi enim ad ingenti∫∫imas inflammationes internas, quæ ritu cucurbitulæ ∫anguinem trahunt, alias cum Galeno demon∫trauimus, confirmatum pariter ab eodem Hippocrate 7. *Aphor. comment. 26.* Textus ∫ic legitur: *In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum.* Galenus *in comment.* Fit quidem, ∫icut *∫uprà* dictum e∫t, ob magnitudinem inflammationis in vi∫ceribus partium extremarum frigiditas. Fit etiam propter animi defectum, vel quia calor natiuus extinguatur, vel quia propter multitudinem ∫uffocetur, cùm præcipuè cau∫a fuerit frigida. Fit in∫uper, & propter vehementem dolorem, medias corporis partes occupantem, ob quem natura in ∫eip∫a contrahitur, & ad eam con∫equitur ∫anguis, non ∫olùm extremas corporis partes derelinquens, veluti pedes, manus, caput, ∫ed & cutim vniuer∫am. In hac muliere non erat mirum, ∫i partes extremæ refrigerarentur, & liuidæ fierent; quia, cùm adeſſet humorum copia, à qua ∫trangulabatur, contracta vehementi inflammatione circa pectus, & fauces, ∫anguis ad illas partes recurrens, relinqueret partes extremas, proptereáque refrigerarentur, & liuidæ fierent, ferè iam extincto calore natiuo, & morte præ foribus exi∫tente: nam liuida facta corpora in breui mortem denunciant: ∫ed neque hîc ce∫∫ant ∫ymptomata, cùm & ∫piritus e∫∫et ∫ublimis. Hîc ∫uffocationem denotat, e∫t autem talis, quando re∫pirando pinnas narium dilatant ægrotantes, & ∫ummum thoracem v∫que ad operta ∫coptula mouent, veluti etiam accidit currentibus; & orthopnoicis, quibus libera non e∫t re∫piratio. Galenus *in lib.3. de difficult. re∫pirationis cap.4.* ∫piritum den∫um, & magnum e∫∫e in anginis ∫cribit, vt dicere po∫∫imus ∫piritum ∫ublimem perinde e∫∫e, ac den∫um, & magnum, etiam∫i non vno modo afficiantur angino∫i. *lib.1. prorrhet. text.24.* appellat hunc ∫piritum promptum, quòd videlicet angina affecti ∫int ad re∫pirandum prompti, inquit Hippocrates, *Quæ cum exolutione fiunt aphoniæ, pe∫∫imæ: ∫piritú∫que in aphonia, veluti his, qui ∫trangulantur promptus, malus.* An & tale delirium portendat? Galenus *in comment.* Strangulantur iure optimo, quoniam aëris copia non ∫it, é∫tque ip∫i con∫uetudo, vt talem ∫piritum φαινόμενον, id e∫t, apparentem dicat. Videntur autem omnes, qui talem in∫pirant in∫pirationem ∫capulas mouere totas, ita vt per ve∫timenta motio con∫picuè appareat, tanquam validè ip∫is ∫uperioribus thoracis partibus operentur: non igitur ab∫que ratione talem ∫piritum πρόχειρον, hoc e∫t promptum appellauit, quem *in 2. epid.* dixit μετέωρον, id e∫t ∫ublimem, elatúmque, & *lib.2. prorrhet. com.55.* Videtur autem mihi author, ∫piritum retrahi, vel ∫ur∫um trahi dicere, quem ∫uperius, tum promptum, tum ∫ublimem dicere a∫∫erui, cùm videlicet thorax inter in∫pirandum partibus ∫uperioribus magnam efficit re∫pirationem, ita vt

scapulæ moueri videantur, & quam ob causam qui suffocantur, omnes hoc respirant pacto, demonstraui. Sunt qui dicant spiritum sublimem, vel elatum, non propterea dici magnam respirationem, sed paruam, & densam, ita dictam, quoniam paucus aër inspiratus non videtur posse pertingere ad inferas thoracis partes, sed in sublimibus tantum eius partibus consistere.

f *Potus per nares effluebat, deuorare non poterat.*] Pessimum signum in angina: nihil enim deerat in omnimodam perniciem, propterea quod viæ, quæ ad fauces pertinebant erant interclusæ, & hîc notare debetis diligenter accidentia omnia: nam habuit hæc ægrotans vocem obscuram, & deglutiendi difficultatem, quod maximum esse ex Hippocrate elicitur, quando 7. *in 6. epid. text.* 1. scribit sic: *Viris autem plurimis, & alij quidem effugerunt, alij autem mortui sunt.* In summa iis, qui bibere solùm poterant, valde erant mitia, & toleratu facilia. Qui verò præter hæc loquebantur obscurè, iis & magis molesta, & diuturniora. Quibus verò venæ, quæ in temporibus, & ceruice attollebantur subpraua. Quibus autem spiritus sublimis fiebat, pessimum. Celerrimè mouiebantur, qui superrigebant febrili rigore. Causa autem, cur deterius sit vocem obscuram esse, cum difficiliori deglutitione, est, quia sola deglutiendi difficultas, quæ omni anginæ speciei est communis, prauum signum non est, quoniam liberiore spirationis ductu, & voce expedita, angustiam tantùm œsophagi denunciat: accedente verò vocis impedimento, vterque introitus tum aëris, tum cibi præcluditur à copia fluxionis, & longè maius periculum erat, prohibitam esse respirationem, quàm impeditam esse alimenti viam; in hac autem erat vtcunque. Præterea erat spiritus sublimis, quod accidens significat proximam esse mortem, cùm imbecillitatem indicet, & strangulari ægrum demonstret.

g *Deiectiones, & vrinæ restiterunt.*] Multas potest hoc habere causas, quas enarrare non est tempus, cùm sit euidentissimum ex imbecillitate facultatis expultricis id sequutum, quia nimirum omnes facultates naturales emoriebantur: quòd si tam grauis erat ægrotantis status, quomodo poterat diutiùs vitam protrahere, præcipuè cùm subdat:

Quarto omnia sunt exacerbata.] Si quo die debebat remitti affectus, eodem die est exacerbatus: nam cùm morbus esset peracutus, non poterat natura vim morbi diutius sustinere, & ob id aucta spirandi difficultate, & cæteris exacerbatis symptomatibus, nihil reliqui erat, nisi vt pessimo potiretur fato, moriendo, vti contigit in quinta: neque enim potest acutissimus produci morbus, sed oportet necessariò, vt celerrimè vincat, aut vincatur natura. Adduntur vltima verba, quæ sic exponuntur. *Probabile deiectionibus suppressis quinta mortuam.* Verba hæc Galenus summa cum ratione nihili facit; non enim putat esse mortuam, quia sint suppressæ euacuationes; sed ideò suppressas, quia ad extremum imbecillitatis esset deuentum, morte præ foribus iam existente. Verba Galeni ad hunc modum sunt: *Nam ideò putare mulierem esse defunctam, quòd suppressæ essent deiectiones, ridiculum sit: neque enim ob suppressionem perijt; cæterum*

propterea

proptereà illi contigit supprimi deiectiones, quod naturales functiones extinguerentur. Neque verò, quod frigidæ erant, ac liuidæ tertio die partes extremæ, ideò obijt; sed quòd moreretur, factum est vt & illæ morerentur.

[h] *Perijt anginosa.*] Addita sunt verba illa, vt demonstraret nullam fuisse factam morbi commutationem, sed permansisse eundem morbum, nimirum anginam à primo die ad vltimum: nam aliquando solet in alium affectum verti, quotiescunque producitur, proptereà diligenter expedit animaduertere quomodo soluatur, & quomodo euanescat erysipelas, vel inflammatio, quæ partes externas, & præcipuè superiores obsidet; & hoc in omni naturæ expulsione ad extimas partes necesse est vt obseruetis motum naturæ. Est quando materia ad exteriores partes depulsa conuertatur in abscessum, qui cùm foras propellatur, securitatem affert, quia eo aperto, pus exit, cum ægrotantis commodo. Aliquando soluitur talis affectus sputis, quod vtrunque laudabile est: si verò sine abscessu, aut sputo euanescat morbus, infida est solutio: neque enim credere oportet causam morbi esse discussam, etiamsi videatur melior ægrotantis conditio. Quare illud in primis suspicandum est, aut iterum partes à quibus fuerunt demandati occupasse, aut alias partes ex internis, maximè autem id vereri oportet, si adhuc perseueret febris, quam perdurare non esset credibile, si insensibiliter essent humores facientes morbum resoluti, & sputa essent facilia, & copiosa. Verùm, cùm fluxio illa in angustis venis hæreat; propter acrimoniæ morsum, substantiæ tenuitatem, & copiam, intrò veluti rapitur ab incendio viscerum, hinc etiamsi melius se habere videatur ægrotans, meliúsque spiret, & dolore vacet, res tamen aliter se habet, hoc sequuto propter transmissionem materiæ, quæ fauces, & collum infestabat, in pulmonem propter morbi malitiam, quod non est difficile propter pulmonis situm: est enim parti affectæ admodum vicinus, prætereà est in continuo motu, cuius causa accenditur facillimè, sed multò magis calorem suscipit in huiusmodi affectibus propter faucium angustiam, quo tempore non potest ventilare, ob impotentiam aërem æquè bene trahendi; habet etiam hoc, quòd propter substantiam suam mollem, & laxam redditur maximè aptus ad fluxiones à capite demandatas, per fauces suscipiendas. Est profectò apparens bonum, cùm eo tempore guttur appareat liberum ab ea angustia, quæ euidens suffocationis afferebat periculum, sed tamen apparens bonum dico, proptereà quòd pulmo est, qui materiam peccantem recepit, & hac ratione persentitur minor dolor, quia pulmo habet neruos, non multùm facientes ad sensum euidentem, sequitur tamen nihilominus periculum, quia teste Hippocrate 5. *Aphorism. text.* 10. *Quicunque ab angina liberantur, ijs ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt: si verò has effugerint, suppurantur.* Quæ verba euidenter declarant, quàm sit periculosum fieri transmissionem materiæ ad pulmonem, & tamen posse virtute permittente in pristinum restitui: potest enim ad pulmonem humor delapsus ad suppurationem verti, quando materia calida in pulmones insinuata putrescat necesse est, cùm non resoluatur,

cùm

cùm iam in faucibus euidentem conceperit calorem, & etiam aliquam putredinem, quod maximè periculosum est, & præcipuè si non superueniat tussis, vt habetur *lib. 5. Coacarum, text. 60. At quibus*, inquit, *angina in pulmonem vertitur, alij quidem in septima intereunt, alij fiunt suppurati: vbi has effugerint, nisi pituitæ eductio fiat?* Hoc quod scribitur hîc, dictum est ab Hippocrate de quacunque angina, etiamsi in priore maius periculum. Pulmonia igitur cùm morbus sit acutissimus, acutissimo morbo succedens, vix vltra septimam fertur: solet enim etiam citiùs enecare, viribus iam ex priore morbo debilitatis, tum etiam, quia cordi vicina pars est, & maximè calens, propterea oportet fiat pituitæ eductio, nimirum cùm pulmo pars sit laxa, & ex partibus superioribus facilè fluxionem admittat, veluti etiam ex partibus vicinis, cùm non possit præ copia ventilari, nec pateat aditus ad intestina, oportet quæ materia in pulmone continetur eadem expectoretur, non potest autem nisi tussi reiici: inquit autem pituitæ eductio, quia à pulmone euacuantur excrementa, aut re vera pituitosa, aut pituitam referentia. Quomodo igitur fiat transmissio materiæ in angina à faucibus ad pulmonem, vidimus, & quomodo non sit fidendum alleuationi sine causa, & quomodo etiam cognoscatur facta in pulmonem transmissio, nimirum per carentium doloris sine causa manifesta apertissimum est, & comprobatum ab eodem Hippocrate *lib. 5. Coacarum, text. 9.* dum ait: *Qui in angina tumores linguæ sine vlla ratione repente euanescunt, lethales sunt, & dolores repente conquiescentes sine manifesta causa lethales sunt.* Ergo, maxima cautio est adhibenda ab omnibus Medicis, sed præcipuè à iunioribus, ne temerè præsagiant in huiusmodi casibus, exactè pulsum tangentes, hic enim sæpissimè fidum facit iudicium: quod enim putabit bonum vulgus, lethale existimabit Medicus, sentiens pulsum deprimi: sed in hoc etiam sint cauti, ne scilicet in morbis à catarrho pendentibus pulsibus fidant, quia cum bono pulsu ægrotans sæpissimè moritur derepente à catarrhali materia suffocatus, & ob id lentè procedant in præsagiendo, & maximè si difficulter educatur sputum, quo tempore lethaliter affici ægrotantes vult idem Hippocrates, cùm qui celeriter non expuant, & facilè, præcipuè in prima anginæ specie, illáque sint cocta: cùm enim sit acutissima, si nihil primo die excernatur, secundo die quædam expuantur, sed humida, & cruda, tunc ægrum interiturum præsagire oportet, quia apertissimum est morbum adhuc esse in principio, nec ad quartum diem vsque, qui anginæ primæ speciei terminus est, integram coctionem posse perfici: in aliis verò anginæ differentiis longioribus, si perfectè cocta excernantur die quarto, crisis quarto, vel quinto est expectanda: si enim virtus sit imbecilla cum humore crudo, & suffocationis periculo, proculdubio morietur ægrotans, citra hæc longitudo morbi. Hæc igitur attendere debet iuuenis Medicus in anginosis, quamuis in hac non erat cur hæc attenderentur, quia, vt ait Hippocrates, *obijt anginosa.* Quòd posteà dicat Galenus ridiculum esse mortuam esse ægrotantem, quia naturales excretiones sint suppressæ, non omnino ridiculum esse existimarem, cùm deiectiones

non

non ſupprimantur ſine incommodo, & ob hoc nonne potuit fæcum retentio velociori morti dediſſe cauſam, maiore ſuffocatione inducta, quod & ſani non rarò experiuntur, ſurſum tunc recurrentibus & ſupernas partes non leuiter lædentibus. Ad hoc probandum ſufficeret quotidiana experientia, ſed neque deeſt locus Galeni id probans, qui legitur *lib.3. acut. text.33.* Verùm, inquit, ſi motio infernè capit exordia, ſurſum feruntur, quod ſanè in habentibus ſecundùm naturam vſu venire videtur, cùm ſcilicet vniuerſim, raptímque ſubeunte ad inferna inteſtina bile, continemus excretionem, aut propter aliquam, quæ prompta ſit negocij curam, quæ interpellari non poſſit, aut quòd non propè ſit quò venter excerneretur locus. Nempe tunc recurrere, ſursúmque ferri bilem ita percipimus, vt non adhuc excerni poſſit. Sunt quibus ex huiuſmodi bilis recurſu malè habet ſtomachus: aliis caput impletur, & ob morſum dolet: alij patiuntur vtrumque. *Lib.3. de ſympt. cauſis, cap.2.* ita eſt ſcriptum. *Qua ratione acer quoque ſuccus quiſpiam, qui ad ſedem aliquando fuerat delatus, ac vel in foro, vel alio quopiam in loco verſatis, aut negotio aliquo, quod deſerere non licuit diſtrictis, violenter detenſus ſurſum eſt ſubductus, ventrémque momordit, ac caput vaporando impleuit. Lib.6.de ſanit.tuenda.* idem repetit dum ait: *Nam mordax interim humor in locum aliquem ſedi vicinum receptus ad expulſionem ſui nos irritat, quem tamen cohibere propter ciuilia negotia coacti, nec ab his expediti eum expellimus, & facta eius conuerſione, quod caput inde dolere ſæpenumero ſentimus.* Et de vrina idem, cum veſica immodicè replètur, quomodocumque id contingat, actio ipſius deſtruitur, nec poſteà, quia ita ſunt affecti, quamuis magnopere connixi, excernere prætereà potuerunt. Addamus quòd ſcribitur 5. *in 6. epidem. comment.27. His ita exiſtentibus, ſi excrementorum retentio tantum affert ſanis incommodum, quantò magis ægrotantibus, & præſertim angina laborantibus, magis replendo caput, vt ob hoc dicere poſſimus, probabile etiam citius poſſe ſuppreſſis deiectionibus mori ægrotantem.* Quare cùm natura opprimeretur à ſarcina, & humorum malitia coacta eſt ſuccumbere, & citiſſimè vehementiſſimo exiſtente affectu vti accidentia comprobant. Verùm, cùm ſit mortua anginoſa, exercitationis gratia examinemus qua anginæ ſpecie laborauerit. Galenus videtur apertiſſimè aſſerere prima ſpecie anginæ fuiſſe affectam, quando ita ſcribit: *Atque ita in præſagijs ſcripſit de exitioſis anginis Hippocrates. Nam hæ primo die ſuffocant, ſtatim, & altero, & tertio. Quare propoſitam hîc nobis mulierem oportebat ea de re tertio die obijſſe, cùm extremæ partes liuidæ, ac frigidæ eſſent, deiectionéſque ſupprimerentur. Vnde viribus conijcias validis fuiſſe, itaque attigiſſe quintum diem.* Galeno præceptori credendum eſt, & ita rem eſſe, ac ipſe ſtatuit putandum: tamen neque omninò acquieſcit animus priuſquam res vlteriùs examinetur. Ego quidem crederem non habere ſigna, quæ requiruntur ad anginam primæ ſpeciei conſtituendam: ſunt autem, vti vidimus, quòd neque in ceruice, neque in faucibus aliqua ſit diſpoſitio præter naturam ex colore, calore, mole: ceruicem enim intelligo collum; fauces verò aperiendo, os, ac linguam compri-

mendo deorsum euidentem amplitudinē, in qua gemina ostiola visuntur tum gulę, tum etiā gutturis. Subdit: *Quoties igitur in neutro horum aliquid appareat præter naturam, existimandum est intra gutturis corpora lacessere inflammationem ex qua strangulabatur.* Hæc autem habuit perspicuam inflāmationem in gutture, in faucibus, quam etiā lingua rubens excipiebat. Habuit tumorem circa pectus, & collum, vocem obscuram, quæ omnia fauces, & linguam esse malè affectam denotabant. His autem læsis non delitescunt ipsarum partium affectiones, vti manifestissimum est. Relinquitur igitur, vt aut secunda, aut tertia anginæ species fuerit: sed non tertia, quoniam diuturnior est, & de hac causa, vt inquit Galenus *in comment.* neque affliguntur dolore, neque spirant difficulter, gutture quidem nequaquam patiente, sed aut in fauces, aut in ceruicem fluxione, aut in hæc vtraque decumbente, de qua Hippocrates loquens *in Coacis*, scribebat sic: *At quibus & fauces, & ceruix similiter rubent, pectus quoque, longior morbus est, & præcipuè ex ijs seruantur, siquidem rubor non incurrat intrò.* Hæc autem breuissima fuit, cùm quintum diem vix attigerit, & difficulter admodum spiraret. Superest igitur, vt videatur posse dici potiùs secunda specie, quàm prima, aut tertia fuisse affectam, cùm in secunda specie dolor sit æquè, ac in prima vigens, difficultas spirandi, etiamsi non tanta sit, ac in prima, tamen maior est, quàm in tertia. Apparet tumor, & rubor in faucibus; & ceruice, & est admodum exitiosa, sed paulò longior. Hæc omnia habuit patiens de qua est sermo. At vt rem concludamus, scire debetis accidentium magnitudinem denotare prima anginæ specie laborasse, confirmat mortis celeritas. Neque quis obiiciat deesse signa constituentia hanc anginæ speciem, cùm in illa non appareat nec rubor, nec tumor, vti cum Hippocrate est conclusum, quia ita respondere potestis. Quamuis, nec in faucibus, nec in ceruice aliquid præter naturam se præbeat videndum initio morbi, quoniam putandum tūc temporis interiores laryngis musculos proprios duodecim, aut cōmunes octo, qui neque sub aspectum cadunt, neque tactu noscuntur inflammatione tentari, quæ & spiritum elidit, præclusis gutturis partibus, per quas spiritus introitus est, & acerbissimum infert propter materiæ tenuitatem, & acrimoniam subitam, ac præcipitem defluxionem, exquisitū loci sensum, intemperiem denique calidissimam cum tensione ipsorum musculorum, arteriarum pulsatione, & spinalis medullæ pressu, ac circumpositorum corporum: tamen oportet animaduertere, etiamsi delitescant partes affectæ à principio in prima anginæ specie, inualescente morbo propter copiam materiæ transacto initio apparere tumorem, externam, & internam partem occupantem. Quidquid dicetur, erit citra veritatis iacturam. Sed cùm morbus non permittat Medicorum disputationes, celere exposcens auxilium, properemus ad curationem, & videamus quomodo in huiusmodi casibus contingat liberari ægrotantes à morbi sæuitia.

Curatio.

HIppocrates videtur in huiusmodi affectibus curationem desperare, dum 6, *epidem. citato*, recensens quæ patiebantur anginosi illi, cùm deuenit ad curationem, his vtitur verbis : *Hos ita pressos nihil iuuit manifestè eorum, quæ tentaui, neque alui perturbatio, neque venæ sectio : secui autem sub lingua quosdam, & rursum purgaui.* Nos, & si videamus in hac ægrotante non fuisse remedio locum, nolo prætermittamus, quæ videbuntur necessaria ad curationem, ab hoc sumpto initio. Angina potest sumi pro symptomate, quatenus est actio læsa. Potest dici morbus in via, Cùm igitur sumatur pro morbo, & sit in via, primùm quod agendum venit, est aperire obstructas vias : at enimverò finem nostrum non æquè assequemur, nisi causas propulsabimus. Cùm igitur istius affectus causa sit inflammatio, à qua tumor insequitur internorum musculorum laryngis, circa hoc priùs erat elaborandum, nimirum vt inflammatio sedaretur, à qua cætera pendebant : at cùm hanc concitaret fluxio, hæc erat intercipienda reuellendo, & aliò auertendo ; quæ fluxa erat, eadem erat resoluenda, quibus indicationibus vt possemus satisfacere, in primis erat id remedij genus excogitandum, quod posset simul reuellendo euacuare, est autem venæ sectio, à qua supersedere, est mortem inferre. Hac de causa dicebat Trallianus *lib. 4. cap. 1.* Angina, si quid alium vitium, acutissimus morbus est : nam quos torquet laquei, funísque modo solet strangulare : vnde etiam meritò Græcis Synanche appellata est. Quoniam igitur acutissimus morbus est, & statim mortem infert, necesse est etiam protinus ad curationem festinare. Et Aëtius *Tetrab. 2. serm. 4.* inquit : *In principio igitur compendiarium, & praeceps auxilium omnis angina requirit.* Omnis, id est, siue cum febre, siue sine febre sit, nam sæpissimè contingit curari anginam sine febre, neque id mirum esse debet pro ratione qualitatis humoris peccantis : nam, si frigidus est humor, non necessariò febris aduenit : neque enim est læsa pars prope cor, neque materia adeò calida, vt possit accendi facilè. Ita Cælius Aurelianus, dum de Angina tractat, inquit, esse tractaturum de morbis acutis sine febre, postquam tractauit de acutis, qui annexam habent febrem, quæ omnia fuêre desumpta ex Galen. *loco acutorum suprà citato:* ibi enim hæc habentur sic : *Eam ob rem citò suffocat, nisi citò aduersus eam pugnaueris.* Subdit : *Sanguinem ergo ex brachijs detrahes*, quem sunt sequuti prædicti auctores : nam Trallianus sic ait : *Anginâ infestatis venæ quidem sectionem ante omnia adhibere est necesse, hac tamen cautione, vt partitis fiat vicibus, quia in hoc morbo damnosæ sunt huiusmodi euacuationes.* Sed non vniuersam dicit Trallianus, & reddit rationem, scilicet, quia particulares euacuationes causam potius ex ipsis locis eludunt: quare etiam tertiò, & quartò ipsum detrahere oportet, cauentes solùm animi defectionem : nihil enim aliud æquè hos offendit, ac animi defectio, quæ efficit frequenter, vt materia tota in altum confluat, & post sangui-

nis missionem, si nullus laxitatis sensus oriatur, sed cibi, & aëris transitus impediatur, ad venas linguæ secandas descendere oportet. Hoc idem confirmat Aëtius, & ante ipsum Galenus cum Hippocrate *loco adducto, & lib. de curandi ratione per sanguinis missionem. Quocirca*, inquit, *quæ in gutture, & arteria graui torquentur inflammatione, in principio quidem aperta in cubito vena, post principium autem in ipsa lingua magnificè prodest, incisis videlicet venis, quæ in ea sunt ambabus.* Et id in hac ægrotante eadem erat faciendum, quia morbus non dabat inducias, & est illud, quod obseruant viri iam citati, dum subdunt iam dictis, neque in crastinum differas, sed eodem die id facito. Immò fatetur se eadem die euacuasse sanguinem, & purgasse. Hoc obseruate in omnibus inflammationibus, quòd si sanguine misso, non remittitur inflammatio, denuò ad nouam venite, neque desistite, donec videatis remitti inflammationem: manè, serò, semel, bis eadem die pro morbi vrgentia, præsertim cùm non dat inducias, veluti, vtplurimum contingit; nam eodem die iterata euacuatio potest præsentem morbum curare, imminentem anteuertere. Sed quamuis venæ sectio in genere conueniat, non propterea in omnibus eodem modo, neque per eandem partem. Non eodem modo, quia in angina non exquisita minor sanguinis copia extrahitur ratione causæ, nisi quando ita vrget oppressio, vt cogatur Medicus pro vrgentia violenter ægrotantem pertractare: neque per eandem partem, quia si fiat in muliere, multa veniunt consideranda: nam vel est vterogerens, vel non: vel suppressi sunt menses, vel fluunt, & diminutè. Item vel angina facta est fluentibus mensibus, vel multò ante tempus. Si sit in muliere vterogerente, potest sine dubio sanguis mitti, sed in pauciore quantitate, & iteratis vicibus, præsertim si fœtus sit grandior: si verò non sit grauida, & soleant menses diminutè fluere, in habitu plethorico, ego statim venas superiores soluerem, & sunt qui priùs internam, posteà cephalicam aperiendam putent, cui indicationi cùm satisfecissem, deuenirem ad sectionem venarum inferiorum, eadem die, aut sequenti pro morbi vehementia. Quòd si contingeret iam erumpentibus mensibus fieri anginam; ipsis diminutè euacuatis, quidquid alij sentiant, ego mitterem sanguinem ex partibus infernis. Quòd si hac præmissa euacuatione ingrauesceret nihilominus affectus, eo in casu neque prætermitterem supernarum partium euacuationem: solutis enim à principio venis inferioribus, duplex commodum sequitur, primum ab imminenti suffocationis periculo vindicari possunt secta pedis vena respondentis affectui faucium, quia fit auersio & euacuatio, sed etiam erit præseruatio, ad præcauendum nouum morbum.

At dicet quis: Et si contingeret fieri in muliere, cui ex præscripto naturæ menses prorumperent, & dum esset menstruata, fieret anginosa: nam neque id est impossibile, validiore causa caput afficiente, quid tunc agendum? Ego priùs interrogarem ægrotantem, an ex consueto menses fluerent, quia fieri potest, vt concitata inflammatione in partibus superioribus diminuatur euacuatio partium inferiorum, tunc non est dubitandum

tandum

tandum statim esse deueniendum ad euacuationem infernarum partium, vt iterum ad locum proprium humores deriuentur. Quòd si nihilominus fluerent, neque esset peccatum in euacuatione menstruali, & instaret suffocatio gutturis, neque diminueretur, in eo casu, priùs applicitis cucurbitulis satis magnis in parte interiori coxarum prope matricem, sanguinem extraherem per partes superiores, & tandiu relinquerem cucurbitulas, quandiu perdurasset operatio. Rarissimè videtur contingere, vt mulier bene expurgata alium incurrat morbum, tamen neque est impossibile, & si id contingeret ita me gererem: neque enim alicui nocet in medium proferre suam sententiam: in re tanti momenti, vnusquisque ex arbitrio suo curet, hoc quod dico, idem intelligo de enixis, de hominibus hæmorrhoidibus obnoxiis. Ego cùm hoc curandi modo non animaduerti præcipites esse actos ægrotantes, sed euidenter iutos, & sanatos. Sed veniamus ad hanc mulierem, quæ si vtero gestasset, Hippocrates id dicere non fuisset grauatus. Statim ac inuisissem ægram, nulla interposita mora sanguinem extraxissem, & eodem die id fieri curassem in brachiis, sub lingua, repetita euacuatione, vti conuenit in vehementissimis inflammationibus non prætermissis reuulsionibus quibuscunque per cucurbitulas, frictiones, ligaturas. Hoc tempore laudantur cucurbitulæ scarificatæ supra cutim coxarum, natium, dorsi, & partium infernarum. Statim à principio erat deueniendum ad medicamenta interna, quæ aliquo modo fouentem inflammationem reprimerent. In hunc vsum veniunt diamoron, succus granatorum acido-dulcium, dilutis cum aqua plantaginis, solani, aut portulacæ: decoctum rosarum, mespilorum, mororum immaturorum, quo erat vtendum sæpiùs os colluendo: neque enim erat ex iis anginis, in quibus calida conueniunt gargarismata, vt docet Hippocrates *in acutis* Illud quod præcipuè commendatur est validum medicamentum soluens, verùm in hac ægrotante non erat huic remedio locus, cùm essent viæ præclusæ, ob id frequentioribus clysteribus erat insistendum emolliendi vim habentibus. Hollerius doctissimus laudat hieram, & inquit fuisse suis temporibus constitutionem quandam anginosam, in qua plurimi angina suffocabantur, vt veluti pestis tota vrbe grassaretur: & ita à Medicis fuit inuentum remedium, vt post frugalem cœnam ℥.*ij*. hieræ in pilulas coactas assumerent, quo auxilio, inquit, quicunque vsi sunt, periculum declinarunt tam atrocis morbi. Crederem tamen ortum habuisse à crassiore materia, neque tam æstuantem fuisse illorum dispositionem; nam illa anginæ specie potest Medicus vti acrioribus clysteribus, veluti colocynthide, diaphen. ad ℥.*ij*. quæ immutantur pro ratione temporum anni, & temperaturæ, simúlque & humoris peccantis. Hæc igitur omnia erant quamprimum facienda, quia vrgebat morbus. Cùm dictum sit de medicamentis reuellentibus, & euacuantibus, oportet aliqua ponamus remedia, quæ & intrinsecus, & extrinsecus possent materiam iam impactam dissoluere. Intrinsecus sunt quæcunque habent maturandi vim, etiamsi in hac ægrotante non haberent locum, quia non expectauit maturationis tempus: tamen,

si id contingat aliquando potest sumi decoctio facta ex radicibus liquiritiæ, ficubus passulis, hordeo, seminibus lini, fœniculo, additis corticibus granatorum, & rosis rubris: quòd si dolor vrgeat, ad demulcendum dolorem commendatur lac tepidum, caprinum, si haberi potest, aut muliebre, vel aqua, in qua maduerit panis triticeus post factam validam expressionem, nec improbatur mucilago sem. melonum, amygd. dulcium, quæ & alia à practicantibus haberi possunt, cùm morbus dat inducias. Exterius ea conueniebant, quæ euocarent leniter materiam ad partes extimas, simúlque resoluerent. Ad hoc multa sunt accommodata: vnctiones, fomenta, emplastra: primum potest fieri oleo amygd. dulcium, chamæmeli, anethi, pinguedine gallinæ, butyro, & id genus aliis. Fomenta ex decocto seminum lini fœnigræci, florum chamæmeli, sem. anisorum, additis ℥. *vj*. decocti prædicti ℥. *ij*. oleorum anethi, liliorum alborum, aut amygd. dulcium, sícque spongia affectam fouendo partem. Emplastra non vno modo parantur; nam præparantur ex ficubus, ex farina hordei, & farina seminum lini: ex radicibus liliorum alborum, altheæ contusis, additis farinis dictis, & oleis resoluentibus. Laudat Pereda hoc cataplasma, quod recipit farinæ fœnigræci; sem. lini, & camomillæ *an. p. j*. pulueris vnius nidi hirundinis; omnia simul misceantur, & decoquantur cum sapa, & in fine adde olei liliorum alborum, & anethi *an*. ℥. *j*. ß. croci puluerizati ℥. *j*. misce, & fiat cataplasma. Cataplasma ex hordei farina, & succo apij potenter dissipat, & resoluit materiam anginæ, id medicamentum non semel se feliciter fuisse expertum testatur. Ego quidem felici cum successu sæpiùs administraui emplastrum ex limacibus sine crusta, quæ inueniuntur sub lapidibus in locis humidis. His contusis, & parti admotis, obseruaui non vulgarem vtilitatem sequutam esse ægrotanti, non prætermissis tamen vniuersalibus euacuationibus. Innumera sunt, quæ à practicantibus ponuntur: hæc vnusquisque per se potest videre. Et quia potus per nares effluebat ad hoc incommodum euitandum commendatur à quamplurimis cucurbitula sub mento parua, & collo affixa: hoc enim putant posse dilatari vias, quarum causa impeditur transitus, & spiritui, & alimentis, sed tamen sine scarificatione. Vrgente suffocatione, neque putant esse inutile venas frontis aperire, vel narium, aut hirudines post aures admouere, vel venas angulorum oculorum. Sunt qui ita audent, vt laudent sectionem arteriæ, quæ circa guttur est, prædicto periculo, & annuente ægro, quam operationem neque putarem proficere, neque auderem id persuadere, & si peritissimus esset artifex, ægrotánsque cum viribus validis: multùm enim negocij infert sectio minimæ arteriæ, vt viderim ex arteriæ punctura in manu prope pollicem, ita profusum esse sanguinem, vt nullis medicamentis potuerit sisti vnquam, neglexítque omnia medicamenta, exceptis quibusdam verbis à quodam empirico prolatis, quæ quomodocunque essent, mortem iam præ foribus existentem effugarunt. Inter cætera remedia, quæ à Barbitonsoribus, & idiotis laudantur, vnum maximè in vsu ipsorum venit, & est deglutire frustum panis, scilicet crustam: existimant enim posse abscessum illum

disrum

disrumpi, & sic rupto abscessu, statim sani fiunt, vt quotidie obseruamus: vel assumunt candelam, nulla habita exceptione temporis morbi, & immittunt in guttur, vt referent viam, dicunt. Remedium non est inutile, si tempestiuè fiat: nam si præcessis vniuersalibus euacuationibus, maturo abscessu, suffocationis periculo imminente, aliis remediis non cedente affectu, id remedij genus administretur, potest vtilitatem afferre, tamen ne permittite fieri hoc vobis, non annuentibus, quia intempestiuè adhibitum medicamentum quamplurimos iugulabit, paucissimos curabit: si enim non maturo abscessu, vigente inflammatione, quod isti vtplurimum faciunt, curent, hoc modo exacerbant partes affectas, quia excoriant, & dolorem concitant, ipsis inflammatis. Itaque maior fit tractio, maior constrictio, hinc velocior suffocatio, ob id abstinete ab hoc medicamento tantisper, dum videtis ad vltimum esse ventum, tunc melius est anceps præsidium experiri, quàm finere ægrotantem sine auxiliis mori. Et ita intelligendi sunt viri illi præstantissimi, qui hunc curandi modum proponunt, non attendendi idiotæ, qui non cognoscunt, quo tempore sint administranda medicamenta: si enim putant eodem medicamento indiscriminatim adhibito posse omnes æqualiter curari, & tot accidunt, quot in tales manus veniunt. Præter iam dicta remedia, alia in vsum veniunt, quæ ab occulta proprietate videntur iuuare: sunt hæc, stercus caninum solis ossibus nutritum: hoc siccato, & cribrato cum melle exhibent, veluti etiam & hirundinum cinerem: Item cochlearum sine crusta cinis, aut cancrorum cum melle. Puluis dentis apri, & multa alia, quæ lubens prætermitto. Restat modò, vt aliqua dicamus de victus ratione, quod non admodum difficile est in morbo acutissimo, qui tenuissimam victus rationem exposcebat. Hoc est commune omnibus inflammationibus, scilicet tenuiter viuere à principio. In hoc ægrotante conueniebant cibi paucæ quantitatis, & multæ qualitatis, vt sunt succus carnis: stillatitia, succus farri, aut ptissanæ. A vino erat abstinendum, quemadmodum saluberrimum est in omnibus anginis, & quibuscunque inflammationibus. Cuncta posteà erant ita disponenda, quæ facerent ad salutem, veluti habitare in loco satis amplo, in quo decumberet, vt liberiùs aër traheretur, neque debet esse frigidus, ne constringantur meatus anhelitus, qui iam tantopere patiuntur in talibus casibus; & meliùs est recti sedeant in lecto, ne citiùs suffocentur. Vitanda fuissent omnia, quæ poterant animum alterare, & tandem multa potuisset Medicus proponere, si morbus permisisset, qui sua vi citissimè ægrotantem sustulit; neque mirum in tam graui morbo defecisse virtutem in quinta, cùm dicat doctissimus Fernelius vidisse se anginam, quę spatio horarum decem & octo mortem intulit: & ego testari possum vidisse senem sexagenarium, qui angina mane fuit correptus, quæ eodem die ægrotantem strangulauit, vt propterea sciatis gutturis affectus, & faucium magnifaciendos esse, vt qui neglecti maximam inferant ruinam, vti in hac ægrotante apparet manifestissimè. Quare, vt rem concludamus, vidimus ab Hippocrate tres principales anginæ species *in progn. libris*, poni, ab aliis quatuor, quia addunt eam,

quæ

quæ fit à luxatione. Ab aliis quinque: nam ponunt Cynanchen, quam grauissimam nuncupant, vbi nec fauces, nec ceruix videntur aliquid pati: Paracynanchen, quum solæ fauces manifesta phlegmone tentantur; Synanchen faciliorem, in qua vnà cum faucibus ceruix attollitur, ac foris tumor, atque rubor est conspicuus; Parasynanchen, quæ non interiores fauces, sed ceruicis solius, ac pectoris musculos prehendit, quorum tamen tumore interiores etiam musculi laryngis comprimuntur, & introitus coarctatur. Additur & illa, quæ à luxatione prouenit, quam nomen anginæ mereri nolunt. Hæc ortum habet ab ictu, aut casu, aut à tuberculo. Vidimus etiam quas causas habeat angina, & præcipuè in hac muliere, quid fieri posset in his casibus, omnia pro viribus, & exercitationis gratia ad laudem Dei omnipotentis, qui nos ab huiusmodi morbis tueatur.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΟΓΔΟΟΣ.



Τὸ μειράκιον ὃ κατέκειτο ἐπὶ ψευδέων ἀγορῇ, πῦρ ἔλαβεν ἐκ κόπων καὶ πόνων, καὶ δρόμων παρὰ τὸ ἔθος. τῇ α΄, κοιλίη ταραχώδης, χολώδεσι, λεπτοῖσι, πολλοῖσιν. οὖρα λεπτὰ ὑπομέλανα. οὐχ ὕπνωσε. διψώδης. β΄, πάντα παρωξύνθη. διαχωρήματα πλείω ἀκαιρότερα. οὐχ ὕπνωσε. τὰ τῆς γνώμης ταραχώδεα. σμικρὰ ἐφίδρωσε. γ΄, δυσφόρως. διψώδης. ἀσώδης. πουλὺς βληστρισμός. ἀπορίη, παρέκρουσεν. ἄκρεα πελιδνά. καὶ ψυχρά. ὑποχονδρίου ἔντασις ὑπολάπαρος ἐξ ἀμφοτέρων. δ΄, οὐχ ὕπνωσεν, ἐπὶ τὸ χεῖρον. ζ΄, ἀπέθανεν. ἡλικίαν περὶ ἔτεα κ΄. πι. ξ. ζ. θ.

ÆGROTVS VIII.



ADOLESCENTVLVM, *qui in mendacium foro habitabat, ignis corripuit* [a] *ex lassitudinibus, laboribus, & cursibus insolitis.* [b] *Primo die erat aluus turbata biliosis, multis, tenuibúsque. Vrina tenues, subnigra, non dormiuit, sitibundus. Altero die omnia sunt exacerbata. Deiectiones plures, intempestiuiores, non dormiuit, mente turbatus, aliquantisper sudauit.* [c] *Tertio, grauiter se habuit, sitibundus, fastidiosus, multùm se iactauit, perplexus erat, delirauit.* [d] *Extremæ partes liuidæ, & frigidæ. Hypochōdrij vtrimque submollis contentio.* [e] *Quarto, non dormiuit: malum in peius procedebat. Septimo, obijt. Annum agebat circiter vigesimum. Acutum. πι. ξ. ζ. θ.*

COM

COMMENTARIVS.

QVANTA sit vis consuetudinis ex hoc textu elicitur: quæ enim sua natura mala sunt; si tamen pro consuetudine fiant, mala non sunt, cuius rei occasione scribebat Hippocrates 2. *Aphor. text.* 49. *Qui consueti sunt solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, & senes, non consuetis, & fortibus, atque iuuenibus facilius ferunt.* Galenus. *Alius alij labor consuetus est, huic rursus, vel alius aliquis motus cruribus factus, huic manus certa lege mouere, siue quouis alio modo operari manibus, alijs fodere terram, vel remigare, vel arare, vel simpliciter quoduis aliud agere. Differunt isti omnes labores, quia vel plures, vel pauciores partes operantur, & quia vel magis, vel minùs laborant. Hoc tamen omnibus commune existit, quòd partes exercitatæ fiunt robustiores; atque idcirco labores consuetos faciliùs ferunt.* Quod idem exemplo athletarum confirmatur, *lib. de causis morborum, cap.* 2. *At quidem omnibus etiam vulgaribus, ac rudibus in propatulo est, athletarum corpora diuturniores, ac vehementiores motiones citra lassitudinem perferre, & nos priuatos, si paulo supra consuetudinem exerceamur, statim molestia affici.* Hæc Galenus. Quibus demonstratur plurimùm posse consuetudinem, quod vt ostenderet Hippocrates, de hoc ægrotante inquit, tam grauiter fuisse affectum.

[a] *Ex lassitudinibus, laboribus, & cursibus insolitis.*] Quia scilicet, si iam fuisset assuetus laboribus, non tantam persensisset molestiam. At verisimile est prauam quandam extitisse corporis dispositionem, cùm in hoc potuerint tantopere causæ externæ, quæ visæ sunt induxisse febrem acutam, veluti ex accidentibus fit conspicuum: sed non tantùm in febrem acutam, sed & mali moris incidit, vti ex superuenientibus apertissimum est. Fauentem causam detegunt multa, sed inter cætera euacuationes primo die factæ. Cùm igitur acutissimè adeò laborauerit, non mirum si prauum habuit exitum ægritudo. Adolescens igitur iste ex lassitudinibus, laboribus, & cursibus insolitis in ignem incidit. Lassitudo hæc videtur esse facta, quia nimis vehementer, & præter consuetudinem exercitatum, & motum fuerit corpus, quasi velit dicere. Quoniam tam violenter est motus hic ægrotans, lassitudine correptus, febricitauit: duplex est enim lassitudo, vna quæ habet euidentem causam, nimirum externam. Altera, quæ pendet à causa interna. Prima, prouenit à motibus violentioribus, & insolitis, quibus contingit plus iusto excalfieri, & exsiccari musculos, cuius causa redduntur debiliores, & per consequens minùs apti ad sustinendum corpus, repletis etiam spatiolis illis tenuibus excrementis, ex violentiore motu liquatis. Secunda dicitur spontanea, non habens originem à causa externa, sed ab interna. Hæc propterea solet morbos prænunciare ex Hippocratis decreto, 2. *Aphor. text.* 5. quia pendet à mala humorum qualitate, & hanc triplicem constituunt: nam

vel fit ex vitiatis humoribus, & nuncupant vlcerosam: vel ortum habet ab ingenti copia, & tensiuam dicunt: vel vtramque causam participat, & hanc inflammatoriam appellant; sic Galeno annuente *in comment.* & ob id cùm tam malè sit dispositum corpus, non potest diutiùs intra limites sanitatis permanere. Hanc rem apertiùs explicat idem Galenus 2. *lib. de sympt. causis cap.* 5. dum hæc profert verba: *Ac triplex quidem est in lassitudinibus sensus, vtique putantibus, qui ijs laborant, vel conquassatum sibi aliquid, pulsatúmque, vel tendi sibi vndequaque corporis molem, vel tanquam multa vlcera in ipsis, quoties mouentur sint dispersa. At cùm tendi quidem corporis moles putatur, si citra exercitationem id incidit, lassitudo tensiua spontanea appellatur. Fit autem maximè ex plenitudine, quæ corpora, in quibus continetur distendat, nec ab ijs contineatur, sed transmittatur. At cum vlceroso sensu afficitur, fit quidem, & is motis magis, quàm quiescentibus, nisi si magna lassitudo est. Pungi vero, cùm multas spinas habere infixas se putant, cùm à mordaci humore oriatur symptoma. Tertia lassitudo, sub qua se ostocopo, id est ossium dolore laborasse dicunt, nec minimum quidem motum sustinet.* Hæc Galenus, quæ referuntur etiam *lib.* 3. *de sanitate tuenda cap.* 5. Quare cùm lassitudinis tres sint species, & lassitudo inflammatoria ex vtrisque constet, crederem dici posse hunc adolescentulum hac præcipuè lassitudinis specie laborasse, cùm præsertim hæc soleat generari in corporibus immodicis exercitationibus non assuetis, ita Galeno teste *lib.* 3. *de sanit. tuẽd. c.* 7. his verbis: *Tertia lassitudo ex vehemẽtissimis nascitur motibus. soláque supra naturalem habitum musculos attollit sic, vt phlegmone persimilis sit affectio, itaque & leui tactu offenduntur, & calidiores apparent. Dolent vero etiamsi ipsi per se mouere se conentur. Incidit hæc lassitudo ijs vtplurimum, qui assueti exercitationibus non sunt; nam exercitari assuetis raro accidit, vtique ex vehementissimis, plurimísque motibus.* Re igitur hunc in modum se habente dicendum est laborasse hunc ægrotantem illa lassitudine, quam appellant inflammatoriam. Nec mirum corpora tam malè affici à vehementioribus motibus insolitis, quia quotiescunque corpus plethoricum est, funduntur humores, qui non euacuati putrescunt, & qua possent malitia febres procreant, & præcipuè si vehementiores sint, veluti fuerunt istius ægrotantis: humor enim ille, qui coctioni resistit, febres gignit malignas. Et quòd laborauerit immodicè, explicat Hippocrates per verbum illud: *laboribus, & cursibus*: pro eodem enim vsurpantur, vti apertissimè colligitur *ex* 2. *Aphor. text.* 16. quando inquit, *Vbi fames, laborandum non est. Hic*, inquit Galenus, *per laborem, Græcè πόνον*, oportet intelligere vehementem motum, quem exercitium nominant, eodémque modo sumitur 4. *Aphor. text.* 32. Erant igitur hæc mala, quia corporis habitum dissoluebant, vt habetur *lib. de parua pilæ ludo.* Et vt magis pateſiat qualis esset corporis constitutio istius ægrotantis, acquisita ex praua victus ratione, demonstrat his verbis:

[b] *Primo die aluus erat turbata biliosis, multis, & tenuibus excrementis.*] Ex pluribus laboribus plurimam bilis copiam coaceruari certissimum est, sed neque defuisse prauam victus rationem in aliis rebus constat, cùm multa

multa essent, quæ euacuabantur. Quòd victus ratio plurimùm obsit, nisi congrua sit, Galenus testatur de seipso: narrat enim ipse tempore adolescentiæ, sæpissimè ægrotasse propter non rectè seruatam victus rationem: eadem autem immutata, non amplius ægrotasse. *Lib.5. de sanit. tuenda, cap.5. Nec tamen*, inquit, *sensi me vllo eorum, qui è corpore originem ducunt, morbo tentatum multis iam annis, excepta, vt dixi, diaria quandoque febre; quæ tamen, & rarissimè, nec nisi ex lassitudine incidit, quamuis in puerili ætate, atque etiam in ephebia, tum adolescentia, morbis nec paucis, nec his leuibus premerer. Sed post octauum, & vigesimum annum, cùm persuasissem mihi esse conseruandæ sanitatis rationem quandam, præceptis eius per totam deinceps vitam parui; ita, vt nec minimo morbo post laborarim, nisi fortè, quod tamen rariùs incidit, diaria febre, cùm alioqui liceat in totum hanc effugere, si quis liberam vitam sit nactus.* Hactenus Galenus. Caput igitur sanitatis in optima victus ratione consistit, propterea non raro contingit, improba seruata victus ratione, morbos generari non leues: qui enim vehementiùs mouentur ab assumpto cibo, vtplurimum obstructiones partium principum patiuntur, à quibus eò vehementiores concitantur febres quò vehementior est causa peccans, veluti in hoc de quo agitur, in quo videmus prauam quandam dispositionem statim inuadente morbo, cùm nullo modo esset laudanda euacuatio primi diei: immò omninò esset improbanda; primum erat qualitas, cùm biliosa excernerentur, indicium incendij: multæ non potente natura irritata humorum copiæ dominari: erant posteà tenuia cruditatis indicia, quod non omninò erat timendum incipiente morbo: cùm neque adhuc ex hac euacuatione nisi copia denotaretur cum aliquali mala qualitate. In huiusmodi euacuationibus obseruate pulsum, quia ex hoc non difficilè cognoscetis quorsum sit euasurus morbus: neque his contenti statim obseruate vrinas: nam quæ materia in venoso genere efferuescit, non raro est dissimilis ei, quæ per intestina eiicitur: sunt enim sæpissimè portio materiæ, quæ in intestinis, & ventriculo continetur, quod verum sit, vrinæ erant subnigræ: fuisse tenues insequebatur tempus morbi, cùm adhuc esset in principio, neque in hoc quid subest malitiæ, nisi quod significatur longitudo morbi, quantum in se est; at fuisse subnigras non erat parui momenti, veluti satis in superioribus fuit demonstratum, & ob id meritò erat sitibundus, & vigil, quia incendium internum ita fert, vt affecto capite à vaporibus adustis non dormiant, æstuante ventriculo sitiant: sed quoniam à principio omnia minùs videntur affligere, ob id in morbo grauissimo citissimè sese produnt praua symptomata. Indicat insequẽs dies, quo omnia sunt exacerbata, sed & alia superuenêre, cùm præter largiorem euacuationem: erant etiam intempestiuiores. Atenimverò quomodo intempestiuiores, si secundo die, erant quidem intempestiuæ: nam tempestiuum est illud, quod tollit noxium *lib. de sympt. different. cap.6.* Profectò intempestiuum dicetur illud quod non tollit noxium; id istæ euacuationes non poterant facere, nisi ratione causæ, quatenus scilicet erat in causa, vt quæ materia peccabat, eadem

euacuaretur, id autem fit per accidens ab euacuationibus symptomaticis, & hac ratione semper dicuntur intempestiuæ euacuationes, quæ sine coctionis signis fiunt: verùm quomodo fuerunt intempestiuiores, quasi fuerint magis intempestiuæ, quàm primo die: Vallesius doctissimus dicit esse legendum, *intempestiuæ.* Doctissimus Mercurialis interpretatur: *crudiores:* quia scilicet deiectiones fuissent crudiores, quàm primo die. Ego neque erubescam & meam proferre sententiam, sic dicendo. Hippocrates appellat intempestiuum quod non tollit noxium, cùm ergo primo die illa euacuatio non iuuerit, indicium erat, etiamsi multa sint euacuata, non esse sublatam causam morbificam, & per consequens fuisse intempestiuam illam euacuationem: sed fuit intempestiuior secundi diei, quia maiore facta euacuatione quàm primo die tantum abfuit, vt iuuaretur ægrotans, vt potius nocumentum attulerit, cùm præter id quod non fuerit iuuatus, in deterius rueret, mente vacillans, cum grauioribus symptomatibus: ergo erant intempestiuiores, verterem etiam *inutiliores.* Videtur hæc febris per pares mota, quod maximè ad prognosim facit: nam cùm in materia biliosa natura soleat mouere diebus imparibus, si paribus diebus fiat accessio, præcipitantis iam, & debilitatæ naturæ argumentum est: peccat enim materia illa vel copia, vel qualitate praua, cuius causa naturæ ordo euertitur, ita vt vis illa, quæ ordinatim semper procedit, fit coacta anticipare, & appellantur motus isti naturæ ἄκαιροι, id est, intempestiui, & ob id fortasse etiam Hippocrates dicit, secundi diei euacuationem fuisse intempestiuam, quia fuerit facta secundo die, quod est præter naturam. Has febres acutas appellat Hippocrates lethales, aut difficilis iudicij, quæ scilicet mouentur diebus paribus, hac ratione, quòd natura nec tempore, nec loco moueat, sed inordinatum habeat motum. Quomodo autem fuerint exacerbata omnia, constat, cùm præter largiorem euacuationem, vti dicebam, fuerit vigil. Quòd vigilent ægrotantes in largiter aluo mota, non est maximum, quoniam quo tempore dormire deberent, eodem tempore irritat aluus ad excernendum, & ob id multoties contingit ægrotantes vigilare? verùm in hoc ægrotante non ob causam relatam, sed ob phlogosim vehementissimam capiti participatam: si enim aliter fuisset, non vacillasset mente. Id debetis quammaximè obseruare in praxi, quia cùm afficitur caput, aluo vehementer mota, malignus est ægrotantis status: sed & neque hoc negligite in morbis acutis, quid portendat sudor in principio, de qua re in prima historia dictum est. Hic potest accommodari textus *ex 3. lib. Coac. text.* 151. qui sic legit: *Quibus ardor fit, exudant autem dum deijcitur, ijs exacerbatur febris.* Huius causa est, quia sunt contrarij motus, & sudor ille videtur factus naturæ imbecillitate, non criticè; & ideò contingit febrem exacerbari: sed & sudor iste fuit paucus: paucæ autem euacuationes quid significent, iam dictum est *supra.*

ᶜ *Tertio, grauiter se habuit.*] Et ex hoc pessimum fuisse ægrotantis statum elicias licet, cùm omnia apparerent accidentia, quæ solent malignissimam febrem concomitari: nam fuisse fastidiosum, denotabat in tam

larga

larga euacuatione non potuiſſe euelli materiam circa os ventriculi imbibitam, & eſt ex ſuperuenientibus. Qui dicantur faſtidioſi, explicat Galenus 7. *Aphor.* 56. & clariùs *lib. 2. prorrhet. text.* 44. Inquit ibi: *Qui cum faſtidio & ſine vomitu exacerbantur malè habent.* Bifariam dicit Galenus ἀσώδεις, id eſt faſtidioſi fiunt, vno modo, cùm virtus à corpore grauatur, nullámque figuram facilè ſuſtinet. Altero modo cùm os ventris à prauis humoribus mordetur. Vtrumque ſine dubio inueniſſes in hoc ægrotante, cùm multùm ſe iactaſſe dicat: Perplexus, id eſt, dubius, nec quid faceret certum habebat, delirij imminentis ſignum; vti euenit, cùm haud multò pòſt delirauerit. Mirum quomodo grauiùs non delirauerit. At fortaſſe virtus ad id erat redacta, vt non poſſet ampliùs morbo grauiùs obſiſtere, cùm eodem die non tantùm fuerint refrigerata extrema, ſed & liueſcerent. Quid amplius ad certum præſagium requirebatur, cùm naturæ præſentem extinctionem habeamus, vti iam in ſuperioribus vidimus? Fortaſſe diceret quiſpiam propterea refrigerata eſſe extrema, quia ſubeſſet vtriuſque hypochondrij inflammatio: ſcribit enim fuiſſe vtrimque ſubmollem contentionem: at non crediderim leuem illam phlogoſim, ne dicam inflammationem tantam vim habuiſſe, & præſertim cùm eſſet ſubmollis contentio, quod intelligitur de leui inflammatione, vti Galenus confirmat *ſuprà* in hiſtoria Hermocratis *comment.* 5. ibi ita legitur: *Molliter dextrum hypochondrium intendebatur*: Galenus: *Ac ſi diceret dextrum hypochondrium intendebatur, ſed citra tumorem, vel quia non magna fuerit inflammatio iecinoris, vel quia in ſimis partibus dumtaxat, quibus ventriculum amplectitur, cùm gibba nondum vnà cum ſimis in tumorem eſſet eleuata.* Præterea modus loquendi Hippocratis id denotat, fuiſſe refrigerata propter imbecillitatem, quia ſcilicet eſſet virtus ad extremum redacta: nam inquit,

d *Extremæ partes erant liuidæ, & frigidæ.*] Hoc certum eſt poſſe eſſe frigidam partem ſine liuore, at non liuidam ſine frigore, quia illud extinctionem proximam caloris arguit. Ergo ſi erant liuidæ, iam mors erat præ foribus, quomodo non debebant eſſe frigidæ, & ita hoc ſymptoma non inſequebatur inflammationem, ſed caloris extinctionem: pluribus enim de cauſis refrigerari extrema demonſtrauimus. Sed vtcunque eſſet, erat deterrimus ægrotantis ſtatus, etiam ex hac parte, cùm inflammatis hypochondriis aluus liquidior ſit peſſima, cùm aut ſuppuratio debeat expectari, aut virium caſus, vti huic euenit. In internis enim inflammationibus profluens aluus in vitio potiùs, quàm in laude cenſenda eſt, inquit Hollerius doctiſſimus *in Coacis*, imitatione artis: nimirum damnat Hippocrates medicamenta, quæ aluum mouent obſeſſis inflammatione hypochondriis.

e *Quarto non dormiuit.*] Non video, quomodo eſſet expectanda alleuatio in melius, cùm omnia tenderent ad perniciem: nam non eſt ſatis dicere: *Quarto non dormiuit*: ſed addit, *omnia in peius procedebant*, id eſt, quinto, & ſexto grauiſſimè habuit. Vigiliæ adhuc vrgebant, quod ſymptoma ſemper eſt magnifaciendum, præcipuè in morbis acutis: ſunt enim

prauæ dupliciter & vt causa, & vt signum: primo modo, quia vires deiiciunt: secundo modo, quia denotant copiam crudorum humorum adustorum, & ob id videbitis Galenum, & Hippocratem appellare vigilias antesignanas delirij: sed quid plura? si ex Hippocrate *in Coacis*, liuida facta corpora in breui mortem denunciant, quid pluribus agendum est, nisi expectare breui iudicium, præsertim cùm perinde quartum, ac tertium diem habuerit grauem: præceptum Galeni minimè aspernendum, quod est obseruare, an dies quartus perinde ac tertius grauis sit: si ita est, breui est expectandum iudicium, & vbi iudicium, ibi & mors: cùm igitur quartus sit septimi index, iure in eo die factum est iudicium, celerius futurum, nisi ægrotantis ætas restitisset: erat enim morbus vehementissimus vt verbum illud indicat: *Acutum*: addit enim hoc, vt sæuitiam morbi denotet, veluti de anginosa scripsit. Adduntur posteà in vltimis verbis litteræ illæ, πι.ξ.ζ.θ. id est probabile ex nouitate, id est, quòd mutata consuetudine ad labores, & exercitia insueta se transtulerit, septima die mortuum. Discant hinc iuuenes cautiùs agere, neque tantopere ætati, & robori fidere, quia non raró contingit ętatem, & robur causę peccantis vehementiæ succumbere, vt modò contigisse constat ex euentu. Et hæc satis pro viribus.

Curatio.

IN hoc ægrotante erat sublata occasio adhibendi medicamenta generosa, cùm aluus plùs iusto esset mota, quo tempore ex Hippocratis decreto interdicitur venæ sectio præcipuè. At enimverò ego soleo tempestiuè vocatus, aluo à principio fluente, materia biliosa euacuata, pulsu constante, nihilominus sanguinem extrahere, non quidem in magna quantitate, sed partitis vicibus, ne maior fiat virium resolutio, & ad hoc faciendum adducor, quòd non raró vidi aluo fluente largissimam factam esse sanguinis per nares euacuationem, & nihilominus naturam sustinuisse vtrumque motum: nam in principio indicat copiam, si sanguis extrahatur potest sisti alui fluor, vt anteà dictum est, nisi proueniat ex virtutis resolutione. Quare ego in hoc casu, videns vrinas subnigras, prædixissem periculum, & posteà aliquid etiam tentassem per sanguinis missionem, præsertim cùm certum esset adesse in principe viscere phlogosim, cautè agendo, quod spectat ad euacuationem, pulsu explorato: non prætermissis abluentibus clysteribus, ex ptissana, farro, aqua hordei, sero cum saccaro rubeo, & vitellis ouorum, quibus posset humoris mordacitas demulceri, à qua plùs iusto solet natura irritari, cum virtutis detrimento. Serum decoctum cum cichoreaceis in huiusmodi casibus non improbatur, additur aliquando syrupus rosaceus soluens ad ℥, *iij*. plus, aut minus pro vrgentia, sed in hoc cùm aluus esset plus iusto irritata, & perseueraret, abstergentibus satis erat vti superius, & inferius, neque inutile extitisset clysteribus addere portionem succi plantaginis, vt roborarentur aliquo modo intestina, & intercipi posset fluxio. Laudassem in hoc

casu

casu frictiones leues ex oleo amyg. dulcium ad tollendam lassitudinem, quia sic dissipantur cutis humores : nec improbantur cucurbitulæ cum modico igne. Alexipharmacis insistere in tanta humorum malitia erat necessarium : vigiliis prouidere, ex quibus solet multò magis virtus deprimi iis medicamentis, quæ possint somnum conciliare, sed placidioribus, quia validiora sua frigiditate imbecillum extinguunt calorem, de quibus iam *suprà* dictum est. Sitis erat demulcenda; fastidium tollendum, hoc autem non poterat tolli, nisi euacuato ore ventriculi, & moderato humorum vitio. Affectui capitis vtile fuisset smaragdus ad ℥. *vj.* vel *vij.* quod medicamenti genus quammaximè approbatur. Quamplurima alia veniunt in vsum in similibus casibus; sed quia potiùs indigebat hic ægrotans prognostico, quàm curatione, ob id dicendis prætermissis propero ad sequentem Historiam, quæ sic legit.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΝΑΤΟΣ.



παρὰ Τισαμενοῦ γυνὴ κατέκειτο, ἣ τὰ εἰλεώδεα, δυσφόρως ὥρμησεν. ἔμετοι πολλοί. τὸ ποτὸν κατέχειν οὐκ ἠδύνατο. πόνοι περὶ ὑποχόνδρια. καὶ ἐν τοῖσι κάτω κατὰ κοιλίην, πόνοι. στρόφοι ξυνεχέες. οὐ διψώδης. ἐπεθερμαίνετο. ἄκρεα ψυχρὰ διὰ τέλεος. ἀσώδης. ἄγρυπνος. οὖρα ὀλίγα, λεπτά. διαχωρήματα ὠμὰ, λεπτὰ, ὀλίγα. ὠφελέειν οὐκ ἔτι ἠδύνατο. ἀπέθανεν.

ÆGROTVS IX.



PVD *Tisamenum* [a] *mulier decumbebat, detinebatur voluulo, ciebantur multæ vomitiones, potum non continebat :* [b] *hypochondria dolebant, & infrà secundùm vmbilicum dolores : tormina perpetua :* [c] *non erat sitibunda,* [d] *incalescebat. Extremæ partes frigidæ perpetuò: fastidiosa: insomnis Vrinæ paucæ, tenues. Deiectiones crudæ, tenues, paucæ :* [e] *nec erat remedio locus, defuncta est.*

COMMENTARIVS.



ROPONIT nobis Hippocrates paucissimis verbis exemplum verendi, atque admodum pertimescendi morbi, nimirum εἰλεὸς dicti, siue voluuli : ponit etiam statim ob oculos, quæ habuit acciden

accidentia, non tantùm necessariò morbum insequentia, verùm etiam & superuenientia. Est hæc affectio tam grauis, tam periculosa, vt qui ea corripiuntur, ex iis paucissimi euadant, plerique secundo, aut tertio die moriantur. Sunt qui dicant esse affectionem ad tenuia intestina tantùm spectantem. Alij ad crassiora etiam id morbi genus inducere volunt, túncque stercus euomi: quando tenuia, cibum. Hinc, inquiunt, εἰλεὸς dicitur, voluulus autem, quòd intestina in nodum circonuolui videantur, quod tamen neque simpliciter verum est: nam circonuolutum semper est intestinum, nec locus affectus est semper intestinum tenue, sed etiam aliquãdo intestina crassa. Ita Celsus *lib.4. de re medic. c.*13. dum inquit. *Inter ipsa autem intestina consistunt duo morbi, quorum alter in tenuiore: alter in pleniore est intestino. Prior acutus est, insequens autem potest esse longus. Diocles, Charistius tenuioris intestini morbum χορδαψὸν: plenioris εἰλεὸν nominauit. A plerisque nunc video illum priorem εἰλεὸν, hunc χολικὸν appellari. Sed prior modò suprà vmbilicum, modò sub vmbilico dolorem mouet. Fit ex alterutro loco inflammatio, nec aluus, nec spiritus infrà transmittitur. Si superior pars afficitur, cibus: si inferior, stercus per os redditur: si vtrumlibet vetus est, adijcitur periculo vomitus biliosus, mali odoris, aut varius, aut niger.* Hæc Celsus. De eodem affectu tractans Aëtius *Tetrab.3. serm.1. cap.28.* ita habet: *Voluulus, affectio est intestinorum, lethalem inferens dolorem, fitque circa tenuia intestina, & multi sanè ex dolore statim intereunt. Accedit ægris dolor circumuolutus: stomachi nimia humectatio, exolutio; ructus inanes nihil alleuantes, murmura intestinorum, cohibitio perfecta stercoris, & flatuum, si verò intendatur affectio, omnia sursum feruntur, ob idque vomitus pituitæ, & bilis accedunt: frigiditas totius corporis, dolórque, plurimis etiam spirandi difficultas: morituris ampliùs sudor frigidus: vrinæ difficultas: podex ita adstringitur, vt ne specilli mucronem admittere possit: aliquando, & stercus vomitu reijcitur. Est affectio pueris admodum familiaris*, inquit Aëtius, *qui tamen propter connatam humiditatem facillimè euadunt. Senibus verò non admodum; si tamen fiat, ferè nunquam conualescunt.* Hactenus Aëtius, à quo non dissentit Auicenna *lib.3. Fen 16. tract.4. cap.30. Signa ileos sunt*, inquit, *vt sit dolor supra vmbilicum, & non egrediatur aliquid omnino subtus, & non fiat iuuamentum magnum cum clystere, quemadmodum dixit Hippocrates, & quandoque expellitur fæx ad superiora, & euomitur stercus, vermes, & ascarides, & fœtet os eius, & ipsius eructatio, & retentio fæcis est inseparabilis ab ea, súntque accidentia longè maiora, quàm sint in cholica, quia est in membro vehementioris altitudinis, & maioris corporis, & minoris quietis supra corpus.* His omnibus suscribit Galenus, qui *6. Aphor. comment.*44. hæc habet. *In ileo nihil exit inferius, neque si quis acerrimo vtatur clystere. Vomitus autem stercoris accidit eis, qui exitialiter habent.* Et clariùs *7. Aphorism. comment.*10. *In ileis nihil descendit ad inferiora, & hoc est proprium, & inseparabile passionis. Vomitus autem non semper adest, sed quando exitiales sunt, & quando vehementiùs distorquentur stercus eis ascendit, atque singultiunt. Quidam verò desipiunt, & conuelluntur compa-*

tiente

tiente neruorum principio stomachi passioni. Hæc verò mihi fieri videntur ab intestinis, in quibus passio talis existit, à se expellere stercus appetentibus, quando longitudine temporis cœpit molestare, & non potentibus se exonerare propter eam, quæ facta est in partibus inferioribus obstructionem, sed coactis contra naturam violenter moueri, & ad loca superiora materiam noxiam extendere. *Lib.6. de locis malè affectis, cap.2.* ita leges. *Atque interdum alij quoque dolores, & quidem vehementissimi in sublimioribus intestinorum partibus veniunt, grauiter vomitionibus tentantes, adeò, vt nonnulli sub fine stercus quoque euomere conspiciantur, à quo affectu vix vnquam aliquis sanus euadere potuit, hunc εἰλεὸν, id est, voluulum appellant. nonnulli etiam χορδαψὸν, quum scilicet tumor aliquis eminet in tenuium intestinorum parte, vt videatur ad chordæ similitudinem conuolutum.* In quibus verbis explicat quid per chordapsum intelligatur, quod à Celso ponitur, dum de hoc affectu loquitur. Quare de accidentibus, quæ hoc morbo laborantibus fiunt, & de loco affecto omnes videntur enarrati conuenire. De causa, à qua producitur hæc affectio, non æquè bene conueniunt: nam omnes fatentur oboriri hanc affectionem ex plagis, ex frigore vehementi, & ex aceruata frigidæ potione; maximè, si ab exudantibus accipiatur. Ob descensum intestini in scrotum simul cum excrementis, indéque violenter retrusa inflammatio fiat: ob venenum epotum, ob induratum stercus, ob inflammationem intestinorum, ob tumorem. Verùm, quia Auicenna cum aliis ponit fieri etiam à crassis humoribus, & ab inflammatione vesicæ, vti Hippocrates scribit, videtur Galenus huic minimè assentiri, sed præcipuè, quòd fiat ab inflammatione vesicæ. *Cæterùm,* inquit, *quòd propter inflammationem, & propter obstructionem stercoris sicci, vel humorum crassorum, aut tenacium dictum est à pluribus.* Subdit statim. *Mihi verò videtur inflammationem, vel durum tumorem, vel abscessum tantam facere posse loci angustiam; vt nihil possit ad inferiora descendere.* Quod autem humores crassi, atque tenaces in causa sint, non admodum mihi videtur probabile. Verùm, & hoc si libet, ponito, & si quid aliud dicetur præter hoc. Quod asseueranter negat, est, non posse ex vesicæ inflammatione generari ileum, quando fatetur se multos vidisse tota vita sua periclitatos ex vrinæ retentione, vesica multùm repleta, & tumida facta cum dolore, qui propterea neque ileosi sunt facti: nam si vesica comprimit intestinum, illud est rectum, ex quo tamen compresso non fit morbus ileos dictus: nam & vtero gerentes hoc morbo semper essent affectæ, quia ex tumore illo ad hypochondria proueniente possent & tenuia intestina comprimi. Præterea negat omninò posse febrem ileo conuenire, qui si fiat ab inflammatione, necessariò ad ipsius magnitudinem excitatur febris, quòd si ileosus conualescere debet, desinat inflammatio oportet, cum qua & febrem sedari est necesse; neque enim conuenit febris nisi affectibus frigidis. Credo verissimum esse quod scribitur à Galeno de febre: verùm *in Aphor.* dicerem loqui Hippocratem de ileo ab humoribus crassis facto, ita vt concedat Hippocrates ex repletione vesicæ posse fieri ileum, qui curatur febre, quatenus febris

Tt ate

attenuat materiam crassam, quæ posteà redditur facilior ad expulsionem. Neque verba sunt intelligenda, vt putemus, quia vesica afficiatur, & repleatur, ideò fieri ileum, sed dicere Hippocratem, si vrinæ stillicidio ileus superueniat, vt *comment.* 1. *Coacarum, lib.* 6. *text.* 54. habetur. Quo in loco scriptum sic: *Stillicidio vrinæ, voluulus superueniens septimo die interimit, nisi accedente febre, vrina semel multa prodeat.* Hoc enim non est impossibile, vt simul fiat, nimirum ob pituitam viscidam, & crassam: ea enim initio vesicæ dolorem infert in reddendo vrinam, quòd pars tenuior, quæ fluit ad vesicam transmittatur, híncque quia mordax stranguriam efficit, altera pars crassior ad intestina delabatur, & fiat grauitas ventris, & frigiditas superueniat cum alui duritie, & fiat colicus dolor, aut ileosus. Hac igitur ratione euenit, vt vi doloris moriantur ante septimam, nisi febris superueniat, quia hæc attenuat, vti dictum est, materiam crassam, & est tanquam medicamentum, vt de conuulsione dicebat Hippocrates. De eo igitur voluulo intelligendus est, qui non ab inflãmatione prouenit, neque ab vlcere vesicæ, quia neque conueniret febris, neque larga vrinæ copia, sed de ea quæ ortum ducit à materia crassa: neque enim omnis ileos est cum inflammatione, vt visus est Galenus putasse, quod verum sit, 6. *in* 2. *epidem. text.* 31. hæc ab Hippocrate habentur. *In voluulo tenui frigidum vinum multum, merum secundùm rationem dare, vsque dum somnus sit, aut crurum dolor fiat, soluit autem & febris, & dysenteria sine dolore.* Quis est qui non videat hîc ab Hippocrate non intelligi de voluulo ab inflammatione pendente, quem acuta febris comitatur, sed de illo, qui à flatibus originem ducit, aut à materia frigida, aut à fæcibus induratis. Hunc sine dubio potest curare vinum merum, quia cruda reddit ad coctionem, attenuat crassa, flatus discutit, quemadmodum & febris: non ergo est quòd miretur Galenus *in comment.* an fiat hæc affectio etiam à materia crassa, aut aliquando repleta vesica, quia iam dictum est quomodo intelligatur id. Cùm igitur res ita se habeat, non erit hîc elaborandum multùm in perquirendo an hæc affectio de qua sumus loquuturi ortum habeat à causa frigida, an à calida, cùm apertissima sint inflammationis intestinorum tenuium indicia, vt ob hoc non sit mirum si tam grauiter læsa citissimè obierit. Percurramus igitur historiam, quò faciliùs eius quod dictum est certiores fiamus.

[a] *Mulier decumbebat.*] Cur decumbebat, quia detinebatur voluulo, neque enim sunt ex iis morbis, qui dant inducias, sed ex iis, qui statim, ac inuadunt, ægrotantes decumbere cogunt. Cùm igitur voluulo laboraret, meritò multas habebat vomitiones, quia, vti vidimus, interclusa est via, & hic non dicit fuisse stercoris, sed denotat fuisse læsa tenuia intestina, & qua ratione non retinebat cibum, eadem neque potum.

[b] *Hypochondria dolebant, & infrà secundum ventriculum dolores.*] Hypochondria multas sub se continent partes, lienem, hepar, ventriculum, musculos quosdam, veluti & septum transuersum *lib.* 2. *prorrhet. comment.* 21. Neque hîc acciperem tantùm lienem, & hepar, sed intelligerem

gerem ventriculum præcipuè, qui ex ingentibus vomitionibus, & præ vicinia non poterat non trahi in consensum: ab hoc enim descendunt intestina, quemadmodum habemus à Galeno *multis in locis*, in quibus etiam quo ordine procedant demonstratur, vti *lib.5. de vsu partium, cap.3.* Sed clariùs meo quidem animo *6. de loc. malè affectis, iam adducto.* Ibi ad verbum hæc leges: *Cùm autem omnia intestina ordine quodam à ventriculo descendant, atque omnium supremum ieiunum sit, deinde quod tenue est, posteà cæcum, quod ad infernas partes extenditur, deinde colum, quod ad superiores reuertitur partes, donec sæpenumero & iecur, & lienem attingat.* Cùm igitur intestina suscipiant à ventriculo, quid mirum, si in affectibus intestinorum, præsertim tenuium, lædatur ventriculus, cùm etiam in doloribus colicis in dies obseruetur, in quibus infestissimi sunt vomitus; neque propterea credendum est & hepar fuisse affectus immunem, quod haud multò post fiet notum. Habebat præter hæc tormina perpetua, id est, dolores perpetuos: tormina enim apud Hippocratem mihi videntur idem significare, nisi quòd maius quid denotant: nam scribit 4. *Aphorism. text.*11. *Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores. Tormina fiunt*, inquit Galenus, *& propter morsum vehementem, & propter spiritum flatuosum, qui non habet exitum, sed in intestinorum inuolucris est interceptus.* Subdit: *Quòd verò dolores ad tales dispositiones consequantur nemini dubium.* Itaque habebat tormina, id est, vehementissimos dolores, ídque gracilium intestinorum est proprium. Quòd scribit secundum ventriculum, id est, post ventriculum, quod idem est, ac si diceret inter vmbilicum, & ventriculum, qui locus est præcipuè patiens, quemadmodum dixit Auicenna fieri dolores supra vmbilicum. Aut etiam dici posset infrà secundum ventriculum, id est, post secundum ventriculum; nam & intestina dicuntur quodammodo ventriculi, propter ipsorum capacitatem, quod videtur Galenus confirmare *lib.4. de vsu partium, cap.18.* Tota enim cauitas per ventrem intelligitur, quæ est infra thoracem, & includitur etiam venter, qui coctioni inseruit, vti Galenus habet 7. *Aphorism. comment.*55. Ergo cùm dicit infra secundum ventriculum, aut intelligit totam cauitatem, aut dicitur de tenui intestino, quod secundum est pòst ventriculum, cùm succedat ieiuno, ídque mihi magis probabile videtur, cùm gracilia intestina præcipuè affici ex omnium consensu habeamus. Erant hæc omnia accidentia enarrata affectum necessariò consequentia, affectus pathognomonica: cætera fuerunt ex superuenientibus, quemadmodum etiam apud Galenum legitur sic, *in comment. Multos vomitus; potum non posse continere; dolores esse ad hypochondria, & tormina cum doloribus in ventre, quæ omnia in voluulosis assident.* Quod posteà scripsit, *non ex his, quæ eis assident, sed ex illis, quæ morbo ad perniciem tendenti superueniunt, potissimum perpetuò esse partes extremas frigidas, prauum item fastidium est.* Adderem & ego illud.

[c] *Non erat sitibunda, incalescebat.*] Quod scilicet videtur repugnare ante dictis: nam ad magnitudinem febris, sequitur sitis, si nihil obstet. Cùm ergo incalesceret, quod de leui febre sumitur, debebat saltem le-

uiter sitire. Quomodo igitur non fuit sitibunda: & si non febris causa, saltem propter dolorum sæuitiam id pati debebat: id in dies experimur, & videtur posse referri huius symptomatis causam in superfluitatem biliosam recurrentem tunc temporis ad ventriculum. Notat id Galenus *6. Aphorism. comment.* 50. quo in loco inquit: *Quòd in doloribus perdurantibus fluit ad ventriculum biliosa superfluitas, & multò magis etiam, cùm ipse malè affectus est: ex biliosis autem humoribus induci sitim, nemo ibit inficias.* At multò magis sitire debebat, quia interna laborabat inflammatione, vt doloris contumacia denotabat cum aliis coniunctis. Quare aut erat mens læsa, aut extrema virtutis prostratio. De primo non fit mentio. Ergo erat secundum, quod verisimile est, præsertim cùm à principio extremæ partes essent perpetuò frigidæ, quod erat in causa, vt dixerit Hippocrates.

Incalescebat.] Non febris æstuans, vti consuetum est, in huiusmodi casibus, sed incalescebat, id est, partes exteriores leui quodam calore afficiebantur, quia interna inflammatio prohibebat interni caloris expansionem ad externa, & crederem ego Hippocratem per extremas partes intelligere hoc loco, non tantùm manus, & pedes, sed partes omnes superficiales, & externas. Vidi enim sæpissimè ex vi doloris totum corpus adeò refrigeratum, vt ne minimum calorem persentiremus cum sudoribus frigidis, quod idem verisimile est, & huic contigisse ægrotanti tam grauiter affectæ. Fuisse posteà insomnem, & fastidiosam, non est quid nouum: in tanta enim humorum malignitate affecta parte neruosa exactissimo sensu prædita fuisse insomnem, & fastidiosam, quid aliud poterat dici, nisi fuisse symptomata insequentia malitiam humoris biliosi os ventriculi infestantis. Vltimo loco scribit sic: *Vrinæ paucæ: tenues:* paucæ, quoniam humores ad superiora tendebant; tenues, subtili tantùm ad vias vrinæ delata. At vtcumque esset, in hoc maximè est obseruanda Hippocratis diligentia in vrinarum inspectione. Ad quid in morbo ad genus venosum minimè spectante inspicere vrinas? Quia sic cognoscitur affectus sitne simplex, an compositus, hinc certior prædictio, & tutior curatio, quia si vrinæ sunt bonæ, non augent spem salutis; si malæ, augent periculum: nam denotant esse etiam alium affectum spectantem ad genus venosum; & ita res fit grauior, quia quò plures sunt affectus, eò difficiliùs euincit natura, præsertim si sint inter se dissimiles. Hoc non debere negligi monstrat Galenus *in comment.* dum ait: *Atque sic consueuit Hippocrates vbi aliquod instrumentorum spiritus sit læsum, inspicere vrinas, quæ si secundum naturam habeant, in solis spiritus instrumentis periculum versatur, sin hæ quoque prauæ appareant, offensum iam significant nutritionis instrumentum, quomodo nunc, quamquam sit affectus venter, eiúsque ex deiectionibus percipiatur affectus, nihilominus vrinarum fecit mentionem, vt tenuium, quæ succorum significant in venis cruditatem.* Subdit: *Atque vrinas fac semper inspicias in ventris affectibus, & intestinorum, thoracis, pulmonis, neruorúmque. Nam si bonæ appareant, haud magnum præbent ad salutem momentum. Contrà, si prauæ, amplificant simul ægri periculum.*

Quod

Quod idem repetere videtur 1.*de crif.c.*7.fic: *Et quòd in febribus omnibus, quoniam venosi generis sunt passiones : nam & arterias in hoc genere comprehendimus, ad vrinas præcipuè attendere oportet. In ijs autem, qui laterali morbo afficiuntur primum quidem sputamina; secundo loco vrinas, quoniam is morbus omnino cum febribus iungitur. In passionibus autem ventris, si sine febre fuerint, sola alui excrementa inspicere oportet, si autem cum febre etiam vrinas.* Meritò igitur etiam vrinas inspexit Hippocrates, etsi pertineret affectio potius ad ventrem, quàm ad genus venosum, sed quia non erat sine febre, ob id pariter de vrinis est sollicitus. Hæ erant tenues affectionem generis venosi, & concoctricis facultatis imbecillitatem demonstrabant, vti dictum est. Illud quod videtur difficultatem facere, est, quoniam Hippocrates ponat deiecisse, quamuis essent tenuia, & cruda. At quomodo hoc, si iam habemus ab omnibus, nihil inferiùs ferri. Huic responderem materiam illam, aut fuisse quandam materiæ tenuioris portionem, quæ sensim à corpore deturbaretur præ sui tenuitate, aut etiam ita debilitata fuisse omnia, vt quodãmodo facultas retentrix desisteret ab opere, vti apparet sæpissimè in cadaueribus, quæ paulò antè sunt extincta, in quibus solent fieri excretiones : omnibus enim aliis facultatibus extinctis videntur apparere opera quædam facultatis expultricis, quæ per calorem, & villos agit. & etiam interdum apparere solent post interitum, dum corpus adhuc calet. Vidimus enim ex cadauere adhuc tepido stercus repentè excerni, aut sanguinem, aut saniem exire rupto abscessu, aut pustulas toto corpore, calore præter naturam id agente, inquit Iacotius, quod & ego pluries animaduerti. Quemadmodum igitur in anginosis, cùm propè mortem sunt, tanta fit contractio musculorum abdominis, vt expellatur offensionis causa, & compressione sua interdum cogit vesicam, & intestina excrementa reddere, ita in hoc affectu fieri crederem aliquando, nimirum, vt debilitata facultate retentrice, facta vehementi contractione internarum partium, possint aliqua descendere excrementa ad aluum, & ita excerni, & si in angina id fieri commodiùs sine dubio possit: tamen id non fuit bonum, sed indicium extremæ internecionis, propterea quod non erat remedio locus, & oportebat ex morbi violentia moreretur citissimè, quam rem, vt exprimeret, addit illa verba.

[e] *Nec erat remedio locus, obijt.*] Addit Galenus, Hippocratem non meminisse diei, quo defuncta est, ob morbi sæuitiam, quia scilicet primo, secundo, aut tertio die obierit. Tamen, etiamsi morbus sit acutissimus, qui citò iugulat, sese offert occasio, ea oportebit administrare statim, quibus posse iuuari ægrotantem spes sit: nullus enim est affectus tam grauis, quin aliquis euadat. Bis hucvsque vidi hoc modo laborantes; alter eorum secundo die obiit. Alter difficulter conualuit, verùm huic causa erat descensus intestini in scrotum : tunc enim reposito intestino curatio facta est: euomere incipiebat stercus, itaque coacti fuerunt ipsum pedibus elatis suspendere, & sic fomentationibus emollientibus tantisper tentarunt emollire, dum in proprium locum reponeretur. Conualuit vt dixi. Alter ex inflammatione obiit, & puto contractam fuisse citius, quia vix inuase-

rat morbus, quòd magna cucurbitula fuit admota: corpore repleto facta est attractio vehemens ad eam partem, inualuit dolor, sæuiit ita morbus, vt vix attingere potuerit secundum diem. Hæc vidi dum incumbebam Medicinæ studiis, nondum lauream consequutus. Ergo prædicto periculo aliquid erat moliendum.

Curatio.

IMprimis victus ratio debebat esse tenuissima, & nihil dandum, nisi virtutem vidissemus habentem. Aqua carnis, succus assæ carnis, stillatitia, & id genus alia, omnino abstinentibus nobis à vino, ita consulente Galeno *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. Qui etiam in magnis dissolutionibus ex euacuationibus factis, quando scilicet interna subest inflammatio, interdicit vinum, dum inquit: *Vinum etiam aqua frigida temperatum curat eas, quæ ex magnis fiunt euacuationibus dissolutiones, & tunc præsertim, quando ad ventriculum fluunt humores.* Subdit: *Sed aduertendum est, an aliquid sit, quod prohibet huiuscemodi exhibitionem, veluti si aliquod vnum ex visceribus inflammationem patiatur.* Cibi magis replent, & maiora tormina faciunt: suscipere autem oportet, quodnam potissimum sit curationis initium, an à superioribus partibus, an ab inferioribus, dicit Celsus, quòd si hoc inuentum est, manus admouere oportet: ita enim ex renitentia locus affectus dignoscetur, quia si superior pars affecta erit, inutile est aluum mouere, si inferior, aluus moueri poterit. Hanc distinctionem non facit Auicenna, neque Aëtius, qui dicunt esse administrandos clysteres emollientes simul, & refrigerantes, ne augeatur inflammatio, hísque sæpiùs insistendum, quia aliquando solis clysteribus potest æger ad sanitatem restitui: nam si velimus medicamenta per os exhibere, id erit potiùs mortem afferre, quàm sanitatem, quandoquidem, si omnia euomuntur propter obstructionem, neque tuta curatio erit, per os medicamenta exhibere, & si esset oleum, quia aut euometur, aut maiorem faciens compressionem augebit affectum, quod non potest euenire ex clysteribus emollientibus. Laudat Celsus balneum ex oleo paratum. Quòd si balneis dolor non cedat, clysterem iniicit cum ℥. *iiij.* olei concinnatum. Aëtius glandes parat, sed admodum longas, vt musculum sphincterem pertranseat, quibus appositis spongiis posteà anum foueri vult in succo cyclaminis priùs immissis, hac fortasse ratione, quia aperiendi vim obtinet insignem, vti ex Galeno 7. *de simpl. medic. facult. c.* 14. habetur, & vulgò dicitur panis porcinus, glandulásque conficit ex semine rutæ, & aniso trito, cumino ac melle, probat quammaximè clysteres ex aniso, fœniculo, ruta, & huiusmodis aliis, ex eis decocto facto, in quibus decoctis immisceantur quæ inflammationem adaugere non possunt addito butyro, vt crassitudo intestinis adhæreat, id genus clysteris apud me frequens est cum maximo ægrotantium commodo, & præcipuè in senibus conueniunt, quia citra virium iacturam euacuant. Prætereà frictiones partium infernarum vtiles sunt. Vesica oleo semiplena, & ventri ap-

posita

posita ex vsu est, fomentationes ex oleo rutaceo, rosaceo completo, & aqua in qua efferbuerint chamæmelum, anethum, melilotum, & id genus alia. Imprimis autem ab omnibus commendatur tanquam singulare præsidium in inflammationibus venæ sectio, quæ statim inuadente morbo erat facienda. Cucurbitulæ ventri appositæ, & etiam scarificatæ. *Remedium,* inquit, *est sanguinem mittere, vel cucurbitulas pluribus locis admouere, sanguinem autem vtcumque esset inflammatio, semper ex partibus superioribus detraherem à principio, & si daret inducias, quod rarò euenit, posteà à partibus infernis.* Cum Celso omnes in hoc conueniunt. Et Galenus quoque *qui lib. Medic. inscripto, cap.* 13. hæc habet: *Voluulus, & colicus dolor intestinorum inflammationes sunt, quorum alter tenuioris, alter plenioris. Quare deiectiones includuntur, & flatus intestinis inuolutis, eo quòd exitum non habent, dolores vehementes, & tormina concitant. Voluulus autem dispositione, & accidentibus acutior, magísque periculosus est. Alterutro autem morbo extremè laborantibus vomitus concitantur voluulum patientibus.* Statim subdit: *Auxilium est voluuli maximè sanguinis missio per initium, plerúmque abstinentia, cataplasmata mitigantia, & inflāmationem discutientia.* Efficaciùs iuuant medicamēta κολικὰ nominata intrò per sedem immissa, denominata ab affectione, quæ graues dolores inducit 9. *lib. de compos. medic. secundùm loc. cap.* 4. *Nam dolores auferunt, somnum conciliant, & aluum mouent.* His paucissimis verbis mihi videtur Galenus totam curationem perstringere. His præstitis, si excrementa descendant, tunc alimentum propinare oportebit: descendente enim excremento, credendum est & febrem, & dolorem sedare, quia id non eueniret citra inflammationis remissionem, cauere autem oportet à cibis flatuosis, duris, validis, & à quantitate etiam, ne intestina iterum grauarentur, cùm fieri non possit, quin imbecilla remaneant, omninóque à vino abstinendum, ne recrudescat affectus. Quòd si ab alia causa, quàm ab inflammatione fieri contingat, cognita causa, non est difficile remedia inuenire. Hæc igitur dicta sint de eo morbo, quem appellant voluulum, vulgò, *miserere mei:* à verbo Græco ἐλεέω, quod est misereor. Demonstratum est distingui à colico dolore multis modis. Primùm loco, quia in ileo semper est fixus, supremam vmbilici partem occupans, in colico verò non est fixus, sed vagans. Excretis: quia in ileo vomitus frequentiores sunt, propter maiorem viciniam cum ventriculo. Ileus non iuuatur balanis, neque clysteribus, colicus iuuatur. Symptomatis pariter distinguitur, quia grauiora sunt, quàm in colico dolore. Hoc vnum restat dicere, & admonere adolescentes, ne præcipitanter in huiusmodi casibus cucurbitulis vtantur; quia, & si ex Alexandro sit veluti incantamentum cucurbitula ventri admota, animaduertere oportet sæpissimè contingere, vt repleto corpore, magna admota cucurbitula, maior humoris quantitas trahatur, & sæpè non existens inflammatio concitetur: est enim validissimum medicamentum ad attrahenda ea, quæ intus sunt ad extimas partes, & propterea si corpus sit plethoricum est id remedij genus suspectum, & vidi ego bis ægrotantes grauissimè affectos ex cucurbitulæ

curbitulæ admotione, alterum mortuum. Quando sunt flatus, præmissis aliquibus euacuationibus causam flatuum materialem remouentibus possunt admitti, in principio autem maxima cautio est adhibenda. Prætereà hoc non piget sæpius repetere. In doloribus semper interrogent ægrotantes an patiantur, vt vulgò dicitur, aperturam, quin hac existente, si medicamenta exhibeant aluum mouentia, non reposito in proprium locum intestino, præcipites agunt ægrotantes. Multa possent addi, sed breuitas affectus impellit me ad alia.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΔΕΚΑΤΟΣ.


ΥΝΑΙΚΑ δὲ ἀπὸ φθορῆς νηπίου τὴν περὶ Παντιμίδην, τῇ α΄, πῦρ ἔλαβεν. ἡ γλῶσσα ἐπίξηρος. διψώδης. ἄγρυπνος. κοιλίη ταραχώδης, λεπτοῖσι, πολλοῖσι, ὠμοῖσι. β΄, ἐπερρίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. ἀπὸ κοιλίης πολλά. οὐχ ὕπνωσε. τρίτη, μείζους οἱ πόνοι. τετάρτη, παρέκρουσεν. ἑβδόμη, ἀπέθανεν. ἡ κοιλία διὰ παντὸς ὑγρή. διαχωρήμασι πολλοῖσι, λεπτοῖσιν, ὠμοῖσιν. οὖρα ὀλίγα, λεπτά. πυρετὸς καῦσος.

ÆGROTVS X.


VÆDAM *mulier, quæ apud Pantimedem degebat ex abortione infantis primo die ignis inuasit: Lingua arida: sitibunda: fastidiosa: insomnis.*[a] *Aluus erat turbata multis tenuibus, & crudis.* [b] *Postridie riguit, febris acuta, aluum copiosè reddidit, non dormiuit.* [c] *Tertio die intendebantur dolores.* [d] *Quarto, delirauit;* [e] *septimo, interijt. Aluus erat perpetuò lubrica, eiúsque multæ, tenues, crudæ deiectiones. Vrinæ paucæ, tenues.* [f] *Febris ardens.*

COMMENTARIVS.


VLIER hæc in id morbi genus incidit, in quod multæ mulieres vtero gerentes, & proptereà non est mirum, si tam grauiter fuerit affecta, & obierit: nam si quæ partum edunt tempestiuum periclitantur semper, quanto magis quæ intempestiuum: irritatur enim natura ad huiusmodi expulsionem celerius, quàm pro naturali statu conueniat, & etiamsi viuus appareat, nunquam tamen superuicturus. Hanc difficilem

difficilem habuisse partum ex hoc elici potest, quòd statim ab abortu grauissimè febricitauit. Vtrùm modò abortus, qui sua natura semper est periculosus, fiat periculosior in abortu masculi, an fœminæ, non omninò certum est, quando videntur hinc inde rationes: si enim consideremus conceptum masculi, videtur facilior abortus fœminæ: nam fœtus in vtero concitatiore motu mouetur si masculus, qua ratione possunt ligamenta disrumpi faciliùs: esse enim ex iis signis, dicebat Galenus, quæ indicant conceptum masculinum 5. *Aphorism. comment.* 42. velocius moueri: fœmina autem quietior manet, quo fit, vt minùs abortus periculum immineat. Atenimverò ex altera parte in conceptu fœminæ maior excrementorum copia existit, vnde ligamenta ab illis mucoribus humectata possunt non difficili negocio relaxari, sícque abortire mulierem, quæ fœminam conceperit. Prætereà generatur in parte sinistra, masculus autem in parte dextra, validior autem est dextra, & per consequens etiam fortior erit fœtus, & validioribus ligamentis munitus. Quòd si contingat fieri abortum, oportet extet validior causa, quæ abortum fecerit. At, vtcunque sit, quiuis abortus admodum periculosus est, & longè magis si grandior, etiamsi videamus hanc ægrotantem ex abortione infantis mortuam esse, quod denotat id euenisse intra primos menses: nam, siue intelligamus masculum, siue fœminam, per infantem Galenus denotat fœtum, qui brachia, & crura distinctè efformata habeat, quod intra primos menses solet vtplurimum euenire, vti habetur ex Galeno *lib. de semine, cap.* 9. & *lib. de fœtuum formatione, cap.* 1. quo in loco docemur corporis perfectionem fieri non æqualiter in omnibus, sed in aliquibus citiùs, in aliquibus tardiùs. Vtvt sit, hoc euenit intra primos menses, vti ex Galeni verbis *in comment.* colligitur, quæ sic habent: *Adiunxit huic ex abortione dictionem* νηπίυ, id est, infantis, indicans, ni fallor, hoc adiecto paruum fuisse elisum partum: appellant enim homines infantes puellos, non itapridem natos. Quare per metaphoram videtur Hippocrates valde pusillos fœtus sic appellare, quippe hi potissimum eiiciuntur: euenit autem hoc propter ligamẽtorum imbecillitatem, quæ primis mensibus propterea facilè disrumpuntur, ita Galenus 4. *Aphorism. comment.* 1. facit comparationem fœtuum, & fructuum, & eandem habere rationem fœtum ad vterum, quàm fructus ad plantas vult: si enim sunt immatura, & recentia, facilè concidunt, quoniam nimis tenera, si plus iusto matura, perinde propter grauitatem. Ita fœtus in primis mensibus ex leui occasione corrumpitur, quia ligamenta parum habet firma; in fine propter grauitatem fœtus idem contingit pati: sunt autem quamplurimæ causæ, quæ abortum faciunt; nam concurrunt causæ externæ, & internæ: Externæ, vt animi motus, ingens frigus, saltus, & quæcuncunque corpus validiùs concutere possunt. Internæ sunt, quæcumque pertinent ad vterum, vel ad fœtum, vel ad matrem. Ex vitio vteri, cùm eius facultas expultrix aut est abolita, aut debilis. Abolita, quoties fœtus in vtero retinetur præter naturam, vt excludi non possit, quo tempore non potente natura eiicere fœtum, coguntur artifices arte extrahere. Ra-

tione debilitatis, cùm immaturus excluditur, ante ſcilicet ſtatutum tempus, quia acetabula ſunt referta pituita craſſa, lenta, & frigida ſine occaſione manifeſta. Ex parte poſteà matris fit abortus, cùm aliquo vexatur morbo, præcipuè verò alui fluore. Aut quando eſt nimis ſanguinea, quia ſuffocatur; primis præcipuè menſibus, cùm fœtus ſanguinis concurſum non poſſit abſumere, quo tempore optimè mulieri conſulitur, ſi ſanguis extrahatur, vel ob prauam mulieris diſpoſitionem. Ex parte poſteà fœtus, cùm eſt monſtruoſus, aut maior quàm vt ferri poſſit. Ex tot cauſis eam in hac muliere excogitarem quæ pertinet ad prauam corporis diſpoſitionem, cùm ſtatim ab abortu tam grauiter fuerit affecta, & euacuauerit multa tenuia, & cruda. Ecce diſpoſitionis indicium, & oportet fuiſſe malignam diſpoſitionem, quæ mortem tam citò attulerit, præſertim cùm ratione abortus deberet eſſe minùs periculi, cùm circa primos menſes euenerit, & maſculi: ita Hippocrates 2. *in 2. epidem. text.* 14. *Sexaginta dierum maſculi corruptio in detentionibus partus ſalubris.* Notat doctiſſimus Valleſius eſſe propterea ſalubriorem abortum maſculi in ſexaginta diebus, quia eo tempore poteſt adiuuare motum, & ipſius expulſionem, cùm ſoleat ſpatio triginta dierum perfici, fœmina autem longius tempus requirat, & ob id ſemper etiam abortus fœminæ habet, quantum in ſe eſt, plus periculi. In hac muliere auxit perniciem ſine dubio, non bene fuiſſe purgatam poſt partum per partem conuenientem, cùm ſuppreſſa per vterum euacuatione, aluus fuerit irritata, & mota: pernicioſa euacuatio vtplurimum tempore partus, quia non poteſt euacuari noxia materia, neque per partem conuenientem. Itaque tum ex motus agitatione, commotis humoribus, tum ex putrefactione à prauis humoribus inducta ſuccenſa eſt febris, qualis diſcribitur. Euenire hæc quamfacilè vidimus in ſuperioribus, & in dies experimur, & ita quemadmodum vehementiſſimæ excitantur febres, ita non diſſimilia accidentia, veluti ariditas linguæ, ſitis, faſtidium; vigiliæ.

[a] *Aluus erat turbata multis crudis, & tenuibus.*] Euacuatio multis modis improbanda. Primo, quia erat in cauſa, vt diuerterentur humores à parte neceſſaria. Secundo, quia non euacuabantur talia qualia. Tertio, quia indicabant imbecillitatem naturæ. Erat in cauſa, vt diuerterentur humores; quia, cùm deberent euacuari per vterum, ferebantur ad aluum. Non euacuabantur talia qualia, quia requirebatur euacuatio ſanguinis menſtrualis, & quæ apparebant erant materiæ tenuioris, & crudioris, etiamſi quod ſpectat ad tempus, non eſſet expectanda coctio, ſat fuiſſet ſi extitiſſet aliqualis conferentia, & tolerantia. Addamus quòd erant multa, à quibus natura multò faciliùs poterat deprimi: nam, neque omninò negamus poſſe alui motionem iuuare enixam prauè diſpoſitam, ſed non hunc in modum fluentem aluum, quæ retraxerit omninò naturam à naturali euacuatione, & veriſimile eſt, nullo modo fuiſſe euacuatam per vterum: nam non tam grauiter eſſet læſa, cùm clarum ſit potuiſſe minimam euacuationem iuuare: neque enim æqualis euacuatio eſt expectanda in abortu trium, aut quatuor menſium, ac in maturiori fœtu. An

posteà res in melius euaderent post primam euacuationem, coniicias licet ex dictis, dum subdit.

[b] *Postridie riguit, febris acuta. Aluum copiosè reddidit, non dormiuit.*] Hæc omnia habuit post largam euacuationem. Rigor potest sequi affectum vteri, sed crederem fuisse indicium ingentissimæ malignitatis, ita dicit Hippocrates 2. *in* 1. *epidem. comment.* 75. Ibi hæc leguntur ad verbum. *Quòd verò statim rigerent à primo, proprium erat malignitatis: etenim iudicare febres ardentes solet rigor, non tamen elucere statim decretoria oportet. Meritò igitur in tanta humorum malignitate fuit vigil, etiamsi nihilominus aluus flueret, non repressis humoribus colliquato potius corpore, febre cum fluore inualescente, signum tunc deterrimum, cum quo citissimè periclitantur ægrotantes.*

[c] *Tertio die dolores intendebantur.*] Crederem ego non aliud esse intelligendum, quàm dolores vterinos, symptoma commune ferè omnibus parturientibus, sed præcipuè abortientibus, & multò magis cùm minùs benè expurgantur: solent enim eleuari flatus ex sanguine illo crasso, qui cùm non inueniant exitum, dolores excitant, præsertim vtero tunc intemperato existente, & quia tunc temporis etiam caput trahitur in consensum, non est difficile deliria superuenire in huiusmodi casibus, & ob id non immeritò subdit Hippocrates.

[d] *Quartò delirauit.*] Hoc est ex signis perniciosis: nam quartum diem perinde grauem habere, ac tertium, non est de nihilo in re Medica, si fides Galeno habenda est, veluti in superioribus est dictum: significat enim breui futurum iudicium, & vbi iudicium, ibi futuram mortem, & ob id non sine causa euentum concludit Hippocrates, dum ait:

[e] *Septimo interijt.*] Non poterat diutiùs cùm tam larga alui euacuatione perdurare, ex qua corpora dissipari solent; verùm multò sunt deteriora in enixis, & præcipuè quando euacuatio est copiosa, & maior quàm vt à natura possit perferri, & maximè si sint tenues, & crudæ materię, quæ indicant virtutis imbecillitatem in concoquendo: Vrinas fuisse tenues, & paucas, non est quid maximum in aluo largiùs mota: tenues enim sunt quia bilis defertur tunc ad aluum: sunt paucæ, quia qui multùm excernunt minimum mingunt, quod ex Hippocrate colligitur 4. *Aphorism. text.* 83. In vltimis verbis ponit.

[f] *Febris ardens.*] Vult innuere vim morbi, vt non sit cur miremur cum tam graui morbo mulieris virtutem, multis annexis grauissimis symptomatibus citò fuisse depressam: nam, quemadmodum primum actionum instrumentum est virtus, ita si hæc deficiat, omnia Medici opera sunt noua.

Curatio.

EXpedit igitur in huiusmodi casibus statim ad opportuna præsidia deuenire, primúmque admonere ægrotantes, vt statim decumbentes peccata confiteantur, ne mors præueniat, id monitos volo adolescentes,

vt in quocunque leuissimo etiam morbo muneri suo satisfaciant, quia aliquando multa eueniunt præter expectationem, vt mihi pariter contigit mense Octobri. Ægrotans quidam cœpit ex ventriculo dolere. Huic vomitus satis copiosus superuenerat, veluti mihi retulerunt ipsius domestici. A vomitu inuiso infirmum, minimè dolentem, neque febrientem reperio. Die sequenti è lecto surgit, se sanum putat. Spatio duorum dierum inualescunt dolores, denuò remittunt haud multò pòst: perseuerabat dolor quidam oris ventriculi, vt semper erodi videretur, frequens vomitus aliàs cibi, aliàs materiæ nigræ; aliàs, & vtplurimum pituitosæ crassæ, & viscidæ, nunquam tamen à dolore oris ventriculi omninò immunis. Flatus impetum inferentes: sine febre omnino, pulsus constans. Vespertino tempore dum inuiso flatus infesti, erosio adhuc, sed, ipso efferente, minor, nulla febris, pulsus constans. Nocte moritur præter spem, & expectationem. Huic forte dixeram consuleret animæ, non quia existimarem moriturum, cùm non essent ad illud tempus, ex quibus id suspicari cogeremur, sed vt muneri meo satisfacerem. Imprimis ergo animæ consulimus, posteà corpori. Quamuis huic mulieri pauca poterant administrari, cùm aluus plus iusto esset mota, quæ euacuatio in febribus ardentibus est quammaximè timenda, sed multò magis in enixis. Prætermisso igitur medicamento pharmaceutico, & chirurgico, expediebat deuenire ad diæteticum: nutrire optimis eduliis, facilis distributionis. Sunt hæc stillatitia pullorum gallinaceorum. Aqua carnis contusa, & id genus alia. Poterant exhiberi decocta aut stillatitia arte parata, quæ reciperent medicamenta citra manifestam qualitatem alterantia, ne febrilis calor augeretur, menses possent euocari, & obsisteremus maleficæ qualitati, qualia sunt ruta capraria, acetosa, endiuia, borago, gramen, capillus veneris, agrimonium, pentaphyllum, hordeum, & similia. Vigiliis necessariò erat prouidendum. Exteriùs oleis modicè calentibus, ex liliis albis, ex oleo cheirino, & aliis similibus. Multa venissent in vsum, verùm illorum administrationem caloris excessus impediebat. Alexipharmacis erat insistendum, & clysteribus refrigerantibus, & abluentibus, simúlque roborantibus, vt posset aluus sisti, si id licuisset obtineri. At cùm res in deterius rueret, periculo prædicto, potiùs nutritioni erat incumbendum.

ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΝΔΕΚΑΤΟΣ.



ΕΤΕΡΗΝ ἐξ ὑποφθορῆς περὶ πεντάμηνον, πῦρ ἔλαβεν. ἀρχομένη δὲ, κωματώδης ἦν. καὶ ἄγρυπνος πάλιν. ὀσφύος ὀδύνη. κεφαλῆς βάρος. β', κοιλίη ἐπεταράχθη, ὀλίγοισι, λεπτοῖσιν, ἀκρήτοισι τὸ πρῶτον. τρίτῃ, πλείω, χείρω. νυκτὸς οὐκ ἐκοιμήθη. τετάρτῃ, παρέκρουσε. φόβοι, δυσθυμία, δεξιοῦ ἴλλαινε. ἵδρωσε περὶ κεφαλὴν ὀλίγῳ ψυχρῷ. ἄκρεα ψυχρά. παρωξύνθη. πολλὰ παρέλεγε. καὶ πάλιν ταχὺ κατενόει. ἄδιψος. ἄγρυπνος. κοιλίη πολλοῖσιν ἀκρήτοισι διὰ τέλεος. οὖρα ὀλίγα, λεπτὰ, ὑπομέλανα. ἄκρεα ψυχρὰ, ὑποπέλιδνα. ἕκτῃ, διὰ τῶν αὐτῶν. ἑβδόμῃ, ἀπέθανε φρενιτιαία.

ÆGROTVS XI.



ALTERAM *ex abortione ad quintum mensem Oecetai vxorem* [a] *ignis corripuit. Primo, soporosa erat, rursúsque insomnis: Lumbi dolor, capitis grauitas. Secundo die venter turbatus est, ac excreuit pauca, tenuia, meráque primum. Tertio die plura, ac peiora, nocte nihil dormiuit.* [b] *Quarto, delirauit; metus, mæstitia: dexter oculus distortus est: sudor secundùm caput paucus, frigidus, extremitates frigidæ. Quinto,* [c] *cuncta exacerbata sunt, multùm delirauit, statímque ad mentem rediit:* [d] *sitis: vigiliæ. Deiectiones in totum multæ, & meræ. Vrinæ paucæ, tenues, subnigræ: extremæ partes frigidæ, sublividæ. Sexto, eadem erant. Septimo, mortua est.* [e] *Phrenitis.*

COMMENTARIVS.



HIPPOCRATES de vtero gerentium purgatione agens, eam esse faciendam monet à quarto, vsque ad septimum, iuniora, & seniora veretur 4. *Aphorism. text.* 1. Huius rei rationem reddens Galenus *in comment.* ob id fieri scribit; quoniam, *cùm medicamentum purgans agitationem faciat, ex qua facilè possunt mulieres abortire, si quando cogamur exhibere, commodius, & tutius tempus est eligendum: est*

autem, quando firmius vtero alligatur fœtus, ob hoc quartum eligit vsque ad septimum, quibus, neque propter mollitiem, vt primis mensibus, neque propter grauitatem, vti vltimis, facilis est ad descensum. Consequentia igitur tenet, si his mensibus fiant abortus, id euenire propter aliquam grauiorem causam, aut internam, aut externam, quas iam multiplices cum Galeno statuimus. At hæc quinto mense abortiuit: ergo aliquam habuit causam non leuem. Causa non obscurè refertur à Galeno *in comment.* his verbis: *At hæc nunc quidem nobis proposita quinto mense abortiuit, ne ipsa quidem externa de causa, sed ex corporis affectione.* Id clariùs apparebit historiam examinantes. Incipit igitur sic.

[a] *Ignis corripuit.*] Idque statim ac abortiuit. Multoties corpus grauissimè est affectum, id est, prauis humoribus repletum, nec tamen desinunt sanorum munera obire; at si leuis causa concurrat, non rarò in grauissimos decidunt affectus, propter prauorum humorum dispositionem: neque enim quia abortiuit sic est affecta, cùm multæ abortiãt, nec tamen laborent, veluti quotidiana testatur experientia. Quare, cùm hæc iam esset prauis humoribus repleta, adueniente abortu, cuius occasione maxima fit humorum commotio, ipsis ad putrendum paratis, putredinem conceperunt, eámque malignam, vti Hippocrates recenset, qui ignem esse accensum dicit, statímque fuisse soporosam. Hoc denotabat humorum varietatem: nam qua parte abundabant pituitosi, ea ratione fiebat soporosa; qua verò humores biliosi, insomnis, erátque coma vigili affecta, capite vtrisque humoribus repleto, biliosis scilicet, & pituitosis. Repletionem capitis indicabat illa grauitas, quam passa est: humorum multitudinem lumborum dolor: neque hæc dicerem facta, quia vterus habeat maximam communicantiam cum lumbis, cùm humorum copiam arguat sequuta euacuatio secundo die, quo aluus turbata est, & excreuit tenuia, & mera, quamuis essent pauca, neque fuisse pauca excludit copiam, sed indicat, aut infirmitatem naturæ, aut minorem humorum dispositionem ad euacuationem, cùm in principio non possint esse præparata. Per mera intelligite biliosa, consuetum est Hippocrati ita biliosa flaua nuncupare, vti Galenus docet *lib. 2. prorrhet. comment.* 15. his verbis: *Nempe enim mera scimus illum appellare, quæ proprium colorem retinent, nullum alium humorem habentia mistum.* Si tamen coniiciendum est, biliosa deiecit mera, hoc est vel flaua colore, vel rufa; nam virulenta, vel nigra addito colore proferre, & huic, & aliis Medicis familiare est, & nos quoque citra adiectionem biliosa solemus dicere deiici, de flaua bile eam vsurpantes dictionem. Quare non defuisse huiusmodi humores confitetur Galenus, sed maiorem præstant fidem, quæ ab Hippocrate recensentur associata symptomata. Perseuerauit hæc euacuatio in sequentem diem, sed longè deteriore facta euacuatione, ídque debet intelligi, aut quia maior esset, quàm vt ferri posset, vel quia materia quæ euacuabatur mutauerit colorem in deteriorem, scilicet vergentem ad nigrum, aut vtrumque adesset, quantitas, & mala qualitas, vti verisimile fit, ex sequutis vigiliis, cùm nocte nihil dormiuerit, grauior autem est illa euacuatio,

euatio, quæ à capite non reuellit: est enim indicium multæ, & malignæ ebullientis materiæ, quæ suis tetris vaporibus caput lædit, vt ægrotans trahatur in delirium, quod breui futurum ex iugibus in febribus acutis vigiliis, coniicias vtplurimum licet. Has Galenus appellat antesignanas delirij, & euentus ægrotantis confirmat, cùm quarto die delirauerit.

[b] *Quarto delirauit, metus, & mœstitia, dexter oculus distortus est.*] Humorem melancholicum adfuisse metus, & mœstitia demonstrant ex Hippocratis decretis. Oculum peruerti aliquando crisim significat, quando scilicet natura materiam peccantem detrudit à parte principe cum virtute valida. Aliquando autem est merè symptomatica, & conuulsifica, & cùm, virtute imbecilla, est omnium lethalis, & tunc vera est sententia Hippocratis desumpta ex *6. in 2. epidem. text.16.* quando inquit: *Quorum oculi non sunt robusti, mors est in proximo, & lib.2. Coacarum, text.38. comment.1. Iam labescentibus viribus, siquidem æger non videt, aut non audit, vel à labro, oculo, nare distorquetur, lethale.* Quam eandem sententiam habemus 4. *Aphorism. text.49.* sic scriptam: *In febre non intermittente, si labrum, vel oculus, vel nasus, vel supercilium peruertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili existente corpore, quidquid horum euenerit, mors proxima est.* Hoc confirmatur exemplo desumpto ex *7. epidem. text.12.* de vxore Hermoptolemi, & de vxore Theodori, & Cydis filij. *Fit hæc oculi distorsio musculis oculum mouentibus, & neruis à secunda coniugatione ortis conuulsis, vt euenit aliquando pueris epilepticis perniciosè habentibus.* Et ob hoc addit Hippocrates *in lib.1. prognost. text.12. Cùm aliquo alio signo mortem propè esse sciendum est, quia scilicet cum virtute valida non semper est signum permittendum.* In hac ægrotante fuit indicium extremæ imbecillitatis, & per consequens mortis, quod multò magis confirmabant sequentia, videlicet,

[c] *Sudor circa caput frigidus, & extrema frigida.*] Sudor enim ille fuit omnibus modis pessimus, & quia paucus, & quia circa caput solùm, & quia frigidus, de qua re aliàs dictum est cum Hippocrate, & Galeno fieri in extrema virium imbecillitate. Euentus non dissimilis erat expectandus à præcedenti, cùm quartum perinde, ac tertium grauem habuerit, & morbus esset sua natura exitialis, vti comprobat quintus dies, in quo facta est longè deterior ægrotantis conditio, quod denotat Hippocrates, dum ait,

[c] *Cuncta esse exacerbata.*] Et præcipuè cerebri læsionem, cùm multùm delirauerit, quòd si ad mentem rediit statim, non propterea de ægrotante erat spes concipienda, sed conquiescunt tunc accidentia propter naturæ infirmitatem, eadem succumbente, non vincente, & vt nobis id demonstrat Hippocrates, subdit.

[d] *Sitis, vigiliæ.*] Hoc attendite qaumdiligenter. Quando videtis remitti aliquod graue symptoma, & tamen permanere alia, suspecta res est, & præsertim quod dicit *statim*: non poterat illud vehemens delirium sedari statim sine aliqua insigni euacuatione: nam morbi magni requirunt,

runt, quæ se iudicent egregia. Id vos cognoscetis ex pulsu, quia quando est fida remissio, pulsus fiunt robustiores; sed si infidum est iudicium, pulsus sunt languidissimi. Neque dicat quis vestrûm, vigilasse, & fuisse sitibundum cum causa, aluo scilicet largiter mota: scimus enim in huiusmodi naturæ motionibus vigilare ægrotantes ex frequentiore surrectione; sitire, quia euacuatio exsiccans sitim infert, & præcipuè cùm perseuerauerint deiectiones iisdem multis existentibus, & biliosis. Verùm bene esset actum cum ægrotante, si hac de causa infestassent accidentia dicta, haud multò pòst conquieuissent, si hanc habuissent causam: verùm oportet attendere Hippocratis verba, qui scribit fuisse mera, quod verbum denotat flagrantem dispositionem, & malignam putredinem, quod vrinæ subnigræ demonstrant. Itaque apparet fuisse colliquantem dispositionem. Quòd si euacuatio attenditur penes conferentiam, & tolerantiam, certè hæc fuit omni tempore perniciosa, cùm largissima esset sine conferentia, & tolerantia, præcipuè vrinis nigredinem habentibus. Quòd fuerint paucæ, tribuamus largiori per aluum euacuationi, etiamsi possemus referre in virtutis expultricis imbecillitatem, quod deterrimum erat, præsertim morbo adhuc crudo existente, quod vrinarum tenuitas ostendit, id autem signum ex se non est perniciosum, cùm neque mortem, neque salutem portendat; at si grauiora extent potest Medicus præsagire, futurum vt breui ægrotans vita cadat. At quid deterius esse poterat, quam extrema refrigerari in morbo acutissimo, vti aliàs ostendimus, sed longè grauius cum refrigeratione liuorem associari, qui color proximam minatur mortem, vti aliàs cum Galeno, & Hippocrate ostendimus. Signum hoc magnifacite, quia videbitis nunquam vos deceptos, si cum partium extremarum liuore mortem breui prædicetis, quod verum sit à quinto die perdurauit liuor vsque ad septimum diem tantùm, quo obiit, per impares enim mouebatur vti ex Hippocratis dictis constat.


[c] *Phrenitis.*] Additur hoc verbum, vt vehementem capitis læsionem patefaciat, non quia esset verè phrenitica.

Curatio.

STatim fuisset veniendum ad ea præsidia quæ maximam habent vim in magnis morbis, veluti ad venæ sectionem ex inferioribus partibus, qua grauissima mala non semel vidi sedata, quæ à mensium suppressione originem trahunt, & præcipuè à partu. Hæc euacuatio erat facienda statim primis diebus, quia subsequens larga euacuatio per aluum prohibuisset quominus imposterum fieret. Vsus essem clysteribus attemperandi vim habentibus, & etiam aliqualem adstrictionem, quo suppressa per aluum euacuatione magis necessaria possent tentari. Fiunt hæc ex iure, lacte, aqua hordei chalybeata. Frictiones partium extremarum, cucurbitulæ coxis affixæ, pessus menses euocantes ex succo mercurialis, matricariæ. Decocta menses euocantia, aut stillatitia arte parata, ex iisdem herbis repleto pullo. Alexipharmaca: optima victus ratio, vigiliarum cura, quæ

tantopere

tantopere sunt æstimandæ in morbis, præcipuè acutis. At frustrà elaborat Medicus, quando sua natura morbus est lethalis, & propterea prædicto periculo leuioribus erat insistendum, ne remedia infamarentur.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΔΩΔΕΚΑΤΟΣ.



Γυναῖκα, ἥτις κατέκειτο ἐπὶ ψευδέων ἀγορῇ, τότε τεκοῦσαν πρῶτον ἐπιπόνως ἄρσεν, πῦρ ἔλαβεν. αὐτίκα ἀρχομένη, διψώδης. ἀσώδης. καρδίην ὑπήλγει. γλῶσσα ἐπίξηρος. κοιλίη ἐπεταράχθη, λεπτοῖσιν ὀλίγοισιν. οὐχ ὕπνωσε. β΄. σμικρὰ ἐπερρίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. μικρὰ περὶ κεφαλὴν ἵδρωσε ψυχρῷ. γ΄, ἐπιπόνως ἀπὸ κοιλίας ὠμά, λεπτά, πολλὰ διῄει. δ΄, ἐπερρίγωσε. πάντα παρωξύνθη. ἄγρυπνος. ε΄, ἐπιπόνως. ϛ΄, διὰ τῶν αὐτῶν. ἀπὸ κοιλίης δὲ ἦλθε ὑγρὰ πολλά. ζ΄, ἐπερρίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. δίψα πολλή. βληστρισμός. περὶ δείλην, ἵδρωσε δι' ὅλου ψυχρῷ. ψύξις. ἄκρεα ψυχρά. οὐκ ἔτι ἀνεθερμαίνετο. καὶ πάλιν εἰς νύκτα ἐπερρίγωσεν. ἄκρεα οὐκ ἀνεθερμαίνοντο. οὐχ ὕπνωσε. σμικρὰ παρέκρουσε. καὶ πάλιν ταχὺ κατενόει. η΄, περὶ μέσον ἡμέρης ἀνεθερμάνθη. διψώδης. κωματώδης. ἀσώδης. ἤμεσε χολώδεα,

ÆGROTVS XII.



Mulierem, quæ decumbebat in mendacium foro, enixam cum dolore masculum, corripuit ignis. Initio statim sitibunda: [a] *cor illi dolebat, fastidiosa, lingua arida, venter turbatus tenuibus, & paucis,* [b] *non dormiuit. Altero die aliquantulum riguit, febris acuta, modicus secundùm caput, & frigidus sudor. Tertio, cum dolore deiecit aluus cruda, multa, & tenuia.* [c] *Quarto, riguit, omnia irritata sunt: insomnis. Quintum diem laboriosè transegit. Sexto die eadem erant: aluum reddidit humidam, copiosam: septimo riguit, febris acuta, sitis ingens, se iactauit. Sub vesperum per totum corpus sudauit frigidum, frigus partium extremarum, nec redibat illis calor. Iterúmque nocte riguit, extremitates calorem non recipiebant,* [d] *non dormiebat, nonnihil delirauit, statímque ad mentem rediit. Octauo, circa meridiem rediit calor, sitibunda, soporosa, fastidiosa: vomuit biliosa,*

liosa,

μικρὰ, ὑπόξανθα. νύκτα δυσφόρως. οὐκ ἐκοιμήθη. οὔρησε πολὺ ἀθρόον οὐκ εἰδυῖα. θʹ, ξυνέδωκε πάντα. κωματώδης. περὶ δείλην, σμικρὰ ἐπεῤῥίγωσεν. ἤμεσε μικρὰ, χολώδεα. ιʹ, ῥῖγος, πυρετὸς παροξύνθη. οὐχ ὕπνωσεν οὐδέν. πρωῒ, οὔρησε πολὺ, ὑπόστασιν ἔχον. ἄκρεα ἀνεθερμάνθη. ιαʹ, ἤμεσεν ἰώδεα, χολώδεα. ἐπεῤῥίγωσεν οὐ μετὰ πολύ. καὶ πάλιν, ἄκρεα ψυχρά. ἐς δείλην, ἱδρώς. ῥῖγος. ἤμεσε πολλά. νύκτα, ἐπιπόνως. ιβʹ, ἤμεσε πολλὰ, μέλανα, δυσώδεα. λυγμὸς πολύς. δίψος ἐπιπόνως. ιγʹ, μέλανα, δυσώδεα, πολλὰ ἤμεσε. ῥῖγος. περὶ δὲ μέσον ἡμέρης, ἄφωνος. ιδʹ, αἷμα διὰ ῥινῶν, ἀπέθανε. ταύτῃ διὰ τέλεος, κοιλίη ὑγρὴ, φρικώδης. ἡλικίη περὶ ἔτεα ιζʹ.

liosa, flaua, pauca. Nocte grauiter se habuit, nihil quieuit, e multùm affatim minxit inscia. Nono, omnia fuerunt remissa, sub vesperum soporosa, aliquantulum riguit, vomuit amara, biliosa. f Decimo, rigor, febris accessit, nihil dormiuit, manè multùm, in qua nihil subsideret, reddidit vrinam, extremæ partes receperunt calorem. Vndecimo, virulenta, biliosa vomuit. Non multò pòst riguit, rursùmque extremitates frigidæ: sub vesperum rigor, sudor frigidus, multum vomuit, nox grauis fuit. Duodecimo, vomuit multa, nigra, fœtida, g singultus multus, sitis laboriosa. Tertiodecimo, nigra, virulenta vomuit: rigor: circa meridiem muta. Quartodecimo die, sanguis de naribus, defuncta est. Huic perpetuò venter erat lubricus. Horrebat, annum ætatis agebat ad septimumdecimum. Febris ardens.

COMMENTARIVS.

QVANTI faciat Hippocrates partum pro diuersitate sexus ex eo licet coniicias quòd semper nominat quid pepererit mulier, scilicet masculum, an fœminam, neque immeritò id fit ab Hippocrate, quia facit non parum ad curationem, & ad præsagium. Hæc mulier peperit masculum, sed cum dolore, inquit. Fortasse inueniuntur mulieres quæ sine dolore pariant, aut saltem masculos. Vult aliquid admonere auctor his verbis, quia vt breui loquutus nihil vnquam superuacanei addit, & vnaquæque vox apud Hippocratem aliquid signat, vt Galenus idem testatur *lib. 8. de vsu partium*, & *lib. 1.* ait: *Hippocratis dictio tanquam Dei vox.* Credo Hippocratem nobis ob oculos ponere difficilem istius

istius mulieris partum, præsertim cùm masculinus partus soleat esse felicior, & si aliter contingat maius periculum, grauiorem denotans caussam, & deteriorem corporis constitutionem, quod de hac dici posse est apertissimum, quando tam grandi morbo correpta fuit, vt non potuerit mortem euitare. Verisimile est, vterum inflammationem contraxisse ex violentiori partus conatu, hincque sequuta esse inflammationis signa non obscura, vt febrem ardentem, & quæ huiusmodi febres solent concomitari. Hoc ita se habente, non immeritò dicit fuisse sitibundam.

[a] *Cor illi dolebat.*] Sæpiùs dictum est os ventriculi appellari abusiuè cor, propter consensum, quem habet cum facultatis vitalis principio; hinc fit, vtero affecto, vt propter congenerem substantiam, & viciniam os ventriculi compatiatur, symptoma in enixis admodum familiare, & admodum periculosum propter partis sensus acutiem; quando autem ea pars compatitur, siue per consensum, siue per essentiam, tunc ea est corporis dispositio, vt vnaquæque forma aggrauet eos, & in hoc monitos volo adolescentes, vt bene animaduertant hoc symptoma, tanquam in omnibus ægrotis magnifaciendum, maximè verò in enixis, & in quibus exarescit lingua, quoniam tunc est signum maximæ adustionis à bile superassata superuenientis. Habuit prætereà & symptoma non minùs periculosum quàm infestum, videlicet alui motionem: euacuabantúrque excrementa tenuia, pauca. Quòd essent tenuia, morbi tempus id postulabat, cùm in principio non sit coctio; pauca, non potente natura se à sarcina eximere, quod etiam minùs commodè tentare poterat, cùm cruda materia non sinat se trahi, etiamsi irritet sæpè inutiliter, & præcipuè in enixis, in quibus exoptatur euacuatio per conuenientem partem; scilicet per vterum, quòd si secùs fiat, malè actum est cum muliere, vti in dies experimur. Hinc fit, quòd ebulliente materia, eadémque minùs expurgata recurrat; & quemadmodum adusta, & mordax est, ad caput transmissis vaporibus, somnus arceatur, & fiant mulieres insomnes, vti & huic contigisse ex textu elicimus, dum ait.

[b] *Non dormiuit: altero die, aliquantulum riguit, febris acuta, modicus secundum caput, & frigidus sudor.*] Triplex ex Galeni mente est rigor. Criticus quando natura post coctionem tentat à corpore deturbare caussam morbificam. Periodicus, vt in tertianis. Symptomaticus quando fit natura irritata nullo coctionis signo existente, veluti in principio. Hic dubio procul erat dicendus symptomaticus, quia sine ægrotantis commodo excitabatur: neque enim vacuatio aderat materiæ rigorificæ, quod non poterat expectari, cùm secundo die euenerit: vt enim rigor omnis criticus excitatur repetina, & citata bilis flauæ exclusione è vasis in partes exquisito sensu præditas, consentaneum est, vt naturæ virtute suscipiatur illa tam cita exclusio. Atque vt conuenienter id fiat, victricis naturæ, triumphantísque per ipsam coctionem signa, vt priùs appareant, necesse est; quãdo neque in cruditate vlla crisis bona sperabilis est, neque salutariter quicquam fieri potest, quod antè significatum non fuerit si-

gnis, quæ appareant ad tempus, & ad speciem ipsam crisis. Hæc, cùm ita sint, vix credibile est posse rigorem ante septimum bonis ægri rebus incedere, propterea quod, vt ante quartum diem nulla pepasmi, id est, maturationis significatio, ita ante septimum nulla bilis flauæ exclusio salutaris. Nunc verò rigorem mouebat biliosa cacochymia è vasis expressa, quæ toto corporis habitu commouetur, quam fundit assiduè concepta in locis, & lumbis nimia muliebrium abundantia per vniuersum grauiditatis tempus. A rigore consuetum est accendi febrem, propterea dicit febris acuta, vt innuat augmentum suscepisse febrem. Rigor inutilis malignitatis argumentum, veluti & sudasse modicum secundùm caput. Pessimus erat sine dubio iste sudor qualitate, quantitate, & loco. Qualitate, quia frigidus, excrementum autem in habitu corporis frigidum contra naturam est febris acutæ, cuius insigni æstu par erat totam compaginem corporis, & humores incanduisse: vnde signum est calidi innati extincti, ac resolutæ facultatis retentricis. Hinc rectè dicebat Hippocrates 4. *Aphor. text.* 37. *Sudor frigidus in febre acuta mortem subesse testatur, secus si febris sit mitis, ac tepida*; tunc enim tantùm arguit morbi longitudinem, modò ægri vires sint validæ: nam vbi sunt vires infirmæ, non est in tuto æger, ne à mitissima quidem febre: erat igitur sudor ille prauus qualitate, sed & quantitate: quia paucus, ex sudatiuncula autem nulla crisis bona, cùm nihil paucum sit criticum. Loco, quia tantùm circa caput: sudor enim frigidus iam qualitate prauus, multùm adiicit prauitati, ac malefico excretionis loco; loco quidem, si tantùm in capite, & collo exudet: modo autem, si exitu pigro, veluti miliaris exudet. Est verò sudor omnis, qui tantùm occupat caput, & collum, tametsi non frigidus, semper in malis ducendus, tanto verò magis, vbi frigidus extiterit: nam talis sudor enascitur, exoluta partium ipsarum virtute, & emortuo calore natiuo; vnde apparet tum impotentia continendi, & apponendi succum alibilem, tum verò ipsius refrigeratio. De hoc sudore loquutus est Hippocrates 1. *prognost. text.* 16. Neque tertio die meliùs habuit, dum materia plus iusto euacuabatur per aluum, eadémque tenuis; verùm hoc sequebatur tempus morbi, principium scilicet, erat autem malum, largam esse euacuationem, quæ indicabat copiam, & malam qualitatem, dum cum dolore excernebatur. & inutiliter; primò, quia non per conuenientem locum in enixa. Secundò autem, quia post euacuationem deterrimè se habuit, nulla alleuatione sequuta, vti quarto die apparet.

c *Quarto, subriguit, omnia irritata sunt.*] Dies spectandus, & pertimescendus, in quo non nisi verenda apparuêre symptomata. Riguit symptomaticè ex humoris malitia, demonstrat euentus, cùm omnia fuerint irritata, id est antecedentia, & addit præ cæteris fuisse insomnem, vt inde eliciatis ex grauioribus esse in morbis vigilias, quas nunquam negligeris, si diutius perseuerare animaduerteris. Perseuerabant nihilominus accidentia sequentibus diebus cùm quintum laboriosè præterierit: laboriosè, id est grauissimè, omnibus accidentibus ingrauescentibus. Neque diminuta sunt die sexto; ac etiamsi essent diminuta, iis non fuisset fidendum:

dum : nam plurimùm refert quo die fiant euacuationes, ſextus enim dies nunquam fidum facit iudicium: grauius ſeptimo die apparuiſſe omnia co-ctioni contraria : riguit enim , cuius cauſa vti eſt conſuetum febris aucta eſt , ad febris incrementum ſubſequuta eſt ſitis ingens , & iactatio. Hucvſque neque deſperaſſes de ſalute ægrotantis , cùm ſoleant hæc fieri, quando natura aliquam molitur euacuationem , vel criticè , vel ſymptomaticè , vt fuiſſet in hac,cruda exiſtente materia : at poſt rigorem eſſe refrigerata extrema , neque recaluiſſe,quid deterius poterat expectari?nihil certè deerat ad omnem perniciem. Rigor eſt motus naturæ tentantis noxia expellere , ob hoc ſi in febri ardente fiat rigor , expectatur morbi ſolutio , ita Hippocrates 4. *Aphor. text.63. Quibus in febribus quotidie rigores fiunt,quotidie febres ſoluuntur.* Hac ratione , quia à rigore ſolet euacuatio ſequi,aut pro vomitum, aut per aluum,aut per aliquam aliam partem humoris peccantis,quod etiam confirmat *lib.2.de ſympt.cauſis,cap.5.* vbi redarguit eos , qui putabant fieri febris ſolutionem à rigore ſimpliciter , quatenus ſcilicet eſſet cauſa ipſius febris contraria , & confutat probando poſt rigorem fieri maiorem febrem,ídque non alia de cauſa,quàm ex valentiore bilis vomitu , deſinere autem, quotieſcúnque euacuationes dictæ poſteà ſequuntur, quæ aut fiunt per ſudorem mota materia ad cutim , vel ad aluum ad interna recurrente , vel per vomitum , & ob hæc ſimpliciter dixit Hippocrates 4.*Aphor.text.58. A febre ardente habito rigore ſuperueniente , ſolutio.* Quòd ſi natura fruſtretur ſuo motu , id eſt, non ſequantur euacuationes illæ quibus morbi ſæuitia ſolet demulceri, non bene tunc actum eſt cum ægrotante , quia pernicioſum eſt ſignum, & præſertim ſi frequentiùs rigor inuadat,vti notat Hippocrates 4.*Aphor. text.46* quo in loco hæc habentur *: Si rigor incidat ægro iam debili , febre non deficiente,lethale.* Addit Galenus hæc : *Sæpiùs verò fieri rigorem febre non deficiente , & alioqui bonum non eſt,in virium autem factus imbecillitate pernicioſus.* Nam ſi aliqua ſequatur euacuatio poſt rigorem,quæ nullam facit intermiſſionem, propter vtrumque hominem diſſolui veriſimile eſt,& quia vis imbecillis ferre non poteſt rigoris agitationem , & quia ab euacuatione diſſoluitur. Si verò incidat rigor , nulla euacuatione ſubſequuta , vtroque modo caſus caret bonitate. Nam , & vt mala cauſa vim corporis tanget, & vt malum ſignum vltimam illius indicans imbecillitatem,quæ ſolita ſit noxios humores in rigoribus euacuare , nunc autem id efficere non poſſit,quod lethale eſſe idem Galenus ſtatuit *lib.2. de ſympt. cauſis cap.5.* quo in loco idem Aphor.adducitur,& ſic à Galeno ſcribitur: *In talibus enim rigoribus incipit quidem natura perſequi, quod offendit,ſed victa concidit , atque extinguitur , eóque mortale eſt ſymptoma.* Et *in fine cap.*hæc habet: *Pugnat etenim virtus*,loquitur de rigore,ac certat cum iis, quæ offendunt impetu , tum quod vbi in profundo corporis eſt collecta, cum magno calore reuertitur , febrem poſt rigorem accendit , ma eriam ſcilicet habens ad magnitudinem eius coadiutricem ; ſi quando autem certans , priùs fatigatur, quàm quæ infeſtant profligauerit : fit enim hoc, aut ob virtutis imbecillitatem , vel cauſæ magnitudinem,neceſſariò mors

ſequitur,ceu priùs dictum eſt. Quod de rigore dicitur,de horrore dictum putes, cùm differant inter ſe tantùm excrementorum multitudine, tum motu, vt ex eodem Galeno habetur, *cap. paulò ſuprà citato de ſymptom. cauſis.* At ſudauit, & per totum corpus: ergo non eſt dicendum fuiſſe inutilem rigorem, neque lethalem. Reſp. Sudoris qualitas ſpectanda eſt: nam ſudor oportet quidem per totum corpus fluat, & in die decretorio, ſed etiam neceſſarium eſt vt ſit calidus, quemadmodum ex prognoſticis habetur. Hinc ſcribebat Hippocrates *loco iam citato. Sudor frigidus in febre acuta lethalis:* eſt enim talis ſudor ſemper ſiniſtri iudicij, & vt ſignum, & vt cauſa. Vt ſignum, quia denotat copiam humorum frigidorum, qui non niſi longo tempore poſſunt euinci, ita vt priùs ſit moriendum, quàm calorem recipiant. Cauſa verò, quia cum tanta copia cruditatis franguntur vires, omniáque naturæ præſidia collabuntur. Et longè deterior erat, quia in die decretorio, quo aliquid boni erat expectandum. Vera ſcribere Hippocratem euentus demonſtrabit: nam ſtatim à ſudore extremæ partes ita ſunt refrigeratæ, vt non poſſent recalefieri. Contingit id fieri quadrupliciter, vel propter caloris extinctionem, vel propter eiuſdem oppreſſionem, vel proptet contractionem ad interiora, vel propter periodicam acceſſionem. Propter extinctionem, quando ægrotans propè exitium eſt, vt in extrema virium imbecillitate, in ingenti inflammatione partium infernarum: tunc enim tantopere refrigerantur extrema, vt glaciem repræſentent, aliquando etiam cum ſudore frigido, qui cùm apparet, breuiſſimo temporis ſpatio moriuntur. Ita in Sileno ponit Hippocrates extrema fuiſſe frigida, & liuida ſexto die, ſeptimo, non recaleſcebant, ad vndecimum vita producta eſt. Per oppreſſionem à copia multorum ciborum grauato ventriculo, præſertim ipſius ore, aut infeſtato ab acribus humoribus, quando ſcilicet pichrocoli nimis vehementer ſuſtinent inediam. Ab humore crudo, & frigido, vt contigiſſe vidimus ei, qui in Dealcis horto habitabat, qui decimoſeptimo mane in febre acuta extrema habuit frigida; illi autem minùs periculum incurrunt: liberatus enim fuit quadrageſimo die, multa alba pituita per aluum expurgata, & motis ſudoribus. Contrahitur prætereà ad centrum in dolore vehementiſſimo partes interiores occupante ab inæquali intemperie, pituita vitrea, flatibus. Ita Hippocrates *7. Aphor. text. 26. In forti dolore ventris partium extremarum frigiditas, malum.* Addit Galenus: *Fit quidem, ſicut & ſuprà dictum eſt, ob magnitudinem inflammationis in viſceribus, extremarum partium frigiditas: fit etiam propter animi deliquium, vel quia calor natiuus extinguatur, vel quia propter multitudinem ſuffocetur, tum præcipuè cùm frigida fuerit. Fit inſuper, & propter vehementem dolorem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in ſeipſam contrahitur, & ad eam conſequitur ſanguis, non ſolùm extremas corporis partes derelinquens, veluti pedes, aures, & caput, ſed & cutim vniuerſam.* In hac ægrotante non aliam dicerem cauſam, quàm ingentem virtutis proſtrationem extremorum refrigerationem feciſſe. Non dicerem fuiſſe oppreſſionem; iam enim mota erat aluus, & fortaſſe plus, quàm conueniret. Non per contractionem

ex dolore, de hoc enim non agit Hippocrates. Neque periodicatio erat in causa, cùm malignissima laboraret febre. Ergo concludendum est, non rediisse calorem, id prouenisse ex caloris imbecillitate, sed neque negandum adfuisse tam æstuantem internam dispositionem, cuius causa caloris expansio impediretur, hancque in vtero extitisse symptomata demonstrant, quantum coniecturâ assequi possumus, præsertim cùm esset sitibunda: nam si incendij infrigescant partes extremæ, tunc sitis adest, & hoc videtur probari apertissimis verbis desumptis ex Galeno *in lib. de tremor. & palpitatione, cap. 6.* & etiam *lib. 2. in 1. prorrhet.* vbi habet. *Ex rigore perfrigeratio non recalescens, malum*, quia calor inter pugnandum victus censetur: fit autem hoc dupliciter, aut quia causa offendens sit admodum valida, aut quia calor ipse reddatur imbecillior. Per validam causam intelligo ingentem calorem, naturalem euincentem. Hucusque praua fuit corporis dispositio, & ægrotantis conditio. At neque in bonis erat deputandum iterum nocte riguisse, cùm ex prauis sit symptomatibus, si Hippocrati credendum dicenti. *Continui rigores in acutis, prauum. 1. lib. Coacarum, text. 21.* Fiunt autem perniciosi multis modis huiusmodi rigores, qui assidui sunt in morbis acutis: nam indicant perfrigerationem, & extinctionem caloris natiui, præsertim si à rigore calor non redeat. Prætereà translationem materiæ in partes nobiles, hanc appellant Græci μετάστασιν, qua humores, qui in aliis partibus erant, transmittuntur in nobiles partes, sed sine excretione, ac concussione vehementi, quæ vires prosternat, & quod magis est, nouorum accidentium accessione, præsertim in capite, sæpissimè ipsorum vehementia vis ægri opprimitur. Quid simile, & huic contigit, postquam subdit.

[d] *Non dormiuit, nonnihil delirauit.*] Accidentia omnia euidenter pessima, facultatis animalis læsionem demonstrantia. Nam vigiliæ in ægrotantibus perseuerantes, suspicionem delirij haud multò pòst futuri denotant in morbis acutis; & ita contigit, cùm delirauerit, neque quid fuit boni ad mentem rediisse: solet enim materiæ tenuitas symptomatis vehementiam facere, sed eadem sunt breuiora, propter facilem eiusdem materiæ tenuitatem. Sunt omnia ad exitium tendentia, & præsertim cùm sudauerit, & nihilominus delirauerit. Hoc non est de nihilo, & maximè attendendum in praxi: nam est inter exitiosa hoc signum, præsertim cùm sudor fuerit frigidus: in acutis enim moderatus sudor, quamuis non integrè tollat febrem, sed tantùm diminuat, longitudinem morbi significat, sed non perniciem, modò sit calidus, aut saltem in mitiori morbo; quando autem multus est, & assiduus, & à sudore æger delirat, vel deterius habet, sine dubio mortis periculum subest: facit enim talis sudor celerem virium dissolutionem, quòd si augeantur symptomata à sudore, materiæ denotat translationem. Neque rediisse calorem octauo die quid boni denunciabat, nisi in quantum natura videbatur minùs agitata, quæ alleuatio quemadmodum erat sine ratione; ita minimum commodi attulit, cùm accidentia nihilominus sæuirent magis: nam sitis erat infestans, caloris adurentis indicium; verùm hoc signum in morbis demonstrat

ſtrat tantum caloris vim : at alia annexa oſtendunt malitiam, veluti fuiſſe comatoſam, & faſtidioſam. Vomitus, quem habuit, fuit omninò malus, omninò ſymptomaticus, factus propter recurſum bilis à iecore in ventriculum regurgitantis. Damnat talem vomitum Galenus 2. *prorrhet. textu* 47. his verbis : *Exigui vomitus bilioſi malè habent ægrotos, idque cùm aliàs, tum ſi ſuperuigilauerint :* & enimverò qui vomitus fiunt praui humoris, & ſunt pauci, deterrimi cenſentur, quia nihil, quod paucum ſit poteſt ægrotantes iudicare : fiunt enim iſtæ paruæ euacuationes, aut propter partis oppreſſionem, aut propter virtutis exolutionem, & eò deterior eſt euacuatio, ſi ſuperuigilauerint, propterea quod vigiliæ generant bilem, à qua non difficilè vomitus denuò excitatur, & minus malum quando cauſa morbifica eiicitur, at id factum non eſſe conſtat, quando à vomitu non alleuantur accidentia, ſed grauiora fiunt, inter quæ non infimum locum tenet illud, minxiſſe inſciam.

e *Multùm inquit minxit inſcia.*] Verendum ſymptoma, & pernicioſum ex Hippocratis decreto 1. *prorrhet. text.* 28. quod exprimit ſic : *Vrinæ excretio in non recordantibus pernicioſa.* His addit Galenus. *De phreniticis quod dicit, intelligit, comparat ſiquidem author meientes ex præſentium admonitione cum his, qui abſque illa meiunt : quidam enim matellam petunt, ſed citra ordinem, rationémque in lectum effundunt.* Qui igitur hi deteriùs habeant, quàm qui nullo pacto niſi admoniti vrinam excernunt, liquere arbitror : in his enim ſeruatur naturalium intellectus functionum vna, cùm vrinam in lectum excernere auerſentur, in illis autem, periit & illa. Quare vrinam emittere ægrotantes, ipſis non animaduertentibus, vnum è duobus ſignificat, aut mentem eſſe læſam, aut veſicæ muſculum, quo veſica clauditur eſſe reſolutum, eodem Galeno confirmante *lib.* 2. *prorrhet. comment.* 46. Non diſſimile colligitur *lib.* 3. *Coacarum, text.* 77. *ſect.* 3. *Micta nec ſentientibus ægris aliàs quidem lethalia.* Ratio. Quibuſdam enim phreniticis, aut aliter occupata mente id accidit, vt vel non ſentientes meiant, vel poſtulata matula, niſi incites, non meiant : ſed hîc læſa mens eſt, illic & læſa, & ſæpè extincta, & reſoluta vis muſculi, qui veſicam claudit. Eadem ratio excrementorum alui. In hac muliere erant ſine dubio delirij ſuſpicio, cùm vigil eſſet ; comatoſi autem vigiles, vnà poſſunt eſſe phrenitici.

f *Nono, omnia fuerunt remiſſa : ſub veſperum comatoſa.*] Inualuit iam vſus noſtris temporibus, vt vnuſquiſque Medicum interroget de ægrotantis ſtatu, & ſi quando contingat poſt multos labores perpeſſos, ægrotantem meliùs habere, ipſum ferè conualuiſſe autumant, neſcientes naturam per longum tempus defatigatam, tandem interquieſcere, etiam inuitam, non diſſimiliter, ac quis onus grauiſſimum ferens : ob hoc vos adoleſcentes nunquam dicetis meliùs habere ægrotantem, etiamſi remittatur in die contemplabili, niſi alleuatio perduret per multos dies : tunc enim fit operante, & vincente natura, non veluti ſuccumbente oneri, quo tempore rediens ad pugnam, reuocantur ſymptomata, & ſæpiſſimè in grauibus morbis, cum ægrotantis pernicie. Ecce nono

dic

die omnia fuerunt remissa, sed non toto die remissio perdurauit: at sub vesperum comatosa: ergo non cum ratione melior videbatur ægrotantis conditio, sed veluti cedente natura id fiebat: neque enim adhuc sublata erat prauorum humorum congeries, cùm adhuc post refrigerationem quandam vomuerit bilem flauam: comatosa nihilominus, quia ventriculus variis scatebat humoribus: oportet autem parum comatosam fuisse propter bilem, quia erat ventriculus affluens, inutiles omnes euacuationes, quia non per conuenientem partem fiebant in enixa. Rem ita esse demonstrat.

g *Decimo, riguit.*] Neque dicerem riguisse, quia esset affectus vterus, quo tempore familiares sunt rigores propter ipsius substantiam neruosam, vti testatur Hippocrates 1. *lib. de morbis mulierum*, sed erant motus naturæ, tentantis se eximere ab humorum malitia, quæ, vti apparet ex superuenientibus erat, maxima: solet autem febris in illo motu exacerbari, & non immeritò, capite plus iusto excalfacto, vigilias adhuc patiebatur. Neque fida alleuatio censenda est morbi, quia multas emittens vrinas, extremæ partes sint recalefactæ: sequitur enim id serosi humoris copiam, non quid decretorij, aut huic contigit, cùm post hanc euacuationem vomuerit deterrima, scilicet virulenta, nullis coctionis signis præcessis, signum adeò perniciosum, vt multi post talem vomitum conuulsi obierint celerrimè, & Galenus *in lib. prognost. text.* 54. 2. *in* 1. *epidem.* vult denotari intensissimum calorem, fieríque à bile adusta. Quòd si adhuc non deferbuerat calor, ne minimo coctionis signo existente, verùm potius omnibus coctioni contrariis apparentibus, quæ salutis spes suberat, cæteris ad perniciem perseuerantibus, ipsa denuò rigente, extremis refrigeratis partibus. Funesti rigores censentur febrium ardentium, ídque consulo attendatis diligenter, præsertim cùm frequentiores inuadant sine crisi, neque febris tollatur, viribus præcipuè fractis: nam vtilius est naturam otiari, quàm aliquid frustrà moliri, cùm iste motus, non excluso peccante humore, citius virtutem deprimat, vt & huic euenisse apparet ex sequentibus: nimirum,

h *Sub vespertinum tempus riguit, sudauit, multùm vomuit, noctem grauem habuit.*] Nihil defuisse ad omnem ruinam constat ex iis, quæ passa est, cùm omnia essent symptomatica, nihil omninò iuuantia, neque vt signum, neque vt causa: hoc modo, quia nulla facta est conferens euacuatio, vt euentus concludit: neque vt signum, quia indicabat malam qualitatem, & deterrimam ægrotantis conditionem. Quòd si vndecima dies est quartidecimi index, potuisset Medicus mortem illo die prædicere, & maximè cùm maiores in dies acquireret vires, duodecimo die perniciosiùs habente, quo die vomuit multa, ex quo vomitu arguebatur congeries excrementorum, quæ circa partes principes erant, & ventriculum, sed & pessima conditio significabatur, dum eadem erat nigra, & fœtida. De his iam aliàs sumus cum Galeno eloquuti.

i *Singultus multus, sitis.*] Singultus à vomitu fit propter ventriculi inflammationem, éstque veluti conuulsio stomachi, prauúmque signum:

à vomitu enim singultus, malum. 7. Aphorism. text. 3. Dicit Galenus: *Qualis passio est conuulsio musculis, talis est singultus stomacho, qui humoribus infestantibus conuenit, duorúmque alterum ostendit, vel cerebrum neruorum principium, vel ventriculum pati non mediocrem inflammationem.* quod idem confirmat 3. *de symptomat. causis, cap.* 2. dum ait: *Fit singultus duabus de causis propter repletionem, & propter euacuationem. Repletio, quotiescunque abundantia humorum mordacium adest, aut etiam aliquid acre, veluti piperi, aut id genus aliud, si autem fiat ex inanitione omnino est incurabilis.* 4. *acut. comment.* 64. Rarò fieri ab inanitione vult Galenus 5. *Aphorism. comment.* 13. In hac muliere posset fortasse dici ex multo præcesso vomitu prouenisse ex inanitione, ob hoc tam magnum malum subortum fuisse; atenimvero non fuit sufficiens euacuatio, sed statuendam huius singultus causam malam, & deterrimam humoris qualitatem, cùm vomuerit virulenta, hinc sitis extabat laboriosa, non cessante interno incendio, quod siti perpetuam dabat causam, & laboriosam fortasse addit, quia non poterat non concurrere aliqua oris ventriculi affectio: virulentia enim vix potest excerni, quin afficiatur pars, per quam pertransit, & os ventriculi comburatur, circa quod sitis fit laboriosa, id est, inexplebilis dicebat Galen. *6. lib. de locis malè affectis, cap.* 3. *At verò,* inquit, *ingentis sitis, quæ circa diabetem fit, causa est ventriculus, aut calida, aut sicca, aut vtraque intemperie affectus, maximè verò ob ipsius*, & *lib.* 4. *acut.* ait: *Verùm in toto fit corpore, sitim omnino parit, cùm verò in vna parte non ex necessitate, nisi pars ipsa sitim pariat. Omnium autem primum, & maximè id facit os ventriculi, deinde ventriculus, atque ab eo stomachus, post pulmo, & subinde ieiunum intestinum.* Cùm igitur ita, vt videmus, esset intemperatum, meritò sitis fuit vehementissima, & in expulsione materiæ veneficæ partem neruosam alterantis, riguit. Tanta erat læsio à mala humorum qualitate contracta, vt facultas vitalis concideret, & cum ea animalis, quod frequentissimum est: ob hoc facta est muta circa meridiem: erat enim mors præ foribus: nam id fiebat propter extremam virtutis resolutionem, & sic affecti moriuntur certò. Comprobat Galenus 1. *prorrhet. text.* 23, dum ait: *Aphonia cum singultu pessima. Significat,* inquit Galenus, *in comment. quòd ex humorum copia grauetur, vel mordeatur, vel propter frigiditatem contristetur.* Quam ergo vocalium instrumentorum læsionem subsequutus est. Relinquitur igitur, aut copiam humiditatis, quæ aphoniam procreauit in os ventris defluxisse, aut quòd acris sit, aut frigida. *In Coacis* 1. *in* 3. *text.* 2. ad verbum legitur. *Qui in febre continua muti iacent, clausis oculis, subinde conniuentibus, si quidem è naribus sanguis effluxerit, & vomuerint, atque ex eo loquantur, & ad seipsos redeant, seruantur. Quòd si nihil istorum acciderit, in difficilem spiritum redacti in breui moriuntur.* Huic fluxit sanguis, vomuit, sed ad seipsam non rediit, neque loquuta est: ergo debebat breuissimo temporis spatio mori, neque aliter euenire poterat, cùm virtutes haberet omnino resolutas: ἄφωνοι enim quatuor modis fiunt, primùm resolutione, aut immobilitate musculorum clauden-

tium,

tium, aut aperientium laryngem; aut læsione neruorum recurrentium. Secundò, interceptione materiæ vocalis. Tertiò, virium, & spirituum vitalium dissipatione, aut collectione, vt in metu. Quartò, oppressione facultatis animalis, aut extinctione, quemadmodum hoc loco, & qui hac de causa muti fiunt, non seruantur, sed quambreui moriuntur. Neque propterea quod sanguis fluxit è naribus sperasses salutem, etiamsi mensium suppressioni subueniat ex Hippocratis sententia 5. *Aphorism. text.* 33. Quia oportet fiat tempestiuè, non extremè depressa natura: quævis enim euacuatio in virtute languida pessima. Quare non immeritò obiit decimaquarta post verenda symptomata, sed præ cęteris illud poterat virtutem afficere, videlicet aluus humida perseuerans toto morbi decursu sine conferentia, & tolerantia, quod suspectam sine dubio reddebat salutem, cùm videretur sequi retentricis facultatis imbecillitatem, eóque deterior erat censendum id symptoma, cùm fuerit ex assidentibus. Dixi factam esse ex imbecillitate, quia hoc symptoma, referente Galeno, 2. *Aphoris. comment.* 20. multas habet causas. *Fit hoc, vel quia plus assumitur, quàm hepar indigeat; aut quia citius deyciatur, quàm hepar attrahat, quotiescumque enim hepar ad se tantùm traxerit, quantum indiguerit, & cibus modum excedit, eius superuacaneum derelinquitur. Aut quia properat ad exitum, & hepar non potest quantum satis est attrahere, aut quia adest multitudo bilis, quæ irritat ad expulsionem. Aut quia alui potentia retentiua facta sit debilior, quod vtrumque crediderim fuisse in hac muliere: nam & mala qualitas aderat, vt demonstrant euacuationes, sed & insignis debilitas à principio facultatis retentiuæ.* Hoc igitur fuit causa alui humidæ. Horruisse denotabat humoris malitiam neruosas partes lædentis. Et si tandiu perdurauit, & vim grauissimi morbi sustinuit, hoc referendum est in ætatem, cùm attingeret tantùm annum decimumseptimum: per ætatem enim multi, aut euadunt, aut in longius vitam producunt, vt de Sileno Hippocrates testatur. Hoc debetis obseruare, enixas omnes, quibus à partu aluus largiùs est mota, esse mortuas. Faciátque hoc vobis ad præsagium, & ad curationem.

Curatio.

QVammulta potuisset Medicus præscribere, vt subleuaretur hæc ægrotans, sed frustra hæc fiunt in huiusmodi morbis. Hic sine dubio nullo modo erat prætermittenda venæ sectio ex partibus inferioribus, & iteratò facta iuuisset, si huic euacuationi fuisset locus: nam in huiusmodi casibus aluo largiùs fluente videtur interdici rationibus iam cum Galeno habitis. Ego si inuiserim mulierem, inueniss émque post partum suppressa puerperia, cum virtute valida, antequam produceretur morbus in muliere boni habitus, sanguinem extrahi curarem, at non vnica vice, sed primum ad ℥. *iij.* mane, & iniecto refrigerante clystere, si plus iusto non euacuaretur, vespertino tempore eandem quantitatem euacuarem, expertus diligenter virtutem; at si à principio inuenirem virtutem imbecillam

cum largo alui fluore, quamcumque aliam euacuationem haberem suspectam, & ad alia animum conuerterem, ad decocta quæ citra caliditatem possent, aut menses euocare, aut vrinas mouere, aut sudorem elicere, quia hoc modo potest diuerti materia ab aluo ad vterum, ad vesicam, ad cutim, maleficam qualitatem interim attendentes, capiti prouidentes oxyrrhodinis, ventriculo oleis, fomentis: sed imprimis virtutem roborare, partes extremas refrigeratas fouere pannis calidis: spinalem medullam inungere, sícque pro ratione symptomatum subuenire quantum per artem Medicam licebat: præ cæteris animam componere, Religiosos vocare, ipsis curationem veram imponere, quia ars Medica non poterat morbi malitiam euincere, ideò meritò obiit.



PETRI



PETRI FRANCISCI PHRYGII,

COMMENTARIORUM in Historias Epidemicas Hippocratis

PARS TERTIA ET VLTIMA:

IN QVA

Historiæ Ægrorum XVI. ab Hippocrate propositæ, sectione tertia, libri tertij Epidemiωn, accuratè explanantur.

ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΠΡΩΤΟΣ.



N Θάσῳ τὸν τῶν Παρείωνος, ὃς κατέκειτο ὑπὲρ Ἀρτεμισίου, πυρετὸς ἔλαβεν ὀξύς. κατ' ἀρχὰς ἦν ξυνεχὴς, καυσώδης. διψώδης. ἀρχόμενος κωματώδης. καὶ αὖθις ἄγρυπνος. κοιλίη ταραχώδης ἐν ἀρχῇσιν. οὖρα λευκά. ϛ, οὔρησεν ἐλαιῶδες. παρέκρουσεν. ζ, παρωξύνθη πάντα. οὐδὲν ἐκοιμήθη. ἀλλ' οὖρά τε

ÆGROTVS I.



N Thaso Parium quendam, qui supra Dianæ ædem decumbebat, febris corripuit acuta, primo, [a] continua, & ardens. In principio sitibundus erat, & soporosus, rursúsque insomnis. Inter initia venter turbatus, vrina alba. Die sexto, erat oleosa vrina, aluus biliosa, pinguísque, delirauit. [b] Septimo, omnia sunt exacerbata, [c] nihil dormiuit, cæterùm similes erant vri-

ὅμοια, καὶ τὰ τῆς γνώμης ταραχώδεα. ἀπὸ δὲ κοιλίης, χολώδεα λιπαρὰ διῆλθε. εἶτα τῇ η', σμικρὸν ἀπὸ ῥινῶν ἔσταξεν. ἤμεσεν ἰώδεα ὀλίγα. σμικρὰ ἐκοιμήθη. θ', διὰ τῶν αὐτῶν. ι', πάντα ξυνέδωκεν. ια', ἵδρωσεν οὐ δι' ὅλου. περιέψυξε μὲν, ταχὺ δὲ πάλιν ἀνεθερμάνθη. ιβ', πυρετὸς ὀξύς. διαχωρήματα χολώδεα, λεπτὰ, πολλά. οὔρησιν, ἐναιώρημα. παρέκρουσεν. ιζ', ἐπιπόνως. οὔτε γὰρ ὕπνοι, οὔτε πυρετὸς ἐπέτεινεν. κ', ἵδρωσε δι' ὅλου. ἄγρυπνος. διαχωρήματα χολώδεα. ἀπόσιτος. κωματώδης. κδ'. ὑπέστρεψε. λδ', ἄπυρος. κοιλίη οὐ συνίστατο. καὶ πάλιν ἀνεθερμάνθη. μ', ἄπυρος. κοιλίη ξυνέστη χρόνον οὐ συχνόν. ἀπόσιτος. σμικρὰ πάλιν ἐπύρεξε. καὶ διὰ παντὸς πεπλανημένως. ἄπυρος. τὰ μὲν, τὰ δ' οὔ. εἰ γάρ τοι διαλείποι, καὶ διακουφίσαιεν, πάλιν ὑπέστρεφε. σιτίοισί τε πολλοῖσι, καὶ φαύλοισι προσεχρῆτο. ὕπνοι κακοὶ περὶ τὰς ὑποστροφάς. παρέκρουσεν. οὖρα πάχος μὲν ἔχοντα οὔρει τηνικαῦτα. ταραχώδεα δὲ καὶ πονηρὰ, καὶ κατὰ κοιλίην ξυνιστάμενα. καὶ πάλιν διαλυόμενα. πυρέτια ξυνεχέα. διαχωρήματα πολλὰ, λεπτά. ἐν δὲ τῇ ρκ' ἡμέρῃ ἀπέθανε. Τούτῳ κοιλίη ξυνεχέως ἀπὸ τῆς πρώτης ὑγρὴ χολώδεσιν ἢ ὑγροῖσι, πολλοῖσιν ἦν. ἢ ξυνισταμένη, ἐκζέ-

na, & mens perturbata, aluus item biliosa, pinguísque. Inde die octauo [d] *parùm ex naribus stillauit, vomuit virulenta, & pauca, parùm dormiuit.* [e] *Nono, nihil est immutatum. Decimo, cuncta fuerunt remißiora. Vndecimo, sudauit, at non toto corpore. Extremitates frixerunt, statímque recaluit. Duodecimo, febris acuta. Deiectiones biliosæ, tenues, multæ: vrina suspensiones habebat, delirauit.* [f] *Septimodecimo, grauiter habebat: neque enim vel somni, vel febris producebatur. Vigesimo, vndique sudauit, insomnis, deiectiones biliosæ, à cibo abhorrebat, soporosus erat.* [g] *Quarto & vigesimo recidiua. Trigesimoquarto febre fuit liber, aluus non substitit, atque calor rediÿt.* [h] *Quadragesimo, febre liber, aluus spatio paruo non substitit, à cibo abhorrebat, rursúsque aliquantulum febricitauit, ídque semper inconstanter, modò à febre liber, modò non liber: nam siquando intermitteret, eßétque leuior, repetiÿt.* [i] *Ferculis etiam multis, vitiosísque vtebatur. Circa recidiuas somni mali, delirauit, vrinámque tum reddidit crassam illam quidem, cæterùm turbatam, & malam;* [k] *aluus adstricta, rursúsque laxata,* [l] *febriculæ continuæ: deiectiones multæ, tenues: Centesimovigesimo die obiÿt. Erat huic aluus ab initio ad finem vsque lubrica, excreuitque*

τι καὶ ἀπέπτοισιν. οὖρα διὰ τέλεος κακὰ, κωματώδης τὰ πλεῖστα μετὰ πόνων. ἄγρυπνος. ἀπόσιτος. συνεχέως καῦσος.

creuitque biliosa, humida, multa. Cùm subsisteret feruida, & cruda. Vrinæ perpetuò malæ, soporosus plurimùm erat, cum doloribus insomnis erat, à cibo abhorrebat. Continenter ardente febre laborabat.

COMMENTARIVS.



VLTA, atque timenda symptomata habuit hic ægrotans, quæ infirmo sustinendo, & Medico curando negocium facere poterant. Mirum tandiu perdurasse, & crederem referendum esse hoc in robur virtutis, neque fortasse obiturus, si conuenientem seruasset victus rationem. Morbus, quantum ex textu elicimus, fuit febris acuta, & ardens ex interna humorum putredine, scilicet venarum, non autem extrà per sentientes corporis partes materia delata, veluti in tertianis euenit, quæ nihilominus dicuntur ardentes. Hoc vt innueret, addit.

[a] *Continua.*] Causam habuit humorem pituitosum subdominantem, biliosum præualentem, non excludentibus nobis melancholicum, vt longitudo morbi arguit. Qualis fuerit euentus ex textu habemus, neque aliter euenire poterat, si vera sunt, quæ Galenus cum Hippocrate scribit, praua, & lethalia accidentia mortem inferre. Morbus fuit à primis diebus acutus; sed posteà deferbuit calor, tenuiore materia resoluta, contumaciori relicta. Hanc natura tentauit sæpiùs debellare, vt rebellis autem, & multa non potuit euinci; sed pugna inter naturam, & causam morbificam sæpiùs orta, vti videbimus, tandem euasit inferior, & centesimovigesimo die succubuit. His omnibus de causis Hippocrates recensens statum ægrotantis, dicit fuisse primò acutam continuam, & ardentem: verùm progrediente tempore, tum propter virtutis imbecillitatem, tum propter materiæ lentorem aliàs sine febre, aliàs febricitare videbatur, quod clarè patebit. Et vt sermonem aggrediamur, quemadmodum statim ardens erat febris, ita etiam habuit accidentia ardorem denotantia, videlicet sitim, neque putandum est fuisse mediocrem, sed molestam admodum, verùm in tanta vaporum copia grauato capite fiebat aliquo modo comatosus, sed præualente bilioso humore statim fiebat insomnis. Videtur ante oculos ponere virum bene potum, & ferè ebrium, fiunt huiusmodi homines veluti somnolenti, neque tamen dormiunt, immò omninò insomnes sunt. Perinde in hoc ægrotante vis febris eleuauit vapores adustos ad caput, ex quibus vigiliæ, erat tamen aliqua portio humoris crassi caput irrigantis, (huius est ferax cerebrum) & ob hoc videbatur in somnum inclinare. Hæc cùm ita sint, non est dicendum febrem hanc fuisse

fuisse verè ardentem, quam ab humore bilioso ortum ducere confitetur Galenus 2. *in* 3. *epidem. comment.*7. Repræsentat nobis earum febrium naturam, quam describit in hac constitutione, dum ait: *comm.*34. *Febrium ardentium, quæ vigebant hæc erat natura. Initio soporosi.* Hanc particulam, dum expendit Galenus, hæc addit: *Verùm hic status, cùm caput multa humiditate irrigaret, soporosum aut omnibus, aut plerisque vtcunque laborarent, symptoma attulit sub morbi inuasionem, vbi praui humores nondum eo deuenerant acredinis, vt vigilias vehementes, deliria, phrenitímque concitarent*; hoc autem genus febrium ardentium, non fuisse exquisitarum manifestissimum est, quandoquidem exquisitæ febres ardentes fiunt à bile flaua solùm, non ab alio humore, confirmante Galeno *lib.*2. *de cris. cap.*6. & addam verba propter eos qui grauantur Galenum consulere. *Dico autem febres continuas idem habere genus cum singulis intermittentibus, cum tertiana quidem exquisita, exquisitam ardentem.* Subdit: *Nam cùm exquisita febris ardens alia omnia seruet exquisitæ tertianæ indicia, eo solùm differt, quòd neque cum rigore incidat, neque ad id in febricitationem desinit.* Haud multò post. *Nam quòd ob solam flauam bilem febris accenditur sine aliquo visceris affectu, siquidem manente adhuc intra vasa bile accendatur, exquisita febris nuncupatur; si verò per totum corpus deferatur, tertiana.* Quibus omnibus febrem ardentem exquisitam non fuisse constat, cùm ea desint, quæ ad talem febrem constituendam requiruntur, sed fuisse aliquam humoris salsi pituitosi, cùm hæc humoris qualitas febrem ardentem inducat, teste Hippocrate 3. *acut. comm.*62. id quod confirmat morbi longitudo, & accidentia, quæ superuenêre, de qua febre loquens Hippocrates 4. *acut. text.*13. spuriam appellat, dum ait: *Febrem causum Medicos reperio appellantes, cùm vrens caliditas, & sitis incompescibilis hominem torquet.* Quòd si ita habet, causum eum, in quo corpus non vritur, sitísque leuis sit, causum quidem simpliciter, exquisitum autem, legitimúmque non dicemus, pro dimidia autem parte cùm talis sit breuioris doctrinæ gratia causum appellare haud perperam fuerit. Quo autem modo tertianis in febribus appellatione huiusmodi vti consueuimus, ita duo causorum genera esse intelligemus, vt tertianarum gratia duo esse quispiam dixerit; vnum exquisitum, legitimúmque, alterum verò spurium, nothúmque, cui videlicet ex legitimi quidem symptomatis nonnulla insunt, aliqua verò non. Quare neque illæ ardentes febres, de quibus in hac constitutione verba fiunt, erunt legitimæ, & per consequens neque hæc de qua agitur. Potius talis videtur fuisse illa, qua laborauit mulier apud Pantimedem degens, cùm esset admodum siticulosa, & adureretur, quæ duo sunt præcipua huius febris accidentia, vt 2. *in* 1. *epidem. text.*75. *& in hoc libro.* Hic igitur ægrotans, cùm non ita se haberet, neque febre legitima ardente fuisse affectum dicendum est, præsertim cum sopore tentaretur, quod symptoma frigidos humores admisceri denotabat. Atenimverò neque ob hæc accidentia desperasset adhuc Medicus de ægrotantis salute: at habere aluum vehementer turbatam, hoc erat ex perniciosis signis: malè enim vtplurimum

rimum actum eſt cum ægrotantibus febre ardente laborantibus, quibus aluus plus iuſto turbatur, id eſt, validius mouetur, ſi credendum Hippocrati *lib.*4. *Coacarum, text.*16. *comment.*1. Ibi legimus. *In febre ardente valde ſoluta aluus, lethale.* Verùm, neque immeritò à me dictum eſt, vtplurimum, quia eo tempore multa veniunt expendenda; ſcilicet, an poſt euacuationem iuuetur æger, ſi die critico euacuatio fiat præceſſis ſignis coctionis, quia tunc criticum eſt alui profluuium, & iuuat; & ob id non ſimpliciter intelligendus eſt textus, ſed ſi poſt euacuationem in principio factam, nullis coctionis ſignis exiſtentibus, & præſertim ſi augeantur ſymptomata, tunc ſine dubio deterrima eſt ægri conditio. Hæc debet Medicus conſiderare circa Hippocratis dictum; nam ſæpè fit hæc euacuatio propter alimentorum corruptionem in ventriculo, quia ſcilicet lædatur ventriculus, aut propter hepatis imbecillitatem. Quòd ſi confertim fiat talis euacuatio, & ſymptomaticè, neque accidentium grauitas diminuatur, tunc dicitur lethale profluuium vt ſignum, & vt cauſa. Primo modo, quia indicat alimentorum corruptionem, imbecillitatem hepatis, & eiuſdem vehementiſſimum calorem. Vt cauſa, quia æger ex frequentia deſidendi, & labore vigiliis infeſtatur, & ex copia excretionis periclitatur, quia linquit facilè animo, & ipſius vires exoluuntur. Hæc omnia confirmantur Galeni auctoritate *in lib.* 4. *acut. text.*40. dum ait. *Aluus ſoluta.* Non eſt autem hoc proprium febris ardentis, ſed interdum fit propter ventris cruditates, & *in eodem lib. ex Galeno, text.*17. habetur ſic. *Et ſanè in hunc modum dictum eſt, Aluus ſoluta, non quòd cauſis ſymptoma hoc ſit perpetuò, ſed vt interdum. Nam quibus venter ita, vt dictum eſt, afficitur, his corrupto cibo deiectiones liquidæ exiſtunt, fiunt etiam quotieſcunque ita laborant ob iecur: nam tunc aliquando apparent dura, & in ſpiras circunducta, quando iecur ſolùm phlegmone afficitur, ita excernuntur. Verùm, ſi cum phlegmone fuerit & imbecillitas, liquida excernuntur, ſcilicet viſcere alimentum ad ſe trahere nequeunte, & diſtinguuntur ab ijs, quæ vitio ventris fiunt, chyloſitate.* Hactenus Galenus. Ex quibus facilè colligimus in hoc ægrotante ſequutam eſſe euacuationem tum propter humorũ prauitatem, tum propter viſceris imbecillitatẽ. Præter hanc euacuationem ſubdit vrinam fuiſſe albam. Vrina fit alba, quia aluo mota diuertũtur humores; vel quia ferantur humores ad caput, anteſignana vtplurimum delirij; vel etiam fit alba in maxima humorum cruditate, malum omne: nam defatigatur natura in concoquendo; verùm talis vrina præter cruditatem aliud nihil denotat, neque mortem, neque ſalutem, niſi in quantum virtus eo tempore attendẽda 4. *Aphor. com.*72. Sed eſſe oleoſam hoc quidem graue cenſetur, neque tamen ſimpliciter eſt lethalis talis vrina, quia expedit multa conſiderare: nam hæc denotat pinguedinem liquari, quod in febre acuta non ſit quid nouum, cùm etiam ſanis contingat, præ caloris vehementia renum, aut ſuperiacentium partium, loquimur autem de ea, quæ pinguedinem habet ſupernatantem: at quæ ſubſtantia talis eſt, illa deterrima exiſtimatur, cùm fundi carnem ſit indicium: aliud eſt enim carnem liquari, aliud adipem. Hæc eſt triplex ex Galeno *lib. de vrinis,*

cap. 25. Vna dicitur Elæochroa, & illa eſt, quæ colliquationem totius corporis minatur, & quæ olei colorem habet. Quæ Elæophanes, illa eſt, quæ habet aliquid magis ſimile oleo, quod ſupra vrinam inſidet, & arguit augmentum colliquationis. Tertia dicitur Elæodes, quæ tota ſui ſubſtantia, & vndequaque eſt veluti oleum. Hæc indicat ſtatum, & vigorem ſummum colliquationis. Vrinæ huiuſmodi etiam adipis renum colliquationem ſignificant; cognoſcuntur autem renum adipis colliquationes, quia multa apparet ſimul: quando autem caro colliquatur, non tanta ſtatim apparet, hinc Hippocrates 7. *Aphoriſm. text.* 35. *Quibus inſidens pingue, ac ſimul totum, ijs renum vitium acutum ſignificatur.* Galenus ſuper textu examinat particulam, *ac ſimul totum*, Græci ἀϑρόον dicunt, qua particula vult diſtingui colliquationem adipis renum, à colliquatione totius corporis, & reddit rationem; quia in renibus facta colliquatio ſtatim ad veſicam defertur, & tota poteſt excerni per vrinam; & ideò in renibus ipſis eſſe affectionem commonſtrat. Adeps autem colliquata in aliis corporis partibus non celeriter, neque ſimul tota, ſed paulatim exit cum vrina, quia primùm oportet pertranſeat partes vicinas, poſteà alias, donec ventum ſit ad renes. Verba Galeni ita ſe habent. *Simul totum, ſermoni adiectum eſt, mihi videtur de tempore dictum, atque adeò adipis renum oſtendere colliquationem. In alijs enim partibus corporis adipes colliquati, paulatim, & non vniuerſim exeunt cum vrina, primùm colliquatione participata à venis illis vicinis, deinde ab ijs, quæ continuantur, & rurſus ab alijs, donec ad renes perueniatur. Adipis verò circa renes colliquati tranſumptio ad vrinas celerrima eſt, & non paulatim, ſed ſimul tota, atque ideò in renibus ipſis diſpoſitionem eſſe monſtratur.* Quibus ſic ſtantibus, fuiſſe vrinam elæochroa dictam crederem, quæ principium colliquationis ſignificat: ſi enim à toto corpore proueniſſet, priùs meo quidem animo, vniuerſum corpus eſſet colliquatum, quàm mortis diem tetigiſſet. At vtcumque eſſet, calor ingens ab his vrinis denotatur; experientia confirmat, quoniam apparent, aut in morbis acutis, aut in aliquibus ſanis, qui renes habent plùs iuſto feruentes propter hepatis phlogoſim, de quibus vrinis tractat Galenus idem 1. *de criſ. cap.* 11. Similiter de pinguibus alui excrementis agens, ait: *Porrò opima deiectio fit, quoties pinguedo ab ignito calore conſumitur, neque facit aliquam diſtinctionem 2. prognoſtic. text.* 22. Qua de cauſa timendæ ſunt tales euacuationes, ſed multò magis aliæ duæ, cùm ex Galeni mente ſint lethales. *Hæ*, inquit, *lib. de totius morbi temporibus, cap.* 6. *ſunt magni morbi notæ:* verba Galeni: *Quin etiam ſi pinguedinem oleaceam, quam ἐναιώδη vocant, mortem minantur.* Subdit: *Hæ igitur ſunt magni morbi notæ: attamen dicerem & has poſſe indicare magnum morbum, quotieſcunque à principio apparent: nam quis ignorat longè debilius eſſe principium alijs temporibus, & propterea poſſunt augeri colliquationes, aucto calore, quod eueniſſe credi poteſt ex ijs, quæ in ſequentibus habuit, cùm ab huiuſmodi euacuationibus delirauerit, quod ſymptoma inſequitur æſtuantem internam diſpoſitionem in huiuſmodi febribus.*

[b] *Septimo, omnia exacerbata ſunt, nihil dormiuit.*] Hippocrates tanti facit vigilias, vt hoc ſymptoma ſolùm veniat maximè in febribus continuis obſeruandum, vt ſæpius dictum eſt: neque mirandum ſi quis inuadente acceſſione non dormiat, ſed ſemper infeſtas eſſe vigilias maximum in omnibus morbis, præcipuè acutis, & ob hoc non eſt ſymptoma negligendum, vt autem hoc demonſtret, quamuis explicet grauitatem ſtatus ægrotantis, dum ait, *omnia ſunt exacerbata*, per quæ verba includit vigilias, dum iam dixerat fuiſſe inſomnem, tamen vult explicitè vigilias recensêre, cùm ſubdit:

[c] *Nihil dormiuit.*] Quaſi velit dicere, non multum faceſſeret negotium omnia eſſe exacerbata, ſed non dormiuiſſe, adhuc perſeueraſſe vigilias deterrimum eſt: nam præter id, quòd virtus non inſtauratur, humores etiam non concoquuntur; quo fit, vt elatis ad caput vaporibus non raro mens vacillet: nam vigiliæ vrgentes ſine dolore, calidam cerebri intemperiem denotant, quæ eò magis augetur, quo vigiliæ ſunt magis infeſtæ, & ea ratione poteſt adeps colliquari, & excrementa apparere, & bilioſa, & pinguia, qualia fuerunt, quæ ſeptimo die excreuit; longè deteriora, quo facta ſunt in die ſua natura placido. At enimverò, neque minùs grauia, quæ attulit octaua.

[d] *Parum ex naribus ſtillauit, vomuit virulenta, pauca, parum dormiuit.*] Quàm pernicioſa ſit ſtilla è naribus 3. *in* 3. *epid. comment.* 35. dictum eſt, confirmatum à Galeno ſic. *Hoc in comitibus eſt malignarum febrium adurentium, vt ſanguinis profluuia lenium, & vt breuiter dicatur. Omnis de naribus ſtilla, vt docuimus, prauum eſt ſignum, & ita prauum, vt neminem ſeruatum viderim cui è naribus ſtilla profluxit.* Hippocrates idem 2. *in* 1. *epid. ſæpiùs citato. Nec profluxit è naribus ſanguis, ne his quidem, quibus hæc accidunt, ſed parum ſtillarunt, neque recidiua vlli illorum aduenit, cæterùm ad ſextum diem cum ſudore moriebantur.* Addit Galenus. *Quin etiam ſtillaſſe nares, quod pernicioſum eſt ſignum, cùm in alijs, tum maximè febribus ardentibus.* Multò deterior eſt ſtilla, quàm vrina pinguis, cum qua habemus ſeruatum illum, qui in Dealcis horto habitabat, 1. *in* 3. *epid. text.* 14. de quo ſic legitur. *Sexto die retrimenta nigra pinguia, & tamen ſeruatus eſt quadrageſimo die per ſudorem.* Quòd ſi quis dixerit, huic etiam ſtillaſſe nares, qui modicum meri profluxerit è ſiniſtra nare die ſecundo. Reſponderi poſſe crederem, aliud eſſe profluere merum, aliud ſtillare. Fuit quidem modicum, ex quo non integrè fuit iudicatus; ſed tamen aliquod vtile attulit, quamuis non fuerit pro ratione morbi. De ſtilla ſanguinis loquens Hippocrates *in Coacis, lib.* 5. *text.* 30. *comment.* 1. hæc habet. *Qui in coma initio morbi incidunt cum capitis, lumborum, colli, & hypochondrij doloribus, & vigilant, an phrenitici fiunt. At ſanguis ſtillans ijs è naribus lethalis, tum aliàs, tum ſi quarto die, vel morbi initio.* Præter ſtillam habuit etiam vomitum prauum ratione quantitatis, quia paucus: ratione qualitatis, quia virulentus, citiſſimè afferens mortem, ex quibus cauſis non immeritò vigiliæ aut concitantur, aut irritantur.

[e] *Nono, nihil eſt immutatum.*] Hæc dies ſolet eſſe contemplabilis, & ſæ-

pissimè iudicat, perficiens euacuationes in septima incœptas, in hoc autem ægrotante conquieuit natura ab omni opere, & ita vt visa sint remissa omnia etiam in decima, quæ res potuisset aliquam spem præbere salutis, si iam apparuissent signa coctionis, quamuis obscuræ. At quia res aliter se habebat, & omnia potiùs ad perniciem tendebant, propterea nihili erat facienda hæc alleuatio, tanquam infida, & parùm duratura, quod ex die vndecimo habemus apertius, qui cùm sit decretorius, aliquid boni debebat afferre, & tamen contrarium euenit, cùm natura, quam tentauit euacuationem, non perfecerit: *incœpit enim sudor, sed non toto corpore*. Quibus verbis monet nos, vt attendamus euacuationes quales, & quantæ fiant, & præcipuè in sudore illud vnum obseruamus, si vniuersalis sit, videlicet toto corpore exeat: si & amplius iuuet, quamuis toto corpore erumpat. Hic, non toto corpore apparuit, sed fortasse circa caput solùm, aut clauiculam, signum debilitatis virtutis, vt extremorum refrigeratio denotat, etsi statim recaluisse ostendat, non fuisse extremam virium imbecillitatem. Quæ duodecimo habuit, nihilominus erant praua, cùm non iuuarent, meritò febris grauior fiebat. Neque mirum tam largam sequutam esse euacuationem per aluum materiæ biliosæ, cùm iam præcesserint signa flagrantis hepatis, sed hoc fuisset minus malum, si iuuissent, verùm potiùs, immò euidenter nocebant, virtutem debilitantes, vti vrinarum cruditas demonstrat: nam habebant suspensiones, antesignanæ delirij, quod posteà sequutum est, quantum ex textu videtur posse elici, dum post multa quæ recenset, tandem scribit delirasse. Quòd si præmissis largis euacuationibus delirant ægrotantes, sine dubio deterrima est ægrotantis illius conditio. Fortasse eodem modo productus est affectus, dum ad ea quæ septimo die facta sunt, venit: inquit enim,

f *Septimodecimo grauiter laborauit: neque enim vel somni, vel febris producebatur.*] Obseruandum quod scribit Hippocrates, scilicet grauiter laborasse: ergo nullum sequutum est commodum ex euacuationibus, cùm neque vigiliæ, neque febris remitteretur: illud enim *producebatur*, vertitur *remittebatur*, & verisimiliùs. Neque dies vigesimus quid boni attulit, etiamsi sit ex decretoriis. Sudor quidem erupit per totum corpus, inutiliter autem, cùm aluus flueret vt priùs copiosè, excerneretque biliosam materiam, quæ erat potiùs colliquatio, nulla reuulsione facta à capite, sed vrgentibus vigiliis, quæ omnia insequebatur resolutio facultatis naturalis, cùm à cibo abhorreret, & esset soporosus. Abhorrere à cibo in morbo diuturno, maximum malum. Sunt huiusmodi ægrotantes in multiplici differentia: quemadmodum enim alij ita se bene habent ad oblata, vt quidquid exhibetur assumant: ita alij, etiamsi non æquè bene se habeant; tamen neque oblatum cibum respuunt. Alij habent in delectu, quæ assueuerant tempore sanitatis assumere, alia autem auersantur. Sunt qui appetant, sed oblatum cibum renuunt; sunt qui neque appetant, neque si exhibeas, quidquid sit assumunt, sed omninò negligunt. Inter omnos istos, pessima hæc est conditio, & qui ita sunt affecti omnes moriuntur, quia iam in his extincta est facultas appetitrix. Ita obiit filia Euryanactis,

ctis, Hermocrates, Eumenis vxor 4. *epid.* An fortaſſe dicemus, propterea abhorruiſſe à cibo, quia eſſet ſoporoſus, & mens quodammodo vacillaret? Non hoc dicerem, quia perſeuerauit etiam ſequentibus diebus hoc terrificum ſymptoma, quo humidum innatum exſiccatur.

[g] *Quarto & vigeſimo recidiua.*] Non video quomodo Hippocrates ſcribat recidiuaſſe, niſi iſtud *à febre liber*, intelligatur perinde, ac de Hermocrate, de quo legimus fuiſſe à febre liberum, & non ſudaſſe: in illis enim pertimeſcenda eſt recidiua, in quibus nulla præcedit euacuatio, notatu digna, quod apertiſſimis verbis habemus à Galeno 1. *de diebus decret. cap.* 1. *ſtatim in veſtibulo libri.* Quare dicendum fuiſſe ſignum extinctionis, quod videbatur bonum; nam tunc cognoſcitur an fida, an infida ſit alleuatio, quando ſymptomata annexa attendimus: quomodo enim erat fida quies, cum inappetentia, & ſopore. Itaque tunc eſt euidens ſignum extingui virtutem, & ægri naturam, quando alleuato morbo perſeuerant grauia accidentia. Hoc idem obſeruat de trigeſimoquarto die, in quo iterum dicit fuiſſe à febre liberum, cuius eſt eadem ratio, & dicit calorem rediiſſe, non auctam eſſe febrem, vt demonſtraret iam calorem maiori ex parte deferbuiſſe, tum etiam ex morbi natura id eſſe factum, qui iam exciderat ex acutis verè, & factus erat acutus ex conuerſione, tum etiam propter virtutis exolutionem, quæ non æqualiter poterat aduerſus morbum pugnare.

[h] *Quadrageſimo die febre liber: Aluus ſpatio paruò non ſubſtitit.*] Hic dies principium eſt morborum diuturnorum, quo tempore omnia ad morbum ſpectantia incipiunt langueſcere, & ob hoc à febre liber, id eſt, minimum febrire videbatur: neque enim omnino à febre liberum fuiſſe ex textu elicimus, cùm infra ponat fuiſſe continuas febres; ſed nihilominus aluus perſeuerabat mota, ſiue conferentia, & tolerantia, quod cognoſcitur ex inappetentia, ex quo ſequebatur virtutis depreſſio, multa facta diſſolutione, modica appoſitione alimenti: nam quantumuis ſint corpora humida, tandem in longo morbo exſiccantur, & eo citiùs, quo minùs aſſumitur. Huius ſymptomatis, ideſt, inappetentiæ tot ſunt cauſæ, quot ſunt in fame; ſcilicet minima inanitio, vt in valde ſenibus, qui frigido ſunt, & ſicco temperamento ipſis particulis, vt Galenus *in lib. de temp.* quamuis ratione excrementorum ſint humidi. Languidus venarum ſuctus, vt reſoluta, aut imbecilla facultate nutrice ipſius hepatis. Laxatio ventriculi, vt contingit iis, qui mortem habent præ foribus, & etiam deprauatus animalis appetitus, quemadmodum in phreneticis. Si autem adſit interna inflammatio, tunc cibos auerſantur ægrotantes in principio collectionis, ac fluxionis, quia pars illius humoris in ventrem confluit. Deterrimum autem eſt hoc ſymptoma, hepate valde affecto, quod eſt principium ſanguificationis: contingit tunc ægrotantes ita à cibo omnino alienos eſſe, vt mortem potiùs eligant, quàm alimentum admittant; & ſic habentes facilè reſoluuntur: cùm enim per venas meſaraïcas, quibus tanquam manibus vtitur ad attrahendum alimentum, non fiat cibi tranſmiſſio ad hepar, grauiſſimæ fiunt inappetentiæ, & putauerim hanc ab hac

causa originem habere. Expedit in morbis hæc omnia examinare exactè, vt sciamus fouentes causas discernere, veluti etiam cùm destillatio aliqua ad subiectas partes habet raptum, materia per œsophagum in pectus, & ventriculum insinuata. Ergo quomodocumque fiat, vt symptoma graue non negligendum. Febris aliquando erat grauior, aliquando repetebat, id est, inualescebat, quod sequitur humorum varietatem, quibus non nisi inordinatè potest natura dominari, sed neque æquè valida febris potest esse his diebus, cùm virtus veluti emarcescens validos motus non possit facere, præter id quòd sua natura morbi intensionem maiori ex parte amittunt. Id docet Galenus 1. *lib. progn. cap.* 8. & 1. *ad Glauc.* præsertim perdurantibus prauis, & malignis accidentibus, hinc fit, quòd rarissimè in morbis longis expectatur crisis, sed solent morbi diuturni non iudicari, solui quidem per abscessum, quando virtus expectat tempus. Confirmat hoc Galenus, his verbis 1. *de diebus decret. cap.* 10. *Adeo, vt qui post quadragesimum sunt, omnes prorsus langueant, coctioni potius, & abscessibus, quàm crisibus, morbos finientes.* Accidunt in his quoque per excretiones interdum iudicia, sed rarò, nec magnam habent vehementiam, quasi dicat nunquam iudicari perfectè. *In cap. vltimò*, habet. *Post quadragesimum verò iudicia dissolui, & lentis coctionibus magis quàm subitis mutationibus morbos solui. Et monet loco primo citato Hippocratem octogesimo, sexagesimo, & centesimovigesimo excepto, post quadragesimum diem omnes alios dies planè contemnere, neque amplius de diebus mentionem facere, sed alios tribus annis, & mensibus finiri, nulla dierum facta mentione. Quare, quia morbus ad diem decimumquartum, & vigesimum erat crudus, non poterat expectari crisis citiùs quadragesimo die, quæ cùm non sit facta, morbum per abscessum, aut per coctionem solutum iri spes erat: At, cùm ad id naturam esse redactam cernamus, vt ne minimam tentet coctionem, immò in dies adsint prostrationis indicia, non video, quæ salutis spes esset in ægrotante sic malè affecto.* Quòd si pessimæ dispositioni addatur etiam praua victus ratio, sine dubio nihil deest ad omnem ruinam. Hoc vt innuat, addit Hippocrates.

[i] *Ferculis etiam multis, vitiosísque vtebatur.*] Quantum possit victus ratio praua in morbis lethalibus, iam anteà dictum est: solent enim morbi, qui prope crisim sunt, aut victus ratione, aut agitatione ab intempestiua medicamenti assumptione ita recrudescere, vt mortem inferant: sed quanto magis potuit in hoc mortem afferre, qui lethaliter erat affectus, sine signis coctionis, qui alimentis indigebat multam qualitatem in pauca quantitate habentibus. Hic abhorrebat omnino ab his, & propter deprauatum gustum. Quid si adstantes inscio Medico exhibuissent, & præsertim mulierculæ istæ, quæ postea si moriatur ægrotans, tam hilari fronte referunt culpam in Medicum. Et, vt vno verbo dicam, praua victus ratio nunquam affert ægrotanti leue incommodum, si morbus est leuis, virtus valida, saltem prorogantur, refértque Galenus casum filij Boëthi, *lib. ad Posthumum, cap.* 7. Et ad summum nunquam non affert incommodum. Enimverò ita facilè recidiuant ægrotantes, vt viderim sæpissimè mortuos

mortuos ægrotantes,qui iam immunes erant à febre, ſola capitis pectinatione, quod ferè eadem de cauſa mihi contigit,cùm recidiuans ex tali cauſa pluſquam quadraginta dies ægrotauerim, non ſine euidenti vitæ diſcrimine, cùm tamen à priori morbo omninò eſſem reſtitutus, & cùm ratione. Id igitur caueant ægrotantes, moneant Medici adoleſcentes. Si vera ſunt,vt veriſſima enarrata,non eſt mirum,ſi hic ægrotans ferculis peſſimis vſus,& multis,quæ omnino morbo, quo laborabat erant contraria, grauiorem ipſius ſtatum reddiderit,à quo tandem fuit peremptus,diſſoluta natura, dum negligeret vtilia; neque mihi hoc admirationem facit; nam videmus adeò multos vini appetentes, vt ſibiipſis mortem inferant; verùm iam inualuit vſus, poſtquam etiam Hippocratis tempore hoc erat conſuetum. Recidiuæ duas habent cauſas, externam, & internam. Vtraque duplex: nam cauſa externa poteſt eſſe aëris conſtitutio, cuius occaſione dicebat Hippocrates. *In morbis longis ſolum mutare bonum*, 5.*in* 6. *epid.text*.20. *Oportet autem ſit in meliùs*,inquit Galenus;*neque enim quodcunque ſolum,ſed quod melioris ſit conditionis, & contrarietur affectui. Siue nauigans, ſiue terreſtre iter faciens quiſpiam in alteram regionem migrauerit,vel motus in itinere, aut nauigatione, vel aëris mutatio proderit,& maximè,cùm in aërem contrariæ temperaturæ diſceſſerit,contrariam autem dico non ſolùm aëris ægrotanti propriæ regionis temperato, ſed etiam ipſius morbi,nam ſi humidus morbus ſit, in ſicciorem aërem erit migrandum, ſi ſiccus in humidiorem.* Hactenus Galenus. Altera cauſa,eſt praua victus ratio, vti in hoc. Internæ ſunt. Cauſa morbi intùs relicta, & calor præter naturam circumpoſitus, qui eſt putredinis redeuntis author. Quomodocumque autem fiant recidiuæ, ſunt malæ, quia morbus morbo ſuccedens viribus fractis, longè maius periculum habet adiunctum, & præſertim,ſi ægrotans dederit cauſam: augetur enim multò magis humor, & natura difficiliùs concoquit, nec multo negotio ſuccumbit. Hoc contigit (referente Hippocrate) cuidam adoleſcenti viginti annorum, de quo ita ſcribitur poſt multa. *Deinde inſaniuit ſtatim,& mortuus eſt celeriter vndecima die.* Subdit: *Occaſionem arbitror bibere merum multùm, antequam inſaniret.* Pauci anni huic propè viginti, 4. *epidem. text*.22. Itaque cauendum ab erratis quantum fieri poteſt, neque debent iuuenes tantopere fidere viribus. Redeamus modò ad ægrotantem, de quo agimus.

In recidiua ſomni erant mali, delirium.Vrina turbata. Per ſomnos malos illos poſſumus intelligere,qui terribilibus imaginationibus ſunt pleni, fiúntque tales ſomni,quando multi,& vitioſi ſucci grauant ventriculum, ac mordent, præſertim os eius 3. *Aphoriſm. comment*.24. quibus fuiſſe hunc ægrotantem refertum vidimus. Poſſumus etiam dicere malos, quia poſt ſomnum delirauit, mali autem ſunt ſomni illi, qui delirium non ſedant, ſed potiùs excitant, & ita mali, vt mortem futuram prænuncient eodem Hippocrate dicente 2.*Aphoriſm. text*.1. *in cuius comment*. Galenus dicit: *Quo tempore aliquid eſt vtiliſſimum, ſi præter id, quod nihil prodeſt, etiam nocet, mortem non ſine ratione ſignificat.* Delirauit affecto capite: minxit vrinam malam, quia erat turbida, maximam agitationem denotans,

denotans, vt aliàs vidimus 1. *de crif. cap.* 12. Quòd si iam prope centesimum diem ventum erat cum tali vrina, non video, quæ salutis spes posset esse. Habemus Galenum modum prædicendi docentem in morbis, quem attendere expedit 6. *in 6. epidem. comment.* 6. Hippocrates ibi recenset historiam cuiusdam, qui ex lassitudinibus in quosdam affectus incurrerat, sed neque mortis, neque vrinarum mentionem facit. Galenus *in comment. super illo textu*, inquit. Certum iudicium mortis, aut salutis se facturum vrinis inspectis, hoc scilicet medio; quia, si fuissent bonæ, iudicassent hominem euasurum, sed acutè ægrotaturum, sin autem prauæ, breui moriturum; si mediocres, vt neque laudandæ, neque vituperandæ, longiori tempore perduraturum, verùm tandem moriturum. Ergo his ita stantibus, cùm post longam ægrotationem prauæ apparuerint, quid aliud putandum, quàm ægrotantem hunc moriturum.

[k] *Aluus adstricta, rursúsque laxata.*] Non poterat natura ad id redacta detinere excrementa, & moderari euacuationi ab imbecillitate proueniente, ob hoc, etiamsi aluus visa sit adstricta, non factum est vi facultatis retentricis, sed facultatis expultricis impotentia, qua de causa est statim laxata aluus, id est, statim rediit euacuatio, & multa, & tenuis. Vtroque modo damnanda & quia tenuis, quæ cruditatem denotabat, & quia multa, quæ virtutem poterat quamcitissimè deprimere.


[l] *Febriculæ erant continuæ.*] Ergo non intermittebant, sed remittebant, vti dictum est, & nuncupat febriculas, quia degenerauerant ab acutis, & quia etiam, quando virtus ægrotantis consumitur ex longo morbo, non amplius vis æqualis morbi apparet, sed videntur febriculæ, cùm calor præ imbecillitate non æquè expandatur ad extimas partes, vt etiam aliquando videantur remissæ, cùm tamen intus aduratur ægrotans, veluti & huic eueniebat, quod ab excretis dignoscitur, cùm feruida excerneret, Et si verum est, non rarò ex acutis hecticas induci, & ex longo alui profluuio, vt notat Galenus 2. *lib. de differ. feb. cap.* 9. mihi videtur hoc idem & huic contigisse, & ex ardenti febre, continuò etiam aluo fluente in febrem habitualem degenerasse, quam propterea Hippocrates vocat febriculam, ad motum morbi, non ad periculum respiciens: quo factum, vt tandem omni calore natiuo consumpto, & resoluta natura, centesimo-vigesimo die obierit. Seruatum est & in hoc iudicium in die decretorio, ex decretoriis vltimo, vt notat Galenus *lib.* 2. *de diebus decret. cap.* 13. Post hunc non numero dierum, sed mensium procedimus, & obseruamus Hippocratem à quadragesimo ad hunc vsque diem non fecisse numerationem, quia post quadragesimum, quasi nihili faciat alios sexagesimo excepto, & octogesimo, quos acutorum ex decidentia etiam terminos videtur constituere, quamuis de his dubitatio sit, de quadragesimo nulla; nam fit aliquando vt ægrotantes acutè febricitent vsque ad hos dies, non alia ratione, nisi quia aut non fuit acutus à primis diebus, aut quia infringitur acuties, postea redit: nam si Hippocratis verba simpliciter spectemus: octogesimus dies est etiam terminus acutorum, quando & Cleonactides fuit eo die per sudorem iudicatus, quod maximè obseruandum

uandum monet Galenus,cùm rarò accidat,vt quadragesimus hoc modo iudicet, multò minùs octogesimus, & tamen scribit Hippocrates sic: *Octuagesimo riguit, febris acuta inuasit,multum sudauit,prorsus iudicatus est.* Sed veniamus ad textum: scribit habuisse aluum semper lubricam à principio ad finem, nec iutam sine dubio potius colliquationem arguebat, cum non obscura virtutis concoctionis imbecillitate, quæ ab intenso calore prouenisse certissimum est, cùm biliosa excerneret, etsi cruda, quod explicat per verbum illud:

[m] *Humida.*] Oportet enim morbo in iudicationem eunte compacta apparere: sed & erant multa, ex quibus dabatur euidentior occasio imbecillitati virtutis. Quòd si quando aluus aliquo modo supprimeretur, neque ob hoc addebatur robur virtuti, sed cùm haud multò post excerneret, eadem erant feruida: dicerem in spiras circunducta, quæ fiunt ab hepatis adurente calore, non à facultate concoctrice. His alui excrementis respondebant etiam vrinæ, quas appellat malas, vt ægri dispositionem ob oculos ponat. Fuit prætereà soporosus plurimùm, quia virtus erat languida, quod symptoma appellasses non immeritò vigilandi impotentiam, & si erat vigil, hoc fiebat cum doloribus, & ita scribit, quia somniculosi si à somno excitentur, cum labore expergiscuntur,id est,difficulter, & hoc est quod sibi vult Hippocrates, quando ait *text.39.Detinebãtur autem sopore perpetuo non somnolẽto,aut vigiles erant cum laboribus.* Galenus. *Cùm enim vigilare ægri apertis oculis non valent, sed conniuent, spe conciliandi somni, & vigiles tamen manent, vocitamus illum non somnolentum soporem, quibus si quis adsit dolor, manifestè vigilabunt magis ita affecti, adeò vt ne in phantasiam quidem veniat somni tenuis.* A cibo posteà abhorruisse inter præcipua signa mala est: nam tria sunt, quæ ex Galeni sententia habent momentum ad salutem. Pulsus constans: spiratio libera, & appetentia inculpata. Hæc tria cùm haberet Heropytus, quamuis grauiter fuerit affectus, tamen conualuit. Et omninò pulsibus ei inerat robur: sunt verba Galeni: Iam etiam spiratio videtur, & appetitus laboranti inculpatus fuisse, quæ magni sunt, vt ille ipse docuit, ad salutem ponderis. Neque omninò inappetentem fuisse dicendum est, sed neglexisse ea,quæ potuerint probum succum generare, & commodè alere, assumpsisse autem, quæ erant praui succi. Huiusmodi delicta frequentissima sunt,& malè cum iis actum est,qui quantum possit praua victus ratio experiuntur, vt huic contigit, qui ardente laborans febre, præcipitem seipsum egit, vti ex historia constat; & his malè adhibere medelam possumus, cùm ægrotantem minimè habemus obsequentem, tunc ars tribus perficitur, ægro, Medico, morbo, vt inquit Hippocrates.

Curatio.

HIc sine dubio desumpta indicatione à morbo erat deueniendum ad valida præsidia, præcipuè verò ad venæ sectionem, verùm repugnasset largum alui profluuium, & continuum, quod propterea magis suspectum reddebat id remedij genus, & etiamsi aliquando in hepatis efferuescentia admittatur aliqua sanguinis missio, neque tamen sine cautione agendum, respicientibus nobis futuram virtutem, veluti meo quidem animo intelligendus est Hippocrates, quando ait, *periculum esse, ne si aluus perseueret, diutius virtus prosternatur:* ergo dum fluit aluus, potest scena soluti. Non semel id ego sum expertus cum felici successu, moderatissimè tamen facta euacuatione, quam repetere potest Medicus, vrgente casu. In primis victu conuenienti imperato, qui morbo esset conueniens, largiore vtentes in principio, tenuiore progrediente tempore, respicientibus virtutem. Quòd ad aluum excrementa biliosa reddentem, prouidere potuisset Medicus seri lactis vsu cum syrupo rosaceo solutiuo, quo posset demulceri hepatis feruor. Attemperantia primum cichoreacea, posteà transacta decimaquarta, aperientia validiora, quibus posset materia peccans ad vias vrinæ duci, vti sunt radices petroselini, asparagorum, lupulorum, graminis, & id genus alia. Ventriculi os erat fouendum, hepar attemperandum etiam medicamentis externis. Capiti oxyrrhodina mista, quæ possent sopori prouidere sua moderata discussione. Et tandem rectè curare ægrotantem in tam diuturno morbo, præsertim mulierculis assistentibus vix credibile. Quare & ex morbi contumacia, & ex erratis commissis moriuntur ægrotantes frequentissimè. Et hæc satis de hac Historia.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ.



ΕΝ Θάσῳ τὴν κατακειμένην παρὰ τὸ ψυχρὸν, ἐκ τόκου θυγατέρα τεκοῦσαν, καὶ καθάρσιος μὴ γενομένης, πυρετὸς ὀξὺς φρικώδης, τριταίην

ÆGROTVS II.



MVLIER *quædam, quæ apud frigidã aquam in Thaso ægrotabat, postquam filiam peperisset, nec esset purgata, tertio à partu die febre correpta est acuta, horrida;* [a] *multo tamen ante partum ex febre decubuerat, cibúmque fastidierat.*

ἔλαβεν. ἐκ χρόνου δὲ πολλοῦ περὶ τοῦ ῥίγους, πυρετώδης ἦν κατακλινὴς, ἄποσιτος. μετὰ δὲ τὸ γενόμενον ῥῖγος, ξυνεχέες, ὀξέες, φρικώδεες οἱ πυρετοί. η΄, πολλὰ παρέκρουσε, καὶ τὰς ἐχομένας. καὶ ταχὺ πάλιν κατενόει. κοιλίη ταραχώδης, πολλοῖσι, λεπτοῖσιν, ὑδατοχόλοις. ἄδιψος. ια΄, κατενόει. κωματώδης δὲ ἦν. οὖρα πολλά. λεπτὰ καὶ μέλανα. ἄγρυπνος. κ΄, σμικρὰ περιέψυξε. καὶ ταχὺ πάλιν ἀνεθερμάνθη. σμικρὰ παρέλεγεν. ἄγρυπνος. τὰ κάτω κοιλίης, ἐπὶ τῶν αὐτῶν. οὖρα ὑδατώδεα, πολλά. κζ΄, ἄπυρος. κοιλίη ξυνέστη. οὐ πολλῷ δὲ χρόνῳ ὕστερον, ἰσχίου δεξιοῦ ὀδύνη ἰσχυρή, χρόνον πουλύν. πυρετοὶ πάλιν παρείποντο. καὶ οὖρα ὑδατώδεα. μ΄, τὰ μὲν περὶ τὸ ἰσχίον, ἐπεκούφισε. βῆχες δὲ ξυνεχέες ὑγραὶ πολλαί. κοιλίη ξυνέστη. ἄποσιτος. οὖρα ἐπὶ τῶν αὐτῶν. οἱ δὲ πυρετοὶ τὸ μὲν ὅλον, οὐκ ἐκλίποντες. πεπλανημένως δὲ παροξυνόμενοι. τὰ μὲν, τὰ δ᾽ οὔ. ξ΄, αἱ μὲν βῆχες ἀσήμως ἐξέλιπον. οὔτε γάρ τις πτυάλων πεπασμὸς ἐγένετο, οὔτε ἄλλη τῶν εἰθισμένων ἀπόστασις. σιαγὼν δὲ ἡ ἐκ τῶν ἐπὶ δεξιὰ, κατεσπάσθη. κωματώδης. παρέλεγε πάλιν, καὶ ταχὺ κατενόει. πρὸς δὲ τὰ γεύματα, ἀπονενοημένως εἶχεν. ἡ σιαγὼν μὲν ἐπανῆκεν. ἡ κοιλίη δὲ, χολώδεα σμικρὰ διέδωκεν. ἐπύρεσεν ὀξυτέρως. φρικώδης. καὶ τὰς ἐχομένας ἄφωνος. καὶ

dierat.[b] *Vt riguisset, febres fuerunt continuæ, acutæ, horridæ.* [c] *Die octauo, proximísque diebus multùm delirauit, rediítque statim ad mentem. Aluus turbata multis, tenuibus, & bile aquosa mistis; non sitiebat.* [d] *Vndecimo, mentis erat compos, sed erat soporosa, vrinæ multæ, tenues, nigræ: insomnis erat.* [e] *Vigesimo, circumfrixit, statímque recaluit, nonnihil delirabat, insomnis erat, aluus eadem erat: vrinæ aquosæ, & multæ, malæ. Vigesimeseptimo, febre vacabat,* [f] *substitit aluus, non multo post dextera coxendix grauiter diu doluit, febres reuerterunt, & vrinæ aquosæ.* [g] *Quadragesimo, coxendicis dolor remissus est, tusses verò aßiduæ, humidæ, multæ.* [h] *Aluus est repressa, cibum fastidiebat, in vrinis nihil est innouatum: at febres verò* [i] *omninò non intermittebant, nullóque ordine nunc accedebant, nunc non.* [k] *Sexagesimo,*[l] *tusses sine signis euanuerunt: neque enim vlla sputorum erat concoctio, nec alius solemnis abscessus: Dextra maxilla detracta est, soporosa, iterum delirauit, statímque resipuit, sed ad cibos auerso animo se habuit: maxilla ad locum suum rediјt: aluus biliosa, pauca reddidit,* [m] *acutiùs febricitauit, inhorruit:* [n] *Sequentibus*

πάλιν κατενόει, καὶ διελέγετο. καὶ ὀγδοηκοστῇ, ἀπέθανε. ταύτῃ διὰ τ' οὖρον διὰ τέλεος ἦν μέλανα, καὶ λεπτὰ, καὶ ὑδατώδεα. καὶ κῶμα παρείπετο. ἄσιτος. ἄθυμος. ἄγρυπνος. ὀργαί. δυσφορίαι περὶ τὴν γνώμην μελαγχολική.

diebus obmutuit, rediítque ad mentem, & est locuta. ° *Octogesimo obijt. Vrinæ huius perpetuò nigræ erant, tenues, & aquosæ: sopor consequebatur, cibum non sumebat,* ᴾ *animo erat deiecto: insomnis: iracunda: implacida: animo melancholico.*

COMMENTARIVS.


Asvs istius mulieris nobis ob oculos ponit quàm sit miserrimum genus muliebre: nam in dies etiam videmus esse fœminas tot obnoxias affectibus, vt meritò mundanarum calamitatum scopula dici possint, quibus minimè vnquam est inuidendum. Fidem nobis faciat præsens mulier mille malis implicita ante partum, grauioribus diuexata symptomatibus à partu, & tandem finem miserrimum experta. Cur autem tam grauiter laborauerit, non erit difficile cognoscere, si attentè, quæ de hac ægrotante obseruat Hippocrates perpendamus: scribit enim filiam peperisse, nec esse purgatam. Quare videtur Hippocrates concludere ab his duabus causis omnia emersisse symptomata, quæ toto morbi cursu passa est, & tandem si consideremus rem exactè, non immeritò; nam parere filiam molestum est, molestius non purgari à partu, quomodocunque sit, sed deterius, & periculosius à partu filiæ: quæ enim fœminam parturiunt, vti sæpiùs dictum est maioribus symptomatibus fiunt obnoxiæ, maiore excrementorum copia congesta, quòd si posteà aliquod sit peccatum in puerperio: tunc nihil deest ad omnem ruinam: videmus enim sæpissimè dies aliquot transigere feliciter, posteà de repente grauissimi insurgunt affectus, vt propterea monendi sint adolescentes bene animaduertant, & plurimi faciant febres in enixis, quocunque tempore, sed præcipuè quo tempore deficiunt puerperia. Rem esse magni momenti in hac constat, & aliis, præter id quod in dies experimur. Hæc tertio à partu die febricitauit, sed quod magis est *acutè* addit: vt innuat rarissimè leuiter ægrotare mulieres, quibus à partu menses supprimuntur, de qua re iam plura habemus in superioribus. Sed modò videamus cur euacuatio sit à partu retenta. Nulli est dubium potuisse multam sanguinis copiam absumi ex prægressa ægritudine, dum in vtero haberet, præsertim cùm fastidiens cibum alimenti paucam quantitatem assumeret. Præterea ponit habitasse apud frigidam aquam. Itaque videtur duplicem causam statuere istius suppressionis, vtramque externam, sed sufficientem

ad

ad impediendam euacuationem, si credendum est Aëtio *Tetrab.4.serm.4. cap.50.* Comprobatum à Paulo *lib.3. de re Medica cap.6.* à Galeno *lib.3. de causis sympt.cap.4.* Quibus in locis multiplices esse suppressionis mensium causas elicitur, tum externas, tum internas: nam inter externas est frigiditas, plaga, nimium exercitium. Inter internas densitas, & durities vteri, venarum angustia, nimia corporis crassities: diuersio materiæ, quæ deberet expurgari per vterum, ad aliam partem, nimirum ad venas sedis, vel ad nares: crassities materiæ per vterum expurgandæ: obstructio vasorum vteri. Hæc, & alia multa possunt consuetam mensium purgationem impedire. Quòd si res ita se habet, vt frigiditas possit euacuationem supprimere, hæc habitabat apud frigidam aquam, & eam ob rem credi potest suppressionis hanc fuisse causam, cui rationi, vt fides adhibeatur potest addi Hippocratis, & Galeni auctoritas desumpta ex 5. *in 6. epidem. comment.27.* Ibi sic legitur. *Refrigeratio quæ in ventre sunt durat.* His addit Galenus sic. *Adhuc autem illud quod hucusque distulimus explicandum superest, qua de causa cùm cælum nos ambiens frigidum fuerit, quæ in ventre sunt ibi diutius morantur. Quod autem euenit tale est. Naturale sanè opus est, ciborum per intestina delatio: & in comment. de facult. naturalibus, intestinorum circa illos constrictionem illam fieri monstratum est, imis autem partibus musculi sedem claudentes impositi sunt, qui per frigus cogantur, constringantúrque contra affecti, atque cùm quis aqua calida perfunditur: tunc enim remollescunt, excrementáque impulsu, & constrictione intestinorum in sedem detrusa, & maximè calido prouocante suscipiunt: hoc enim, & inter omnes constat, excretiones à calido prouocari; partibus autem, quæ in sede sunt frigescentibus, atque ideò contractis, & in angustum redactis contrarium symptoma sequitur, constrictionem scilicet intestinorum actionem ab inferioribus partibus suscipientem, sursum versus contenta propellere.* Hæc omnia mihi videntur manifestè concludere à frigore posse euacuationes supprimi, vt proinde esset dicendum, & huic mulieri simile contigisse propter habitationem apud frigidam aquam existentem, quod idem confirmatum habemus ab eodem Hippocrate 2. *in 1. epid. text.68.* vbi mulieres tunc temporis difficulter peperisse fatetur propter ventorum aquilonarium abundantiam. Ex altera parte videtur hæc causa leuis admodum, quia putandum est non fuisse tam violentam causam, quæ idipsum efficere potuerit; etenim tempore hyberno, etiam in vehementissimis rigoribus mulieres ex præscripto naturæ purgari scimus, & tamen ambiens frigus inspiratur, & exspiratur velimus, nolimus, nihilominus citra noxam multæ iis temporibus pariunt. Quare concluderem ego potentiorem causam tot malorum fuisse originem, hancque prauam totius corporis affectionem, & sanguinis in toto redundantis crassitiem, & ex eo elicio, quod subnectit Hippocrates, dum ait.

[a] *Multo tamen ante partum ex febre decubuerat, cibúmque fastidierat.*] Per quæ verba denotat statum huius ægrotantis: vtero autem gerentem corripi ab aliquo morbo acuto malum: nam ante partum debilitatur, labefactatis partibus coctioni deseruientibus, plurimæ cruditates generan-

 tur,

tur, præter id quod in dies propter relictum à fœtu impuriorem sanguinem congeritur. Itaque iisdem à partu retentis, non video, quomodo enixa non possit grauissimè affici, & multò magis crassiori reddito sanguine, absumpto à febre tenuiori, qui cùm aut non exeat, aut saltem minùs benè, statim post partum, quot incommoda sequantur, quot inordinati morborum circuitus, quot verenda mala, iam *suprà* vidimus. Sed quid plura? quotidiana experientia adeò hæc confirmat, vt in dies plures auctoritates haberi possint, & in præsentia habemus præ manibus huius ciuitatis nobilissimam matronam, quæ à partu filiæ minùs bene purgata ad id redacta est, vt de vita periclitetur: cœpit enim febrire post aliquot dies à partu: medicamentis adhibitis desiit febris, haud multò pòst rediit grauior: conquieuit iterum, denuò exacerbata est, typum seruans tertianum, sed inordinatè mouetur. Huic superuenere dolores ab vtero, quorum vi delirauit, affectione vteri communicata partibus neruosis, sed præcipuè capiti. Sedantur, repetunt, & ita inordinatè, vt scias nunquam quid potissimùm speres, quando remedia adhibeas, nutrias, aut quid aliud circa ægrotantem moliaris, ita vt credendum sit Hippocrati statum huius ægrotantis recensenti, cui à partu filiæ superuenit febris acuta, horrida. Nescio quo modo hîc fiat enumeratio à die partus, cùm ante partum febricitans potuerit febris illa partum reddere difficilem, non tantùm debilitata virtute, quæ sine dubio in partus conatu requiritur validissima, tum etiam sanguine densiore facto, vt dixerim ego ideò esse loquutum Hippocratem, quia euidentiùs febricitauit à partu: neque enim anteà erat acuta, sed veluti minùs periculosa negligebatur fortasse, vt sæpissimè euenit, & tertio die, non primo, quia nondum poterat sanguis ille retentus tam citò partes principes labefactare, ex quo posset huiusmodi febris generari, quemadmodum euenit tertio die: nam cùm retineatur purgatio, transmittit vapores illos atros ad viciniores partes, vel debiliores, & ingentes facit plenitudines, præcipua verò pars affecta est vterus, cuius venæ replentur, ab eo ad caput, ad cor, & ad omnes corporis partes transmittuntur vapores, & febres accenduntur, proptereáque acutæ fiunt, quia sanguis admodum prauus est, ex quo ingens putredo concitatur, horridæque fiunt propter vterum, symptoma familiare in vteri affectibus.

[b] *Vt riguisset, febres fuerunt continuæ, acutæ, horridæ.*] Vnde hoc, quod scribat Hippocrates febres fuisse continuas, si iam id in primis verbis dixerat: cùm enim ponat febres fuisse acutas, sine dubio intelligit febres continuas, quia, eodem dicente, morbi acuti sunt illi, qui febres habent continuas adiunctas. Illi verè, & propriè dicuntur acuti. At putarem ego superuenisse rigorem, etiam post tertium diem, à quo incepit febrire, & quia dixerat febres fuisse continuas, acutas, & horridas, ne existimaremus fuisse quidem vehementissimam accessionem, sed tamen intermittentem; ideò addit acutas fuisse, non vt tertianas, sed vt continuas: neque quid nouum est fieri rigorem in continuis febribus, tenuiori humoris portione ad extremas partes delata, crassiori intùs relicta, quod aliàs dictum est.

c Die

c *Die octauo, proximiſque diebus multùm delirauit, rediјt ſtatim ad mentem.*] Quàm grauia fiant ſymptomata, & deliria, aſcendentibus vaporibus tetris, & aduſtis ab vtero ad caput, vnicuique eſt perſpicuum, propter maximum conſenſum, quem habet vterus cum capite, tum quia partes neruoſæ propter congenerem ſubſtantiam ſibi communicant affectiones, tum etiam, quia venas habet ingentiſſimas vterus, à quibus caput læditur, ſi in ipſis æſtuet ſanguis, quod iam aliàs cum Galeno fuit dictum: Id præcipuè experiuntur mulieres ſanæ, quibus tamen naturaliter menſes diminuuntur, quæ de nullo præcipuè conqueruntur, quàm de dolore capitis, vt ob hoc non ſit mirandum, ſi febricitantibus maior vaporum copia tranſmittatur, & in delirium incidant ſic affectæ, cùm etiam ſanæ mulieres minùs expurgatæ delirent, & grauiora experiantur: Illud ſtatim rediiſſe ad mentem non intelligo, quia ſi proximis diebus ſequutum eſt: ergo non ſtatim rediit ad mentem: Aut igitur modò delirabat, modò non, vti eſt in morbis acutis familiare; aut dicendum eſt perduraſſe vſque ad vndecimum diem, ſed ſtatim, id eſt, præter ſpem, & expectationem ſedatum fuiſſe: cur id ita euenerit referendum eſt in euacuationem per aluum factam, ita vt velit dicere. *Statim rediјt ad mentem*, id eſt, nobis id minimè animaduertentibus, quia etiam præter expectationem aluus eſt mota, & multùm, quæ etiamſi eſſent tenuia, *tamen id commodi potuerunt afferre, quòd retraxerunt vapores ab incœpto motu ſuperno. Hanc euacuationem non multùm commendaſſet Medicus quiuis, tum quia erant indicantia imbecillitatem virtutis, cùm eſſent tenuia, & aquoſa, tum etiam quia erant indicantia phlogoſim internam, cùm eſſent bilioſa: motus tamen naturæ improbandus, cùm requireretur per vterum, non per aluum euacuatio, in multis enixis mortis cauſa. Neque quis occurrat ſtatim, adducens Aëtij auctoritatem deſumptam *ex Tetrab.4. ſerm.4. cap.61.* quo in loco videtur commendare euacuationem per aluum, ſuppreſſis menſibus, cùm ait: *Non multum læditur mulier, cui purgatio non fit, dummodo euacuatio illa feratur, vel ad ſedem, vel ad nares:* quoniam Aëtius ibi loquitur de euacuatione ſanguinis per ſedem facta, nimirum per venas ſedis, aut per nares, quod vtrumque minus noxium, dum natura non mouetur per conſuetam partem iuxta dictum Hippocratis *in Aphoriſm. ſect.5. text.33. Menſtruis deficientibus, ſanguis ex naribus fluens, bonum.* Galenus clariſſimè rem concludit ſic. *Quod quidem ſit neceſſarium eum, qui ſingulis menſibus benè euacuatur, ſanguinem, quando ob aliquam diſpoſitionem fuerit retentus, mulierem lædere, & quod per aliam partem euacuatus, omnem corporis tollat læſionem, vnicuique eſt manifeſtum. Cùm verò multa ſint loca, per quæ poteſt euacuari, omnibus alijs, aut maius, aut minus ineſt detrimentum: ſola quæ fit per nares euacuatio innoxia eſt, quam nunc laudat Hippocrates. Non tamen, ſi qua etiam alia euacuatio ſine noxa eſt, propterea Aphoriſmus eſt falſus. Neque enim quòd ſola per nares euacuatio deficientibus menſibus bona ſit, dixit: ſed hanc ſimpliciter laudauit, non adiuncto, quòd ſola. Si quis igitur eam, quæ fit per ſedem, dixerit ita affectis mulieribus vtilem eſſe, non aduerſatur Aphoriſmo.*

Videtur

Videtur enim aliquando Hippocrates per vnum exemplum de similibus omnibus pronunciare. Hactenus Galenus. Quibus apparet euidenter iuuare euacuationem sanguinis per sedem. Sed & multa alia habebitis ex Galeno ad hanc rem spectantia *in lib. de venæ sectione aduersus Erasistrataos, cap.* 1. Quare vt ad rem redeamus, si non est sequutum commodum, id euenit quia euacuatio illa non fuit vtilis: nam etsi redierit ad mentem, id quamuis bonum in se, non præponderat multis pessimis; quod verum sit, neque sequuta est alleuatio, vti ex sequentibus constat.

Non sitiuit.] Cur ægrotantes non sitiant in acutis, & quot de causis, iam est significatum anteà, vt eadem repetere non oporteat. Sed videamus cùm signi euacuatione facta, multa concurrerint ad sitim concitandam, cur non sitiuit. Habet Hippocrates *sectione* 4. *Aphorism. text.* 19. *Qui in medicamentis purgati non sitiunt, non quiescunt priusquam sitiant.* Addit Galenus. *Qui purgantur, nonnulli statim sitiunt, nonnulli posteà.* Fit hoc propter ipsius ventriculi dispositionem, & propter assumptum medicamentum, & etiam propter humoris euacuati naturam. Ratione ventriculi, quia ex caliditate, vel siccitate, vel ambabus qualitatibus, promptè ad sitiendum perducitur. Ratione medicamenti, cùm illud erit acre, calidum, & mordax. Propter humorem, quando humor, qui vacuatur erit biliosus. Si igitur omnibus istis modis sitis in euacuationibus concitatur, cur his existentibus, & si non à purgante, sed à natura irritata fuerit euacuatus, non sitiuit, cùm tamen debuisset sitire. Possemus dicere mentem non omnino fuisse sanam, & multa alia, sed hæc missa faciamus. Ego in præsentia rem ita statuerem. Si qui assumunt purgans, sitiunt: id euenit quando per corpus commodè euacuatur materia, quæ sitim impediebat, quòd si in hac muliere sitis non est concitata, aliam non adducerem rationem, quàm quia non sit euacuata materia frigida existens in ventriculo: videmus enim extitisse frigidam, & calidam: neque quis dicat etiam in euacuatione materiæ frigidæ fieri sitim, quia hoc sequitur dicente Galeno, quando euacuatio admodum insignis est, qualem non fuisse hanc est verisimile: nam multam quidem appellat, sed non pro ratione causæ peccantis: neque enim adhuc fuisset soporosa, vt ait.

[d] *Vndecimo mentis erat compos, sed erat soporosa.*] Caput nihilominus lædi hinc apparet fuisse soporosam erat indicium cerebrum irrigari multo humore frigido, & ob hoc, quia erat materia frigida, non videbatur in delirium incidere, verùm apparebat quædam humorum variorum vicissitudo, vt aliquando insomnis, aliquando soporosa appareret, argumentum euidens transmissionis humorum ad caput materiæ crassioris: quæ enim erat tenuior ad vias vrinæ non criticè, sed sequebatur id copiam serosi humoris, non potentis se intra vasa continere, & ob id nullum sequebatur commodum, etiamsi multæ essent: quomodo posteà sint aliquando tenues, & nigræ, iam *suprà* est declaratum.

[e] *Vigesimo circumfrixit.*] Non amplius riguit: neque enim tam violentus adhuc erat impetus naturæ, vt impetuoso quodam motu materia

ad

ad externas partes moueretur, verùm ex his repentinis mutationibus non benè ominari contingit, cùm dicat frixiſſe, ſtatímque recaluiſſe: ſignificat enim naturæ imbecillitatem, & in morbo acuto mortem, in mitiore longitudinem. Hoc explicat Hippocrates apertiſſimè 2. *in* 2. *Coacarum, text.* 14. his verbis. *Extremæ partes ſi in vtramque conditionem citò transmutentur malum eſt:* niſi dicamus id eueniſſe propter partis neruoſæ læſionem, vteri ſcilicet: quamuis in hac muliere eſſet euidens malignitas, vti ex accidentibus apparet; neque propterea mirum ſi caput afficiebatur, & delirium concitabatur, ſed non æquè validum, quia retundebatur cauſa delirij ab humore frigido, & quia morbus iam exciderat ab acutis vere, quo tempore omnia redduntur languidiora: at ad quid dicere inſomnem fuiſſe, ſi delirabat? nonne delirantes ſunt plus iuſto inſomnes? credo, vt denotaret non fuiſſe ampliùs ſoporoſam, ſed præualuiſſe humorem calidum, à quo ſolent ægrotantes fieri inſomnes. Illud autem, quod meo quidem animo faceſſeret negocium, eſt, videre ægrotantem, cui à principio aluus mota eſt, & tamen delirare. Hoc crederem eſſe peſſimum, & tantam humorum malitiam denotare, cui natura nullo modo poſſit dominari, cùm in tanta alui commotione caput nihilominus patiatur, & tamen deberet reddi immune à quocunque affectu, cerebro, vniuerſóque corpore eò deponente materiam, qua grauabatur, vt habetur *lib.* 3. *ſect.* 3. *Coacarum*, & 1. *in* 1. *Coacarum*, *comment.* 144. Videlicet quando profluuium alui in morbis nihil iuuat, malum quidem, ſed minus malum: at ſi præterquam quod non iuuat, morbum, & ſymptomata auget, maximè lethale eſt in omni morbo, ſed præcipuè in morbis capitis, thoracis, interníſque inflammationibus, vt ſignum, & vt cauſa. Vt ſignum, quia teſtatur affectum communicari hepati, & ventriculo. Vt cauſa, quia fluxus omnis ſymptomaticus vires exoluit. Quare, cùm in hac muliere aluus eſſet eadem, vt ſuprà, nec diminuerentur accidentia, ſed potiùs magis augerentur, non video quomodo benè ominari potuiſſet Medicus, & præſertim ſi ad vrinas inſpexiſſet: neque enim fuit contentus Hippocrates dicere vrinas fuiſſe aquoſas, & multas, ſed addit malas, vt moneret fuiſſe ex iis vrinis, quas emittebant in hac conſtitutione, quæ nihil decretorij, nec boni afferebant: potuiſſet enim quis dicere fuiſſe aquoſas, quia multas mitteret, quia non poſſunt concoqui; niſi diutius detineantur. Præterea poterant eſſe aquoſæ facta diuerſione ad aluum: ſed addit: *malas*: vt inde conſideremus quid commodi ſit ſequutum ex emiſſis vrinis: nam peſſimam cenſet illam euacuationem, cui non ſequitur aliqua alleuatio perdurans. Neque quis dicat non fuiſſe malas, propterea quod hac præceſſa euacuatione redditus eſt immunis à febre vigeſimoſeptimo, quia ſi rem intimiùs perſcrutemur, & diligentia vtamur Hippocratica, videbimus omninò infidam in huiuſmodi caſibus eſſe febris remiſſionem, cùm vrinæ non fiunt meliores, ſed remanent eædem: ſi enim id ſequeretur robur naturæ, humores eſſent redditi placidiores, & vrinæ coctionem habuiſſent euidentem: verùm tantum abeſt, vt id ſit, quòd potiùs omnia apparent coctioni contraria, cùm adhuc aquoſæ ap-

pareant, & discat hinc vnusquisque omnia in morbis examinare, vt animaduertat, an cætera respondeant. Vrina talis, cùm extremam indicet cruditatem, deterrima est, Galeno dicente 2. *prognostic. comment.* 33. Et etiamsi vrinas nigras emitteret à principio, poterat spem præbere salutis, cùm multæ essent: scribit enim Galenus *in comment.* se vidisse mulierem, quæ multis vrinis emissis nigris, conualuit, quod ego etiam obseruaui in duabus mulieribus, & in nobili viro istius ciuitatis, qui per aliquot dies emisit vrinas nigras, verùm in his non erant tenues, veluti in hac muliere, non expurgato crasso humore, posteà factæ sunt aquosæ, indicium quòd omnino erant suppressa puerperia, vt etiam neque tingeretur vrina humore illo melancholico, vti frequentissimum est in puerperis. De vrina aquosa habemus esse crudam, & diuturni morbi nuncium 7. *Aphorism. comment.* 32. Verùm, cùm multiplex sit vrina aquosa, expedit videre, cuius speciei sit hæc quam mulier, de qua sermo est, emisit. Quemadmodum enim quæ cocta est, humorum benignitatem, naturæ vim supra morbum, & partium coctioni deseruientium firmitudinem, simúlque caloris natiui robur denotat. Ita cruda vrina omninò contraria significat, & præcipuè si aquosa est. Hæc multas habet causas. Nam vna fit à mortificatione facultatis concoquentis, & retinentis, & assimilatur lienteriæ. Altera prouenit ab infirmitate alteratricis facultatis. Differunt duæ dictæ. Prima adeò est cruda, vt nullo modo recipiat coctionem. Hæc etsi cruda est, potest tamen concoqui, & ad bonum reduci; modò virtus longitudinem morbi perferat. Tertia vrinæ aquosæ species, quæ repræsentat formam vini tenuis, & albi, & prouenit ex mistione portionis bilis tenuis, & hæc differt longè ab aliis dictis, quoniam habet aliquod coctionis principium. Cùm igitur res ita se habeat, dicerem ego vrinam istius mulieris non fuisse primæ speciei, quia, meo quidem animo, non potuisset in tanta facultatum prostratione morbum prorogare, & vsque ad octogesimum superuiuere. Itaque concluderem fuisse ex iis, quæ secundo loco sunt recensitæ. Hæ longitudinem morbi solent prænunciare; possunt tamen concoqui, nisi virtutis infirmitas obstet. Hoc vt cognoscat Medicus, debet virtutem ægrotantis cum morbo comparare, veluti Galenus consulit *lib.* 3. *de cris. cap.* 5. *Nam ægri vires portanti onus*, inquit, *morbus oneri, tempus autem, quod ad statum vsque extenditur longitudini via respondet.* Quare, cùm vires admodum fractas haberet, tum ex morbi acutie, tum etiam ex larga euacuatione per aluum; vrinæ autem, vt aquosæ multum tempus requirant, vt concoquuntur, non sine ratione mortem expectasset quiuis virtute non sufficiente. Idem Galenus de vrinis verba faciens ita habet 1. *de cris. cap.* 7. *Nam & hæ quæ sanorum vrinis simillimæ sunt, venosum instrumentorum genus robustum esse demonstrant, quæ verò crudiores eiusdem imbecillitatem. Quæ verò sunt maximè vrinis sanorum contrariæ hæ quidem omnino sunt crudæ, & maximam imbecillitatem indicant vniuersi generis venosi. Quæcunque verò superantis causæ prauitatem ostendunt, veluti nigræ, hæ sunt extremè exitiales, & quemadmodum tria sunt, quæ cuiusque morbi coctionem significant; inferioris scilicet ventris, excrementa,*

menta, quæ ſecundùm naturam ſe habuerint : venoſi verò generis, vrinæ: inſtrumentorum autem dumtaxat, quibus ſpiramus, ſputamina : ita cùm hæc maximè debilia omnia ſint, maximam eſſe inſtrumentorum coctioni deſeruientium debilitatem arguere poſſumus, quibus in caſibus in longo morbo nulla ſalutis ſpes, & non immeritò, ſcribit Hippocrates 3. *in* 3. *Coacarum, text.*32. *Aquoſa verò ab initio ad finem difficilis iudicij eſt, nec periculo ſolet vacare, ideóque fit, quia non niſi graui moleſtia, & ægri periculo apparet : metus enim eſt ne ſuccumbat æger priuſquam maturetur morbus.*

[f] *Aluus ſubſtitit.*] In morbis acutis ſolet magis damnari aluus mota, quàm adſtricta, quia illa impedit coctiones, & virtutem debilitat, & nihilominus aliquando ægrotantes delirant, & cum aluo mota increſcit febris, tunc ſcilicet, quando omnino eſt ſymptomatica, vt in hac muliere ; eſt autem talis nullo ſubſequente vtili, vti anteà dictum eſt, & in hoc caſu valet Hippocratis dictum 2. *in* 4. *Coacarum, text.*15. *In febre ardente multa ſemel effundens aluus, lethale eſt :* ſi autem aluus ſupprimatur, virtus non adeò non debilitatur, etſi aliquando recurrente humore peccante caput patiatur, quod & in ſanis obſeruamus ; intelligo de nimia ſuppreſſione : quia auget capitis affectus euaporatione, & materiæ ad ſuperiora inclinatione, tamen cæteris paribus deterior eſt alui fluxus immodicus, quod explicat Hippocrates per verbum illud *ſemel* : nam moderatus, & naturam leuans optandus eſt. Supprimitur autem aluus in febribus, multis de cauſis : vel quia meatus à duriore ſtercore intercipiatur, ídque ſequitur feruidiorem hepatis intemperiem : vel quia materia raptum habeat ad partes ſupernas : vel quia natura haud multò poſt ſit molitura criſim. In hac ægrotante poſſumus dicere ſubſtitiſſe aluum, quia viſcus eſſet flaccidum : acutè enim laborante, non erat quid mirum. At modò prætermittamus hanc cauſam, & dicamus interceptam eſſe aluum, quia materiam eſſet natura diuerſura ad aliam partem, quod verum ſit, ſubdit Hippocrates :

Non multò pòſt dextra coxendix diu grauiter doluit, quaſi velit dicere: ne quæras cauſam, propter quam aluo mota exiſtente, ſtatim eſt eadem intercepta ; quia ad alias partes eſt demandata materia, quæ ad aluum fluebat : ad quam autem partem, denotat dolor : vbi enim eſt dolor, ibi eſt fluxio : Neque mirandum in tanto humorum impetu rediiſſe febres: ſolet námque id non rarò contingere ; verùm in hac muliere non erat cauſa dolor, ſed praua diſpoſitio, quæ enim febres pendent à cauſa externa, non diu durant, niſi focum habeant internum. Fuit hæc humorum depoſitio admodum laudanda : nam tam grauiter affecta muliere, materiam ferri ad partem ignobilem optabile eſt, etſi in hac non id commodi eſt ſequutum, quod ſequitur naturaliter in abſceſſibus infernarum partium, vti Hippocrates idem teſtatur : ſuperiorum enim partium abſceſſus nec morbos tollunt, niſi per empyema, nec abeunt ſine noxa : Inferarum autem partium finiunt morbos, niſi tamen recurrat intrò, & ſurſum, qui ita fiunt, tantum abeſt, vt partium ſuperiorum vitia emen-

dent, aut tollant, vt potius augeant sua contagione, atque sympathia. Huius causa solet esse malignus humor, & abscessus, qui sit morbo impar. Hinc læsa parte infera, multúmque afflicta, recursus fit intrò sursum; & hac ratione fit recidiua peior priore morbo, quæ omnia in hac ægrotante sunt conspicua. Doluit coxa dextra diu, id est, vsque ad diem quadragesimum: at non fuit perfectus abscessus, qui neque poterat expectari, nulla existente coctione, neque etiam obscura, vt vrinæ demonstrant, quod verum sit.

[g] *Quadragesimo die coxendicis dolor remissus est.*] In prædicenda salute, aut morte in abscessibus oportet considerare, qui sit status ægrotantis; nimirum si depositio materiæ febrem soluat, aut diminuat: æger leuiùs habeat, & commodiùs ferat abscessum, nullúmque vitium appareat, neque in functionibus trium facultatum, neque in coctione, secretione, & excretione excrementorum, quæ morbi propria sunt. Hæc ostendunt totam materiam depulsam esse, morbi focum extinctum, & partium redditam, ac restitutam propriam temperiem; sin autem contrarium sequatur, nihilo leuiùs habeat æger, summo cruciatu torqueatur tibia, accedant lethales casus, vt spirandi difficultas, tussis, nausea, animi deliquia, deliria; tunc vna cum parte, vita extinguitur, vt contigit modò in hoc Xenodochio maiori Papiæ in quodam iuuene, qui incœpit dolere acerrimè de coxa, febris concitata est adeò vehemens, vt delirauerit per aliquot dies, non apparebat tumor, exiit multa materia, sed nunquam remissa febris, os coxæ erat corruptum; itaque veluti consumptus obiit. His ita se habentibus, quid boni sperandum erat de hac ægrotante, cùm cessante dolore, statim tusses factæ sint maiores, cum maiore quantitate expuitionis. Sed ad quid extussiebat remisso dolore? An propter consensum partium genitalium thorax afficitur, vt Galenus *in comment.* & quid simile habetur ab eodem Hippocrate 4. *in 6. epidem. text.* 4. Ibi refert Historiam Agesij filiæ virginis, quæ cùm haberet affectionem in thorace, dolebat etiam coxendice dextra, & tantisper suspirio vexabatur, dum coxendice doleret, hócque sedato, & suspirium sedatum est. Galenus *in comment.* miratur, quid causæ fuerit, vt & dolor coxæ, & pectoris vnà conquieuerint, cùm tamen nulla sit inter istas partes communicantia, veluti est inter partes genitales. Auctoris verba sic habent: *Cæterùm propter quid affectus pectoris, & coxendicis vnà exacerbabantur, & mitescebant, haud iniuria quisque quæsierit, cùm nulla pectori cum coxendice, quemadmodum est cum partibus genitalibus affinitas intercedat.* Subdit: *Fortasse igitur imbecilliorem coxendicem habens dolore est affecta nonnullis superuacuis humoribus eodem tempore in ipsam delapsis.* Perinde, & huic euenisse crederem, videlicet, non quia esset affectus vterus, ob hoc pectus fuisse læsum, sed quia humores illi, qui ad partes infernas detrudebantur sursum fuerint elati, & hac ratione pectus noxam receperit: neque enim si aliter res extitisset, & dolor coxæ fuisset cum ratione sedatus, alius superuenisset affectus, & longè grauior superioribus partibus læsis, vti anteà dictum est. Hoc loco monendi sunt adolescentes, vt in dolorum sedatione,

datione, non ita præcipitanter cum vulgo lætentur, quasi sit melior ægrotantis conditio, sed expendant omnia necesse est, vt inde tutò præsagiant, an scilicet natura per aliquam partem euacuauerit, qua euacuatione peccantes humores fuerint à corpore deturbati, an aliquam aliam habuerit fidam solutionis causam, quorum si nullum euenisse cognoscant, neque vllum opportunum remedium fuerit exhibitum; intereà autem difficulter spirantem videant, aut quid aliud malum superuenisse animaduertant tunc prædicere poterunt, sedatum quidem fuisse dolorem, sed in ægri perniciem, translata materia ad nobiliorem partem, túncque in mentem ponant Hippocratis dictum. *Perniciosa sine signis leuantia, aut difficile iudicium; aut mortem portendunt.* Ita Larissæ Caluo contigisse videbimus, qui ex doloris sedatione sine ratione incidit in delirium, & quarta obiit, sed de hoc satis.

[h] *Aluus repressa.*] Quia humores ferebantur ad supernas partes cum maiori ægrotantis detrimento, quoniam maior erat, quàm conueniret, quibus in casibus labefactatur facultas concoctrix ipsius ventriculi, hinc cibi fastidium, læso ore ventriculi à mala illa humorum qualitate. Iam dictum est fieri inappetentias à tot causis, quot sunt causæ famis: videlicet minima inanitio, vt in frigido, & sicco senum habitu: languidus venarum suctus, vt resoluta, aut imbecilla facultate hepatis nutrice, laxatio ventriculi ab humore calido in ipsum effuso, extinctus sectionis sensus in ore ventriculi, vti in moribundis, & deprauatus animalis appetitus, vt in phreniticis. In inflammationibus id quoque solet contingere, internis dico, vt cibos auersentur ægri, tum in principio collectionis, ac fluxionis, cuius pars in ventrem confluat, tum in suppuratione, resudante sero, & sanie ex partibus inflammatis in ventriculum, atque ad stomachum vsque ascendente, vnde nausea torquere sic affectos solet. Illud autem auersionis genus deterrimum est, quod fit valde hepate affecto, quod est principium nutricis, ac naturalis facultatis, quo tempore ægrotantes mori potiùs eligunt, quàm aliquid eorum quæ offeruntur assumere. In his os ventris, in quo suctus fit, præcipuè afficitur, non propter alienam quandam qualitatem, sed propter virtutis extinctionem, quod in hac possemus suspicari, cùm semper fastidierit cibum, & eo magis, cùm videremus partes coctioni destinatas tam esse depressas, vt vrinæ demonstrant, quas easdem fuisse scribit, id est, aquosas. Quid igitur mirum, si febres reuerterunt: neque enim cessarant cum ratione? Hoc autem apertissimum est non oportere solui febrem, quàm die critico, aliter recidiuant ægrotantes, & ne quis putet sufficere hoc, expedit etsi fiat solutio morbi die critico, præcesserint ea, quæ fidum faciunt iudicium, id est, signa coctionis; si sine his fiat remissio, reuerteretur sine dubio ægritudo. Ampliùs, vt sciat Medicus qualis sit futura recidiua, quæ præcessêre debet perpendere: nam si ægrotans à principio signa quædam habuit perniciosa, non sit autem sequuta euacuatio aliqua, recidiuam habebimus mortiferam. Si salutaria, salutarem: sin mediocriter praua, in ambiguo est ægrotantis salus. Ad summum ex Hippocratis sententia, nulla alleuatio

tuta est, nisi quæ fit cum ratione, est autem talis, concoctione præcessa, euacuatione sequuta, diebus criticis. Cesset igitur quis mirari, cur redierit febris, & cur obierit, nimirum sequutum est ad finem vsque symptoma illud non aspernandum, auersio scilicet ad cibos, & quemadmodum à principio perniciosè habebat, ita etiam recidiuauit.

[1] *Omnino non intermittebant, nullóque ordine nunc accedebant, nunc non.*] Modus quidem loquendi obscurus, quomodo si non intermittebant, modò accedebant, modò non. Aut semper accedebant, & per consequens erant continuæ, aut si non semper: ergo intermittentes, quod tamen non est putandum de febre malignitatem habente. Credo vti hoc loquendi modo Hippocratem, vt innueret visam esse febrem aliquando leuem, quod non est inconueniens, cùm quadragesimus sit principium continuorum morborum, circa quem diem omnia sunt languidiora, & febres quia deciderunt ex acutis etiam ex conuersione non solent primùm vim habere; & multò magis id visum fuisse in hac ægrotante crederem, cui iam virtus erat sine dubio labefactata, éstque hoc in causa sæpissimè, vt febres videantur mitiores, quàm sint, non potente natura æquè validè præ impotentia insurgere aduersus causam morbificam, propter quam quietem lætatur vulgus, multò magis dubitat cordatus Medicus, & ob hoc oculati sint iuuenes ne decipiantur in ferendo iudicio, præcipuè quando morbus factus est leuior, sine coctione, sine excretione. Quando igitur, inquit, modò accedebant, modò non, legerem ita: modò erant intensiores, modò leuiores accessiones. At dicet quis, cur erant inordinatæ accessiones istæ, vt aliquando diebus paribus, aliquando diebus imparibus inuaderent, aliquando matutino, aliquando vespertino tempore insurgerent. His responsum erit, si inordinati motus causas cognouerimus, quod non erit difficile attendentibus nobis, quæ super hac re Galenus habet *lib.* 3. *prognostic.* inordinatas fieri febres, quotiescumque humor idem plures occupans partes, in aliis putredinem contrahit, in aliis minimè, tunc contingit febrem inordinatum sequi motum. Ipsius verba sunt hæc: *Ceu igitur nondum vnam habeat omne corpus affectionem, sed atra bilis in quibusdam partibus insuper moueatur, in quibusdam immota maneat, in alijs putreat, aut feruere incipiat, inordinatas fieri febres necesse est.* 3. *in* 1. *epidem. comment.* 23. *inquit fieri febres inordinatas ab humorum varietate. Illa siquidem, inquit, & loquitur de accessionibus errantibus, ab humorum diuersitate, qui morbos pariunt, concitantur. Lib.* 2. *de differ. feb. cap.* 11. *in vltimis verbis* recenset causas propter quas contingit accessiones inordinatè fieri, sic. *Vna quando humor mutatur in alienam naturam, tunc accessiones sequuntur humoris speciem, vt cùm sanguis vertitur in bilem, aut humorem melãcholicum. Altera causa, errata in victu.* Crederem non à victus ratione, neque propter transmutationem humoris in alium id factum fuisse, sed quidem à varietate humorum, quod à principio etiam visum est, & est hoc in acutis non contemnendum; nam est præcipitantis, & debilitatæ naturæ indicium, quia qualitate, & quantitate peccante humore, cogitur natura anticipare, nec

amplius eodem ordine, quo solet in morbis excrementa aggreditur, & expellit. Quòd si morbus sit leuis, non est ægrotantis salus desperata: at in acutis magis læsa virtute mortiferum est, non potente natura obsistere vehementiæ morbi, & humorum varietati, & contumaciæ quæ longissimum tempus exposcit ad sui concoctionem.

[k] *Sexagesimo tusses sine signis euanuerunt.*] Tussis in febribus duplex est. Vna quæ prouenit à destillatione delabente à capite, aut ab vlcere in thorace, aut ab empyemate. Altera quæ sequitur tenuem quandam humiditatem à capite decumbentem, sed non præcipitanter, potiùs concitata à causa externa, quàm à vitio cerebri, aut partium spiritalium. Prima violenter irruit, & grauiter torquet ægrotantem, & à Galeno appellatur ferina *6. epidem.comment.24.* Secunda à spiritu potiùs prouenit, & longo interuallo affligit, & leuiter etiam irritat. Prima propter violentum ipsius motum sitim auget, febrem exacerbat, insomnia facit, ex quo symptomate solent ægrotantes periclitari, viribus ex vigiliis deficientibus. Altera sitim extinguit, ita Hippocrates. *Tusses frequenter irritantes sitim leuant.* Est prima mala, vt causa, & vt signum. Vt causa, pessima, præsertim in febribus, quia prohibet quominus natura commodè vincat causam morbificam. Vt signum aliquando lethale, aliquando malignitatem arguens, ídque cognoscitur ex materia euacuatâ, si crassa, si tenuis, si purulenta, aut etiam, si nulla excernitur, quo tempore fieri ab inflammatione suspicio est, quæ adhuc sit cruda, vt pulmonis, thoracis, aut etiam hepatis, vt apertissimum est: inflammato enim hepate, comprimitur septum transuersum, pulmo quoque impeditur; & sic affecto hepate sicca tentantur tussi. Aliquando tussis siccæ causa est virium infirmitas, aut materiæ crassities, aut tenuitas, aut bronchiorum obstructio. Quando enim humor tenuis est, & subtilior quàm par est, non intercipitur à spiritu, vti scribit Galenus. Crassus non tam facilè potest euelli, & sursum ferri. Si fiat propter virium imbecillitatem, id habet euidentem causam, quia virtus languida, non potest thoracem mouere, neque materiam educere. Quibus sic stantibus, crediderim ego hanc huius mulieris tussim fuisse ferinam, cùm impetuosè moueretur adeò, vt febres redierint cum aliis symptomatibus. Prætereà ab excretis id colligitur, cùm quæ euacuabantur essent mala, cruda scilicet, cruda verò, & inconcocta, aut acrisias, aut recidiuas, aut mortes afferunt: neque enim vtilis quid attulerunt. At quomodo euanuerunt? euanuerunt sine coctionis signis, sine abscessu effatu digno? Resp. Tusses cessant triplici de causa: nam quemadmodum hæc fit concitata facultate expultrice ad expellendum illud quod contristat, ita si cesset tussis, oportet cesset contristans: id euenit tripliciter, vel quia facultas adeò sit imbecilla, vt non possit amplius thoracem mouere, vti videmus aliquando in pleuritide laborantibus, qui cùm iam mortem habeant propinquam, non ampliùs extussiunt, sed videntur omnia symptomata sedata, cùm tamen nihil eorum apparuerit, ex quibus hæc tolluntur cum ratione: Aut cessat tussis altero modo, quia materia diuertatur ad alias partes, quæ spiritales affligebat: Aut tandem quia

quia contristans fuerit totum euacuatum. At non quidem vltimo modo sedatæ sunt tusses; quia etiamsi multa materia fuerit euacuata, tamen erat cruda, & ad tutam sedationem oportebat fuissent cocta, quod denotat nobis Hippocrates, dum ait.

[1] *Sine signis, neque enim vlla erat sputorum coctio.*] Itaque fuit infida alleuatio. Neque secundo modo id factum est, quoniam etsi maxilla sit detracta, non fuit sufficiens depositio tantæ & tam copiosæ materiæ, & idem Hippocrates fatetur, dum ait,

Nec alius solemnis abscessus.] Ergo non curat maxillæ detractionem: leues enim abscessus non sanant magnos morbos, quod verum sit ingrauescebat morbus, vti ex accidentibus perspicitur. Quid igitur statuendum. Ego rem ita determinarem. Abscessus sunt attendendi, quibus in partibus fiant, & quid commodi afferant. Facti in partibus nobilibus sunt deteriores, neque possunt iudicare, vti aliàs cum Galeno dictum est. Ergo non mirum si idem huic contigit. Tusses euanuerunt quidem: at materia firmata est in parte nobili in capite, & minus malum, si sola detracta esset maxilla: at statim euanescentibus tussibus facta est delira, soporosa, signum quòd materia recurrebat ad partes principes: sed neque crederem id impetuosius esse factum, quia parum hæc perdurarunt, cùm maxilla ad locum redierit, & apud se iterum esset, signum euidens fuisse paucam materiam, eámque subtiliorem, hoc facilis accidentium solutio demonstrat. Sed quàm bene fuisset cum ægrotante actum, si intus non remansisset materia suffocans partium naturalium actionem, vt videbimus. Sciant autem adolescentes, nunquam in morbis acutis esse negligendam maxillæ detractionem: euidenter enim læso capite, detrahi maxillam, id est conuelli, graue est admodum propter partis affectæ præstantiam, & affectus magnitudinem, doloris vehementiam, qui aliquando adeò vrget, vt periclitentur ægrotantes, etiamsi, vti dictum est leuis fuit affectio, sed nunquam negligenda, quia vt propter viciniam, & cum cerebro coniunctionem per neruos, quos habet à tertia coniugatione, affectus ipsius facilè excipit, ita cum peculiari vitio laborat, cerebrum promptissimè trahit in consensum. Immò, vti dicebam, tam vehemens est dolor, vt inflammata febres acutas excitet, deliria faciat, vigilias excitet, à quibus, vti est certum, virtus solet deprimi citissimè. Bene actum esset cum hac ægrotante, nisi quid deterius extitisset, cùm statim rediisse ad suum locum asserat: Dico quid deterius, quia causæ vniuersalis prauitas non cessabat, & partium coctioni deseruientium, ventriculi præcipuè affectio grauior fiebat in dies, vt inappetentia, & auersio ad cibos continua denotabat, grauissimam fuisse ex eo elicimus, quòd sæpius hoc symptoma repetit signum euidens Hippocratem semper magnifecisse signum hoc, quod & nos in morborum curationibus attendere debetis. Erat ingens partium internarum incendium: demonstrat hoc excretio biliosa, quæ potuisset aliquid afferre vtilitatis; verùm non fuit pro ratione morbi, cùm esset pauca: iuuisset enim saltem vt causa. At animaduertere oportet progresso morbo non raro euenire, vt euacuationes superuenien

peruenientes, quæ flagrantem denotant internam dispositionem, non rarò opprimant virtutem, quo tempore aliquando minùs sæuire morbum cernimus, non virtute roborata, sed depressâ, & multos his euacuationibus consumptos vidi acutè laborantes, & ob hoc etiam in acutissimis morbis cautè agite in medicamentis præscribendis, & infrà subsistite; quòd si vrgeat occasio, aut quia aluus nimis adstricta clysteribus non cedat, aut propter aliquid aliud, leuissima eligite: vidi enim medicamento exhibito motam esse aluum, quæ ad mortem est ægrotantem concomitata, Sed redeamus ad textum: Post euacuationem dictam, paucâ materiâ excretâ,

[m] *Acutiùs febricitauit, & inhorruit.*] Verterem ego sic. Horruit, quia natura conabatur crisim aliquam moliri, quo tempore fiunt rigores, aut horrores pro qualitate materiæ, & pro virtutis robore. Huic motui sequuntur euacuationes aliquæ; sed antequam perficiat opus natura, non potest non validè agitari, hinc febris auctio: neque enim intelligendus est Hippocrates de verè acuta, sed perinde est, ac si dicat aucta magis est febris post horrorem, adhibente natura omnes suos conatus, vt se eximeret ab humoribus prauis, quod maximè consuetum est, dicente Galeno *in lib. de cris.* comprobante experientia, & tantum potuit, quod aluus mota est; sed quomodo? Quæ euacuabantur erant biliosa: pauca. In omnibus peccatum. Sed quomodo poterat natura in tanta humorum cruditate cum virium imbecillitate commodam tentare euacuationem. Quæ euacuabantur erant biliosa, neque quid difficile bilem extra corpus facilè ferri, cùm facilè mobilis sit, & stimulet expultricem facultatem: at pituitæ nihil, neque melancholiæ, & hoc poterat referri in virtutis languorem, cùm non sit magnum bilem, vt subtiliorem, & faciliorem ad motum primam omnium euacuari, itaque minori robore indigemus, sed quod maximum est, fuit etiam istius humoris pauca euacuatio, de qua dictum est aliàs satis. Omnibus igitur modis fuit deterrima insequens ad extremam virium imbecillitatem. Id multò magis confirmat, quod post hanc euacuationem obmutuit.

[n] *Sequentibus*, inquit, *diebus obmutuit, statímque rediјt ad mentem, & est locuta.*] Aliud est obmutescere, aliud est redire ad mentem, quare cùm dicat rediisse ad mentem, oportet aliquo modo vacillaret, quia loqui est etiam proprium phreniticorum, qui aliquando plus iusto loquuntur, neque hoc mirum est: nam scribit Hippocrates soporosam semper fuisse, qui autem sopore tentantur, quodammodo deliri fiunt, quia excitati vix sciunt quid agunt, quasi mente capi. Sed vtcumque esset, illud ad mentem rediisse, nihil meliùs habet, sed sunt ex iis, quæ fiunt in vltimis naturæ conatibus prope extinctionem existentis, vt meritò dicat Doctissimus Vallesius, moribundos sæpissimè præbere spem melioris conditionis, cùm si deliri sunt, redeant ad mentem, & simul etiam grauia quæque accidentia videantur mitiora facta, cùm haud multò pòst moriantur. Cur ægrotantes fiant aphoni, iam *suprà* est demonstratum, sat est dicere cum Hippocrate. *Quæ cum exolutione firmiter fixa sunt apho-*

nia, funesta. Verum esse hoc Hippocratis dictum experientia confirmat, cùm subdat.

° *Octuagesimo obijsse.*] Sustinuit natura multùm vim morbi, & ex hoc validissimis fuisse viribus coniicias licet, quæ tandiu superuixit grauissimè affecta per totum morbum, vt sequentia Hippocratis verba testantur, dum ait, vrinas perpetuò fuisse nigras, tenuésque, & aquosas, simúlque & soporosam. At quotiescumque pars princeps à principio læditur, malè actum est cum ægrotante, cùm tunc morbus dicatur sine dubio magnus. Talis solet dici tribus modis, aut propter eius partis, quæ afficitur præstantiam, aut propter ipsius morbi magnitudinem, aut propter ipsius malitiam. Hic morbus his omnibus erat vehemens. Primò, quia cerebrum à principio fuit læsum. Secundò, quia morbus sua natura erat magnus. Tertiò, quia maxima erat humorum malitia, vti ex Historia colligitur.

p *Animo erat deiecto.*] Effectus humoris melancholici, & grauitatis morbi. *Erat insomnis*, quia multa erant, quæ insomnia facerent, quid si timor mortis somnum prohibuisset. Illud fuisse, iracundam præter id, quod ægrotantes ex quacunque leui occasione dedignantur, possemus etiam dicere significasse melancholiam: nam distinguuntur iracundi ab iratis ex Galeni sententia 2. *in* 1. *epidem. comment.* 78. *Irati magnanimi sunt, & humilium rerum contemptores. Contrà iracundi pusillamines, quòd generoso, virilíque animo non sint. Quare iracundi carent temperamento frigidiore, vaporésque digerunt difficiliùs.* Quo in loco scribit Hippocrates ægrotantes illius temporis præ cæteris fuisse iracundos, plurimósque illorum mortuos fuisse, vt inde elicere possimus, esse non bonum signum. Implaciditas sequebatur vteri affectum cum humorum malitia. Tandem vnico verbo concludit, quomodo sic infestaretur, quia scilicet melancholica erat, vt inde cognoscatis nullo non morbo corripi melancholicos, & facilè fieri, vt mulieres in id affectus genus incidant, si aliquod sit peccatum in mensibus, quo tempore nullus non morbus solet fieri. Confirmat hæc præsens mulier, quæ etsi longo tempore, tamen obiit.

Curatio.

IN huius ægrotantis curatione, quod spectat ad victus rationem, illud obseruare expediebat, quod monet Hippocrates; In morbis longis vberiùs esse alendum in principio, vt virtus sufficiat ad morbi integram solutionem vsque, idque non difficilè prædixisset Medicus vrinas statim morbo inuadente inspiciens aquosas. Verùm neque erat tentandum vberiori victu vti, sed potiùs iis exhibitis alimentis, à quibus virtus minimè grauaretur, optimi succi appellant Medici, de quibus iam satis *suprà*. In reliquis erat sanguis ex pede extrahendus, ex vtroque pede pro ratione virium extracta quantitate, spectantibus nobis præsentes, & futuras vires, posteà erat insistendum deobstruentibus medicamentis citra euidentem

tem

tem calorem, qualia ſunt cichoreacea, radices aſparagorum, liliorum alborum, graminis, petroſelini, & id genus alia, quibus & vis febris demulceri, & menſes commodè euocari. Verùm id monere volo, vt in ſanguine mittendo ſemper partitis vicibus faciatis euacuationem, quia eo tempore aliquo modo intendimus reuellere, & ob id commodior fiet Medici operatio cum minori virium diſpendio. Si fuiſſent iniecti peſſus, neque id remedij genus attuliſſet detrimentum: parantur autem variis modis ex ſucco mercurialis, rutæ, pulegij, cum oleo irino miſto, à leuioribus ſemper inchoando; quòd ſi validioribus eſſet procedendum, Aëtius hæc deſcribit *loco iam ſuprà citato, cap.* 55. Ventriculum inter cætera fouere expediebat, quo meliùs coqueret, in quem vſum multa commendantur, linimenta, vnctiones, ſacculi, fotus. Linimentum huiuſmodi non eſt inutile, ℞. *olei maſtichini, caryophyllorum ana guttas duas. Olei menthæ.* ʒ.*ij. abſinthij Pontici.* ℥.ß. *ceræ albæ vino lotæ parum, & liniatur os ventriculi.* Vnctio ex oleo roſaceo, maſtichino, menthæ. Fotus ex mentha, abſinthio, roſis, omnibus vino madefactis, aut oleo roſaceo, & ori admotis ſero, & mane per horam ante cœnam. Sacculus. ℞. *maioranæ, abſinhij Pontici an.p.*ß.*roſarum.rub.M.*ß.*menthæ M.j.caryophyllorum* ʒ.*j. macis* ʒ.ß. *contundantur, contundenda, & ponantur in panno ſerico rubro, & fiat ſacculus interpunctus, & ori ventriculi applicetur.* In vehementi ventriculi imbecillitate huiuſmodi medicamentum non improbatur. ℞. *ſummitatum abſinthij Pontici* ʒ.*j. vini optimi* ℥. *j. olei amygdalarum dulcium* ℥.*ij. roſarum rubearum* ʒ.ß. *ſantalorum citrinorum* ℈.*ij.caryophyllorum, galangæ, ligni aloës an.*ʒ.*j. maſtichis* ℈.*ij. decoquantur omnia in vaſe duplici ad conſumptionem vini.* Poſtquam fuerint decocta, detineantur in loco calido, poſteà fiat fortis expreſſio olei, deinde. ℞. *huius olei* ℥.*j. medullæ cruris vituli* ʒ.*ij. nucis moſchatæ* g̃. *vj. maſtichis pulueriʒati* ℈.*j. miſce & ſeruetur ad vſum.* Quando fiet inunctio, ponatur pannus lineus ſupra ventriculum, vt magis foueri poſſit. Ceratum tale non eſt inutile quod componitur ex laudano. Ceratum emendans vitia ſtomachi, vel efformatum cum puluere nucis myriſticæ, maſtichis albi, foliorum abſinthij cum cera, & terebinthina. Oxyrrhodina propter delirium aliquando debebant eſſe miſta, vt ſoporem reſpiceremus. Et quia vigeſimoſeptimo aluus erat ſuppreſſa, expediebat ea die tranſacta, aliquid medicamenti exhibere: ita enim fortaſſe eſſent diuerſi humores, qui ad coxam raptum habebant, & aluo mota etiam caput læſionem minorem eſſet paſſum. Medicamentum verò dediſſem ex mannæ ℥.*ij.* cum decoctione tamarindorum, & ſem. citri diſſolutis in aqua endiuiæ. Iteraſſem ſyrupos, aut decocta, in quibus non mota aluo poterat addi quid leuiter aluum leniens, virtuti vni præcipuè incumbentes. Ad tuſſim leniendam erat pectus inungendum butyro; vnguento pectorali, pinguedine gallinæ, cum croci portione, & id genus aliis. Interiùs fuiſſet ex vſu Iulep capillorum veneris, violaceus, & quia omninò erat deiecto animo, tentare oportebat, quantum fieri poterat, vt cor roboraretur alexipharmacis iam ſæpiùs dictis. Bezoartica iam apud nos ciuitatis Medicos ita ſunt ſuſpecta, vt om-

ninò eadem euitemus, cùm tamen si pharmacopolas vocemus habeant quamplurima, verùm cùm adulterata sint, vt sæpiùs sumus experti, hos non curamus lapides: meliùs enim est abstinere à medicamento ambiguo, quàm exhibere cum ægrotantis detrimento, & Medici dedecore, nisi cogamur gratificari adstantibus, & ægrotantibus. Expedit igitur vti euidentioribus, margaritis, conserua hyacinthi, & id genus aliis, neque negligere externa oportet cordi admota. Sexagesimo poterat medicamentum aliquod iterari, & sic sensim alterando, sensim euacuando procedere, nisi tamen necessarium fuisset valentiùs euacuare, quod cognoscitur meliùs, quando ægrotantem actu curamus. Hoc quidem verum est, debere nos esse cautos in aluo mouenda, quia mulieres omnes, quibus à partu aluus est mota, illæ pessimo fato sunt functæ, quoniam est euacuatio minimè facta per conferentia loca, & si iuuat, est, quando mulieres prauis humoribus sunt repletæ, & cacochymia laborant, quod obseruaui aliquando. At vtcumque sit, semper magnifacite in enixis aluum motã, & perseuerãtem, quia rarissimè aliquid boni affert, & ob hoc ij, qui indiscriminatim medicamenta soluentia dant, aut mortem accelerant in morbis sua natura lethalibus, aut si morbus salutaris est, degenerat in lethalium naturam. Sanguine misso, diebus duodecim, vel quindecim ad minus, si fœminam peperit mulier, tunc quando natura segnis est, leui aliquo pharmaco potest adiuuari, vel lenitiuo cum puluere citri ad ℥.j. vel diacath. & similibus, sed cum cautione faciendum, & vos iuuenes, vt dignitati vestræ consulatis meliùs, seniores vocate, neque ex iis sitis, qui statim ac Medicinæ definitionem nouerunt, se Medicos prædicant, & multò magis, si primæ eorum curationes bene succedant, quid si neque Hippocratem salutarent. Vitium indelebile ignorantia, præsertim si cum arrogantia sit coniuncta; neque, quod in nostra ciuitate est familiare, curate vt aut pharmacopola, aut barbitonsor aliis surripiat curationes, vt proprias faciat vobis ipsis: est enim maximum dedecus Medici; sinite vt hoc fiat ab iis, qui ex humili genere nati, magis æstimant pecuniam, quàm dignitatem: ij enim à iuuenibus probæ indolis omninò negligendi sunt. Sed de his hactenus.

ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΤΡΙΤΟΣ.



ΕΝ Θάσῳ Πυθίωνα ὃς κατέκειτο ὑπεράνω τοῦ Ἡρακλείου, ἐκ πόνων καὶ κόπων καὶ διαίτης γενομένης ἀμελοῦς, ῥῖγος μέγα, καὶ πυρετὸς ὀξὺς ἔλαβε. γλῶσσα ἐπίξηρος. διψώδης. χολώδης. οὐχ ὕπνωσεν. οὖρα ὑπομέλανα. ἐναιώρημα μετέωρον. οὐχ ἵδρυτο. β΄, περὶ μέσον ἡμέρης, ψύξις ἀκρέων. τὰ περὶ χεῖρας καὶ κεφαλὴν μᾶλλον. ἄναυδος. ἄφωνος. βραχύπνοος. ἐπὶ χρόνον πουλὺν ἀνεθερμάνθη. δίψα. νύκτα δι' ἡσυχίης. ἵδρωσε περὶ κεφαλὴν σμικρά. γ΄, ἡμέρη δι' ἡσυχίης. ὀψὲ περὶ ἡλίου δυσμὰς, ὑπεψύχθη σμικρά, ταραχὴ νυκτὸς ἐπιπόνως. οὐδὲν ὕπνωσεν. ἀπὸ δὲ κοιλίης, μικρὰ ξυνεστηκότα κόπρανα διῆλθε. δ΄, πρωῒ, δι' ἡσυχίης. περὶ δὲ μέσον ἡμέρης, πάντα παρωξύνθη. ψύξις. ἄναυδος. ἄφωνος. ἐπὶ τὸ χεῖρον. ἀνεθερμάνθη μετὰ χρόνον. οὔρησε μέλανα ἐναιώρημα ἔχοντα. νύκτα δι' ἡσυχίης. ἐκοιμήθη. πέμπτη, ἔδοξε κουφισθῆναι. κατὰ δὲ κοιλίην, βάρος μετὰ πόνου. διψώδης. νύκτα ἐπιπόνως. ἕκτη πρωῒ μὲν, δι' ἡσυχίης. δείλης δὲ, οἱ πόνοι μείζους. παρω-

ÆGROTVS III.



IN Thaso Pythionem, qui supra Herculis fanum habitabat, ex laboribus, laßitudinibus, parum habita victus ratione, magnus cœpit rigor, & [a] febris acuta, lingua arida, sitibundus erat, biliosus, non dormiuit: [b] vrina nigra, suspensiones sublimes, non subsidebant. Altero die sub meridiem extremæ partes frigebant, præter cætera manus, & caput: [c] obmutuit: [d] voce est defectus, [e] diu breui spirus, [f] rediit calor, sitiit. Nocte quieuit, circa caput modicùm sudauit. Die tertio, interdiu quieuit. Vesperi, sub solis occasũ aliquantulum frixit, turbatio. Nox laboriosa fuit, nihil dormiuit, ab aluo pauca compacta stercora descenderunt. Quarto, mane quieuit. Ad meridiem omnia irritata sunt, frigus, mutus, sine voce, [g] in deterius calor rediit. Paulò pòst vrinam nigram cum suspensionibus reddidit. Nocte placidè quieuit. Quintò, releuatus [h] visus est esse, ventrem tamen cum dolore grauitas tenuit, sitibundus. Noctem laboriosam habuit. Sexto, mane quieuit. Ad vesperum dolores increuerunt, exacerbatus est.

ξυώθη. ἀπὸ δὲ κοιλίης ὀψὲ κλυσματίῳ. καλῶς διῆλθε. νυκτὸς, ἐκοιμήθη. ζ, ἡμέρῃ, ἀσώδης. ὑποδυσφόρει. οὔρησεν ἐλαιῶδες. νυκτὸς ταραχὴ πολλή. παρέλεγεν. οὐδὲν ἐκοιμᾶτο. ὀγδόῃ πρωῒ μὲν, ἐκοιμήθη σμικρά. ταχὺ δὲ, ψύξις. ἀφωνίη. λεπτὸν πνεῦμα καὶ μινυθῶδες. ὀψὲ δὲ πάλιν ἀνεθερμάνθη. παρέκρουσεν. ἤδη δὲ πρὸς ἡμέρην σμικρὰ ἐκουφίσθη. διαχωρήματα ἄκρητα, σμικρὰ, χολώδεα. θ', κωματώδης. ἀσώδης, ὅτε διεγείροιτο. οὐ λίην διψώδης. περὶ δὲ ἡλίου δυσμὰς, ἐδυσφόρει. παρέλεγε. νύκτα κακήν. ι', πρωῒ, ἄφωνος. πολλὴ ψύξις. πυρετὸς ὀξύς. πολὺς ἱδρώς. ἔθανεν. ἐν ἀρτίῃσιν οἱ πόνοι τούτῳ.

Vesperi indito clystere commodè aluum reddidit. Nocte dormiuit. Septimo, fastidiosus, implacidior erat, oleosum minxit. Nocte est multùm turbatus, delirabat, nihil dormiebat. Octauo, mane aliquantum dormiuit, móxque frigus eum cœpit, ac vox eum defecit, spiritus exilis, & imminutus. Vesperi, rursus calor rediјt, delirauit. Iam antelucano leuiùs habuit. Deiectiones meræ, paucæ, biliosæ. Nono, [h] *cùm excitaretur soporosus erat, non valde sitibundus : sub solis occasum* [i] *grauiter tulit, delirauit. Noctem incommodam habuit. Decimo, mane* [k] *sine voce, multum frigus, febris acuta, multus sudor, obijt. Diebus huic paribus labores.*

COMMENTARIVS.

Ex tribus medicis instrumentis, nullum præcipuè commendatur magis quàm diæteticum dictum, & hoc ideò fit, quia hoc omnibus morbis est necessarium, tanquam sine quo non : nam venæ sectione, purgatione non semper opus habemus, dicto autem instrumento semper, & ob id dicebat Galenus. Nullum est tam validum medicamentum, quod munere suo fungatur, si victus ratio obstet. Quare non immeritò dicetur basis, & fundamentum sanitatis. Id exemplo sui ipsius probat Galenus, qui ab infantia grauissimos passus est morbos, vt ipse ait; propter prauam victus rationem, qua tandem in melius mutata, toto tempore posteà commodè habuit, nisi contingeret diaria corripi febre, vti habetur *lib. 5. de sanit. tuenda, cap. 1.* Debet hoc quod scribitur à Galeno attendi ab intemperantibus, qui propterea ab euacuationibus nihil iuuantur, noua cruditatum congerie collecta ex eorum praua viuendi ratione, quos propterea monebat, neque à Medico esse attingendos *lib. de curandi ratione, per sanguinis missionem, cap. 7.* inquiens. *Intemperantes,*

vinosósque, ac ventri, gulæque deditos, neque purgatione, neque sanguinis missione magnopere adiuueris. Nam per vitæ intemperantiam, crudorum humorum copiam colligunt ocyssimè; verùm, ne his quidem manum admouere tentandum est. Neque hîc sumo victum pro cibo, & potu; sed loquor in genere, de iis omnibus, quæ spectant ad victus rationem, quomodo intelligit Galenus 3. *in* 3. *epidem. comment.* 9. Videlicet de otio, exercitatione, balneo, venere, vigiliis, somno, & omnibus aliis, quæ quouis modo fiunt in corporibus humanis, & quæ apta sunt manifestè corpus nostrum lædere, de quibus apertiùs Galenus verba fecit *lib. art. medic. cap.* 83. Ibi distinctè enumerat ea, quæ necessariò corpori nostro aliquam possunt inferre alterationem. Sunt autem hæc, Aër, cibus, & potus; somnus, & vigilia; motus, & quies; quæ assumuntur, quæ retinentur, & excernuntur, & animi accidentia. Hæc necessariò corpori nostro inferunt alterationem. Neque venus omninò est inutilis. Inter hæc ergo primus omnium occurrit aër, quia semper circumambit corpus, eundem velimus, nolimus inspiramus, & expiramus, & qua est qualitate donatus, eandem corporibus impertit, quod *ex Aphorism. & multis alijs in locis*, colligitur, & *lib. de Theriaca ad Pisonem, cap.* 16. quo in loco sic scribitur. *Immutat aërem*, loquitur de peste, *malo quodam modo, vt homines interficiat, qui cùm non respirare non possint, contagium miseri euadere nequeunt.* Attrahunt enim in seipsos aërem illum infectum, tanquam præsentaneum aliquod venenum. Aliæ causæ possunt quidem morbos inducere, & malè afficere homines; verùm multi ab eis possunt liberi esse: solus aër præ cæteris causa est communis, quæ omnes æquè afficit, cùm necessariò corporibus adueniat. Aër solus extrinsecus omnes ambit, & inspiratur: neque enim fieri potest, quin corporum animantium temperaturæ cum eius permutatione afficiantur ac permutentur, scribebat Galenus 1. *in* 1. *epidem. text.* 4. *statim in vestibulo libri*, 1. *lib. prognost.* hac fortasse ratione motus Hippocrates appellabat aërem diuinum. *Agnoscere*, inquit, *oportet, an quid diuinum sit in morbis.* Quare aër præ cæteris corpus nostrum alterare potest. Cibus & potus etiam sunt inter necessariò alterantia; sed non æquè ac aër, quia cibum & potum non semper assumimus, & si ambo sint necessaria, sine quibus homo viuere non potest. Hoc si moderatè vtamur, tempestiuè, & ordinatim, maximum affert corpori commodum, vti notissimum est, vires instaurans: ad hoc enim sumitur, vt deperditum resarciatur, & nisi homo continuò difflaret, neque indigeremus instauratione, 1. *Aphoris. comment.* 15. Oportet autem sit in mediocri quantitate, vt natura, & facultas concoctrix possit vertere in naturam nutriti, quod non potest fieri, si modum excedat, cùm etiam optimi succi edulia in cruditates conuertantur, & morbos generent frigidos, *lib. de causis morb. cap.* 6. vbi sic legimus. *Et optimi succi quique plurimum animali afferunt detrimentum, supra modum sumpta morbos generant frigidos.* Est hoc ex causis propter quas ventriculus, nulla laborante affectione, non concoquit, *lib.* 3. *de sympt. causis, cap.* 1. quod pariter sequitur, quando intempestiuè assumitur, dico intempestiuè, cùm mane, antequam

prior cibus descenderit, sumatur nouus cibus, vel paulò ante vehementem exercitationem, vel etiam paulò post, dum adhuc ex motu sunt calefacti 3. *in 6. epidem. comment.* 2. quia scilicet tunc temporis obstruuntur viscera, imprimísque iecur, eodem Galeno confirmante *lib. de salubri diæta*, hunc in modum. *Ad hæc ab exercitationibus anhelantes cibum sumere, nondum per halitum eorum calore digesto, aut refrigerato corpore, quam causam esse, quo quis celeriter impleatur liquet.* Hoc certè noui istud in causa fuisse, cur multis viscera sint oppilata, imprimis iecur, & etiam à cibo vehementes exercitationes. Quemadmodum alimentum plus iusto ingestum morbos parit, vt etiam 2. *Aphorism. text.* 17. perinde, si praui sint succi, cùm præ ipsorum prauitate non possint ex æquo immutari à ventriculo, loquor nunc de improspera coctione à qualitate, vel quantitate ciborum facta: quotiescumque enim vitiosa sunt alimenta, vitiosum etiam sanguinem creant, vti Galenus 2. *Aphorism. text.* 36. probat sic. *Qui salubritatem corporis habent, cùm per medicamenta purgantur, citò exoluuntur in purgationibus, quoniam vitiosi succi solent sanguinem generare vitiosum.* Vitiosa alimenta sunt, quæ aut nimis crassa, aut nimis lenta existunt, aut quæ in quantitate peccant, ita Galenus *lib.* 3. *de sympt. causis*, *cap.* 2. item quæ nimis sunt calida, aut frigida: ab his enim cùm non alterantur, aciditas, ab illis nidor prouenit. Docet hoc Galenus *eodem lib. citato*, *cap.* 1. *Ex vitiosis edulijs morbos facilè generari exemplo Parij, præter alia quamplurima. Ille cùm vitiosis, & multis vteretur ferculis, potuit mortem minùs prorogare, acutè iam febricitans. Malus enim hominis victus non leue attulit ad exitium momentum.* Ita *in comment.* scribitur. At non minùs ex incongruo ordine, quàm ex prædictis affectus generantur: nam, si quis in comedendo priùs assumpserit, quæ difficiliùs descendunt, secunda mensa, quæ faciliùs, hoc est alimentum assumere incongruo ordine: semper enim respicere debemus, vt quæ facilioris sunt distributionis, iis quæ difficiliùs distribuuntur præponantur: si aliter fiat, non leue corpori sequitur detrimentum, quia nisi priùs sumantur, corrumpuntur, & quæ eis sunt subiecta corrumpunt, quod de persicis habemus *lib.* 2. *de alit. facult. cap.* 19. quo in loco persica prima mensa esse sumenda præcipit, quia sunt facillimæ corruptionis; & ita primo loco sumpta facilè pertranseunt, & aliis cibis viam muniunt. Et *lib. eodem*, *cap.* 11. de sycaminis agens, siue moris, hæc ad verbum legimus. *Sycamina igitur celerrimè pertranseunt, cibísque alijs præeunt, si in ventriculum purum inciderint, & sumpta primis epulis fuerint, aut etiam prauum succum in ventriculo offenderint, celerrimè vnà cum alijs cibis corrumpuntur, nouo quodam corruptionis genere, & quod verbis explicari nequeat.* Aliis multis in locis idem repetitum inuenimus, etsi non omnes Galeni opinionem recipiant de alimentorum ordine, quia putant fieri reuolutionem quandam in ventriculo, veluti in lebete, & ob id non esse attendendum ordinem in ciborum assumptione. Prætereà est etiam quæstio de alimentorum ordine, aliis aliter sentientibus, vti vnusquisque videre potest ex doctissimo Vallesio *in lib. 6. suarum controuersiarum*, *cap.* 4. Quatuor

igitur

igitur iſtis modis contingit in cibo peccare, & coctionem vitiari illæſo ventriculo, quibus omnibus adderem & ciborum varietatem: nihil enim æquè coctioni aduerſatur, ac ciborum varietas: nam quemadmodum natura à duobus conflictata morbis, aut ab vnico affectu plures habente cauſas, tanquam cum multis pugnatura difficiliùs euincit, ita ventriculus plura habens edulia facultate diuerſa, difficiliùs commutabit, proptereáque de alimentis ſcribentes, nihil æquè damnarunt, ac ciborum varietatem, præſertímque vbi variis conſtent facultatibus, 1. *acut. comment.* 18. & *lib. de ſalub. diæta, comment.* 22. vbi ita legimus: *Nam ſemel cibum capere, & eum vnicum; vinum item vnum bibere intereſt ad hoc, vt & venter illa retineat, & concoquat, contraria verò ægriùs tum concoquuntur, tum in ventre commorantur, & pro ciborum qualitate, & ordine aſſumptionis, aut innatare illos, aut excerni contingit.* Hæc quæ de cibo dicta ſunt leges apud Galenum *lib.* 1. *de ſanit. tuenda, cap.* 13. De potu idem eſt dicendum, quod de cibo, cùm æquè ſit neceſſaria potio, ac cibus, & vt à vino incipiam, plura commoda præſtat: nam concoquit, facit ad diſtributionem eorum, quæ ſunt in ventriculo iam cocta, ſanguinem creat, nutrit, lotium cit, & facit corpora bene valentium difflare, 4. *in 6. epid. com.* 20. *Vinum,* inquit, *aqua præſtat non ſolùm ad concoctionem, quæ in ventriculo fit adiuuandam, ſed etiam ad concocta diſtribuenda, ad ſanguinem creandum, ad nutriendum, ad lotium citandum, & ad rectè valentium corpora difflanda, & quemadmodum cibo reſtituimus quidquid ſiccioris ſubſtantiæ effluxit, ita potione quidquid humidioris,* 1. *de ſanit. tuenda, cap.* 2. Quare vinum dicimus nutrire, ſiue tenue, ſiue craſſum, differunt tantùm nutritionis quantitate, cùm tenuiora minùs nutriant, vt Galenus 2. *Aphoriſm. comment.* 11. vbi legitur, *Facilius eſt impleri potu, quàm cibo. In cuius textus comment.* omnia iam dicta colliguntur, veluti pariter videtur poſſe haberi ex *lib. de alit. comment.* 4. quando ait. *Et quicumque celeri appoſitione indigent, humidum medicamentum ad reſumendas vires optimum. Quicunque celeriori, per olfactum. Quibus verò tardiore appoſitione opus eſt, id ſolido alimento faciendum eſt.* Hæc & alia commoda præſtat vinum, quæ à Galeno habentur. At ſi liberalius eodem vtamur, & ſi aptiſſimum ſit corpori nutrimentum, tamen tantùm abeſt vt iuuet, & calorem viuificet, vt potiùs extinguat: nam fiunt deſipientiæ, vt 1. *prorrhet. comment.* 8. conuulſiones, & alia mala: cùm enim ſit calidum natura, facilè omnia ſubintrat 5. *Aphoriſm. comment.* 5. Immò refrigerat, vt apertiſſimè idem Galenus aſſerit *lib.* 3. *de temp.* his verbis: *Proinde nec vinum ipſum ſemper animal calefacit æquè, vt nec oleum flammam accendit, tametſi aptiſſimum ſit ignis nutrimentum: immò ſi imbecillæ, & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, ſuffocabis eam, prorſúſque extingues.* Sic igitur & vinum, vbi plus bibitur, quàm vt euinci poſſit, tantùm abeſt vt animal calefaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat, quippe apoplexiæ, paraplegiæ, & quæ Græcè caros, & comata vocamus, & neruorum reſolutio, & comitiales morbi, vt conuulſiones, tenani, immodicum vini potum comitantur, quorum vnumquodque frigidum vitium eſt, præ-

Ddd terea

tereà & morbi calidissimi, vti exempla ab Hippocrate relicta comprobant. Quare, quemadmodum mediocris eius vsus multa commoda præstat, ita immodicus eiusdem vsus multa incommoda. Aqua non omnino est inutilis: nam ventriculi siccitatem remoratur, vt *lib.* 3. *acut. comm.* 19. facilè coquitur, in vniuersúmque corpus distribuitur, hypochondria celerrimè penetrat, & facilè à calore naturali alteratur, ex Galeni sententia *lib. de Ptissana.* Hoc verò intelligitur de aqua optima. Prætereà est ad vitam apprimè necessaria. 1. *de simpl. medicam. facult. cap.* 4. Refrigerat epota æstuantes, 4. *in* 6. *epidem. comment.* 15. Appetentiam excitat, ideóque appellat edacem *lib. eodem citato.* Sitim extinguit 1. *lib. de simpl. medic. cap* 7. *text.* 20. & longè vtiliorem vult esse aquam calidis naturis, vino. *Lib. de bonitate & vitio succorum, c.* 11. sic. *Nihilo tamen secius homini temperatura calidissima prædito, vel naturali, vel ex ætate vtiliùs aqua bibitur, quàm vinum.* Idque certè experientia constat in multis, qui naturâ appetunt aquam, eandem sine noxa bibunt; adeóque vinum illis est infestum, vt ne odorem sustinere possint, sine maximo naturæ dispendio, huiusmodi homines calidissima esse natura constat. Si verò aqua non sit bona, iam enarrata commoda non præstat, ad quod respiciens Hippocrates *lib.* 3. *acut. comment.* 40. scribebat aquam, neque sitim sedare, neque distribui, ad summum nihil boni afferre. Calculos renum, obstructiones, capitis dolores, & huiusmodi alia generat accidentia, quæ ab Hippocrate habentur *lib. de aëre, aquis, & locis, circa initium.* Sunt qui dicant Aquam inter nutrientia esse reponendam, eo præcipuè moti fundamento quod Hippocrates *in lib.* 3. *acut. adducto,* dicat loquens de mulsa, esse potentiorem, quàm aquam, quibus verbis aliquam nutriendi vim tribuit aquæ, vti Galenus *in comment.* notat. Sed & Aristoteles in problematis istud ipsum confirmare visus est. Verùm sinamus hos, & dicamus aquam simplicem nullam vim nutriendi habere, quòd si Hippocrates visus est in acutis confirmasse, est hoc per quandam similitudinem, quia scilicet cùm retardet siccitatem humectando, ex hac parte nutriendi vis aliqua tribuitur. Medicatæ autem possunt nutrire, & de his est intelligendus Aristoteles. Veniamus modò ad somnum, & vigiliam. Hæc quoque sunt ex necessariò corpus alterantibus, quæ si moderantiam habeant, corpori sunt commoda: nam somnus coctiones perficit, *lib.* 12. *meth. cap.* 3. Per somnum enim calor natiuus ad interna recurrit, & partes coctioni deseruientes calore ingenito sunt abundantiores, quod est in causa perfectionis coctionis, vt 4. *in* 6. *epidem. comment.* 14. *Perinde*, inquit, *& coctiones perfectiores, & efficaciores, quàm in vigilantibus fiunt, non solùm in ventriculo comestorum ciborum: verumetiam humorum in iecinore, & venis corporis abditas sedes in dormientibus calidiores effici, signum est*, cùm à nobis concessum, & *supra* ostensum sit ingenitum calorem omnium in corpore concoctionum præcipuum esse opificem: quòd autem intelligat calorem innatum, explicat 5. *in* 6. *epidem. comment.* 32. sic. *Porrò, si insomnis sanguis, & cum eo naturale calidum interius abditur, in vigilia verò ad extima profunditur,*

funditur, quæ in ventriculo & iecore sunt, per quietem concoquuntur, in vigilia verò totum corpus aletur. Eadem habet ferè *lib. eodem. comment.* 10. Si verò modum excedat, non modò non est vtilis, verùm admodum nocuus 2. *Aphorism. text.* 3. De vtilitate, & nocumento somni habet multa Auicenna *Fen* 2. *Doctrina* 2. *lib.* 1. *cap.* 13. Ibi diligentissimè tractat de sex rebus non naturalibus, & quæ corpori vtilitas, aut damnum sequatur, explicat, dum ait, multum somnum facere virtutum animalium sensum obtusiorem, ægritudines frigidas generare, caput replere, & dolorem inferre, præsertim si intempestiuè ad somnum nos conuertamus, id est, statim à cibo, quod etiam habemus ex Galeno 4. *Aphorism. comment.* 67. his verbis: *Et profectò, vt à cibo ad somnum conuerti implet caput, sic in plethoricis dispositionibus somni ipsum replentes aggrauant cerebrum.* Prætereà exsiccat vehementer somnus multus 5. *in* 6. *epidem. citato, text.* 32. *Euacuatum exsiccat somnus multus.* His subnectit Galenus. *Itaque si in exhausto calor interius vergat, nihil habens, quod conficiat, languescit, & interit.* Mentem tamen adhibere oportet ad illud *multus*: nam si paucus erit, prægressum laborem tollet, & cruditatum reliquias in iecur, & primis venis existentes concoquet: quod etiam scriptum est *lib.* 4. *de sanit. tuenda, cap.* 4. & tanta est vtilitas, quam concoquendo affert, vt nisi hac de causa dicatur vtilis à Galeno, quia quatenus facit, vt calor natiuus ad interna recurrat, eatenus nocumentum parit, maior autem est vtilitas, quæ ex concoctione percipitur, quàm damnum, quod sequitur ex recursu caloris ad interna. *Somni*, inquit, *proculdubio semper nocerent, quatenus ad profundum, & viscera materia fluit, nisi coctionis ratione plus afferent vtilitatis, quàm sit damnum, quod ex motu ad interiora consequitur.* In quo nocuus est somnus, in eo vtilis est vigilia, & è conuerso: nam si vigiliâ alitur vniuersum corpus, non potest nonnisi vtile afferre, præterquam quod dissipantur humores in vniuerso corpore existentes, qua de causa Hippocrates appellauit eas edaces; neque tamen si modum excedat salutaris est, vti Hippocrates 4. *acut. comment.* 7. *Multi ex diuturnioribus vigilijs acutissimè febricitarunt. Alij desipuerunt, conuulsi sunt.* Ita 7. *Aphorism. in cuius comment.* 18. non alia ratione hæc fieri scribit Galenus, quàm ex ingenti siccitate, quæ à vigiliis fieri solent, ob copiam humoris biliosi ab iisdem cumulati. Verba Galeni. *Cur verò immoderatis vigilijs conuulsio succedat, aut desipientia manifestum est. Nam dictum est ab Hippocrate conuulsionem vt à repletione, sic ab euacuatione fieri. Ex ijs autem, quæ maximè euacuant, & exsiccant vigiliæ sunt, atque ideò conuulsionem ex siccitate faciunt, ac desipientiam, immodicæ siccitatis ratione, ac prætereà, quoniam in longis vigilijs redditur sanguis biliosior.* Ex eodem genere sunt motus, & quies; nam moueri corpus necessarium est, post motum quies, & sic vicissim; verùm vtraque & damnum, & commodum inferunt, prout iis vtimur: si enim moderatè, & tempestiuè vtimur motibus, corpus robustius efficitur: roborat enim motus, & carnium, & adipis succorúmque abundantiam minuit 3. *in* 6. *epidem. comment.* 2. Commendatur præter id, quod corpora roborat, & calefacit, hócque est

in causa maioris pinguedinis, & commodioris nutritionis, *lib.2. de fract. comment.59.* Præter id purgantur omnes meatus; excrementa pelluntur, & partibus robur additur, vti *lib.2. de sanitate tuenda, cap.2.* At si immoderati sint, contrarium efficiunt, detrimentum afferentes. *Lib.12. meth. cap.8.* mortem afferre aliquando vehementiores motus vult. Hominem biliosis excrementis replent. Et quemadmodum per moderatum motum calor natiuus fit maior, & corpus redditur robustius, ita ex vehementiori dissipatur: nam mediocris motus conseruat, vehementior dissipat, & ab eo contabescit corpus, pulcherrimè id annotat Galenus *lib. de causis morb. cap.3.* Ait post multa vtilia, sic. *Ex quo manifestum est, quòd flamma quidem ad sui nutritionem motu eget aduentitio, non tamen immodico: si enim nullo modo flabelletur, elanguet: vehementiore verò motu extrinsecùs vrgente dissoluitur, ac dissipatur, & crederem id sic fieri, quia in motu fit dissolutio, sed in validiore boni semper aliquid effluit, & maior copia, quo violentior est motus, & inde elanguet corpus.* Hoc Galenus docebat *lib.3. de sympt. causis, cap.2.* Proptereàque neque debilitatis conuenit, quod intelligere videtur Hippocrates, quando ait: *Vbi fames, laborandum non est. 2. Aphorism. comment.16.* At neque intempestiuè exercitandum est corpus. Intempestiuè dico, cùm haud multò pòst cibum motu vtimur violentiore, quo tempore adhuc crudi, & inconcocti sunt cibi in ventriculo, quia priùs descendunt, quàm probè concoquuntur. Docet hoc Galenus *lib.2. de sanitate tuenda iam citato*, his verbis: *Nam, quoniam digestionem in corpus adiunat, non debent, cùm administratur, crudi, incoctique cibi, aut succi multitudo, vel in ventriculo, vel in vasis contineri, vnde periculum sit, ne prius quàm per maturam concoctionem vtilis sit, in omnes animalis partes rapiatur.* Quod idem ab eodem habetur *lib. de succorum bonit. & vitio. cap.3.* hunc in modum. *Quemadmodum enim omnium maximè commendatur ad sanitatem exercitatio ante cibos, sic à cibis motus vnusquisque, vel imprimis damnatur, eo quod in ventre alimentum ante concoctionem distribuatur, crudorúmque ita humorum vis colligatur in venis, vnde morborum genus omne progigni soleat, nisi priùs, aut laboribus pluribus dissipentur ipsi, aut concoquantur, inque sanguinem vertantur à iecoris, venarúmque facultate.* Subdit: *Quodnam igitur erit opportunum tempus exercitationis?* Resp. *Ante cibum, aut multò post cibum, quando scilicet hesternus cibus duplici coctione iam prorsus sit confectus, & ea quæ in vasis sanguinis agitur, ac iam denuò cibandi tempus instat: si autem prius, aut posteriùs exerceat corpus, aut crudi humores coaceruabuntur, aut pallidæ bilis copia.* Verùm quoniam id tempus difficilè potest cognosci, cùm non sit omnium eadem dispositio, neque idem coctionis tempus, propterea ex vrinis id assequendum esse monet Galenus: si enim vrinæ aquæ speciem referant, tunc abstinendum à motu, quoniam adhuc crudi sunt succi. *Crudum, inquit, adhuc esse succum cum indicat, qui à ventriculo submittitur:* si verò rufa erit, biliosáque, iam dudum concoctum esse huiusmodi succum indicat. Quæ modicè pallet, peractæ modò secundæ coctionis est signum, quia cùm nondum bile est infecta vrina,

tunc

tunc aquæ ſpeciem, alborémque refert. Cùm verò plùs iuſto eius bilis acceperit, rufa cernitur. Concludit poſteà exercitationis tempus commodum eſſe, cùm vrina mediocriter eſt rufa, mediocritérue pallens, tunc exercitatio eſt adeunda, tamen expulſis priùs excrementis, quæ vel in veſica, vel in inferioribus inteſtinis continentur. Quodnam igitur exercendi corpus tempus ſit commodum, & quomodo cognoſcatur, cum Galeno vidimus. Eadem eſt de quiete ratio. Hæc ſalutaris eſt: nam in omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies ſtatim laſſitudinem aufert. Et 3. *de ſanitate tuenda, cap.*8. dicitur laſſitudinis medela, & quæ corpora à nimio exercitio exſiccantur, eadem à quiete humectantur, 4. *Aphoriſ. comment.*13. At ſi modum excedat, moleſta eſt, cùm corporis deſes quies, prorſus maximum ſit ad tuendam ſanitatem incommodum, quia reddit corporis partes admodum imbecillas. *Lib.*3. *de ijs, quæ in medicatrina fiunt, com.*32. Morbos generat frigidos. *Lib. de cauſis morb. circa libri veſtibulum. c.*3. Alterant prætereà corpus quæ retinentur, & excernuntur: nam, & hæc neceſſaria ſunt ad tuendam ſanitatem: cùm enim in dies alimenta ſumantur ad corporis robur ſeruandum, neceſſaria eſt illius alimenti retentio, aliter non poſſet à facultate concoqui; poſtquam concoctum eſt, vnaquæque pars proprium ad ſe trahit alimentum ad ſui nutritionem. Hoc præſtito, quoniam nullum eſt alimentum, quamuis optimum, quod non aliqua generet excrementa hæc ideò eſt neceſſarium, vt à corpore deturbentur; ſitque hæc expulſio, vel per cutim inſenſibiliter, aut ſenſibiliter per ſudorem, per aluum, per vrinam, aut omnibus iſtis modis, munus, & operatio facultatis expultricis: ſcimus enim ex Galeno *tot in locis*, quatuor eſſe corporis facultates, quibus omne nutriendi munus in nutritis corporibus adminiſtratur. Prima, quæ ad ſe quod vtile eſt trahat. Altera, quæ id retineat. Tertia, quæ alteret. Quarta, quæ noxia expellat. Hæc ſi naturæ lege fiant, vt conuenit, nullum generari morbum conſtat. At ſi aut non retineantur retinenda, aut è conuerſo, & à facultate expultrice non trudantur varij iíque peſſimi affectus oboriuntur, *lib.*2. *de cauſis ſympt. cap.*1. De quibus videtur Galenus diſſerere *lib.*1. *de naturalibus facult. cap.*11. Et quod dicitur de concoctione alimentorum, idem & de excrementorum concoctione ſtatuendum eſt: nam & hæc dicitur concoctio, etſi minùs perfecta, vti habemus *lib.*4. *acut. comm.*44. his verbis: *Nempe biliosa cruda ita appellauit, quoniam & excrementorum coctionem appellat, quanquam mutata nutrire non poſſunt.* de qua concoctione verba fecit Galenus *lib.*3. *de ſympt. cauſis*, *cap.*2. Porrò omnium, quæ à natura ſint aliena communis eſt terminus, ſi quamuis concocta ſint, nutrire tamen non valeant. Excrementa igitur non priùs deſcendere debent in morbis, quàm ſint concocta, euicta, & edomita à natura: ita enim dicuntur cocta, & ob hoc excrementorum coctio non dicitur perfecta, quia etſi fiat à natura, tamen non ita alterantur, vt conuertantur in ſubſtantiam nutriti: hæc etenim verè perfecta eſt. Si igitur aliter fiat, id eſt, ſi priùs excernantur, quàm natura euicerit, non eſt illud naturæ ratione, ſed ſunt caſus earum, quæ in corpore ſunt præter naturam diſpo-

sitionum. Quo enim tempore à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid benè excerni est impossibile, siquidem oportet præire coctionem, subsequi discretionem, & posteà euacuationem, ad hoc vt bona sit crisis, fuit iudicium. Quòd si concoctis his, hæc non sequatur, iterum recidiuant ægrotantes, noua in humoribus inducta putredine, vt 2. *Aphorism. text.* 12. habetur. Aut si sani sunt, in morbos celerrimè incidunt, si ex consueto excrementa in dies non reddantur, siue per aluum, siue per vesicam, vti idem Galenus *lib.* 3. *acut. text.* 33. & *lib.* 3. *de sympt. causis citato.* Caput dignum quod perlegatur. Relinquitur modò sextum, & vltimum expendendum. Animi affectus. Isti non sunt de nihilo, cùm nulla sit tam vehemens corporis affectio, quæ vincat animi passiones, scribebat Galenus *lib. de parua pila ludo, circa libri initium.* Sunt autem animi passiones, eodem Galeno dicente *lib. art. med.* Ira, tristitia, excandescentia, timores, inuidiæ, & id genus alia. Hæc omnia corpus nostrum alterant, & à naturali statu auertunt. De his, & quot sint habebis ex Galeno *lib. de cognoscendis, curandísque animi morbis, cap.* 3. & *lib.* 12. *meth. cap.* 5. *Sunt porrò inter animi affectus*, inquit, *timor subitus, & vehemens, quem ecplexim Græci vocant, præterea quæ contraria est timori, voluptas maxima, Græci Perichanian dicunt, quasi excessum gaudij dixeris.* Subdit: *scimus enim amborum occasione quosdam perijsse.* Iam reliqui quoque magni timores omnes, & cum his maximæ voluptates, etsi non iugulent, at certè facilè resolubilem, infirmúmque spiritum reddunt. Tristitia verò, & anxietates, & ira eo genere sunt noxiæ, quo frequentes vigiliæ, quoniam vires resoluunt. Amor idem præstat quod ab expertis petendum est, & Galenus quendam ex amore laborasse scribit, ídque ex pulsu cognouisse fatetur. Venus, etsi nullius vsus esse videatur, re vera tamen confert, Galeno probante, *lib. art. med. cap.* 86. *Qui veneris vsum possunt sustinere, his non admodum nocet, sed potius videtur conferre, tales autem sunt, qui vires habent robustas, & pituitosi præcipuè, quoniam resiccat pituitæ copiam,* & ob id dicit Hippocrates. *Venus morbis à pituita remedio est,* 5. *in* 6. *epidem. text.* 23. Sunt qui ex concupitu imbecilliores fiunt. Alij nisi assiduè coëant, grauitate capitis molestantur, cibos fastidiunt, febricitant sæpissimè, atque quemadmodum malè appetunt, ita etiam minùs concoquunt, quos Plato arbores immodicè fructiferas appellat. Alij sunt, qui si præ pudore à venere abstineant torpidi, pigríque redduntur. Alij appetentiam deperdunt, alij alia patiuntur accidentia, quæ vnusquisque videre potest *lib.* 6. *de loc. male affect. cap.* 5. Alij sunt, qui si venere vtantur, iis inflatur venter, vt contigit Dramagoræ. Aliis fiunt strepitus, vt Arcesilao. Verùm si credendum est Galeno, venus nunquam non lædit, quia etiamsi corpus repleri videatur ex veneris abstinentia, tamen confirmatur quammaximè, 1. enim *in* 3. *epidem. comment.* 4. hæc habentur. *Quanquam venus, vt vacuatione plenum non permittit fieri corpus; tribuamus sanè hoc illi, stomachum certè labefactat non mediocriter, cum veneris abstinentia, etsi corpus impleat, confirmet, vt quammaximè.* Quòd si moderata

venus ſemper aliquid detrimenti facit,quid faciet immoderata, cùm ſua natura vires eneruet,neruos afficiat, tremores generet,podagras irritet, & innumerabilia generet accidentia,quæ aliquando homines,aut citò iugulant,aut concomitantur ad mortem, & præſertim id euenit effrænatis iuuenibus,qui venereo illo ſtimulo violentiùs,impulſi,infeſtas mulieres inſectantur. Hi propter breuem voluptatem, longiori tempore extorquentur. Fiunt podagræ,vt confirmat Galenus *6. Aphoriſm. comment.* 30. Tremores inducit,vt ex hiſtoriis elicitur. Et tandem *lib.* 5. *de loc. malè affect. cap.6.* ait fieri morbum epilepticum ex oris ventriculi conſenſu, dum ita ſcribit. *Iam aliquos quoque vidimus conuulſione comitiali ob oris ventriculi vitium correptos, quum aut non probè concoxerint*; *aut vini, & quidem meracioris plurimum potaſſent, aut vbi veneri immoderatæ operam dediſſent.* Concludamus igitur cum Hippocrate. Cibus,potus,venus,omnia mediocria.Quid autem obſeruandum ſit in venere exercenda,docet apertiſſimè Galenus *lib. art. med. cap.86.* De balneis etiam eſſet aliquid dicendum, quoniam & hæc maximè commoda corpori ſunt,& plurimum faciunt ad ſanitatem,de quorum commodis,& incommodis, & quando vti quiſque poſſit commodè, copiosè demonſtrat Hippocrates *lib.3. acut. text.* 44. quæ omnia non eſt cur hîc referantur.Quare quantum poſſit victus ratio bene ſeruata, quantúmque improba,cum Galeno vidimus, vt propterea mirum non ſit; ſi hic ægrotans eadem abutens lethaliter fuerit affectus. Neque eſt credendum ad morborum generationem, omnium eorum, quæ corpus noſtrum alterare diximus, ſimul eſſe exceſſum oportere, ſed ſufficit vnum, vel alterum, & quamuis videamus aliquos intemperantes, aut non lędi,aut modicè,alios eodem modo delinquentes grauiter affici, haud mirum eſt, quando non eſt eadem omnium diſpoſitio. Faciliùs enim, aut difficiliùs alij aliis, cauſis obſiſtunt morbificis, aut magis, vel minùs ſunt apti ad patiendum. Id videtur affirmare Galenus 3. *Aphoriſm. comment.* 19. & etiam *in comment. Sileni*, qui & ipſe, veluti multi alij ex prauo victu in febres lethales incurrerunt, perinde & hic, de quo verba fiunt, quem ex laſſitudinibus, & laboribus parum habita victus ratione lethaliter eſt affectus. Addidítque hanc particulam,vt innueret,quàm prauè eſſet diſpoſitus, vt non fuerit mirum ex cauſa externa tam facilè fuiſſe grauiter læſum, præcipuéque deliquiſſe in cibo, & potu,quia ſi aliter intelligeret, ſeipſum declaraſſet. Ad hoc credendum adducor, quoniam *in hiſtoria Parij*, hæc habet. *Ferculis etiam multis, & vitioſis vtebatur*; *in cuius comment.* Galenus ſic ſcribit: *Cui acceſſit malus hominis victus, qui quidem non leue attulit ad exitium momentum.* Itaque per hæc concluderem, quando ſcribit, *parum habita victus ratione*,non eſſe intelligendum hunc ægrotantem tantùm deliquiſſe in laboribus,verumetiam in cibis. Itaque factum eſt,vt ex laboribus,bilioſi humores,ex praua victus ratione, id eſt, ex prauis cibis crudi humores fuerint coaceruati, quibus tandem repletis venis, in iiſque putreſcentibus huiuſmodi concitauerint affectum. Magnam fuiſſe febrem,& acutam ipſe Hippocrates ſcribit, ſed multò magis confirmant accidentia,

quæ

quæ febri fuêre associata, ex quibus non tantùm acutam, sed etiam mali moris extitisse ex superuenientibus constat. Cùm igitur putredo ingens fuerit in humoribus concitata, dum natura tentabat per sentientes partes humores trudere, vt vasa maiora ab infarctu liberaret, factus est rigor, & magnus, quia humores erant mordaces, & quia natura valida poterat vehementiori motu vti, solétque sequi ad febres malignas rigor principio factus, qui eò malignior censetur, quò nulla eundem sequitur euacuatio, & scribit fuisse magnum rigorem, quia naturæ motus erat validus. Rigor iste fuit omninò inutilis, & vt causa, & vt signum: rigor enim superueniens primo morbi insultu, symptomaticus est omninò, & naturæ irritamentum arguit factum vel à crudis humoribus, vel à prauis, & acribus in ventriculo existentibus; neque potest ægrotantem iudicare, sed si perseuerat, potest significare difficile iudicium in morbo non admodum maligno, in grauiore morbo, mortem. Nam hic rigor nocet quatuor modis. Primo modo, quia illa concussio quam patitur corpus, reddit illud infirmum. Secundo, quia perfrigeratione calor natiuus redditur languidior, vt inde corporis actiones labefactentur. Tertio, quia materia intrò recurrit, & periculum est, ne habeat raptum ad aliquam partem principem, & inde verenda inducat symptomata. Quarto, quia solet post rigorem febris vehementer increscere, quod apertissimum esse constat, quando postquam dixit, *magnus cœpit rigor*, statim addit,

[a] *Febris acuta.*] Quòd febris fuerit acuta, non est quòd vertatur in dubium, quando propria ipsius accidentia adfuêre statim. *Lingua inaruit*; *sitis ingens*; *vigiliæ graues*. Hæc omnia à perurenti calore fieri quis non affirmabit, esséque peccantis causæ indicia non obscura, biliosi videlicet humoris. Non defuisse malignitatem constat apertissimè ex emissis vrinis, quod explicat Hippocrates sic:

[b] *Vrinæ nigræ, suspensiones sublimes, non subsidebant.*] Hæc vrina duo indicat. Quòd spectat ad substantiam, cruditatem. Quòd attinet ad colorem, mortem; quia, vti anteà dictum est ex Galeno: *Vrina nigra præter id, quod est cruda, est etiam lethalis.* Distinguere autem oportet cum Galeno, vt certius fiat iudicium; nam vrinæ nigræ non semper eandem habent causam, quando possunt esse criticæ. Vrinæ nigræ si ex vi morbi tales sint, sine dubio indicant alicuius visceris principis non leuem læsionem: sunt autem tales, aut quia tota vrinæ substantia sit denigrata, aut quia contentum solùm, aut quia vtrumque. Causa nigredinis vel est caloris vehementia; vel quia humor niger euacuetur, qui cum sero mistus, à natura per vias vrinæ criticè euacuatur, vel quia prodeat à parte, vbi humor melancholicus recipitur, veluti à liene, vel fit talis propter caloris extinctionem.

Dices, quomodo poterimus has causas cognoscere? Si omnia diligenter obseruentur circa ægrotantem: nam cùm vrina talis redditur, propter extinctionem, præter id quod habebit adiunctam virtutis prostrationem, erit etiam vrinarum fœtor, veluti in materia abscessus, natura victa, & tunc sine dubio mors est præ foribus. Si verò tali existente vrina virtus

fit

ſit fortior, alleuantur ſymptomata pro euacuationis ratione, tunc critica eſt expulſio: ſi verò in principio tales ſint, caloris vehementia id facit, & tunc etiam ſunt pernicioſæ, & denotant copiam peſſimæ materiæ, veluti eſt ſerum atræ bilis, cum vrinis miſtum, & hoc tempore pariter deterrimus eſt ægrotantis ſtatus. Hæc ægrotantis vrina inſequebatur caloris intenſionem: neque enim tam citò poterat natura deprimi, & erat ex iis, quæ totæ erant denigratæ, ſcilicet ex deterioribus, veluti idem Galenus notat *lib.*1. *de criſ. cap.*12. dum hæc habet. *Peſſima igitur eſt omnis vrina denigrata, adeò vt neminem viderim cum tali vrina ſeruatum.* Subdit, *minùs pernicioſa, ſi ſolùm id quod ſubſidet nigrum fuerit, atque adhuc minùs, ſi ſolùm id quod in medio ineſt, ac multò minùs, ſi ſolùm nebula.* Quemadmodum feruentis caloris erat ſignum, ſic non eſt mirum ſi omnia ad ſuperas partes ferebantur, & ob id ſuſpenſiones erant ſublimes, delirij anteſignanæ, vt aliàs vidimus. At vis morbi inualeſcebat ita atrociter, vt natura euidenter ſuccumberet, quod eò erat pernicioſius, quò id fiebat circa morbi initium. Depreſſionis naturæ nullum certius ſignum in morbis acutis, quàm extremorum euidens refrigeratio, ſed & vnum addit Hippocrates, quod non eſt de nihilo, quando inquit, *inter cætera manus, & caput.* Galenus multis in locis ait Hippocratem nihil vnquam fruſtrà addere: & propterea cùm dicat, inter cætera manus, & caput, hoc addit, vt ægri perniciem manifeſtet: nam refrigerari extrema in acutis ſignificat internam phlogoſim, at ad id peruenire ægrotantis ſtatum, vt ei caput refrigeretur, dicerem ego tunc ferè ad extremum eſſe ventum, cùm deficiat vna facultas princeps, ad cuius euidentem læſionem cæteræ conſentiunt: refrigerari enim pedes non eſt quid maximum, quia diſtant longiùs à principio caloris: at refrigerari manus, & caput grauius longè eſt: quid enim aliud eſt refrigerari partem principem quàm hominem vita cadere. Euentus denotat, dum addit.

c *Obmutuit, voce defectus eſt.*] Huius ſymptomatis anteſignanum poterat eſſe refrigeratio illa, quia ſolet ſequi ingentem virtutis proſtrationem, & vix credibile eſt euadere ægrotãtem à morbo illo, in quo hæc apparent; & idem Hippocrates *lib.*1. *in* 3. *Coacarum*, *text.*18. ait: *Quæ cum exolutione fiunt mutitates peſſimæ.* Aliquando ſunt indicia criſis, verùm non fiunt cum exolutione, ſed præceſſis coctionis ſignis, quo tempore virtus firma eſt, ſecùs non euiciſſet morbificam cauſam. At, qui morbi ad malum tendunt, & ſine criſi cedunt, aut cum mala criſi, perniciem breuiſſimo temporis ſpatio afferunt. Dicitur mala criſis illa, qua factis euacuationibus, vel abſceſſibus, non ſolùm ægri nihil iuuantur, verumetiam quæ eorum ſtatum reddit deteriorem, materia potiùs decumbente ad aliquam partem principem, aut natura pugnando cedente morbificæ cauſæ, quod prouenit tunc, aut propter humorum malitiam, aut virium infirmitatem: quando enim natura euincit quidem cauſam morbificam, ſed debiliter, aut à morbo ſuperatur, euenit tunc, vt nulla facta criſi, nullo tentato conatu natura ſuccumbat. Aliquando cõtingere poteſt, vt vires ſuas colligens inuadat cauſam morbificam, & ita quamuis videa-

tur debilis, tamen vnita fiat fortior, & reddatur superior; rarissimè tamen fiet, vt grauissima appareant in principio accidentia, & ægrotans cum acutissimo morbo conualescat. Incerti sunt morborum acutorum exitus, dicebat Hippocrates: at enimverò, etsi non est iudicium præcipitanter ferendum, neque tamen multùm decipietur Medicus, si in similibus morbis cum talibus symptomatibus ægrotantem moriturum prædixerit. Quòd si Galenus ipse monet omnia diligenter in morbis perpendenda, antequam iudicium feratur, hac scilicet ratione, quia sæpissimè bonum signum præponderet multis malis, & è conuerso, malum multis bonis, id ego intelligo præcipuè de statu facultatis vitalis, quoniam si ipsa bona est, præponderat multis malis, quia non desperat de salute ægrotantis, veluti putat non esse remediis locum, si virtutem vitalem habeat collabentem, cætera verò videantur mitiora. Explicat Galenus id *lib.* 1. *de cris. cap.* 13. his verbis. *Idcirco necessarium est signi cuiusque naturam exquisitè considerare, si quis vult rectè præcognoscere, vt ex vi vniuscuiusuis præcognitionem faciat. Neque enim quæ plurima sunt, illa omninò paucioribus sunt potentiora. Sæpè enim signum vnum forte, multis debilibus fidelius existit.* Hoc intelligite, de morbis generis venosi, non de morbis à fluxione pendentibus, vt pleuritide asthmate, & similibus, quia inuenietis pulsum fortem, qui promittet saltem longitudinem, & haud multò pòst suffocabitur ægrotans; & ob id in talibus morbis, neque in senibus non fidite pulsibus. Verùm in hoc ægrotante non erat vnum forte, quia est verisimile fuisse ingentissimam vitalis facultatis prostrationem, animali sic malè affecta: nam etsi aliquando in affectibus capitis videatur vitalis sustineri, tamen non est fidendum, quia celerrimè concidit, & ob hoc vos adolescentes ne præcipitanter salutem polliceamini, etiam in leuibus capitis affectibus, quia dignitas partis exigit, vt ipsius morbi magnifiant. Neque contentus Hippocrates explicasse statum ægrotantis, & dixisse obmutuisse, addit & hoc;

[d] *Voce defectus.*] Quod grauius erat. *Obmutescere malum, vocem deficere pessimum. Si quis mutus fit, non statim vocem amittit; sed si vocem amittit, etiam loquelam perire necesse est.* Ita Galenus *lib.* 4. *de loc. malè affect. cap.* 6. Itaque lingua resoluta muti fiunt, sed non statim prohibentur, quin clamare, lugere queant, aut quid simile facere, vt *in comment.* & *loco adducto*, quia vox fit à musculis gutturis, ab aspera arteria, à faucibus 2. *in* 1. *epidem. comment.* 38. loquela autem fit à lingua; ita vt maius sit malum obmutescere, & vocem amisisse, quàm si solùm obmutuisset, *cùm*, dicente Galeno, *sit extremæ facultatis extinctionis signum, vbi qui in eo sunt statu, neque lugent, neque gemunt, neque sonare omninò possunt.* Et quanquam Galenus non videatur recipere *in comment.* Sabini sententiam existimantis, vt ipse dicit huiusmodi ægrotantes appellari attonitos, hac scilicet ratione, quòd si ita Hippocrates intelligeret, ita affectos attonitos vocasset; tamen videtur ipse Galenus id, quod ibi improbat confirmare 7. *Aphorism. comment.* 58. quando ait: *Quibus cerebrum aliqua parte concussum est, necesse est mutos fieri.* Galenus. *Sed neque hoc loco quicquam*

quam ad præsentia refert, modò nouerimus sæpe consueuisse Hippocratem ab vno accidente notissimo, vocis amissionem nominare, & ostendere illos, qui neque vllum alium motum seruant secundùm electionem, neque quicquam omninò sentiunt, sed iacent eodem modo, quo apoplectici, sine sensu pariter, & motu. Ergo & Sabinus vera dicit, sic affectos attonitos appellans. Hæc Galenus. Quòd si forsan ex hoc signo adhuc ambigua appareret ægroti pernicies, addamus sequentia verba antecedentibus, & videbimus nihil omninò defuisse ad certam ruinam: ait enim,

[e] *Diu breui spirus.*] Id est, per multum tempus. Per breuem spiritum intelligimus spiritum paruum, & rarum, qui à refrigeratione instrumentorum respirationi deseruientium prouenit, quod ex Galeno habetur per contrarium, *lib.3. de diffic. respir. cap.8.* his verbis. *Cur igitur tandem ipsa relicta frigidam expirationem scripsit? An, quod non alia est parua, simúlque rara, alia verò frigida. Manifestum autem est hoc. Contrarium enim ipsi magnam, & densam ex immoderato calore in respiratorijs organis coaceruato generari demonstrauimus. Necessariò igitur parua, & rara his ipsis organis perfrigeratio erit.* Et paulò infrà: *frigidus enim spiritus omninò rarus est, & paruus, quòd palam perniciosum est, perfrigerari scilicet respirationis organa, quoniam ibi situm est cor, quod principium, & fons est insiti caloris.* Quòd spiritus breuis, sit quem appellant paruum, & rarum, apertiùs habetur ex Galeno 3. *in* 3. *epidem. comment.86. Nam*, inquit, *rarus, & magnus, quatenus rarus est, minor est frequenti, & magno, quatenus verò magnus, hactenus præstat paruo, & raro: secundùm vtrumque igitur paruus est breuis spiritus, & rarus.* Quare erit signum refrigerationis organorum respirationis fuisse breui spirum.

[f] *Redijt calor, sitijt.*] Et propterea sitiunt, quia rediit calor. At non fuit hæc mutatio ad salutem, sed in moribundis hæc sæpissimè fiunt conante natura per interualla euincere morbificam causam. Aut dicamus rediisse calorem, quia incipiebat natura minùs agitari adueniente die tertio, qui vt impar erat huic ægrotanti minùs infestus: mouebatur enim per pares, qui dies ante decimumquartum sunt periculosiores, vbi in his diebus fit iudicium. Post decimumquartum dies pares minùs periculosi, quia videntur habere rationem quandam septenarij, vt sunt dies vigesimus: vigesimusquartus: trigesimusquartus, & alij: neque enim quis vnquam vidit iudicatos ægrotantes acutè laborantes tutò, quin aut fuerint periclitati, aut recidiuauerint, ob id dicebat Hippocrates morbos acutos vtplurimum moueri per impares, & ita etiam celeriùs iudicari, qui autem per pares, difficiliùs, quia pendent à materia crassiori, & infidè. Visus est Galenus hoc confirmasse *lib.1. de diebus decret. cap.5.* sic: *At sexti naturam nullus exactè aliorum dierum videtur imitari; si aliquando autem in octauum diem, vel decimum subita morbi solutio incidat, similis ferè ei est, quæ in sexta accidat; verùm raró in his soluitur, cùm nec fidè, nec benè, nec perfectè: insuper ad hæc obscurè simul, & citra notas; quòd si aliquando fiat, tam rarum est, vt propterea id imprimis obseruet Hippocrates. Quieuisse nocte nihil boni, sed insequebatur diei motum imparis placidiorem, & sudauit*

inclinante accessione, sed fuit sudor inutilis, cùm circa caput solùm, & modicus esset. Sudor circa frontem improbatur ab Hippocrate 1. *prognostic. text.26.* super qua re multa habuit Pater meus *super expositione illius textus.* Præterea erat modicus, non auferens causam, quæuis autem modica excretio damnatur, vti cum Galeno aliàs vidimus. Adueniente die tertio tanquam impari, quieuit vsque ad meridiem, qua hora solebat inualescere accessio, & ita turbatus est, id est, aliquo modo mente est motus, nec mirum, quia in talibus morbis velociter accessiones pertranseunt sua tempora: neque frixisse denotat morbi intermittentiam, sed aliqualem malignitatem humoris peccantis; & ita est maligni, & pessimi morbi nota, quemadmodum totum corpus æqualiter vri benigni, & mitioris morbi est signum: nam illa perfrigeratio in febribus continuis fit sine crisi, & oppressione ventriculi, sequitúrque aut internam inflammationem, aut caloris extinctionem. Et hoc signum magnifacite, filij, quia sæpiùs obseruaui pessimum esse sequutum euentum, quando in febre continua inualescente febre statuto tempore accessionis, simul facta est refrigeratio aliqua. Ita Hippocrates inquit, *Sub solis occasum aliquantulum frixit, turbationem habuit.* Ex quo fortasse intelligit ingentem inquietudinem quæ antecedit deteriorem diem, secundùm Hippocratis dictum *in Aphorism.* & ob hoc etiam dicit noctem habuisse laboriosam, id est, nunquam quieuit, agitatio maxima, & ea vnusquisque experitur cùm ægrotat. Ita est defatigatus, vt nunc post modicam, sed inutilem alui excretionem, quæ efferuescentiam denotabat, cùm essent compacta, id est, in spiras circunducta, verterem, quieuerit. Hoc euenit in dies, quia tandem interquiescit natura tantisper, dum inuasio accessionis instet, præsertim cùm sit placidior hora matutinum tempus: verùm paruo momento perdurauit quies hæc. Neque nos fallunt dicta præceptoris, cùm quo grauior est nox, vtplurimum grauior sit accessio. Itaque ad meridiem omnia sunt exacerbata, id est, antedicta: iam enim obmutuerat, erat frigefactus, & alia; verisimiléque est fuisse grauiora, morbo ad augmentum properante, sed & maligniora, natura imbecilliore facta, morbo autem sæuiore, vt denotat ipse per verbum illud.

g *In deterius.*] Quòd si pugna diutius perdurasset, debebat mori in accessione, quia erant omnia mortem denotantia: at quia natura, tanquam optimus, & fidelis miles nunquam deserit, quem custodit; proinde restitit, & hucúsque suffecit, & hoc indicat rediisse calorem, restaurata natura, declinante acerrima pugna, & aliquo modo restituta. Dixisset rusticus, cum adstantibus ægrotantem meliùs habere, verumtamen dilectissimi iuuenes semper animum attendite ad priora accidentia, & videte quomodo sint sedata: nam etsi redeat calor post frigus in istis morbis malignis, id euenit adueniente fugaci flamma è partibus internis; & hinc fit, quòd sæpissimè ipsa statim euanescente, iterum refrigerantur corpora. Non fuisse fidam alleuationem, sed extitisse calorem internum æstuantem denotant emissæ vrinæ, quæ erant nigræ cum suspensionibus, id est, nigræ substantia, & contento, vel cum suspensionibus, vt demonstraret

morbi

morbi cruditatem : sunt enim crudæ, & lethales. Quòd si post tot symptomata nocte placidè quieuit, id referendum est in sequentem diem placidiorem, quo, inquit Hippocrates, visus est esse releuatus. Propriè loquitur Hippocrates, dum ait,

[h] *Visus est.*] Nam non erat existimandum in tam grauibus symptomatibus potuisse alleuari nulla subsequuta euacuatione insigni, quam non ita facilè sperasset Medicus in virtute iam insigniter depressa : &, vt infidum significaret statum, dicit fuisse sitibundum, & dolores infestasse ventrem, vt inde eliciamus abundasse crudis humoribus, qui agitati à febrili calore vertuntur in flatus, & distendentes ; dum tam citò exitum non inueniunt, dolores concitant, præsertímque in hoc fuit facile, quia iam scribit reddidisse excrementa pauca, & compacta. Sunt hæc excrementa mala, vt causa, & vt signum. Vt causa, quia si retineantur cum flatibus caput repletur, patitur pectus, & aliæ partes in consensum trahuntur, venter distenditur, & dolet, & alia multa superueniunt. Vt signum, quia id prouenit, vel propter meatuum angustiam, vel propter materiæ euacuandæ contumaciam, vel propter expultricis imbecillitatem, aut tandem, quia natiuus intestinorum calor sit ferè extinctus, quod admodum est lethale, & hanc putarem fuisse causam horum dolorum : nimirum, quia intestina, essent crassis humoribus infarcta, & virtus expultrix esset depressa, & hac de causa non expulsis excrementis maior flatuum copia eleuabatur, hincque sæuiens magis dolor, vt non immeritò habeamus ab Hippocrate 2. *Coacarum*, *text.6. In febribus flatulentus venter malo est, siquidem flatus non excidit.* Verùm cùm flatus habeant fouentem materiam crassam, in hoc abundantiam extitisse credibile est, quia iniecto clystere aliquo modo conquieuerunt, quia euacuata materia grauante intestina, cessauit affectio, vt quietem habuerit noctu, & fortasse etiam quia adueniebat septimus dies tanquam impar minùs huic ægrotanti molestus. Quòd si hoc die fuit implacidus, & alia habuit grauissima symptomata, non est mirum, morbo ad perniciem tendente: nam implacidum fuisse, & fastidiosum denotabat humorum infestantium malitiam, præcipuè circa os ventriculi, vt 2. *in* 1. *prorrhet. comment.*44. Symptoma in nullo morbo contemnendum : nam inquit Hippocrates : *Qui cum fastidio, & sine vomitu exacerbantur, malè habent.* Quo in loco Galenus ait : Bifariam enim ἀσώδεις, id est, fastidiosi fiunt : vno modo, cùm virtus à corpore grauatur, nullámque figuram sustinet : altero modo, cùm os ventris à prauis humoribus mordetur. Priores perniciosè se habent : nauseabundi sunt posteriores. 7. *Aphorism. comment.*35. appellat anxios. Præter id habuit vrinas oleosas, dicerem colliquantes in tali febre, de quibus Galenus loquitur *lib.*1. *de cris. cap.*52. His omnibus nox meritò erat implacida, quomodo enim possunt ægrotantes quiescere in tanta humorum malignitate, qui partim os ventriculi infestantes, noctem vigilem reddunt propter dolorem, partim ad caput elati, qui pollent qualitate delirium concitant, vti in dies obseruamus. Fuit quidem septimus dies satis molestus, verùm longè grauior fuit octauus, etsi matutino tem-

pore videretur leuior ſtatus,quia nondum erat tempus acceſſionis conſuetæ,qua adueniente,vt denotat frigus, grauiſſimè eſt affectus: *Vox*,inquit, *eum defecit*. Si in dies ſæuire magis morbum cernimus, quomodo ſpes erit ſalutis in talibus morbis, præſertim cùm appareant omnia coctioni contraria, & euidentem virtutis depreſſionem denotent: nam frigus,& vocis defectus in hoc caſu erant lethalia, quia inſequebantur vim morbi maligniſſimi. Spiritus ille exilis, & imminutus eſt eorum qui cor habent validè refrigeratum,& per conſequens eorum, qui ad extremam deuenêre perniciem.De tali ſpiritu intelligendus eſt Galenus,dum *lib.5. de locis malè affectis, cap.2.* ait: *Etenim ſupercalfactum* (loquitur de corde) *ſpirationem efficit magnam, & denſam, atque celerem, ac calidum inſuper ſpiritum reflat: contrà,refrigeratum, exiguam reddit ſpirationem,& raram.* Reſpirant ij,vt vix reſpirare dicas, ex quibus euidenter conſtat toties de vita periculum extitiſſe, quoties acceſſio inuadebat, minùs grauis ægrotantis ſtatus, tantiſper dum virtus potuit aliquo modo morbificæ cauſæ obſiſtere,quo tempore iterum redibat calor, id eſt, non æqualiter ſuffocabatur, ac in acceſſione: ob hoc veſperi redeunte calore meliùs habebat, etſi dicat deliraſſe, quod innuit vt moneat in grauiſſimis morbis non eſſe attendendam horam alleuationis, ſed anteacta: nam neque per dies debet Medicus fidere, niſi cum ratione id prædicere poſſit. Perdurauit hæc alleuatio vſque ad meridiem diei ſequentis, quo tempore ſolebat acceſſio infeſtare; at incipiebant apparere extremæ reſolutionis ſigna, cùm aluus ſit mota. Hæc euacuatio non fiebat propter motum naturæ operantis,quia non fuiſſent pauca,neque quia humor eſſet euictus, & ad benigniorem ſtatum redactus, ſed propter flagrantem internam diſpoſitionem,cùm dicat fuiſſe mera, bilioſa, id eſt merè bilioſa: neque credibile eſt poſſe tunc iuuare euacuationem, quæ fit depreſſa natura, præſertim cùm ſyncera eſt: nam bilioſa deiectio ineunte morbo indicat bilioſiorem affectum,ac interdum etiam lethalem. In declinatione expurgat corpus, quia dicitur critica, & tunc fit natura per ſe operante.Cùm verò fit, & ſyncera eſt, exacerbat morbum,vti hoc loco, apparet.Quod dicitur ex Galeno poteſt deſumi *in lib.2. prorrhet. comment.15. Deiectiones in ſynceras ſpumoſáſque deſinentes exacerbant.* Galenus *in comment. Praua igitur affectionis ſigna ſunt ſpumoſa, & ſyncera, ſi memoria tenuerimus,deiectiones ἀκράτες, id eſt, ſynceras appellari, quæ duntaxat vnum, qui excernitur, humorem cæteris impermiſtum habent: non eſt tamen, vt talia excernentibus morbus exacerbetur, neceſſe, cùm fieri poſſit, vt conquieſcat, paulatim cocta affectione, in qua talia excernebantur.* Quando igitur neceſſe eſt,vt morbus exacerbetur, cùm ſcilicet deiectiones præter id,quòd non ceſſent, in ſpumoſas ſynceráſque permutabuntur: nempe hæ aliis, quæ antè excernebantur, deteriores, exacerbandum morbum indicant.Quòd morbus ſit exacerbatus ex ſigno quod in nona ſuperuenit certum eſt, cùm addat fuiſſe illo die ſoporoſum, & notandus eſt modus loquendi Hippocratis, dum ait:

Cum excitaretur.] Ergo non dormiebat,ſed erat impotentia vigilandi,

&

& propterea fortasse iubebat Hippocrates excitari, ne in lethargum caderet. Hoc sequitur virtutis omnimodam oppressionem, & potest adaptari sententia Hippocratis *in lib.5.Coacarum,text.*41. *comment.*2. qui sic legitur. *Somni similes iys, qui comate laborant, & perfrigerationes lethales sunt.* Somni tales dicuntur vel qui profundi sunt admodum, vel ille è quibus excitati iterum dormiunt statim. Sequitur hoc symptoma cerebri refrigerationem ex multa, frigidáque materia; itaque oppresso calore insito nihil in superficiem corporis exhalat, aut parum admodum, propter hoc non poterat esse multùm sitibundus: si enim iam morbus mutauerat naturam, cùm ex calido factus sit frigidus, quomodo poterat esse sitibundus, præsertim cùm sic affecti vix sentiant læsiones, cùm ad extremum deuenerint. Huiusmodi status fallit non raro idiotas, cùm videant sedata omnia, & declinasse morbum, sed declinatione infida, omnia ad perniciem proximam tendentia. Oportet iuuenem fuisse & validis viribus, aliter in principio succubuisset. Ecce denuò insurgit virtus noua pugna inita sub solis occasum; sed ait.

[i] *Grauiter tulit.*] Quasi dicat, vix incœpit pugnam, quod statim decubuit, in quo motu affectum est caput ita, vt delirauerit, & noctem habuerit incommodam. Grauiter fert onus ille, qui illud supra vires sustinet, & inde fit, vt ex duobus alterum ex necessitate sequatur: scilicet, vt aut deponat onus, aut succumbat oneri. Natura hucúsque totis viribus est conata morbificam causam euincere, at tandem non potens succubuit omninò decimo die, & dum huius diei accidentia narrat, inquit.

[k] *Sine voce, multum frigus.*] Non dicit *amplius frigus:* sed *multum frigus*, vt ob oculos ponat eo tempore fuisse mortem præ foribus, neque ampliùs posse naturam resistere, quod indicat sudor ille, qui superuenit non ope facultatis gubernantis, qua euacuatione solent validissimi morbi euinci, sed resoluta facultate retentrice, & quamuis Hippocrates dicat mutitates in febre acuta esse lethales si non sudent, minùs autem si sudent, tantùm longitudinem indicare *lib.*2. *Coacarum,text.*29. *sect.*2. *Mutitates*, inquit, *in febre acuta cum exolutione, non sudanti quidem lethales, minùs autem exudanti, sed diuturnitatem significat:* tamen sciendum est hoc symptoma esse lethale cum sudore, & sine sudore, id est, ἀφονίαν cum exolutione, quia omnes affectiones in summo virium languore morte finiuntur: id quidem verum erit esse minùs lethales, modò natura tunc criticè moueat, sed non si fiat propter depressionem, vti hoc loco, quoniam tunc actum est de ægrotante. Triplex enim est crisis. Vna, quam optimam appellamus. Hæc sine dubio insequitur motum naturæ per se operantis, & superantis; quo tempore nihil est, quod molitam crisim possit interturbare, quoniam iam omnia præcesserint necesse est, quæ ad perfectam crisim requiruntur, de quibus iam in aliis dictum est. Altera est imperfecta, in qua natura parum superauit causam morbificam, & hac de causa non potest Medicus in huiusmodi crisibus aliquid certi præsagire, cùm in grauibus symptomatibus dubius sit Medicus, quorsum sit euasurus morbus, & an natura sit suffectura. Tertia mala, omnibus ad

ægroti

ægroti perniciem vergentibus. In hac Medicus, quemadmodum in prima poteſt tutò, & certò præſagire, ita in hac tutò poteſt prædicere euentum, ſed diſpari ratione, cùm in hac mortem, in illa ſalutem expectet, veluti huic ægrotanti contigiſſe cernimus, qui multo erumpente ſudore obiit decima, quia morbi vis ea erat, vt non poſſit vlteriùs natura ſuſtinere morbum, & die pari præcipuè, quia talis erat motus morbi, qui diebus paribus mouebantur, & exacerbantur: nam qui morbi diebus paribus mouentur, paribus iudicantur, 3. *in* 1. *epidem. textu* 13. & etiam *in comment. historia Philiſci*, & de hoc poteſt dici, quod de Philiſco dicebat Galenus, ſic. *Alius fortaſſe æger paribus ſymptomatibus, & ſignis, non die ſexto, ſed octauo obiret, ſi & viribus eſſet Philiſco robuſtioribus, & minus ſymptomata, & ſigna ſint pernicioſa.* Hoc poſtea animaduertere debetis difficiliores ſolutu eſſe morbos, qui paribus mouentur, ob id dicebat Galenus 1. *ſect. Aphoriſm. in comment. text.* 20. Perfectam iudicationem non eſſe intelligendam de diebus paribus, quia ſupponit materiam magis ſolutu difficilem. Verba Galeni, *Eſt autem huius nominis ἀπαρτὶ, apud alios antiquos ſignificatum pro cumulatè, plenè, atque indeficienter*; quæ omnia etiam hoc loco per ἀρτίως. id eſt, integrè, debemus accipere. Neque enim per id verbum, dies pares oportet intelligere: eſſet enim in propatulo falſum, ſi quis in diebus paribus, vel iudicatus eſt, vel iudicatur, nihil in his nouandum eſſe. His verbis demonſtrat euidenter iudicia in diebus paribus fieri imperfecta: nam pendent à materia contumaciori, & ſi in malum ſoluuntur, poſſunt citò finire, ſi in bonum prorogantur, vt idem Galenus teſtatus eſt 4. *Aphoriſm. comment.* 36. his verbis. *Qui in diebus imparibus acceſſionem habent, citiùs iudicantur; qui verò paribus tardant.* Neque propterea quis veſtrûm dicat in diebus paribus iudicia fieri, & tutiſſima, vt decimoquarto die, vigeſimo, quia nunc non loquimur de paribus, qui ſeptenariis concluduntur, & quamuis Hippocrates viſus ſit repoſuiſſe inter dies pares, id quidem intelligendum eſt ratione arithmetica, quia ſcilicet in duos pares numeros diuidi poteſt, vti in ſextum, & octauum, ſed quod facit ad noſtrum propoſitum, dicitur impar, quia duobus ſeptenariis concluditur, & in dies videmus iudicia fieri firma, veluti in vigeſima, & huiuſmodi aliis, & trigeſimaquarta: quemadmodum enim vigeſima ex tribus, ita vigeſimaſeptima ex quatuor, trigeſimaquarta ex quinque ſeptimanis conſtat, quadrageſima ex duobus vicenariis: nam mutationes fiunt in morbis diebus quaternariis, ſeptenariis, vicenariis, ſed diſtinguuntur à paribus, qui nihil retinent naturæ criticæ ſeptenariorum, vt dies ſextus, decimus, decimusſextus. Quare in illis diebus quæ iudicia fiunt, firmiſſima ſolent eſſe, veluti & ſigna quæ apparent, ſiue ſint ſalutaria, ſiue mortem portendant: quæ verò eueniunt in diebus paribus, qui non conſtant ex ſeptenariis, exacerbationes, vtplurimum ſunt exitioſæ, & ſi quæ fiat in melius mutatio, ea cenſetur infida. Neque propterea negandum eſt fieri etiam recidiuas in diebus imparibus. verùm rarius, & hæ minus habent periculi, quàm in diebus paribus. Itaque dicuntur quidem omnes iudicatorij, quia tam in paribus, quàm

in impatibus iudicia fiunt,ſed non pari euentu, vi, & certitudine. Non mirandum igitur ſi per pares moto morbo,vti dictum eſt,decimo die obierit, non potente natura vlteriùs vim maligniſſimi morbi ſuſtinere. Et hæc ſatis de præſenti hiſtoria. Veniamus ad curationem.

Curatio.

SI vnquam erat ſeruandum Hippocratis præceptum, in principio eſſe mouendum,certè debebat in hoc ſeruari, qui tot grauia accidentia habuit,& verenda, quæ non immeritò reddidiſſent Medicum ambiguum in propinandis remediis,& præſertim ſi ſecundo, aut tertio die fuiſſet vocatus, vti frequentiſſimum eſt: tamen cùm à principio virtus eſt depreſſa, nulla ſequuta euacuatione,poteſt quidem Medicus ex prauis ſignis coniicere adeſſe ingentem humorum malitiam, ſed non deeſſe & copiam, vt Galenus annotat,veluti ſupra demonſtrauimus,& ob id prædicto periculo debet ad conuenientia remedia venire, ſed parciùs agere, quia in ingenti humorum malitia,facilè ex euacuationibus natura deprimitur.Quare ſi virtus ea erat,quæ non momentaneam depreſſionem oſtenderet,poterat Medicus ad euacuationem per ſanguinis miſſionem deuenire:nam à febre indicatio oriebatur refrigerandi.Ab humorum malitia attemperandi,& malitiæ obſiſtendi. Ad refrigerandum nil præſtantius poterat conſiderari quàm venæ ſectio facta ex vtroque brachio, & eadem die inualeſcente morbo, neque in his caſibus tertiam, & quartam ſectionem vereri oportet cum eo moderamine requiſito à morbo, & à viribus, attendentibus nobis illud, quod magis vrget, & niſi maximum fuiſſet impedimentum leniens erat perneceſſarium, quia ex parum conuenienti victus ratione non poterat non niſi excrementa coaceruaſſe: ſin minùs clyſteribus erat inſiſtendum, ſtatim inchoanda erat curatio alexipharmacis iugiter exhibitis. Conſerua hyacinthi, Bezoar ſmaragdus: inter cætera tanquam magis familiare, & tutum medicamentum margaritæ. Inſiſtere ſyrupis obſiſtentibus maleficæ qualitati, & mediocriter deobſtruentibus, id eſt, ſine euidenti calore. Lenientes clyſteres pro doloribus. Galenus *lib.6.de loc.malè affect. cap.2.* dicit laxantibus vti. Hic non fuiſſet inutilis qui reciperet decoctionem factam ex maluarum & violarum foliis cum portione hordei ad ℥.*viij*.mellis violati ſolut. ℥.*iij*. ſaccari rub.℥.*ij*. olei violacei ℥. *iij*. ſicque iterare pro dolorum vehementia, & perſeuerantia. Sunt qui vtantur oleo exteriùs admoto ad aluum ciendam. Sumunt ſemina colocynthidis, infundunt ſpatio viginti quatuor horarum in oleo amygdali: & facta valida expreſſione ſeruant ad vſum: inungunt vmbilicum, & totum ventrem,& ſic aluum moueri aiunt, quibus parum fido. Reuulſiones non erant prætermittendæ, & validiùs operari, & citiùs,quo morbus erat velocior, & maior. At inter cætera victus ratio requirebatur,quæ eſſet optimi ſucci & facilis diſtributionis. Hîc oportebat omnia præparare, quibus familiaribus eſſet ſatisfactum, veluti decoctis cum auro,& rebus cordialibus,ſed bene dictum eſt,

Contra vim mortis, non est medicamen in hortis.

Componeret igitur à primis diebus animam, & prępararet se aditer commune, expediebat.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΤΕΤΑΡΤΟΣ.




Φρενιτικὸς τῇ πρώτῃ καταχλιθεὶς, ἤμεσεν ἰώδεα, πολλὰ, λεπτά. πυρετὸς φρικώδης. πολὺς ἱδρὼς, ξυνεχής. δι' ὅλου κεφαλῆς καὶ τραχήλου βάρος, μετ' ὀδύνης. οὖρα λεπτά. ἐναιωρήματα σμικρὰ, διεσπασμένα, οὐχ ἵδρωσεν. ἀπὸ δὲ κοιλίης ἐξεκόπρισεν ἀθρόα. πολλὰ παρέκρουσεν. οὐδὲν ὕπνωσε. β', πρωῒ, ἄφωνος. πυρετὸς ὀξὺς, ἵδρωσεν. οὐ διέλιπεν. παλμοὶ δι' ὅλου τοῦ σώματος. νυκτὸς σπασμοί. γ', παρωξύνθη πάντα. δ', ἀπέθανεν.

ÆGROTVS IV.



HRENITICVS *primo, quo decubuit die, biliosa, virulẽta vomuit, & multa, & tenuia.* [a] *Febris horrida: copiosus sudor, assiduus toto corpore:* [b] *capitis, collíque dolorifica grauitas, vrinæ tenues: suspensiones paruæ, dispersæ: non sudauit: Aluus stercus reddidit affatim, multùm delirauit, nihil dormiuit.* [c] *Postridie mane vocem amisit. Febris acuta;* [d] *sudauit:* [e] *non intermisit: palpitationes per totum corpus.* [f] *Nocte conuulsiones.* [g] *Tertio die cuncta exacerbata sunt. Obijt.*

COMMENTARIVS.



HRENITIDIS nomine solet Galenus cum Hippocrate intelligere omne delirij genus, hinc videbitis Hippocratem in multis dixisse fuisse phreniticos, quia scilicet vehementer delirauerint: at enimverò hunc fuisse verè phreniticum, & malignissima phrenitide laborasse ex iis quæ passus est, & ex celeri morte constabit euidenter, præter id quod à Galeno habemus *in comment.* dum ait: *Acutissimæ phrenitidis hic æger est exemplum primo statim die vnà cum febre incessentis, omnesque certè vidimus, qui quidem ita phrenitide perciti essent, intra septimum diem mortuos esse.* Perpauci, híque rari hunc superarunt.

Phrenitis

Phrenitis est inflammatio membranarum cerebri, cum febre acuta, delirium inferens perpetuum, sic Aëtius *sect.2.serm.2.cap.2.* quæ omnia ad verbum desumpsit ex Galeno. Ipse appellat affectum hunc acutum, 3. *in 1.epid. comment.1.* Repetit idem verbis apertissimis *lib.3. de diffic.resp. cap.9.* Præterea idem talia profert verba: *Sunt igitur acuti morbi, quos prisci nominarunt pleuritis, peripneumonia, phrenitis*, *lib.1. acut. text.8.* Propria signa phrenitidis sunt perpetuò delirare vti *in hac sectione comment.34.* confirmat Galenus, dum ait: *Sicut phrenitim perpetuò delirio.* Repetit idem *lib.3.de loc.male affectis, cap.7.* his verbis: *Phreniticorum autem hos non nominat, eo quod phreniticorum delirium non quiescit mitigato febrium vigore.* Et fortasse apertiùs idem colligimus *lib.5.de locis malè affectis, cap.4.* sic: *At phrenitidis propria, & præcipua nota est, ne in declinatione quidem febrium delirium quiescere.* Præter id habent spiritum rarum, & magnum. *Spiratio*, inquit, *ipsis rara est, & magna.* Quod etiam in multis obseruauimus ægrotantibus, & tanquam signum inseparabile à Galeno ponitur *1.prorrhet. comment.4.* Dicitur rara, & magna respiratio, quæ multo interposito tempore fit, vt exponit *1. prognost. comment. 24.* idémque his verbis concludit: *Quem enim in primo popularium morborum rarum nominauit, hunc in prænotionibus per multum tempus dixit pro ratione nominis facta mutatione lib.2.de diffic.resp.cap.3.* Per hanc distinguitur phrenitis, quæ propria est cerebri affectio, ab ea, quæ fit à septo transuerso, quæ nondum verè phrenitis, sed tamen multùm non distat à phrenitide, & explicat Galenus hunc in modum: *Verùm delirium, quod huiusmodi vitio accidit à phrenitide distinguitur, & ex oculorum accidentibus, & sanguinis è naribus stillis, & spirationis specie.* Quippe phreniticorum spiratio magna est, & ex longis interuallis. Contrà, vbi à septo transuerso delirium oritur inæqualis, vt modò exigua sit, atque frequens, modò magna, & angustiosa. Neque dicitur vera phrenitis, quia neque continuo delirant, & propterea videmus Galenum nō appellare phrenitim, sed delirium, quo loco etiam hæc habentur: *Ab aliarum verò partium nulla perpetuum delirium procedit, dempto solo septo transuerso, cuius vitio excitatum delirium parum à continuo distat, adeò, vt veteres putauerint hac parte affecta inflammatione, homines phreniticos euadere.* His verbis clarè patet, quomodo distinguatur phrenitis à delirio ex septo transuerso prouueniente, & quot modis. Si ægrotantes delirent propter ascensum vaporum ad caput, à ventriculo, à pleura propter febres ardentes, illud delirium remittitur declinante febre, nec perpetuò affligit, vt phreniticum. Distinguitur posteà phrenitis ab aliis deliriis per febrem: nam phrenitici continuò febricitant, quod non conuenit omnibus insanientibus. *Proprium*, inquit, *insanientium est febre liberum esse, vt febricitare phreniticorum*, & *1.prorrhet.comment.1.* μαίνεσθαι, *siquidem, id est insanire. omnes homines dicunt eos, qui desipiunt citra febrem.* φρενιτίζειν *verò, qui cum febre id patiuntur, quod verò in febris vigore accidit appellant, &* παρακόψαι, *&* παρακρουσαι, *&* παραληρῆσαι, *&* παραφρονῆσαι, *phrenitim verò non appellant, nisi æger febriat, & continuò deliret. Continuitate igitur dementiæ,*

quódque simul cum febre fiat id, ille phreniticus appellabitur. Hæc sunt ex Galeni sententia præcipua phrenitidis signa. His sic stantibus, cùm phrenitis sit morbus acutus, & periculosus, & hic ægrotans hac laborauerit, profectò dicendum erit laborasse morbo acuto, & per consequens periculoso. Verùm, cùm acutorum morborum terminus sit decimusquartus dies, loquor de exactis, & videamus Apollonium phreniticum fuisse, & tamen vitam produxisse vsque ad trigesimumquartum diem. Adolescens MœlibϾ vigesimoquarto obiit, quomodo hic ægrotans die tertio peremptus est? Recensiti non erant verè phrenitici, sed communiori nomine, vti dictum est, cadebant sub phrenitide. Prætereà, non quia talis est morbus, propterea hunc habebit terminum: nam non est in omnibus par malitia, neque par robur, vti apertissimum est. Hic celerrimè obiit, quia malignissima est correptus phrenitide, vti ex textu apparet, & videbimus historiam percurrentes. Causa phrenitidis humor est biliosus, qui simul cum sanguine ad caput elatus inflammationem in cerebro, & eius inuolucris excitat, ita Galeno docente *lib. 2. de sympt. causis cap.* 7. Referam verba, quia sunt vtilia. *Nominantur autem ex eis quæ quidem cum febre sunt, phrenitides, quæ sine febre sunt, insaniæ, Græcè maniæ. Ac reliqua quidem deliria ex mordentibus, & calidis oriuntur succis, qualis maximè flaua est bilis: sæpe etiam ex calidiore cerebri intemperie. Sola verò illa, quæ melancholica vocantur, frigidum succum pro causa habent. Quippe phrenitis non tantùm ex calidis ortum habet succis, sed supra id, etiam phlegmonem in cerebro, & eius inuolucris excitat. In reliquis verò febribus deliria fiunt eiusmodi succo in cerebro exuberante. In ijs verò, quæ in acutissimarum febrium summo incremento incidunt, vapor aliquis mordens, & calidus ad cerebrum ascendit.* Hactenus Galenus. Verùm non est sufficiens causa ad tollendum hominem de repente; nisi inflammatio etiam sit malignissima, quemadmodum in præsenti ægrotante apparet, qui vomitum habuit non solùm biliosum, verùm & virulentum. Vomitus ita lethalis, vt quibus accidit, eorum nullus euadat, & celerrimè moriantur, veluti testatus est Hippocrates 2. *in* 1. *epid. text.* 54. quando dicebat: *Sed & virulenta vomunt, & ex his quidam subitò moriuntur. In comment.* hæc addit Galenus: *At demonstrauimus nos talia alui excrementa, & vomitiones vbi aduritur flaua bilis fieri.* Quare subitò quidam moriuntur, hoc est statim à vomitionibus intereunt, ipsum cerebrum scilicet, eiúsque membranas tenente phrenitide à flaua bile profecta; tunc dicuntur ægrotantes malignissima phrenitide esse detenti, huiusmodi vomitu apparente, confirmante Galeno 1. *prorrhet. text.* 17. quo in loco appellat talem vomitum fastidiosum. Vomitus autem ἀσώδης, id est fastidiosus commune quidem symptoma talibus est phreniticis cum malignissimis quidem febribus. Sed apertiùs *eodem lib. comment.* 10. scribit ibi Hippocrates: *Qui in capitis doloribus æruginosos vomitus habent, vigilántque cum surditate, citò hi vehementer insaniunt.* Galenus, *Flaua bilis cùm supra modum assatur, primum quidem in æruginosum migrat succum, deinde in nigrum: supra modum autem assatur propter febris magnitudinem.* Cùm igitur flaua bilis in phreniticis

affectio

affectionibus cerebrum prehenderit, febrísque vehementia assatum hunc succum melancholicum reddiderit propter atræ bilis malignitatem, vehementes fiunt insaniæ, quas *μανιώδης in lib. epid.* appellat Hippocrates. Æruginosus igitur humor siue per vomitum, siue ventrem, siue per vrinam, quomodocumque excernatur, & succum ex quo ortum habet, & morbum vehementer calidum, tum siccum esse demonstrabit. Ergo concludere oportet cum Galeno tam repentinæ mortis causam non aliam esse excogitandam quàm internam, háncque humoris malignitatem. Quomodo autem generetur, & propter quid tandiu latitet docet Galenus, dum demonstrat sensim crescere humores, & tandiu latitare, donec ingentem malitiam fuerint adepti, cui natura non possit ampliùs dominari, statímque posteà erumpunt. Probat id exemplo canis rabidi, cuius virus per multum temporis spatium latitat, ita vt videantur demorsi sine noxa, & posteà de repentè incidunt in hydrophobiam, & moriuntur, veluti demonstratum est in historia Critonis. Hinc licet adolescentes monere, ne præcipitent in iudicio ferendo de propinato veneno, vti aliquando accidit, quia non dantur certa signa veneni, & demonstratiua: nam quæcunque symptomata possunt excogitari facta ex propinato, eadem fiunt ex veneno intus genito, id est, ex prauis & corruptis humoribus intus genitis. Neque Galenus id confirmat, scilicet posse dari, sed dubitatiuè loquitur *lib. 8. de locis malè affectis cap. 7.* Quia verò (sunt verba Galeni) Medici inuestigare solent, an assumpti veneni propria extent signa, eo quòd sæpenumero videant citra lethalis veneni potionem humores similiter, vt epoto veneno corrumpi, non mirum est, si sic aliquando mutentur humores, vt vniuersum corpus aeruginosum euadat, & reliqua. De eadem re verba facit *lib. 6. de locis malè affectis cap. 5.* & post multa scribit, Quærendum esse, an in animantis corpore tanta fieri possit corruptio, quæ veneni tum vires, tum qualitatem æquet, & vtrùm adhuc discussum sit, quod diu à Medicis quæritur, scilicet an dentur propriæ veneni notæ, necne, scribítque apertissimè eos, qui de hac re disputarunt concedere eosdem fieri affectus à lethalis veneni potione, ac à corruptione, quæ ortum habet à corpore, tamen eos hoc modo distinguere, qui assumpserunt venenum ab iis, qui intùs genitum habent. Quando videmus hominem obambulantem, & propria munia obeuntem, & sua natura probis humoribus abundantem, & bene educatum, de repentè mori, cui corpus liuens, nigricans, aut varium sit, aut diffluens, aut malè olens, tunc de propinato veneno affirmare oportet. Signa veneni quidem, sed ambigua; nam quis est tam probis humoribus, qui aliquam non habeat corruptionem, & quis tam commodè viuit, qui possit cruditates euitare, quæ diutius in corpore detentæ vim veneficam possunt acquirere, vt quotidiana ostendit experientia. Quid de passionibus hystericis? Quid de iis, qui de repentè moriuntur, quorum corpora siderata conspiciuntur, citra veneni propinati suspicionem? Ex multis vnum referam. Capellanus almi Illustrissimorum Hisleriorum Collegij annis elapsis mecum vespertino tempore loquens, de nullo apud me est conquestus, nisi de catharri mole-

 stia,

stia, verùm rectus stabat, & debita exercebat munia. Serò cœnauit commodè, postea iuit dormitum. Mane, me præsente, in lecto mortuus est repertus. Hic liuens habebat corpus, & à capite ad pedes sideratum, neque tamen fuit propinati veneni suspicio. Quod de hoc dicitur, & de aliis quamplurimis dici potest. Non dantur igitur certa signa veneni, quidquid aliqui somnient. Sed quid plura? nonne habemus pro exemplo Critonem, & hunc de quo modò est sermo, quem dicit vomuisse virulenta; & multa citra propinati veneni suspicionem. Cur autem per vomitum potius, quàm per aluum fuerint euacuata, etsi materia biliosa sua natura magis feratur sursum, id tamen referrem in consensum ventriculi cum capite, vt affirmat Galenus *lib.3. de locis malè affectis, cap.7.* híncque euenit, vt in capitis fracturis, quæ ad membranas vsque perueniunt, biliosus vomitus succedat, subuersióque stomachi, & morsio, quod ad verbum scribitur ab Hippocrate *6. Aphor. text.50.* cuius verba sic leguntur: *Quibuscunque præciditur cerebrum, ijs necesse est febrem, & bilis vomitum superuenire. Præciso cerebro,* inquit Galenus, *aduenit ea ratione communi, qua quolibet membro principali patiente inflammationem, subsequitur febris.* Bilis verò vomitus fit, compatiente ventriculo propter eius cum cerebro, communicantiam, ore præsertim eius, ad quod terminatur ex cerebro effatu digna quædam coniugatio neruorum. Quod idem scripsit Galenus 1. *prorrhet. comment.10.* Verùm, cur Galenus dicit euomibilem, non alium humorem in affectibus cerebri, cùm tamen sint quatuor humores. Respondet idem Galenus *in citato loco,* id fieri quoniam in huiusmodi doloribus solet præcipuè humor serosior, & tenuior à vicinis partibus ad partem affectam concurrere: tenuior autem est humor biliosus: ergo meritò hic præcipuè per vomitum excernitur cum superfluitate serosa, quando vix fieri potest quin simul cum humore bilioso per vomitum reiecto, etiam superfluitas quædam euomatur. Verba Galeni: *Consueuit quidem, & aliter in magnis doloribus, atque mœroribus fortibus in ventriculum fluere biliosa superfluitas, & multò magis, cùm ipse malè affectus fuerit. Ad ea enim quæ talia sunt feruntur partium proximarum superfluitates, præsertim quæ tenuem habent substantiam, qualis est ipse biliosus humor, atque cum eo, quæcunque serosa humiditas, quæ sæpiùs in vomitibus bili permiscetur, siquidem raró admodum accidit, vt bilis exquisita euomatur, cui serosam humiditatem non videamus admistam. Apparet autem & in sanis, cùm diu à cibo abstinuerint, in illis præsertim, qui natura sunt biliosiores, tales in ventriculo humores admitti, quod & ipsius morsus, & vomitus manifestant.* Subdit: *Non solùm autem cerebro vulnerato euomunt homines bilem, sed & dura membrana ipsum circunstante, quæ cùm in multis partibus sit cerebro agnata, citissimè ei communicat affectiones proprias.* Hactenus Galenus. Redeamus modò vnde digressi sumus, dicentes hunc ægrotantem phrenitide cum malignissima febre laborasse, quia maligni erant humores in corpore coacervati, & maligna per consequens erat inflammatio: ad magnitudinem enim inflammationum sequi febres iam certum est. Malignitatem ostendit per illam particulam,

a *Febris*

[a] *Febris horrida.*] istæ febres horrificæ ortum habent ab humorum prauitate ex putredine contracta; cùm enim prauitas humorum ex putredine parta increscit, horror consequitur, & etiam posteà delirium, in quo moriuntur ægrotantes, quod 3. *in.6.epid. comment.25*.confirmatur. Fortasse hîc posset adaptari textus Coacarum, qui sic legit: *Qui crebrò cientur in acutis rigores, pestiferi*, & alio in loco legitur sic: *Frequens in febris assiduitate rigor, fractis iam viribus ægri, pestifer.* Dicit posteà sudasse toto corpore, & copiosè. Si vnà cum febre incidit sudor, si est acuta, sudor est pestifer, sed multò magis si immodicus sit: nam præter id, quod vt symptomaticus nihil iuuat, etiam hac ratione damnandus est, quoniam quæuis euacuatio immodica virtutem prosternit, & si quid aliud malignitatem denotat: oportet igitur tempestiuè fiat, vt iuuet: est enim sudor febribus incendentibus & vehementissimis inflammationibus maximè conueniens, quod Galenus significat his verbis, *Sudores verò omnibus febribus proprij sunt, & præcipuè incendentibus.* Iuuat autem non parum, & efferuescentes inflammationes, quando sicuti & anteà diximus, vnà cum coctionibus emanauerit: non fiunt autem in morborum initiis, & eam ob rem inutiles censentur sudores crudis, & inconcoctis humoribus testatum à Galeno 2. *in* 1.*epidem. text.26.* Ibi sic habet Hippocrates. *Sudores multi.* Hos tantùm aberat, vt iuuarent, vt etiam contrà læderent. Reddit rationem Galenus, videlicet quia humores erant crudi, quo tempore sudores non sunt boni, neque vt signum, neque vt causa, cùm indicent vel copiam, vel virum infirmitatem. Verba Galeni, *Has febres tertianæ naturam referentes sudores comitabantur inanes.* Subdit. *Causa in promptu est: nam crudis morbis attribuimus, nec prodesse sudores, nec signum esse bonum: nam, vel copiam denunciant humorum, vel virium infirmitatem*, quod vtrumque fuisse in hoc ægrotante ex qualitate, & quantitate euacuationis apparet: nam quòd multa euomuerit, quantitatem; quòd virulentum, malitiam vires prosternentem denotat, & cùm esset vehementissimus calor, veluti adurens torrebatur, hincque fit, vt sudor potiùs tunc exprimatur verius, quàm trudatur ad cutim naturæ ope, omnia benè gubernantis. Quare est attendendus sudor omnis in febre acuta ineunte, quia cùm febrem non leuat, certam fidem tunc facit à summa ardoris vi prouenire potiùs, quàm à virtutis robore expellente causam morbificam, túncque sine dubio malus est, vt signum, & vt causa. Primo modo, quia significat æstum. Secundo modo, quia vires resoluit citissimè, vt de eo dici possit, quod Hippocrates *in Coacis. Qui sudores subitò, affatimque fiunt, nocent.*

[b] *Capitis, & colli dolorifica grauitas.*] Non video, quomodo Hippocrates dicat adfuisse in hoc ægrotante tale symptoma; phrenitici non sentiunt dolorem ex Hippocrate 2.*Aphor.text.6.Quicunque dolentes parte aliqua corporis, dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat.* Ergo cùm hic validissima esset correptus phrenitide minùs omnibus debebat infestantem dolorem percipere: verisimile tamen est adfuisse capitis sectionem, & colli per communicantiam, cùm tam grauiter afficeretur, & credibile

quòd

quòd à subiectis partibus quoque materia continuò transmitteretur. Quomodo igitur intelligenda est hæc Hippocratis dictio. Duplex posset excogitari responsio, vna dicentibus nobis sic. Phrenitis, vt plurimum solet habere antesignanum ipsius, capitis grauitatem, ipso plus iusto repleto, etsi multa alia id denotent. Itaque possemus dicere conquestum esse de dolore, antequam in id affectus genus inciderit, quasi dicat non esse mirum, si ita est affectus, quia repleto capite, neque materia deriuata, potuit eam suscipere dispositionem, vt caput eo modo læderet, etsi non est inseparabile signum ipsius phrenitidis, quia multoties dolet caput, neque tamen delirant ægrotantes. Altera responsio meo quidem animo sic potest afferri. Delirantes etsi, vt mente capti non sentiant, attamen habent sui morbi augmentum, quo grauiùs à morbo torquentur. Itaque potest esse, vt inuadente morbo, non tanta sit sæuitia, quin affligentem aliqua ex parte dolorem sentiat, meliùs, aut remissiùs, parum refert, modò denotet aliqua ex parte affectiones suas; nam potest esse, vt dolor is sit, qui delirium superet, vti demonstrauimus in superioribus cum Galeno: inualescente autem morbo veram esse omnino sententiam Hippocratis crediderim. Sed vtcunque sit incœpit vrinas emittere tenues. Vrinæ phreniticæ, non per se, sed per accidens, vti *suprà* est demonstratum: nam in his casibus humores recurrunt ad supernas partes, & ob hoc tenues emittuntur, & si quæ extant suspensiones, eædem sunt paruæ, quia paucus humor subsidet, & dispersæ sunt subsidentiæ, quia crudus est morbus. Solent phrenitici, vti experientia demonstrat, tam validè agitari, vt quiescere nunquam possint, & ob id etiam multos vidi ex validiori corporis conatu sudasse: at quoniam eo tempore solet natura omnes vias tentare, vt se à molestia eximat, ob hoc modò vnam, modò alteram tentat euacuationem, quod & nunc pariter euenisse certum est ex Hippocratis textu, dum ipse ait: *Non sudasse, affatim aluum stercus reddidisse,* quasi velit dicere: Non sudauit diuersa materia ad aluum, sed non poterat natura sibi moderari, quia ipsius impetus adhuc erat validus, quin impetuosè insurgeret ad materiæ, qualitate potiùs, quàm quantitate peccantis, expulsionem: ita enim solet natura lacessita suos tentare effectus: at tam impressa erat humorum malitia, vt non posset se eximere, & ingentissimæ malignitatis est signum, quando euacuationes non iuuant per conuenientem partem factæ. Quòd si dicas esse intempestiuas, quia in principio; neque propterea excluduntur à bonis euacuationibus, si non vt signũ, saltem, vt causa. At in hoc inemendabilis & impressa humorum malitia perniciem celerrimam minans, non potente natura occurrere. Nam euacuationes quæ præter quod non iuuant, morbum exacerbant, pestiferæ sunt; & hoc in praxi obseruate diligenter, in morbis magnis celerrimè ad interitum hominem ducentes. Illa euacuatio erat quammaximè conferens, quia erat per conuenientem locum, & debebat reuellere à capite; & tamen ingrauescens erat magis affectio capitis, dum ait, multùm delirasse, id est, exacerbatam esse capitis affectionem, ita vt maiore delirio infestaretur, quod quemadmodum inualuit magis, ita etiam somnum

num omnino arcebat. Hæc primi diei ſymptomata nonne poterant fidem facere haud multò pòſt moriturum ægrotantem, quod certiùs prædicet Medicus pulſum tangens, ſi æqualiter aliquem affligi contigerit.

[c] *Poſtridie mane vocem amiſit.*] Incipit ægrotantis certiſſima, & celerrima pernicies: nam tria ſunt præcipua phrenitidis malignæ ſigna. Vnum, ſilentium eſt, dum delirantes in ἐκςάσι, id eſt, vehementi delirio ſilent, ita Hippocrates 1. *in* 2. *Coacarum text.* 30. In febribus inſaniæ vehementes ſilente ægro, ſed non etiam priuato voce, lethale eſt. Quòd ſi tam graue malum, ſilere in delirio, quanto magis, eſſe voce priuatum, vti in ſuperiori hiſtoria eſt demonſtratum; & ſic affecti habent mortem præ foribus, eodem Hippocrate confirmante 3. *in* 3. *Coacarum text.* 11. Et in vehementi inſania muti facti pereunt. Sequitur hoc ſymptoma vel inſtrumentorum voci aſſeruientium læſionem, vel principij neruorum affectionem 1. *prorrhet. comment.* 23. Fit etiam ob humorum malitiam, & propter immoderatam ſiccitatem, *lib. eodem,* ſic: *Cùm igitur phreniticis hæc contigerint μανικῶς, deſipiunt, quod idem cum σφοδρῶς, id eſt, vehementer, vult ſignificare, fitque propter malignitatem, cùm propter immoderatam ſiccitatem.* Subdit: *Quo fit vt multi euadant.* In hoc ægrotante aderat affectio capitis: erat enim phreniticus: aderat euidens humorum malignitas. Ergo propter vtrumque obmuteſcentiâ, & vocis amiſſio eſt facta: neque enim crediderim tam breui temporis interuallo eam potuiſſe contrahi ſiccitatem, quæ huic ſymptomati cauſam præſtiterit. Habuit igitur vnum ex iis, quæ phreniticis grauiter habentibus contingunt, & miror tam depreſſa natura febrem habuiſſe acutam: nam videntur aliquando mitiores in extrema virtutis proſtratione; verùm hi ſunt motus naturæ cadentis, vt nunquam pugnam intermittat, niſi quando ad extremum ventum eſt, quo tempore etſi aliquos tentet conatus, parum tamen durant, & perinde eſt, ac ſi dixiſſet febrem eſſe auctam, eſſe exacerbatam, nonne erat acutiſſima ab initio. Quid ſi Hippocrates innueret imbecillitatem virtutis, dum dicit, *febris acuta,* id eſt mitior facta, non criticè euacuata materia, ſed infidè declinante morbo, quod fortaſſe elicitur ex verbo illo,

[d] *Sudauit.*] Non amplius copioſus ſudor: ſed ſudauit, quaſi dicat, iterum natura tentauit euacuationem inflammationibus conuenientem, ſed inutilis euacuatio, intempeſtiuè facta, in vltima virtutis depreſſione, quo tempore nulla euacuatio bona; & veriſimilius dictum Hippocratis verteremus ſic. Sudauit frigidum, & fortaſſe circa caput, quid aliud excogitandum in moribundo. Quòd ſi ſudauit toto corpore, quod neque Hippocrates dicit, tamen id fuit per reſolutionem, etſi illud,

[e] *Non intermiſit.*] Refertur ad ſudorem multò deterius, citiùs virtutem reſoluens: nam ad quid intelligere de febre, quam continuam fuiſſe adeò certum, vt non egeat probatione; quapropter intelligenda eſt de ſudore, quòd ſcilicet quo magis virtus reſoluebatur, eò maior erat ſudor ille reſolutiuus: attrito enim corporis robore ſudor multus, & inde virium defectio præcipitant in exitum; quod verum ſit, habuit palpitatio-

nes per totum corpus, quod symptoma est perinde grauissimum, etiamsi aliqui intelligant de conuulsione, vel, vt verius dicam, de motu conuulsiuo, quem tremorem appellant. Hoc est secundum quod insequitur malignam phrenitidem, scilicet tremor. At enimvero non est necesse, vt semper omnia concurrant, & ego insequerer dictum Galeni, qui interpretatur de palpitatione verè dicta 1. *prorrhet. text.* 29. quo in loco ait: *Palpitantes per totum, an voce destituti moriantur.* Galenus exponens textum, non ait Hippocratem intelligere tremorem. Verba ipsius hunc in modum habent: *Nos sanè rursum, & in præsentia pronunciabimus palpitationem, quatenus demonstratum sit, flatuosum spiritum sequi, congesto scilicet ob frigiditatem flatuoso spiritu.* Addit: *Cùm igitur totum corpus palpitauerit, fieri potest, vt qui ita sunt affecti, voce destituti propter frigiditatem pereant, non amplius mouentibus musculis guttur, aut ijs, qui in ipsos prorumpunt neruis, suo fungi munere nequeuntibus.* Ex quibus elicimus clarè fieri aliquando palpitationem totius corporis, cámque sequi ingentem refrigerationem, & non esse motum tremulum, aut conuulsiuum, sed esse palpitationem à flatibus originem trahentē. Cùm autem corpora ad id deueniunt, quomodo possunt seruari deficiente vitæ instrumento? Itaque fuit huius ægrotantis palpitatio vera frigiditatem insignem denotans, cui insequitur vocis priuatio & mors, vti ex Hippocrate eodem habemus *in Coacis.* Palpitantes toto corpore, num muti moriantur. Neque dicendum est palpitationem esse vnius determinatæ partis, quia potest esse totius corporis. Nonne videmus in febribus ardentibus vniuersum corpus exteriùs refrigerari, quo tempore potest palpitare, non potente calore materiam circa cutim existentem resoluere. Prætereà palpitatio est earum partium, quæ possunt dilatari: vt vniuersum corpus circa cutim potest dilatari: ergo erit etiam totius corporis, & eodem tempore. Hoc probat Galenus *lib.* 2. *de symptomat. causis. cap.* 20. his verbis: *Palpitatio autem dilatatio quædam est præter naturam in particulari; fit autem in omnibus corporis particulis, in quibus dilatatio distentióque accidere possunt. Non enim profectò os, cartilagóve vnquam palpitant, proptereà quod dilatari non possunt. Ergo in cute sæpe incidit, nonnunquam verò & in subiectis illis musculis, vnóque verbo in omnibus quæ distendi, dilatarique possunt, incidit.* Dicebamus tria esse maligna symptomata, quæ vehementissimas sectantur phrenitidas. Vnum erat silentium. Alterum tremor. Tertium conuulsio. Neque hoc symptoma in ægrotante defuit: nam inquit Hippocrates:

[f] *Noctè conuulsiones.*] Facilè fiunt phreniticis conuulsiones, vt Hippocrates confirmat apertè 2. *in* 1. *epid. comment.* 53. sic: *Phreniticis conuulsiones.* Sub lit Galenus: *Phreniticos infestant conuulsiones, capitis, collique permanentibus doloribus. Solent & sequi vomitus virides, quæ ambo sunt lethalia, & facilè est phreniticos conuulsos mori.* Conuulsio duas habet causas repletionem, & euacuationem *lib.* 1. *prorrhet. comment* 27. & *alijs in locis*, quam causam habuerit hæc conuulsio, non omnino certum. Ex vna parte videtur dicendum factam fuisse à repletione, tum quia breuitas

morbi

morbi non permisit tantam euacuationem, à qua ex siccitate induceretur affectus. Prætereà si aderat malitia, extabat & copia. Erat grauitas, quæ copiam denotat. Addamus, quòd conuulsiones ex inflammatione fiunt à repletione, ita Galenus *lib.2.de sympt.causis, cap.2.* his verbis: *In phlegmonarum generis vitijs, repletio.* Ex altera parte videtur esse verisimilius à siccitate prouenisse. Galenus pluribus in locis affirmat à vigiliis induci conuulsionem, vt 7.*Aphor. text.*68. *In vigilia conuulsio, vel desipientia.* Ibi Galenus admittit ex vigiliis conuulsionem fieri, eámque ex siccitate à vigiliis inducta: idem 4.*Aphor.comment.*59. Si dicamus intelligi Hippocratem de vigiliis diuturnis, neque deerit ratio conuincens. Hippocrates appellat phreniticos paucicibos. Cùm igitur in summa humoris inopia, & caloris copia non bibant, neque humidum alens distribuitur, neque ex eo succus exprimitur, & celerrimè, ac magis vruntur humores, tandémque exhausto humido primigenio, tum potionis defectu, tum febrili incendio partes neruosæ conuelluntur, aut propter summam facultatis animalis infirmitatem in tremorem incurrunt: solent autem, vti dictum est, esse hæc duo vehementissimæ phrenitidis finis. His rationibus crederem in huiusmodi casibus citissimè exsiccari corpora, & posse conuelli; neque obstat, quod dictum est, adfuisse grauitatem copiam indicantem; quia est quidem verum dicere. Est copia: ergo si concitabitur dolor, ipse erit grauans: at non conuertitur; est dolor grauans, ergo extat copia, quod in superioribus determinauimus, dum cum Galeno ostendimus habere aliquando partem dolorem grauatiuum, non ex copia, sed ex imbecillitate. At est inflammatio. Quando Galenus dicit conuulsionem factam ex inflammatione pendere à repletione. Ibi non intelligit inflammationem cum ardentissima febre, quod verum sit. Subdit: *In ardentissimis, & siccissimis febribus vacuatio:* id est, conuulsionem causat. Hæc erat huiusmodi: ergo neque est inconueniens dicere, tam fuisse æstuantem internam inflammationem, & febrem, quæ siccitatem induxerit, huius conuulsionis causam. Neque repugnat breuitas morbi: nam corpora vel colliquantur celerrimè ex largis euacuationibus, vel ex humorum malignitate, & efferuescentia; quod verum sit, tractans Hippocrates de facie cadauerosa *in* 1.*prognost.text.*8. *Si igitur circa initia morbi talis fuerit vultus.* Ibi ponit *circa initia.* Illud initium includit non principium quod terminatur signis coctionis & cruditatis, sed spatium trium, vel quatuor dierum, immò talis vultus, talis exsiccatio aliquando fit ferè in instanti, vt sæpiùs obseruabitis; quid dicemus de cholera morbo, in qua eadem die, eadem hora ita exsiccantur corpora, vt appareant exanguia. Idem Galenus 3.*in 6.epid.* videtur hoc ipsum confirmare his verbis: *Porrò extenuationes multis de causis proueniunt, siquidem alimenti penuria, exercitationes plures, vigiliæ, cogitationes, dolores & morbi colliquatiui, & discussorij.* Prætereà euacuatio multa per aluum, per vomitum, per sudores, per sanguinem è naribus, extenuationum sunt causæ. Quid si hæc relata possunt corporis siccitatem facere, quomodo non potuit istius ægrotantis corpus extenuari primis diebus, cùm multa euomuerit, mul-

tùm ſudauerit, & multùm fluxerit aluus cum ardentiſſima febre, quibus omnibus certò poſſe concludi crediderim, conuulſum fuiſſe præſentem ægrotum ex ſiccitate. Addamus. Nerui contrahuntur in vehementi ſiccitate, at lora tenduntur, & contrahuntur prope ignem. At in febribus ardentibus, & vehementiſſimis phrenitidibus fit maxima ſiccitas. Ergo nerui in febribus ardentiſſimis, & vehementiſſimis phrenitidibus, ac lora prope ignem exſiccantur, & per conſequens conuulſiones in his fiunt ex ſiccitate. Ita Galenus *lib. de tremore, palpitatione, & conuulſione, cap.* 8. dum ait: *Conſiderato item fieri poſſe, vt nerui continui particulam quandam corporis, aut inflammatione, aut alia quadam cauſa valida affectam ſecum trahant, conuellántque. Etenim, cùm has omnes diſpoſitiones mente conceperis, ob quas conuulſio oriatur, inuenies: ſiquidem inflammationes neruoſarum partium, ac præſertim cùm in neruorum principio, aut etiam prope ipſum generantur, neruos continuos attrahentes tendant, quemadmodum extrinſecus artifices chordas. Si autem neruoſa corpora ab humorum copia obſtructa tendantur, ſimilis intereà affectus oritur, atque chordis, quæ propter ambientis humiditatem vehementiùs intenduntur.* Subdit: *Contrà, in malignis ardentibus febribus, quas cauſos appellaui, & valida phrenitide fieri apparet.* Ecce, ſi contra fit, ac in iis, quæ fiunt ab humiditate: ergo fiunt à ſiccitate. Et vt rem clariùs declaret Galenus, iam dictis hæc addit: *Vt enim lora, quæ prope ignem ſiccata contrahuntur, tenduntúrque, eodem modo ſpaſmi fiunt ex nimia morborum ſiccitate, quæ neruoſum genus admodum arefacit.* In ardentibus autem febribus, id ex ſola ſiccitate prouenit, phrenitides etiam ex principij neruorum inflammatione ſymptoma comitatur. 1. *prorrhet. comment.* 9. *Phrenitica vehementer trementia finiuntur.* Galenus, *Sed ſi ſecundùm rei veritatem ſermo perpendatur, non poteſt cum hoc nomine, trementia, ordinari: fieret ſiquidem talis intellectus.* Phreniticæ affectiones in tremorem vehementem finiri conſueuerunt, quod manifeſtè falſum exiſtit, cùm ſolas vehementiſſimas phrenitidas hoc ſymptoma conſequatur. Nempe neruorum infirmitates propter affectionis ſiccitatem phreniticis diutiſſimè inſunt. Exoluta autem virtute tum vigiliis, tum motionibus multis, ſimul verò, & neruis ſupra modum arefactis tremores fiunt. Ecce ſupra modum arefactis in vehementiſſimis phrenitidibus: at morbi vehementiſſimi non tranſcendunt quartam, quia ſunt peracuti exactè. Ergo & hic citiſſimè eſt arefactus & conuulſus cùm vehementiſſima laboraret phrenitide. Reſtat modò, vt videamus, cur Hippocrates in hoc non faciat mentionem reſpirationis, cùm tamen ex ſignis ſit demonſtratiuis; præſertim, cùm ſemper tanti faciat reſpirationem. Cùm igitur habeant phrenitici ſpiritum magnum, & rarum, cur non nominauit. Reſpondet Galenus pauciſſimis verbis. Hippocratem prætermittere, quæ omnibus ſunt conſpicua, & quia manifeſtum eſt ſic delirantes reſpirare, non erat cur de ea mentionem faceret. *lib.* 2. *de diffic. reſpirat. cap.* 10. *Demonſtrabo*, inquit, *quamuis præter opinionem id eſſe videbitur, multos difficulter ſpirantes eſſe in morbis popularibus ſcriptos; verùm nihil Hippocratem de ipſorum difficili ſpiratione dixiſſe,*

dixisse, propterea quòd manifesta erat, & omnibus nota Medicis, propterea que in multis dedignatus est scribere: posuit autem in aliquibus, vt essent tanquam exempla aliorum. Quare in hoc ægrotante non posuit spiritus qualitatem, cùm sit manifestissimum, si quis delirat, necessariò habere spiritum huiusmodi, vt *lib. 5. de locis malè affectis citato,* & *lib. de diffic. respirat. cap. 9.* ibi sic legimus: *Et iam sanè proprium est id, quod à principio dicebamus, nempe, cui magnus, & rarus est spiritus, huic omnino etiam delirium; cui verò delirium; huic non omnino magnus, & rarus spiritus.* Hæc verba videntur contraria ei quod dictum est; re vera tamen non sunt. Quod dicit Galenus tale est: *Delirantes vt tales, talem habent spiritum necessariò, & quando talis est spiritus, deliri sunt: si verò quid obstet, non necessariò id sequitur, quia aliquando complicantur cum delirio alia grauia accidentia, quæ interturbant respirationem.* Dolor, si cum delirio coniungatur, & superet delirium, respiratio immutabitur; & sic de aliis. Rem hanc explicat Galenus *lib. 2. de diffic. respirat.* his planè verbis: *Quòd si à solo delirio respirationis ornatus, & integritas confunditur, magnus erit, & rarus spiritus omnino: si verò à solo dolore, paruus, & densus: si verò ambo concurrant, & dolor vehementer obtinuerit, obscura erit omnino alteratio ex delirio; si verò moderatus fuerit dolor, aut plus quidem ex dolore, minùs verò ex delirio, respirationem alterari continget, aut vice versa, aut æqualiter iuxta vtrunque.* Quare delirantibus spiritus rarus, & magnus erit per se, per accidens potest immutari. Restet igitur vera Hippocratis sententia de phreniticorum respiratione, si nihil obstet, de qua non facit mentionem, eandem prætermittens, tanquam omnibus notissimam.

g *Tertio, cuncta exacerbata sunt.*] Id est, febris, conuulsio, delirium, & reliqua. Si tam passiua erat istius ægrotantis conditio, & tertio die deterius se habuit, non amplius suffecturam naturam erat credendum. Conuelli corpus, illúdque à siccitate perniciosissimum: neque enim tempus dat excogitandi remedij *lib. de palpit. cap. 8.* Idem Galenus hæc habet: *At ex siccitate conuulsiones nunquam sanaueris.* Haud multò pòst: *Quippe ita affecti moriuntur protinus, ne cogitandi quidem remedij dantes tempus. 5. Aphor. comment. 70.* Quòd si protinus moriuntur, meritò die sequenti à conuulsionibus extinctus est, scilicet tertio die, & fortasse summo mane, quia ait: *Tertio die cuncta sunt exacerbata: defunctus est.* Non poterat affectus iste ita parum exacerbari, quin celerrimè hominem tolleret, ob id est existimandum eadem fuisse defunctum die. Posset iam dictis hæc addi auctoritas, quæ desumitur ab Hippocrate 7. *Aphor. comment. 9. A profluuio sanguinis desipientia, ac conuulsio, malum.* Hunc textum exponens Galenus, ait: *Non esse bonum casum desipientiam post sanguinis fluxum.* Sed quod dicitur de sanguine, de quacunque alia euacuatione est intelligendum, videlicet malum esse post euacuationes exacerbari affectum, deterius fieri desipientiam, deterrimum fieri conuulsionem, quando sola conuulsio ex euacuatione immoderata facta sit admodum exitialis, & longè magis quàm desipientia, quod Galenus confirmat his verbis: *Secundùm quam desipientia non est bonus casus, post san-*

guinis fluxum, etiamsi sola contigerit, multò magis conuulsio, etiamsi absque desipientia facta fuerit. Maximum verò malum est ambarum conuentus, quoniam vel sola conuulsio ex immoderata vacuatione casus est admodum exitialis: nam desipientia minus malum est. His omnibus sic stabilitis meritò citissimè obiisse concludendum est, neque potuisse mortem euitare. Galenus *in comment. huius historiæ*, refert tam repentinam mortem in febrem malignissimam, quasi phrenitis non possit vnius diei spatio mortem afferre, quod non semel vidi: afficitur enim pars princeps cui facilè aliæ consentiunt, & quemadmodum omnes morbi ostendunt magnitudinem per symptomatum vehementiam, non video, quomodo non diceretur vehementissima phrenitis.

Curatio.

PRomptissimus requiritur artifex, qui sine mora medelam adhibeat sic affectis. Primum igitur tenuissima requirebatur victus ratio, etsi ipsi per se nimis tenuem seruant, dum difficilè in his potest tempus præscribi, nullum interuallum morbo habente, tamen si dari potest alimentum, illud paucissimum esse debet, succus farri, ptisanæ, contusum carnis in pauca quantitate, stillatitia ex carnibus, & id genus alia. Victus rationem in id genus morborum non est difficile præscribere, arduum in longis. Manere debent in cubiculo temperato sic affecti, in quo fuerint strata refrigerantia, qualia sunt rosæ, nenuphar, & similia: cauent aliqui à picturis, quia hi præcipuè picturis delectantur, à quibus cerebrum valenter læditur propter fixam imaginationem, quam pariunt. Habent enim etiam delirantes in quod faciliùs conuertant animum. Ingressus amicorum conuenit, qui non, vt solet vulgus, omnibus, quæ ab ipsis dicuntur respondeant, & etiam contradicant, quod magis eosdem exacerbat; verùm leniter, & blandè pertractent, aliquando pro re nata, etiam asperius, vt consulit Auicenna *lib.* 3. *Fen* 1. *tractat.* 2. *cap.* 7. de quo tractat pariter, idem omnino confirmans Paulus *lib.* 3. *de re medica cap.* 7. Quod postea spectat ad partem chirurgicam. Commendatur venæ sectio permittentibus viribus. Sunt qui largam euacuationem suadeant, si non ex brachio, saltem ex fronte. Galenus *lib. Medic. inscripto cap.* 13. hæc habet: *Phrenitis est mentis alienatio. Notæ sunt insania vehemens, temeraria manuum gestatio floccorum, & festucarum collectio, & febris acuta. Causam habet magna ex parte bilem. Constituitur in cerebro, & eius mēbranis quas μήνιγγας appellant, vel, vt quidam aiūt, in septo transuerso. Curatio hæc cōuenit. Initio, si præsens sis, venæ incisio, cucurbitulæ conueniunt, subtractio, & clyster, & abstinentia conueniens. Instante morbo perfusiones, soporiferæ inunctiones, quibus somnus accersitur, & humectantes cibi conducunt.* Hæc Galenus. Hoc quod dicitur à Galeno conuenit cum eo, quod Celsus habet; mittendum scilicet esse sanguinem, si præuideamus futuram phrenitidem: at cùm inuasit morbus, frustrà putat adhiberi; immò Asclepiades existimat potiùs trucidari, quàm curari, cùm morbus iam inuasit. Verba

Celsi

Celſi *lib.3 .de re medica,cap.*18. *Remedia verò adhibere, vbi maximè furor vrget, ſuperuacaneum eſt: ſimul enim febris quoque increſcit. Itaque tunc nihil, niſi continendus æger eſt, vbi res patitur, feſtinanter ſubueniendum.* Aſclepiades perinde eſſe dixit his ſanguinem mitti, ac ſi trucidentur,rationem hanc ſequutus, quod non inſania eſſet, niſi febre intenſa, neque ſanguis, niſi in remiſſione eius rectè mitteretur. Attamen credo hîc non loqui de phrenitide vera; ſed tantùm de paraphrenitide,quæ dat tempus anteà operandi; & proptereà cùm iam delirant, non amplius eſt tempus his vti remediis, quia iam inualuit magis morbus, neque eſt remediis huiuſmodi locus. Id ita eſſe videtur Galenus confirmare, dum de vera phrenitide ſermonem habens, conſulit eſſe confugiendum ad euacuationem per ſanguinem.*lib.*13.*method. cap.*21. ſcribit ſic: *Itaque incidenda in huiuſmodi affectibus vena eſt ſtatim ab initio, ſi modò tam valens ſit virtus,vt ſine noxa miſſionem ſanguinis toleret,ac nihil prohibeat eorum, quæ de ſecanda vena retulimus.* At in hac operatione facienda, illud eſt attendendum, quod Aëtius *cap. proprio iam citato* habet. Illo in loco monemur,ne temerè extrahatur ſanguis; quia,cùm plurimùm agitentur, exoluuntur facillimo negotio. Itaque ex euacuatione,& motu concitaturi virtus citius proſternitur. Verba Aëtij ſic habent:*Siquidem igitur phrenitis cum febre ab initio in prima die, aut ſecunda, vſque ad quartam irruat, & non ex tranſmutatione alterius morbi ſuccedat, & vrinæ fuerint ſubcruentæ,& facies rubicunda, & ætas vigoris, & bona corporis habitudo adeſt, & omnia ſigna ſimul indicant ſanguinis multitudinem, vena cubiti ſecetur ea,quæ media eſt, & pro viribus detrahatur, & non vſque ad animi deliquium,minùs autem,quàm oportet auferatur ob plurimam, quæ in ipſis eſt ex vehementi motu diſcuſſionem,& exhalationem, & propter laſſitudinem. Sed & ſectio moderata fiat, vt ne æger clanculum brachij vinculum exoluat:conſequitur enim periculum ſanguinis eruptionis.* Neque vnquam tentarem venæ ſectionem ex fronte,niſi priùs vniuerſali præceſſa, aut ex brachio, aut in ſuppreſſione alicuius euacuationis ex venis hæmorrhoïdalibus,quæ vtiliſſima etiam cenſetur in iis,qui huic euacuationi minimè ſunt obnoxij, aut ex pede, quod facilius eſt conſequi in mente captis. Si huic remedij generi non ſit locus in huiuſmodi caſibus,tentate euacuationem clyſteribus,cum decocto furfurum, & ptiſſanæ ſucco. Ego non vererer acriores ad maiorem reuulſionem,præſertim cum difficilè iniiciantur,quibus omnia reuulſionum genera adhibere expedit,de quibus *ſuprà. Caput expedit fouere, deraſis capillis,roſaceo magis tepido,* inquit Aëtius, & reddit rationem: *quia cerebri membrana inflammata, frigiditas roſacei non eſt tuta, immò neque caliditas. Frigidum denſat meatus, & ſuperfluitates diſcuti non permittit; quod verò calidum eſt feruorem duplicat.* Quare æſtate exactè tepidum roſaceum adhibendum eſt, cum modico aceti. Hyeme moderatè calidum. Quòd ſi delirium ſit vehementius poſt factam euacuationem per venæ ſectionem,commendatur oleum, in quo fuerint decocta capita papaueris aliquot, & ſic fouere; ſic etiam faciem abluere aqua, in qua talia decoxerint. Expedit ſomnifera ſub naribus

ponere

ponere ad somni conciliationem, veluti sunt cortices radicis mandragoræ contusæ, papaueris albi, positis omnibus in petiola linea, aqua violarum, nenupharis madefacta, & naribus apposita. Nares iterum possunt illini vnguento rosaceo, mucilagine psyllij, & oleo nenupharino, aut violaceo. Interna, si dari possunt, sunt theriaca recens duorum, vel trium mensium. Syrupus papaueris, cum scrupulo conseruæ hyacinthi, vti aliquibus placet. Ab opiatis supersedendum, quia facilè virtutem deprimunt, sic consulente Auicenna, *Et stude*, inquit, *vt ipsum facias dormire, & vt fiat hoc, aliquid opij duobus cornibus frontis eius appropinqua, & naso ipsius, si virtus fuerit fortis, & si non, caue, quoniam illud est perimens, immò sine opio sis contentus.* Possunt proponi serapia, quæ refrigerantia requiruntur, ex violaceo simplici nenupharino, cichoreaceis, de acetositate citri, & similibus. Verùm puto in his casibus esse locum potiùs medicamentis localibus, quàm internis. Galenus *de theriaca ad Pisonem cap.* 10. iactat se curasse vehementissimas phrenitidas vsu papaueris albi. Quamplurima alia possent in medium proponi; verùm hæc, & à practicantibus multis haberi possunt, & si de hoc disserendum est, hæc quæ dicta sunt erunt satis, quoniam morbi acuties vix tempus dedisset excogitandi remedij; cùm hominem breuissimo temporis spatio sustulerit; ita vt potiùs ab initio esset prognosticis relinquendus. Hoc debet omnes cautos facere, dum videmus præter expectationem homines morbis corripi, qui nec tempus concedunt confitendi peccata. Hæc vnusquisque qui Christianam profitetur religionem cogitet, & bene examinet, dum me conuerto ad nouam historiam, quæ sic habet.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΠΕΜΠΤΟΣ.



Ν Λαρίσῃ φαλακρὸς, μηρὸν δεξιὸν ἐπόνησεν ἐξαίφνης. τῶν δὲ προσφερομένων οὐδὲν ὠφέλει. τῇ πρώτῃ πυρετὸς ὀξύς. καυσώδης. ἀτρεμέως εἶχεν. οἱ δὲ πόνοι παρείποντο. β΄, τοῦ μηροῦ μὲν ὑφίεσαν οἱ πόνοι. ὁ δὲ πυρετὸς ἐπέτεινεν. ὑπεδυσφόρει. οὐκ ἐκοιμᾶτο. ἄκρεα ψυχρά. οὔρων πλῆθος διήει οὐ χρηστῶν. γ΄, τοῦ μηροῦ μὲν ὁ πό-

ÆGROTVS V.



ARISSÆ *caluo dextrũ femur doluit repentè, nihil ex eis, quæ offerebantur iuuabat.* [a] *Primo die febris acuta, ardens paulatim,* [b] *neque comitabantur dolores.* [c] *Altero die femoris remissi sunt dolores, febris verò increuit, implacidior erat, non dormiuit. Extremæ partes frigidæ:*

νος ἐπαύσατο. παρακοπὴ δὲ τῆς γνώμης, καὶ ταραχὴ, καὶ πολὺς βληστρισμός. δ', περὶ μέσον ἡμέρης, ἔθανεν ὀξυτάτως.

dæ: multa vrina, neque ea bona reddebatur. [d] *Tertio, femur desiit dolere, mentis alienatio, & turbatio, multúmque se se iactauit. Quarto, ad meridiem periÿt.*

COMMENTARIVS.

PVLCHERRIME dictum fuit à Galeno I. *de different. febr. circa initium*, multoties leuem causam grauissimum tunc parere effectum, quando corpus quod afficitur ad id habile fuerit. Rem perinde esse, ac dicitur, cum Galeno comprobat præsens historia, quæ nobis ob oculos ponit ægrotantem, qui femore dolens, ita posteà grauiter est affectus, vt paucissimo temporis interuallo vitam cum morte commutauerit. Est fortasse, quia dolor ex sui natura tam grauiter afficiat? Nequaquam, postquam grauissimi concitantur aliquando, qui torquent non mediocriter; tamen, neque succedit febris, neque mors, & hoc, quia ægrotantes malignam non habent dispositionem. Quod dicitur, euidentiùs patebit ex casus consideratione. Inquit igitur morbi principium fuisse dolorem in femore dextro, qui nullo modo iuuabatur ab iis, quæ offerebantur. Vt id, quod ab Hippocrate scribitur de hoc ægrotãte intelligatur, sciendum est corpus nostrum, & vnamquamque partem his quatuor facultatibus constare, quibus sanitas conseruatur, his commodè se habentibus: sunt autem attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix. His totum corpus gubernatur, quia si tandem ab alimentis, aut natura prauis, aut quantitatem excedentibus, excrementa generentur, natura à corpore deturbat, aut sensibiliter, aut insensibiliter. At si hoc opus impediatur, & fiat humorum congeries, tandem natura insurgit ad expulsionem, & ita deponat in alienam partem, aut euacuet. Deponit autem semper naturaliter ad debiliores partes: nam, quantum in se est, principes semper custodit, éstque opus hoc facultatis expultricis, vel, vt ait Galenus, expulsoriæ: suscipiunt autem imbecilliores, inde fit non raro, vt partes istæ aliquando inflammationes patiantur, aliquando erysipelata, aliæ herpetas, aliæ alia, vti quotidiana demonstrat experientia. Quare fluxio quæuis duplicem habet causam. Vna est partis imbecillitas, quando scilicet, siue à capite, siue ab aliis partibus materia demandatur. Altera est quando eadem materia à parte trahitur, quia scilicet affecta sit calore vehementiori, aut dolore. Istæ igitur sunt fluxionis causæ. Hanc rem determinat Galenus clarè admodum *lib. 2. de different. febr. cap.* 11. Referrem verba, sed quia longa oratione id probat, supersedebo. Re hunc in modum se habente putandum est sine dubio delatam esse materiam ad femur dextrum

à partibus superioribus, quia scilicet sensim fuerint coaceruati humores superflui, quibus natura per aliquot temporis spatium potuit dominari: at ipsis increscentibus, & mala qualitate stimulantibus, tandem coacta est facultas huic muneri dicata insurgere, & vires suas adhibere, vt à sarcina & mala qualitate corpus liberum redderet. Rem ita esse probatur Galeni testimonio *in loco adducto*, his verbis: *Duplex est in omnibus entibus extraneum, alterum námque ex sui qualitate, alterum quantitate. Hoc autem aceruari contingit ob harum potentiarum, quæ in membris sunt sitæ vigorem, & imbecillitatem. Cùm enim æquè valentes fuerint, & meatus, qui materiam inutilem excernunt, secundùm naturam se habuerint, tunc membra in sanitate consistunt: vbi verò plus assumptum fuerit, quàm possit alterari, omne quod superfluum est à virtute expulsoria trusum, necessariò excernitur. Quòd si imbecilla fuerit, in eodem resìdet loco: ac si multum fuerit, grauat, atque distendit; si verò acre, exedit, ac mordet: sicuti quod calidum est calefacit, quod autem frigidum refrigerat. Quòd si materia extra corpus minimè trusa ad longinquam partem transmittatur, nihilominus satis benè actum est cum ægrotante; verùm si integrè non eijciatur, multa sequuntur incommoda.* Et ne longiùs rem petamus, sit nobis æger hic pro exemplo. Huic dolor obortus est in femore dextro. Quis esset dolor, non dicit, puto tamen fuisse factum à materia acri, & ob hoc extitisse acutum, & eo magis, quia dicit doluisse repente, non vt solent abscessus per congestionem, in quibus leuissimus est à principio dolor, quia sensim materia sese in eam partem insinuat; sed in hoc, de repente, vt innuat impetum humorum, & per consequens vehementiam doloris: (est enim dolor eorum, quæ confertim fiunt) quod significat dicens, non potuisse remitti remediis factis. Quando dolor non remittitur externis, sine dubio arguit corporis plenitudinem, vt Galenus admittit 2. *acut.* tractans de pleuritide, vt videbimus suo loco, neque deerat humorum malitia impetuosiùs stimulantium. Sed vtcunque vbi erat dolor, ibi erat fluxio, confirmat Galenus 5. *Aphor. comment.* 53. Quomodo autem fuerit curatus, parùm hoc refert, sat est intelligere dolorem fuisse acerbissimum, qui non cedebat remediis ab Hippocrate factis: si enim ab aliis fuisset curatus, posuisset hoc sine dubio. Tam grauis fuit dolor, quòd febris succensa est, neque leuis, sed vehemens, quam appellat acutam.

[a] *Primo die febris acuta*] Multoties contingit doloribus inualescentibus febrem concitari, quia ex validiore motu accenduntur spiritus, verùm his interquiescentibus, simul & febris conquiescit, non vlteriùs protracta. Ne existimaremus huius generis fuisse, appellat acutam, id est putridam, quia omnis acuta febris est putrida, etsi non conuertatur propositio, quia putridæ non necessariò sunt acutæ. Ergo statim inuadentibus doloribus acutè laborauit, & quoniam in deleteria humorum qualitate citissimè damnum infertur corpori, morbo magis in horas exacerbato, ob id addit, ardens paulatim, quasi dicat: febris erat quidem grauis, sed tamen multò magis inualescebat, & id erat eodem die, quod inspiciens Medicus, non difficilè cognouisset causam, quoniam morbi vehementissimi

pendent

pendent vtplurimùm à bile, & hanc fuiſſe cauſam, velocitas morbi & accidentia denotant. Præterea potuiſſet præſagire morbũ futurum breuem, quia morbi, qui à principio habent vehementiam, aut citiſſimè occidunt, aut citiſſimè ſoluuntur: at ſi habeant lethalia annexa ſymptomata, non bonus expectatur euentus. Cauſa, cur ardens fieret, referenda eſt in remiſſionem dolorum, quod intelligo per illam particulam:

[b] *Neque comitabantur dolores.*] Id eſt, dolores non adeò vrgebant. Id demonſtrabat incœptam fluxionem retineri, & non amplius futurum in ea parte abſceſſum, éſtque hoc malignum per textum Hippocratis 1. *in* 4. *Coacarum text.* 40. Quæ ſigna abſceſſum enunciant, ſi ab eis non ſequatur abſceſſus, malignum. Conuenit hæc dictio cum illa quæ habetur *lib.* 3. *prorrhet. text.* 78. *Dolores abſque iudicatione ſoluti, inutiles*; id eſt, repente ſoluti: neque enim tam citò poteſt abſceſſus fieri, & conquieſcere. Si igitur nullo facto abſceſſu ſedetur, nihil aliud excogitandum eſt, quàm materiam illam firmatam eſſe circa principaliorem partem. Hoc fit tunc, quando natura præ imbecillitate non poteſt perfectè munus ſuum explere, & tunc, natura in hoc ſtatu exiſtente, non eſt remedio locus: ſequitur etiam grauantem copiam, vel eiuſdem materiæ malitiam, à quibus laceſſitur facultas ad expellendum, & hac de cauſa ſæpiſſimè imperfectè agit natura, neque propterea debet tunc Medicus temere euentum prædicere, quia oportet vt poſt doloris occultationem repentinam animaduertat, quorſum euadat morbus; nam poteſt natura incœptam criſim in ſequentem diem differre; & ita materiam aut per aliam partem euacuare, aut ad eandem partem tranſmittere, cum ægri commodo. At ſi repente ſedato dolore alia augeantur ſymptomata, & incipiant vigiliæ, aut aliæ capitis affectiones, quid aliud exiſtimandum eſt, quàm materiam illam transferri in ſupernas partes. Veniamus modò ad textum, & videbimus hanc doloris quietem fuiſſe omnino infidam: ſubdit enim,

[c] *Altero die femoris remiſſi ſunt dolores.*] Ecce vt demonſtrat euentus, dolores non fuiſſe remiſſos cum ratione: nam febris increuit. Hoc non ſolet ſequi, quando materia euacuatur, cuius cauſa dolor ceſſat: inualeſcere enim febrem poſt doloris, ſedationem, graue admodum eſt. Non grauabor his vobis referre, quòd multoties obſeruaui. Sæpe, poſtquam medicinam facio, mihi contigit curare ægrotantes, qui ex hypochondriorum dolore cœperunt affici, verùm eodem tempore febris excitabatur, ſedatis doloribus omninò tamen febris increuit adeò, vt acutiſſimè laborauerint, alij malo functi ſunt fato, alij difficilè euaſerunt. Iudicaui eo tempore abundare materiam crudam circa eas partes, cuius cauſa eleuati ſint flatus diſtendentes ex febrili calore eſſentialiter ſuperueniente, in materiam craſſam agente, quo inualeſcente conquieuêre quidem dolores, reſolutis flatibus, ſed non conquieuit praua generis venoſi diſpoſitio, in dies grauiùs affligens: tunc quidem non aliunde poteſt Medicus deuenire in cognitionem ſtatus ægrotantis, quàm ex conſequentibus. Cùm igitur, ſedatis doloribus, grauior fuerit ſtatus ægrotantis, quid aliud putandum quàm prauam corporis illius diſpoſitionem.

Perinde in hoc, cùm dolores fuerint remissi, quid sequutum est? Deterior extitit ægroti conditio. Cur? Quia habebat corpus maiorem ægrotandi causam, quàm esset pauca illa materia ad partem delata. Hoc quidem est certissimum, quòd si peccans ille humor copiosiùs ad ignobiles partes fuisset delatus, neque febris increuisset eo modo, neque tam grauiter fuisset læsus; at quia intercepta est fluxio quomodocunque sit; eam ob rem lethaliter se habuit. Illud augeri febrem post doloris sedationem denotabat generis venosi statum pessimum, à quo elatis vaporibus tetris, & ori ventriculi communicatis, factus est ægrotans implacidior, & quemadmodum à ventriculo ad caput facillima est transmissio; ita non fuit difficile vigilias induci, humore ad id faciendum apto. Verumenimverò, neque hucusque deploranda fuisset ægrotantis salus; nisi statim grauiora superuenissent: scilicet extremorum refrigeratio, intus æstuante corpore, humoribus supernas partes occupantibus 4. *acut. comment.* 47. Quid contulerit ille violentus humorum decubitus, & imperfectus, iam ex antecedentibus constat, sed meliùs ex consequentibus, &, si credendum est Hippocrati, isti motus sunt suspecti, cùm videantur vim naturæ inferre, cuius occasione fortasse dictum est 1. *in* 1. *Coacarum text.* 31. Malignus quoque doloris impetus è femore, multo magis, si celerrimè conquiescat sine iudiciis solutionis. Galenus ita scribit. Iam sæpius sermo hic tum particulariter, tum vniuersaliter dictus; melius ostenditur, si adiiciatur repentè occultari: nam καταμολυνθέντα, solutionem, quæ sensim fit significat. Repente verò occultari dolorificas affectiones, absque hoc, quod in alia quapiam, quæ manifesta sit parte abscessus fiat, transmigrationem ad viscera ipsa factam ostendit, quod maximè est perniciosum, & lethale; nisi præueniat natura aliqua insigni euacuatione, vt dictum est, aut abscessu, quibus à tam graui noxa se expediat. Hucusque perniciosus fuit ægrotantis status, perniciosior imposterum: nam vrinæ emittebantur multæ, sed non bonæ. Verisimile est fuisse tenues, cùm haud multò pòst esset deliraturus, aut fuisse turbatas, quæ secundùm Aphorismum minantur futuram capitis affectionem; sed, quoquomodo excernerentur, nihil decretorij afferebant, similes iis quas emittebant ægrotantes in hac constitutione, quo in loco *text.* 41. habet Galenus fuisse vrinas excretas propter serosi humoris abundantiam, proptereáque nihil boni attulisse; sed excretas fuisse, quia ob nimiam copiam, vasa eas sustinere non poterant, vel quòd ita essent mordaces, vt vellicarent, & ad excretionem irritarent, etiamsi propter hanc causam potiùs frequentiùs, quàm copiosiùs mingant. Fiunt ratione colliquationis ex adurente interno calore, propter eáque neque tunc sunt bonæ. Hoc repetit Hippocrates *in hac constitutione text.* 61. his verbis: *Vrinæ multæ erant; neque erant illæ ex potu ingesto, sed illum excedebant, multùmque etiam vitiosæ erant redditæ*, affertque rationem, cur essent vitiosæ, subdens: *Nec enim inerat crassitudo, vel concoctio, vel proba purgatio. Nam purgationes per vesicam multis bonum portendebant. Plurimis colliquationem, turbationem, dolores, diuturnitates, & nulla iudicia.* Hácque causa dicerem potiùs fuisse vrinas multas in hoc

ægrotante.

ægrotante. Si prima facie ſpectemus doloris alleuationem, videretur doloris ſedatio originem traxiſſe ab inſigni illa vrinarum copia, quia poſt hanc conquieuit dolor, & per conſequens ex hac parte videbatur melior ægroti conditio. At enimverò conferentia, & tolerantia cognoſcitur ex euentu. Tantum abeſt, vt quid attulerit commodi, vt longè pernicioſiora ſuperuenerint ſymptomata, & in hoc ſint cauti iuuenes, ſcilicet attendant in morbis ſolutionis modum; & ita ferant iudicium. Quanti poſſit recurſus humorum ad ſupernas partes, animaduertant modò, & ſit illis hæc hiſtoria tanquam exemplum minimè contemnendum. Admiranda pariter Hippocratis diligentia in recenſendis quæ euenêre. *In principio*, ait: *non concomitatus dolores, febrem autem fuiſſe acutam*; *ardens paulatim, quia ſenſim materia ferebatur ad nobiliores partes.* Poſteà ait, *fuiſſe remiſſos dolores magis, ſed huic remiſſioni maiori, maior eſt ſubſequuta febris.* Tandem, inquit:

[d] *Tertio, femur deſiit dolere.*] Sed quæ commoda habuit? Nulla prorſus, ſed euidentiùs tendebat ad proximam ruinam, ingraueſcentibus multò magis, quo magis conquieſcebat incœptus à principio dolor: nam quò leuior erat dolor partis ignobilis, eò grauior erat affectio partis principis, quoniam omnia recurrebant ad eam partem, & inde mentis alienatio, & turbatio, quod perinde eſt, ac ſi diceret furibundum fuiſſe: non fiunt autem hæc, niſi compatiente cerebro *lib. Medic. cap.*13. neque immeritò dicit, multùm ſe iactaſſe, ſic fert affectus: qui enim validè delirant, iactant ſe quamplurimum, vti in dies obſeruamus, & ita ſe iactauit, vt ex morbi vi non potuerit effugere diem quartum, quo obiiſſe ſcribit: hic enim dies acutiſſimos ſæpè morbos finire ſolet, vti Hippocrates idem teſtatus eſt *lib.* 3. *prognoſt. text.*2. dicens: *Simpliciſſimæ febres ſignis firmatæ ſecuriſſimis quarto die, vel citius finiunt, maleficentiſſimæ, ac ſignis affligentes difficillimis quarto die, aut citius interimunt*; & loquitur ibi de febribus acutiſſimis exactè, quæ ſi ſunt ſalutares, quarto die finiunt, ſi lethales, quarto die interimunt. Verùm, qui ſanandi ſunt, tertio, aut quarto die conualeſcunt, qui verò ſunt morituri, non tantùm quarto, aut tertio, ſed primo, & ſecundo die mori poſſunt, & ſi rarò id contingat. De primo die affirmat Hippocrates *in prognoſt.* dum ait: *Anginam primæ ſpeciei hominem tollere primo, ſecundo, tertio, ad ſummum quarto.* De ſecundo die probat exemplum ab Hippocrate adductum *lib.*2. *epid. text.*27. dum ait: *Coi ſorori hepar elatum eſt ſplenico modo. Mortua eſt ſecunda die.* Attollitur hepar ſplenico modo, quando in immenſam magnitudinem eleuatur, vt videmus aliquando in ruſticis ita eleuatum, vt dextram etiam partem occupet. Vt igitur denotet tam grauem fuiſſe inflammationem, vt magnum hepatis tumorem concitauerit, inquit, *ſplenico modo.* Sed neque quis dicat primum, & ſecundum eſſe decretorios: quia diſpari ratione procedimus in morbis ſalutaribus, ac lethalibus: hi enim primo, & ſecundo die poſſunt iugulare: at ſi debent ſolui in bonum, non poſſunt ante diem tertium ſolui: cùm ſolutio fiat per materiæ euacuationem, quæ actio indiget tempore: mors autem ſequatur per eiuſdem materiæ aug-

mentum, cuius causa in anginosis sequitur suffocatio, & contingere potest spatio octo aut decem horarum, aut saltem vnius diei. Hic igitur quarto die obiit, non tardiùs, quia non potuit diutius morbum sustinere. Ex hac historia, illud eliciant iuuenes oportet, nunquam esse parui faciendos morbos, etsi à causa procatarctica ortum habeant, quia nescimus qualis sit corporum dispositio: nam si quæ corporum sit praua, illa ex leuissima causa ægrotant magis. Notat id Galenus 4. *acut. comment.* 115. his verbis: *Corpore nostro ad morbosam affectionem nonnunquam parato, ita vt prope completa sit, externum quippiam obueniens, eam affectionem manifestauit, febrem videlicet accendens, vel capitis dolorem, vel tussim excitans, vel aliquid, quod tale sit.* Deinde ex eo continenter ad morbosæ affectionis præparationem non sine periculo languent. Non esse negligendas causas externas, aut graues, aut leues, expertus est hoc anno, malo quodam fato excellentissimus Doctor à sancto Petro, qui à cane commorsus, negligens, liceat dicere, exiguitatem vulneris, tam grauiter primis octo diebus transactis, imposterum sæuiit, vt spatio sex mensium laborans in eo prope fuerit, vt cum omnium amicorum dolore moreretur, etsi tandem sit restitutus cum incredibili omnium lætitia. Ita hic primum dolore femoris correptus est, deinde eadem die febre, quæ ex sui natura debebat esse ephemera, cùm causam habuerit dolorem, sed tamen ob prauam dispositionem citissimè peremptus est. Alterum, quod debent animaduertere est, vt in dolorum quiete sint oculati, considerantes, quomodo aliàs respondeant doloris sedationi: nam, si dolor cum causa quiescat, bene se habent ægrotantes, sin minus, omnia ruunt in deterius, vti contigisse videmus, mulieri in Thaso, Critoni, & etiam Zemeno. Hic ex vehementi, & acuto morbo abscessum habuit in digito; cúmque pars totius materiæ non esset capax, recurrente ad supernas & nobiliores partes, interiit.

Curatio.

ENimverò solent Medici in iis morbis, qui tam grauiter affligunt citissimè etiam, si fieri possit, succurrere; sed tamen, etsi sint oculatissimi, redduntur dubij quid potissimum sit agendum, non omninò certum habentes: nam morbi vehementia requirit remedia. Virtus in huiusmodi casibus celerrimè deprimitur, quæ Medicum facit ambiguum: sed tamen in iis temporibus cum Celso standum, & aliquid, etiam cum periculo moliri, eodem tamen priùs prædicto. Si respiciamus Hippocratem erat inchoanda curatio ab anodynis, vt qui vehementer vrgebat dolor, posset aut fomentis, aut vnctionibus demulceri. Attamen, cùm dolor tribus tollatur modis, insisterétque dolor cum vehementissima febre, mihi non placuisset seruare præceptum Hippocratis *lib.* 2. *acut. text.* 1. quod sic legit: *Lateris dolorem, siue is per initia fiat, siue obortus posteà sit, tentare calidis fomentis, dissoluere non ab re existit.* Id facit Galenus, inquit, quia huiusmodi fomentis cutim efficiunt rariorem, & materiam ducunt ad perspirationem,

tionem, phlegmones ſanguinem tum tenuant, tum per halitum digerunt. Quibus peractis, ſi dolor perſeueret, indicatur humorum redundantia, & partem affectam plus trahere, quàm euaporare, quo tempore ſic affecti ſtatim ſunt euacuandi inſigni aliqua euacuatione, videlicet ſanguinis miſſione. Illud quod dicitur de pleuritide, poteſt dici de quocunque dolore, quia copia in corpore exiſtente, nocua ſunt localia. Præceptum tot in locis decantatum à Galeno, & præcipuè *lib. art. Medic. cap. 95.* Cùm igitur huic femur doluerit de repente, quod erat indicium materiam impetuosè ad eam partem procubuiſſe: neque enim doluiſſet, cùm dolor, Galeno dicente *lib. 1. de ſympt. cauſis, cap. 6.* fiat, quotieſcunque aliquid repente, & violenter in aliquam partem ſe ſe inſinuat, ſiue calor, ſiue frigus, idem longè clariùs *lib. 12. method. cap. 7.* Ibi probatur exemplo deducto ab iis, qui vnguibus frigent, quotieſcunque igni ſtatim appropinquant. *Illud etiam*, inquit, *memoria repetamus ne alterationem quidem ſenſim irrepentem dolorem afferre animali poſſe, ſed qua dolore animal afficit, eam mutationem tum confertim factam, tum verò violentam eſſe debere. Videtur enim corpora non ſolùm, cum in habitum contra naturam confertim agantur, triſtem mutationem ſentire, ſed etiam in ipſo ad naturalem ſtatum reditu, niſi cùm paulatim accipiunt, cruciari. Scimus enim, qui in vehementi frigore iter fecerunt, eos cùm ſe ſe non ſenſim, ſed ſemel calefacere properarent, dolore circa vnguium radices adeò vehementi affectos, vt ferre non poſſent.* Hæc Galenus. Quibus videmus cum ratione fuiſſe additum verbum illud ab Hippocrate *repente.* Verùm, vt vt ſit. Cùm dolor vrgeret, ego in iis caſibus ſtatim deueniſſem ad validiſſimam euacuationem: ita enim duo poſſunt commoda ſequi, vt ſcilicet reuellatur humor, & prohibeatur impetus ille dolorificus, & etiam, vt tollatur materia antecedens, continuò ad partem recurrens: tentare enim in huiuſmodi caſibus fomentis ſedare dolorem, eſt ſuperuacaneum, & etiam ſuſpectum, quia in his morbis tardare nocuum eſt; neque propterea improbaſſem externa auxilia, verùm non retardaſſem interna. Venæ autem ſectionem partiri in talibus caſibus expedit, quo velocior fiat retractio, cum minori virtutis diſpendio. Neque pertimeſcite ſenſim euacuare, quia ſcilicet ſuſpicio ſit, ne maiore ſpirituum copia ad ſectam partem congeſta, impetuoſior poſtea eorundem reſolutio ſequatur; quia hanc aliquorum opinionem, tanquam vanam omninò negligerem; primò, quia non poſſunt impetuoſiùs exhalare, cùm orificium non fiat maius: ſecundariò, quia vas eſt ſemper idem; & tandem eſt præceptum Aëtij vbique commendatum, & etiam à Chirurgis obſeruatum in abſceſſuum ſectione: in hydropicis obſeruandum ſemper, vt ſcilicet aqua ſenſim extrahatur, propter ſpirituum reſolutionem. Extrahendus igitur erat ſanguis, vti dictũ eſt, & ex brachio ſeruata partis affectæ rectitudine. Quòd ſi quis diceret, non omninò eſſe turam venæ ſectionem ex ſupernis partibus, quia adiuuet motum naturæ malè operantis: ſi enim videmus materiam ferri ad ſupernas partes, nonne adiuuabimus hunc motum, cum ægrotantis detrimento, & hoc modo ingraueſcent multò magis euidentia. His tamen crediderim non difficilè

poſſe

poſſe nos reſpondere, his præmiſſis. Humorum iſte recurſus ad partes ſupernas fiebat, quia natura non poterat perficere incœptum motum. Hoc ſequitur infirmitatem naturæ: Ipſa autem vel eſt infirma propter malitiam humorum, vel propter copiam. Si primo modo, vel hæc infirmitas eſt inſignis, vel mediocris; ſi eſt inſignis, virtutem proſternit, quo tempore fruſtrà tentat Medicus euacuationem: nam quis ignorat facta euacuatione, & vlteriùs debilitata natura, fieri malitiam maiorem, & hinc vitæ periculum maius. Si mediocris, poteſt Medicus euacuare pro ratione virtutis, ſi non pro ratione morbi: ſi poſteà copia infeſtat, quæ intempeſtiuè concitet naturam ad criſim. Hinc, vel imperfecta redditur criſis, vel mala, & malus abſceſſus. Tunc poteſt meo quidem animo in principio euacuare: ſi enim dempta copia, natura ad reliqui expulſionem inſurgit. Hoc in dies obſeruamus. Incipiat inflammatio in aliqua inferna parte, aut quacumque alia, appareat naturæ motus ſegnis, cum validiore febre, ingraueſcentibus magis concomitantibus ſymptomatibus, nonne obſeruamus factis vniuerſalibus euacuationibus ex brachio inflammationem haud multò pòſt reddi grauiorem, materiam deponente natura impetuoſius ad eam partem, ídque cum ægrotantis commodo; Cur hoc? Quia exonerata ab ea, qua veluti ſarcina premebatur, validiùs inſurgit ad materiæ expulſionem, túncque eſt promouere, non intercipere fluxionem. Itaque ego in hoc ægrotante ſtatim, tempeſtiuè vocatus, ſanguinem ex brachio extraxiſſem, ſæpiùs eadem die repetita euacuatione, virtute inſpecta. Poſteà inieciſſem clyſterem, Hippocratis more, in caſibus vrgentibus clyſterem poſt venæ ſectionem imperans. Fuiſſet talis commodus, qui reciperet mel violaceum ſolut. ſaccarum rub. caſiam decoctionis communis, vel clyſter cum ptiſſana, vel iure. Aut, ſi nihil obſtabat, poterat exhiberi caſia in bolo, cum pulpa tamarindorum, & id genus alia, quibus ſine noxa vtimur. Hæc autem, & alia præſcribit ægrotantis curandi virtus. Syrupi poterant inſtitui refrigerantes, malitiæ obſiſtentes. Alexipharmaca liberaliter dari, reuulſionibus inſiſtendo. Veſicantia admoueri ad maiorem tractionem ad partes infernas, vniuerſalioribus anteà præmiſſis. Virtus ratio tenuiſſima ſeruari. Multa alia poſſent dici, ſed quia agitur de ægrotante, qui ſi non ſuſtinuit medicamenta cum iuuamento primo die, neque etiam poterat ſuſtinere ſequentibus diebus, cùm quarta obierit. Non erat cur pluribus ſecum ageretur, niſi perſuadendo, vt quamprimum animam ſuam componeret, & ad cælum Dei Opt. Max. benignitate tenderet, quod nobis omnibus vtinam ſit conceſſum.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΚΤΟΣ.

Ἐν Ἀβδήροισι Περικλέα, νοῦσος ἔλαβεν ὀξύς. ξυνεχὴς μετὰ πόνου. δίψα πολλή. ἄση. ποτὸν κατέχειν οὐκ ἠδύνατο. ἦν δὲ ὑπόσπληνός τε καὶ καρηβαρικός. τῇ πρώτῃ, ἡμορράγησεν ἐξ ἀριστεροῦ. πολὺς μέντοι ὁ πυρετὸς ἐπέτεινεν. οὔρησε πολὺ, θολερὸν, λευκόν. κείμενον οὐ καθίστατο. β΄, πάντα παρωξύνθη. τὰ μέντοι οὖρα, παχέα μὲν ἦν. ἱδρυμένα δὲ μᾶλλον. καὶ τὰ περὶ τὴν ἄσην ἐκούφισεν. ἐκοιμήθη. γ΄, πυρετὸς ἐμαλάχθη. οὔρων πλῆθος, πέπονα, πολλὴν ὑπόστασιν ἔχοντα. νύκτα δι' ἡσυχίης. περὶ μέσον ἡμέρης, ἵδρωσε πολλῷ θερμῷ τετάρτῃ δι' ὅλου. ἄπυρος ἐκρίθη. οὐχ ὑπέστρεψεν. ὀξύ.

ÆGROTVS VI.

Periclem Abderæ [a] *febris corripuit acuta, continua, cum dolore, multùm sitiebat, fastidiosus erat, potum non poterat continere,* [b] *erat sublienosus,* [c] *grauatóque capite. Primo die ex sinistra nare sanguis profluxit multus, tamen increscebat febris, minxit multum, turbatum, album: reposita vrina non considebat. Secundo die omnia exacerbata sunt. At vrinæ equidem crassæ erant, verùm magis subsidebant. Fastidium leuatum est, dormiuit. Tertio, febris est emollita: vrinæ multæ, & concoctæ, in quibus multum subsidebat. Nocte quieuit. Quarto, circa meridiem sudor prorupit toto corpore multus, & calidus. Sine febre, iudicatus est,* [d] *non rediit. Acutum.*

COMMENTARIVS.



Hic ægrotans non dissimiliter est affectus, ac suprà enarratus, & eodem die habuit iudicium, verùm dissimili euentu, quoniam illi mortem, huic salutem attulit. Grauissima fuit febris à principio, sed tam breui tempore potuit natura causam morbificam euincere, quòd etsi in principio videretur prauus ipsius status, tamen quarto die solutus est morbus, vt videbimus.

a *Febris corripuit acuta.*] Hoc non est de nihilo, cùm plurimi eorum,

qui acutè laborant moriantur, vt Hippocrates *in acutis*, quando ait. *Maximè laudauero Medicum*, *qui in morbis acutis*, *quorum vi plurimi hominum moriuntur*, *in melius*, *quàm cæteri procedat*. Et dum dicit fuisse acutam, intelligit vehementissimam: præter id erat continua cum dolore: fuisse continuam, crediderim additum ad differentiam tertianarum, quæ de genere sunt acutarum: *Cum dolore*, vt innuat febris impetum, quæ lassitudinem inferebat ossеariam, quasi tunc ossa omnia rumpantur; ídque expertus sum ego anno 1615. statim prima die, vt nullo modo corpus præ dolore possem mouere; & vix euasi: neque enim putandum est intelligere dolorem determinatæ partis, quia explicasset illud, vt sui moris est. Itaque non immeritò incœpisset quiuis curans magnifacere morbum, cum phlogosi interna, vt denotat sitis illa infestans valde: non irrationabiliter vehementem calorem sequitur vehemens sitis: Hucúsque habemus tantùm magnitudinem morbi, & ob id neque desperandum: Verùm illud superueniens non omninò excludebat humorum malitiam, de quo iam aliàs sumus eloquuti, & cum Galeno demonstrauimus quid indicet, est autem fuisse fastidiosum: ventriculi enim affectiones, & præsertim oris ipsius maximè sunt attendendæ: nam fastidium illud denotabat malam quandam humorum qualitatem os ventriculi vellicantem, cuius causa sæpissimè euomunt, si in capacitate adsit euomendus humor, aliàs autem fiunt nauseabundi, nausea quadam segni irritante, & nihil excernente, hi quidem minùs perniciosè habent, quia pendet symptoma tantùm ab humorum acrium copia, sæpiùs vellicantium, & vomitum prouocantium; neque putes per potum, intelligere tantùm potionem distinctam à cibo, sed vtrumque includit: quoniam Hippocratis erat mos in morbis acutis, quos breuissimos futuros præuidebat tantùm potum exhibere, quod Galenus confirmat clarè *lib. 3. acut. com. 58.* his verbis: *Potum solùm his exhibet Hippocrates, quos acuti infestant morbi, vbi vires ad vsque morbi vigorem, qui cum ipsa coctione existit interdum, veluti in morbis thoracis, pulmonisque suffecturas sperauerit*. Itaque vt demonstret se huic dedisse tenuissimum victum, dicit potum continere non potuisse, ídque iuxta *Aphor. 1. sectionis text. 7.* Quid autem intelligat Hippocrates per potum, apertè admodum explicat idem Galenus *lib. 2. de fracturis comment. 29.* Ibi hæc habet. *Nam si continua sit*, id est febris, *medicandum non est: sed à cibis, & sorbitionibus abstinendum: potionéque vtendum, aqua, non vini, sed mellæ*. Si febris autem vehementer infestet, ipse etiam non dat: sed exquisitissimo quoque adeò victu ægros nutriendos monet, vt eis, neque cibos, neque sorbitiones vllas exhibeat: sed sola potione vti velit, non vini illa quidem: id enim perspicuum est, etiamsi ipse de vino nihil dixisset prohibendo: sed mellæ, quæ est aqua mulsa austera, quæ ὀξυγλυκὲς dicitur, & aquæ mulsæ: hos enim potus in tenuissimo victu adhibere consueuit: & tertium quoque præter hos acetum mulsum: quod ex melle, & aceto conficitur. At mella dulcissimorum fauorum dilutum, & decoctum est, quod etiamnum in Græcia fieri hunc in modum solet. Fauos expresso melle in ollam mundam aquæ plenam iniiciunt; ac macerant:

macerant: deinde eatenus decoquunt, quoad satis ipsis visum sit, vt faui humorem omnem, quem in se habent, decoctura in aqua deponere potuerint: posteà ita recondunt, ac seruant, vtuntúrque æstate, vt potu sitim sedante, aqua frigida adiecta. Hac igitur mella vtendum esse Hippocrates iubet, & si ea non adest, aqua mulsa: acetum enim mulsum suspectum habet, quia partes neruosas ferit. Quid igitur per potum intelligat Hippocrates iam constat, & per consequens etiam, cur dicat potum continere non poterat, cùm enim morbus esset acutissimus, non nisi potu, id est tenuissimo victu erat vtendum.

[b] *Erat sublienosus, grauato capite.*] Lien facilè est fluxionibus obnoxius, dicebat Galenus *lib. de curan. ratione per sanguinis missionem*, & ob id etiam facilè intumescit, & fortasse laborabat obstructione, cui est hæc pars obnoxia, potuítque propterea esse vomitus causa, si credendum est Galeno *lib. 6. de locis malè affectis c.* 1. Sic de liene scribẽte. *Quin etiam hepatis exemplo sæpenumero excrementa ex se se reÿcit, ita vt, & vomitione, cui nausea quoque accedit, melancholicum sanguinem aliquando excernat, qui interdum per inferiora quoque descendit. At, & citra huiusmodi euacuationes ἀθυμίας, id est animi defectiones, & δυσθυμίας, id est mœstitias melancholicas facit, vt nonnunquam, & ciborum vehementes inappetentias, præcipuéque, quando exquisitè acetosum sit id, quod ad ventrem fertur excrementum: sæpenumero verò, & subuersionem, & resupinationem, quando aliam quampiam habuerit corruptionem.* Hæc Galenus. Quibus constat vomitiones excitari, liene malè affecto, vt ob hoc potuerit aliquam præbuisse causam vomitionibus illis.

[c] *Erat grauato capite.* Hoc non est ex nouis, in febre tali caput grauari, quia non leuis fit humorum euaporatio ad supernas partes. Neque crediderim ego huius grauitatis fuisse lienem causam; quia, etsi ab hac parte in ventriculum aliquid transmittatur, illud est melancholicus humor, qui non facit ad ventriculi subuersionem, sed potiùs firmat, si Galeno credendum *lib. 5. de vsu partium cap.* 4. Verba Galeni, *Nihil igitur amplius miri est, si etiam excrementum melancholicum, quod in liene elaborari, ac mutari non potuit, non in propinqua ano intestina, sed in ipsum ventriculum excretum est.* Post multa ait. *Quòd verò nullam afferat noxam ventriculo, indicat ipsa qualitas: acerba enim est, atque acida bilis atra, & contrahere ipsum, ac constringere, non vt flaua bilis, subuertere nata est.* Constat ergo quòd siquidem hæc noxia esse memorabatur, propterea, quòd vetaret cibos diutius in vẽtriculo concoqui, atram certè bilem non modò non lædere comperiemus; sed, & actionem insuper ipsius adiuuare: nam ventriculum intendit, ac contrahit in seipsum, cogítque cibos ad vnguem circumplecti, atque retinere, quovsque fuerint concocti: Ergo non quia esset sublienosus, caput erat graue, quia non tanta infertur noxa, quæ à ventriculo, capiti communicetur. At fortasse vomitus ille grauabat caput; nam quemadmodum euacuat ventriculum; ita solet caput quam maximè replere *lib. de venæ sect. aduersus Erasistratum*, neque esset abs re potuisse hanc causam concurrere, saltem ad maiorem graui-

tatem inducendam. Verùm prætermittamus modò omnia, & dicamus istam capitis grauitatem capitis plenitudinem indicasse, ex qua potuisset Medicus non immeritò præsagire futuram sanguinis hæmorrhagiam, quod pluribus in locis habetur ab Hippocrate *in Coacis lib.5.text.27.comment.2.* vbi si legitur. *Qui grauitate capitis laborant, doléntque sincipite, vigiles, sanguinem è naribus fundunt.* Alio in loco. Capite dolentes, & pertinaciter dolentes, prærubri oculi, signa profluuij sanguinis. Repetit hanc sententiam Hippocrates *lib.3. prorrhet. text.45.* Itaque fuit antesignanum dolor capitis fluxuri sanguinis, neque hîc dicendum est non fuisse mirum sanguinem fluxisse è naribus, quia lienosis familiaris esse solet talis euacuatio: nam respondemus in lienosis esse quidem familiarem, quia quemadmodum crassior in splene retinetur, quo repleri solet, ita tenuis sursum elatus proritat, & diffluit: tamen in hoc ægrotante fuit vis febris, cuius causa acrior sanguis ad supernas elatus partes, aperuit venarum ora, & profluuium sanguinis concitauit. Verùm quoniam hæmorrhagiæ aliquando sunt naturales, quæ irritantur tempore sanitatis propter sanguinis abundantiam: obseruamus enim multoties in pueris, & præcipuè viuidioribus ita largiter aliquando sanguinem per nares euacuari, vt timorem incutiat, de qua sermonem habuit Hippocrates 3. *in 6.epid.text.25.* sic. *Cùm venere vti incipiunt, aut hircire, sanguinis profluuio laborant.* Subdit Galenus: *Sanguinem de naribus facilè profundunt non solùm ægroti, verùm etiam sani, qui eam ætatem agunt, in qua illud ipsis euenit, quod hircire vocant.* Isti iam & venere vti planè possunt, ac priùs quidem, cùm essent pueri sanguine copioso abundabant, verùm ratione incrementi haud ita valdè copioso: sanguis autem ipsis calidior est, proptereà sanguinis profluuio tentantur. Habet hæc ætas plurimum sanguinis, & maximè biliosi, vt docet Galenus 3.*prognost.comment.*12. Itaque hîc intelligit etiam illam hæmorrhagiam, quæ naturalis est. Altera dicitur symptomatica, quotiescumque partes internæ sunt malè affectæ, veluti hepar, lien, caput. Tertia fit vi febrilis caloris, quo tempore feruidus sanguis sursum impellitur, vt dixi, & apertis venarum oribus sanguinem profundunt ægrotantes, de qua hæmorrhagia loquutus est Galenus 2. *in* 1. *epid. text.66.* dum ait: *Sanguis autem plurimis erupit, præcipuè adolescentulis, & adultis, quorum perijt maxima pars, quibus sanguis non profluxit.* Addit Galenus *in comment. Non addubitabis sanguinis profluuia in ardentibus febribus ob dominantem fieri bilem flauam, quæ sanguini permista, postquam eum deusserit, cum eo multum ad caput calorem subuehens, narium venis diruptis sanguinis efficit profluuia.* Hæc hæmorrhagia, quæ fit in febribus ardentibus vel fit criticè, præcessis iis, quæ veram crisim denunciant, de qua aliàs dictum est. Tunc, si fiat præcessis signis coctionis perfectæ, si in die critico: si seruetur rectitudo: si respondeat morbi vehementiæ; dicitur critica, & soluit omninò morbum. Vel est critica quidem quia fiat in die critico, tamen est imperfecta, quia non respondet morbi vehementiæ, neque omnino aufert morbum. Hæc non omnino caret periculo. Tertia omnino damnatur, quia tantùm abest, vt iuuet, vt

malitiam

malitiam humorum denotet, & virtutis sanguinem, éstque tunc quando incipit, sed desinit, & apparet stilla sanguinis, de qua suprà sumus cum Galeno eloquuti. Qualis igitur fuit hæc. Non veluti prima, quia deerant conditiones requisitæ. Non veluti tertia, quia omnino lethalis est. Sequitur vt dicamus fuisse ex criticis quidem, sed imperfectis, neque morbo respondentibus; nam morbi magni requirunt, quæ se iudicent egregia, & etiamsi dicat profluxisse multùm; tamen non fuit pro ratione tanti morbi: neque enim omnia posteà fuissent exacerbata. Verùm nihilominus duo attulit commoda hæc euacuatio. Vnum, quod fluxit ex nare sinistra, & est ex necessariis in optima fluxione, quod scilicet fiat è directo: solent enim sanguinis euacuationes per nares maximè esse commodæ ægrotantibus acutè laborantibus, si quid aliud, 1. *in* 1. *epid. comment.* 1. *Sanè,* inquit, *proprium, si quid aliud synceris febribus ardentibus per sanguinis eruptionem iudicari,* intelligítque ex naribus, vt notat Galenus: sed oportet fiat è directo, secus, non tantùm non est vtilis, sed potius nocua. Hæc igitur fuit bona, quia affecto liene, sanguis fluxit ex nare sinistra, de qua rectitudine loquutus est Galenus 1. *in* 6. *epid.* 2. *in* 6. *epid. comment.* 14. & *multis aliis in locis.* De eadem re sermonem habet, veluti *lib.* 3. *de cris. cap.* 3. Vbi hæc sunt. *Soluit autem lienis, & hepatis inflammationes sanguis è naribus profluens, cùm hæc viscera vna cum acutis habent inflammationem, & omnes, quæ præcordiis fiunt calidæ, & acutæ inflammationes fluxu sanguinis iudicantur.* Oportet autem per directum fluere sanguinem, & dextra quidem nare hepate, patiente, vel locis in dextris præcordiis positis: ex sinistra autem nare, liene, & locis vicinis. Idem comprobat Hippocrates *lib.* 3. *prorrhet. text.* 33. *Sanguinis ad latus diuersum eruptiones malæ, vt si cùm lien magnus fuerit dextra è nare fluat, atque res in hypochondriis ita habet.* Aliud commodum fuit, quòd erat larga euacuatio: pauca enim excerni in ægris prauitatem habet, largæ autem euacuationes sanguinis liberant ferè 2. *in* 1. *epid. text.* 16. Quod ex sententia Hippocratis repetit Galenus 3. *in* 1. *epid. in historia Metonis*, cui affatim die quarto profluxit sanguis è naribus. Habes eandem sententiam 2. *in* 4. *Coacarum. text.* 2. Cur igitur non est iudicatus integrè, quia in principio, neque aderant conditiones optimæ crisis, & perfectæ. Ita Meto post largam è naribus euacuationem, erat insomnis, & alia habuit symptomata, quæ imperfectam denotabant crisim; neque mirum, si natura tentante euacuationem augentur symptomata, cùm in perfecta crisi id euenire certissimum sit, quanto magis in symptomatica, quo tempore violentior requiritur motus, vti Galenus significat *lib. ad Posthumum cap.* 13. Ibi iactat, se prædixisse haud multò pòst è naribus fluxurum sanguinem, & largiter, duabus de causis. Vna, quia motum naturæ cognoscebat vehementem; & materia erat cruda, cùm non æquè facile sit crudam materiam euacuare, quin validissimus fiat à natura motus, quo tempore magis excandescunt humores, & per consequens febres intenduntur tantisper, dum causa morbifica fuerit euacuata. Hæc igitur est causa, propter quam, etsi sanguis copiosiùs fluxit, tamen febris non est sedata. Duo modò sunt

notanda circa hæmorrhagiam. Primum, ne fiat in morbis longis, virtute imbecilla existente, quia non potest virtus superuenientes euacuationes sustinere. Secundum est, aliquando hæmorrhagiæ superuenire perfrigerationem, vel totius corporis, vel extremarum tantùm partium. Si est moderata, & tantùm extimarum partium, sistit euacuationem, iuxta Hippocratis dictum. Quibus principio largum sanguinis profluuium, rigor fluxionem sistit. Huiusmodi hæmorrhagias sæpiùs vidimus etiam in ætate prouectis, etsi Hippocrates dicat, iis magis fieri morbos regios, & alui fluores 2. *in* 1. *epid. citato.* Quòd si sanguinis euacuatio ad id deueniat, vt vniuersum corpus refrigeret, pessima sine dubio illa est, vt causa, & vt signum. Vt signum, quia indicat extingui calorem natiuum, & spiritus dissipari. Vt causa, quia affert mortem, ad minus imbecillitatem virium minimè aspernendam, simúlque sequuntur ea symptomata, quæ solent sequi quascunque immodicas euacuationes. Hoc innuit Hippocratẽs *in Coacis*, his verbis: *Quæ diebus criticis perfrictiones fiunt vehementes à profluuio sanguinis, pessimæ: solet enim corpus ex larga sanguinis euacuatione sanguine priuari, hincque refrigeratio.* Et huiusmodi euacuationes omnino sunt symptomaticæ, non criticæ, quomodocunque intelligantur, siue perfectæ, siue imperfectę. Cur igitur febris increuerit post euacuationem, constat ex iam dictis.

d *Minxit multum, turbatum, album.*] Mictio longè dissimilis ab ea Larissæ Calui, quia hæc erat talis natura operante, & quamuis esset turbata; tamen non erat ex iis, quæ denotant humorum agitationem, sed ideò fiebat, quia transmittebat humores noxios ad vias vrinæ: neque propterea poterat considere, vt ait Hippocrates, quia morbus erat crudus, & quia in multa, & copiosa vrina minima coctio apparet: tamen inspiciebatur naturæ motus validus in expellendo, hincque fiebat, vt maiore copia euacuata, quod reliquum erat breuissimo temporis spatio euinceret. Hoc verum esse, quamuis vrinæ perinde viderentur excerni crassæ; per turbidas, hac modò intelligo, id habebant, quod residebant secundo die, neque propterea erant tam bonæ, vt morbus statim conquiesceret, sed videbatur inualescere, cùm dicat omnia tunc fuisse exacerbata. Hoc eueniebat quia morbus acutissimus citissimè properat ad augmentum, & hac de causa etiam apparuit euidens coctionis signum, quod augmentum denotat; nam primò dicebat, non subsidere, modò, inquit, erant quidem crassæ; sed magis subsidebant, quod naturæ victoriam demonstrabat supra causam morbificam: coctio enim id significat, veluti aliàs vidimus. Præterea id erat boni, quòd fastidium illud est sublatum. Symptoma non aspernendum, præcipuè in acutis, & ob hoc dormiuit, quia cessabat magna vigiliarum causa. Per somnum facta est coctio, virtus firmata est, quo existente non potest periclitari ægrotans. Euentus ostendit quando statim etiam febris facta est mitior, humoribus ad benigniorem statum redactis, & concoctis, quibus verbis manifestat securum ægrotantis statum, dum ait, *concoctas*, quid meliùs poterat euenire, quàm in morbo grauissimo, videre symptomatum quietem cum ratione, vrinis coctis existentibus,

bus,

bus,cum multa ſubſidentia. Hoc naturæ robur confirmat in concoquendo,& expellendo. Et Galenus habet *in comment.* Vbi ſecundo die hominem faſtidium reliquiſſet,& dormiuiſſet, certior iam breui hominem fore incolumem ſpes erat. At poſtquam tertio die eſſent optimæ, & copioſiſſimæ vrinæ,clarum iam erat quarto die liberatum hominem in morbo, ſicque vt Galenus prædixit, euenit cùm quarto die per ſudorem factum fuerit iudicium,& integrum,id eſt,ſine recidiua, & meritò, quia fuit ſudor tempeſtiuus: præceſſerant enim ſigna concoctionis perfectæ; ſudórque fuit,qualis eſſe debebat,ſcilicet multus,calidus, & per totum corpus, & ægrotantem omnino ſubleuauit à morbo. Iudicatio integra. Ea dicitur integra criſis quæ omnino ægrotantem liberat, & totam cauſam morbificam expellit, & ob id, non rediit. At quoniam Hippocrates ſcribit die quarto factum fuiſſe iudicium per ſudorem, videtur oriri dubitatio quædam, quomodo potuerit ſudor ille eſſe bonus, & perfectè iudicans, cùm ab eodem Hippocrate 4. *Aphor. text.36.* habeatur. Sudores eſſe tantùm bonos,ſi die tertio,quinto, & cæteris fiant. Qui autem aliis diebus fiunt laborem ſignificare,& morbi longitudinem, & recidiuam, qua de cauſa Hippocrates addit fortaſſe,

[e] *Non rediyt.*] Quaſi eſſet nouum quoddam,fieri integram morbi ſolutionem per ſudorem in quarta. Hic igitur excludit omnino dies pares, & per conſequens etiam diem quartum; ſi res ita eſt, quomodo factum eſt integrum iudicium in quarta. Non negat Hippocrates quartum diem poſſe iudicare, & reponi inter iudicatorios: id enim affirmauit *in 2. Aphor. text.24.* verùm ait rarò euenire, vt fiat iudicium per ſudorem quarto die, & diebus paribus, hac ratione, quia morbi per pares moti videntur diutiùs protrahi, quàm poſſint die quarto iudicari, quia morbi acuti vtplurimum mouentur per impares. Verba Galeni: *Hunc verò à tertio incipiens qui anticipat quartum in breuioris temporis morbis, & poſt hunc quintum ſcripſit, vno die quarto tardiorem, ſic enim ferè in omnium exemplaribus inuenies,cum quartus dies in Aphor. nondum eſſet aſcriptus, quamuis hic dies ſit primus iudicatorius.* Subdit: *Verumtamen ipſum nunc prætermiſit, vel ipſe Hippocrates, vel qui primus librum tranſcripſit: ſi verò illum omnino Hippocrates præteriyt, hanc ob cauſam ipſum feciſſe exiſtimo, quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum ſudore indicantur,tertio, & quinto die magis, quàm quarto iudicium ſuſcipiunt.* Poſteà: *Rariores enim ſunt, qui die quarto iudicantur, atque fuit hoc à me inuentum experientia, cùm ob hoc ipſum valdè admodum inquirerem, qua de cauſa dies quartus fuerit ad Hippocrate in Aphor.prætermiſſus. Hoc autem videtur accidere, quod morbi peracuti primam ſtatim acceſſionem habent acutiſſimam, & reliquas illis proportionales per diem tertium. Si dicimus autem, quòd in vehementioribus acceſſionibus iudicia fiunt, & quòd morbi, qui in diebus imparibus acceſſionem habent citiùs iudicantur, qui verò paribus,tardant. Atque ideò,etiamſi in principio aliquis morbus exacerbatur, hoc magis accidit in diebus imparibus; ſi tardare debent ad dies pares vehementiores acceſſiones transferuntur. Hæc habeo,quæ dicam de die quarto.*

De

De hac eadem re habes Galenum loquentem *lib.*3. *de cris. cap.*4. Hactenus igitur Galenus, quibus soluit dubitationem propositam de die quarto. Quod hoc in loco scribit de die tertio confirmat *lib.*3. *de diebus decret.cap.*8.sic, Huius rei gratia tertius,& quintus meritò decernunt: non ex lunari circuitu decernendi potentiam sortiti, sed ob violentam accessionem tertius crisim quarto die futuram peruertat; & ideo inter iudicatorios reponitur. Sed hæc satis pro præsenti Historia. Veniamus ad curationem.

Curatio.

ET huic citissimè erat subueniendum venæ sectione; nisi, antequam vocaretur Medicus præuenisset illa sanguinis per nares euacuatio. Tunc Medicus debet considerare virtutem,& simul iuuamentum. Si integrè soluitur morbus, bene actum est cum ægrotante: sin minùs potest ipse detrahere,vt ex ambobus perficiatur quod necessarium est ad morbi euictionem: quemadmodum enim quando sanguis incipit è naribus fluere,& supprimitur, statim Medicus eundem ex brachio extrahit: perinde in hoc erat agendum non sufficienti euacuatione præcessa,& habito respectu ad lienis affectionem ex sinistro brachio extraxissem, quia sic erat imitari naturam: quò enim vergit,eò ducere oportet. Quid si illud sublienosus,euidétem lienis denotasset phlogosim, cuius causa febris foueretur:oportet enim aliquam febri præstitisse causam,dum ex nare sinistra fluente sanguine iutus est euidenter. Si posteà nullo impediente fuisset euacuatus ventriculus, nullum incommodum esset sequutum tantare posteà syrupis refrigerantibus,febris efferuescentiam demulcere,erat pernecessarium. Alexipharmaca vtilia. Frictiones, cucurbitulæ,& vno verbo reuulsiones facere. Neque enim adeò erat vrgens dolor lienis, vt ad se traheret curationem,qui fortasse solutus est sanguinis euacuatione è parte sinistra. Victu vti tenuissimo. Post morbi declinationem si necessitas vrgebat purgare syrupo rosaceo,violaceo,eo id genus aliis. Quòd si posteà soluto grauiori morbo, lienis affectio ingrauesceret, aut saltem adhuc modicum ægrotantem infestasset, tunc expediebat huic parti prouidere internis,& externis medicamentis. Primùm, si Galeno credendum, qui *lib.*13. *meth. cap.*18. scribit lienem expurgari per aluum, erat aliquop medicamentum exhibendum, quod ad intestina duceret: nam si id à natura fiat, sequitur iuuamentum, per consequens Medicus cùm sit naturæ imitator, debet ad eandem partem materiam ducere. Id confirmatur ab Hippocrate 6.*Aph.text.*48.sic:*Lienosis difficultas intestinorũ superueniens, bonum.* Et hoc est intelligendum quando sequitur ratione transpositionis materiæ, & euacuationis humorum crassorum, ac melancholicorum lieni infertorum.Addit Galenus *in comment.*43.*ad text.Hippocratis:Nam aliquando fit,vt modum excedant,& extendantur,tunc noxia sunt ægrotantibus, quia quemadmodum quæcumque immoderata euacuatio ducit ad hydropem,ita hæc quoque.* Quare in hoc,restituto à priore morbo,pro cura-

tione

tione tumoris lienis poterat exhiberi medicamentum huiusmodi, quod reciperet speciecum hieræ simplicis ʒ. iij. diacat. ℥. j. & cum saccaro bolos concinnare, aut etiam exhibere mell. rof. solut. cum syrup. de fumo terræ, & lenitiuo potum præparare. Posteà ad deobstruentia deuenire ratio dictat, vt quæ est in viscere obstructio tollatur: verùm cùm morbi lienis sint contumaces, & difficilè euincantur, expedit repetitis vti purgationibus, lenioribus præmissis medicamentis, ad validiora venientes, quæ nihilominus sustinet pars hæc 1. *de compos. medic. secundùm loc.* fuissent non inutilia, syrupi, decocta parata ex fumo terræ lupulis, corticibus capparum, fol. ceterach. tamarisco, fraxino ligno, & id genus alia, cum oxymelite simpl. aut cum hac decoctione poterat oxymel longum secundùm artem parari, & per aliquot dies assumere, & ante syrupos exhibere trochiscos de capparibus. Post purgationem, expediebat theriacam exhibere, à Galeno *in lib. de theriaca ad Pisonem* commendatam, & tandem ad chalybem in huiusmodi casibus veniendum est, quod medicamentum ab omnibus practicantibus tanquam maximè proficuum proponitur. Exteriùs sunt fomenta, cerata, emplastra, vnctiones, quæ omnia non incommodè possunt haberi à practicantibus. A Galeno, Aëtio, & aliis: neque enim animus ad hæc proponenda est conuersus, sed ad Epidemiorum historias. Ob hoc his omissis veniamus ad Hippocratis verba, quæ sic habent.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΒΔΟΜΟΣ.

ΕΝ Ἀβδήροισι τὴν παρθένον, ἣ κατέκειτο ἐπὶ τῆς ἱερῆς ὁδοῦ, πυρετὸς καυσώδης ἔλαβε. ἦν δὲ διψώδης, καὶ ἄγρυπνος. κατέβη δὲ τὰ γυναικεῖα, πρῶτον αὐτῇ. ϛʹ, ἄση πολλὴ, ἔρευθος, φοινικώδης, ἀλύουσα. ζʹ, διὰ τῶν αὐτῶν. οὖρα λεπτὰ μὲν, εὔχροα δέ. τὰ περὶ τὴν κοιλίην οὐκ ἠνώχλει. ηʹ, κώφωσις. πυρετὸς ὀξύς. ἄγρυπνος. ἀσώδης.

ÆGROTVS VII.

ABDERÆ [a] *virginem, quæ in vestibulo templi ægrotabat, febris acuta cepit, & ardens: siticulosa erat, & insomnis:* [b] *menses autem ei primùm profluxerunt. Eam sexto die multum cepit fastidium,* [c] *rubuit colore phœniceo, languebat. Septimo die eadem erant: vrinæ tenues, sed boni coloris: venter commodè habebat. Octauò, surditas, febris acuta: insomnis, fastidiosa: horrebátque,* [d] *mentis*

φρενικώδης. κατενόει. οὖρα ὅμοια. ἐνάτῃ διὰ τῶν αὐτῶν καὶ τὰς ἑπομένας. οὕτω ἡ κώφωσις παρέμενε. ιδʹ, τὰ τῆς γνώμης ταραχώδεα. ὁ πυρετὸς ξυνέδωκε. ιζʹ, διὰ τῶν ῥινῶν ἐῤῥύη πουλύ. ἡ κώφωσις, σμικρὰ ξυνέδωκε. καὶ τὰς ἑπομένας, ἄση. κωφότης ἐνῆν. καὶ παράληρος. κʹ, ποδῶν ὀδύνη, κωφότης, παράληρος. ἀπέλιπεν. ἡμοῤῥάγησεν μικρὰ διὰ ῥινῶν. ἵδρωσεν ἄπυρος. κδʹ, ὁ πυρετὸς ὑπέστρεψεν. κώφωσις πάλιν. ποδῶν ὀδύνη. παρέμενε παρακοπή. κζʹ, ἵδρωσε πολλά. ἄπυρος. ἡ κώφωσις ἐξέλιπεν. ἡ τῶν ποδῶν ὑπέμενεν ὀδύνη. τὰ δ' ἄλλα τελέως ἐκρίθη.

erat compos, vrinæ similes. Nono, nihil est immutatum, nec proximis diebus, mansit item surditas. Quartodecimo, mens perturbata fuit, febris remissior. Septimodecimo, multùm prorupit ex naribus. Surditas est nonnihil imminuta. Sequentibus diebus eam fastidium, surditásque tenebant, erátque delira. Vigesimo, ei pedes dolebant: surditas, & delirium eam deseruerunt, aliquantulum è naribus fluxit, sudauit, [c] febre fuit liberata. Quarto & vigesimo, repetijt, surditas redijt: pedes [f] assiduè dolebant, mente excidit. Vigesimoseptimo, multùm [g] sudauit, febre caruit, surditas eam reliquit: restabat pedum dolor. [h] Cætero fuit exactè iudicata.

COMMENTARIVS.

INCREDIBILE est quanta mala patiantur adolescentulæ, quibus nondum menses erumpere cœperunt, instant tamen: sanguis enim ille, qui incipit congeri; & ad expulsionem præparari, dum exitum non inuenit, innumera infert mala, quotidiana experientia id confirmat. Probat Hippocrates apertissimis verbis *lib. de morbis virginum, text.* 1. quo in loco scribit. *Inter illas, esse præcipuè virgines nubiles, & maturas viro. Posteà enim*, inquit, *sanguis in vteros confluit, velut effluxurus. Quum igitur osculum exitus non fuerit apertum, sanguis autem amplius fluxerit propter cibos, & corporis magnitudinem, siue augmentum, tunc sanguis non habens effluxum, præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum*, & quæ sequuntur. Huic modò febris succensa est. Hæc quæ ab Hippocrate enarrantur non fiunt, nisi instante tempore mensium, est autem tempus pubertatis: Galenus huius terminum constituit decimumquartum annum, cuius occasione *lib. 11. method. cap.* 14 dicebat: *Ante decimumquartum annum, nullo modo esse sanguinem mittendum pueris*, & rationem

rationem reddebat; *quia, cùm sint calidi, & humidi, plurimus substantiæ effluxus fit quotidie, vt videatur natura moliri, quod ab arte possset desiderari.* Id quod scribitur hîc à Galeno intelligendum est vtplurimum fieri: nam ipse nullum certum pubertatis terminum constituit, *lib.3. Aphor.text.27. Incipiunt quidem pubescere pueri post annum decimumquartum.* Qui verò prope hanc ætatem accedunt, sunt, qui duodecimum, aut tertiumdecimum, aut quartumdecimum etiam agunt annum. Neque enim est vnus omnium certissimus terminus pubertatis. Calidi enim citiùs. Frigidi tardiùs pubescunt. Ex quibus soluitur, quæ contradictio apparet in Galeni dictis *loco meth. citato*: nam, etiamsi interdicat omnino ante decimumquartum, tunc loquitur in genere, non considerans determinatam corporum constitutionem, quod verum sit, ait esse considerandum an pueri habitus sit mollis, an durus, & alia expendit, quæ faciunt ad maiorem istius rei certitudinem. His sic habentibus, non est mirum, si quo tempore pubescunt, magnæ fiant corporis mutationes, ac in fœminis præcipuè propter mensium eruptionem; immò, si quæ sint affectibus obnoxiæ, solent liberari in pubertate, vti in dies obseruamus. Hi, si apparentibus mensibus non finiunt: aut vnquam posthac liberantur; aut, non nisi longissimo temporis interuallo, & etiam consenescere consueuerunt, vt Hippocrates habet *lib.3. Aphor.text.28.* Fieri in his ætatibus mutationes etiam Hippocrates testatus est 4. *in 6.epid.text.27.* Hæc cùm ita sint, veluti cum Galeno dictum, non est quid nouum febrem huiusmodi fuisse succensam, qualis describitur, quia & Hippocrates scribit *lib. de virginum morbis*, & *sectione Aphor.citata*, febres concitati, & quamuis dicat, vtplurimum esse chronicas, non implicat tamen, deteriori corporis constitutione existente, morbos generari grauiores, & hac de causa præsentem ægrotantem perinde fuisse afflictam, ac ex historia constat, ex qua videmus maximam crudorum humorum copiam fuisse congestam, qui diutius, quàm par erat retenti, putredinem conceperunt intensiorem & inde grauiter adeò fuit malè affecta, vt vacillaret inter spem, & metum, moritura etiam, nisi natura, vt sui moris est, euacuationibus insignibus iuuisset, cuius occasione vrinæ nunquam fuerunt ad perniciem, quod Galenus *in comment.* explicat sic: *Ex humorum abundantia hæc videtur ægrotasse, & quantum portendebant prima symptomata, mortem certè huic timeres, sed bonus vrinarum color in ijs, qui humorum copia laborant, maximum est signum, quæ quia crassæ non erant, fore longiorem morbum denunciabant.* Vt autem hæc euidentiùs pateant, percurramus diligentiùs historiam, quæ sic incipit:

[a] *Abderæ virginem febris cepit acuta, & ardens.*] Ardentis febris signa, vti aliàs dictum est, sunt, exurens calor, & sitis inextinguibilis, cui sæpissimè adiungitur fastidium. Hoc cùm ita sit, cum causa addit, fuisse siticulosam, & insomnem.

[b] *Menses ei primùm profluxerunt.*] Illud, quo sublato cessat morbus, est ipsius causa. Itaque, si supponamus in id genus morbi incidisse, quia instarent menses, & tamen non fluerent, debebat meliùs habere, iisdem

erumpentibus. Verùm Hippocrates 5.*lib. Aphor. text.*57. ait: *Si menstrua plura fiant, accident morbi; &, si non fiant, ex vtero morbi contingunt.* Itaque in mulieribus morbi vtplurimum eueniunt, quia plus iusto euacuentur: id contingit, si ora vasorum quæ pertingunt ad vterum, vltra modum aperiantur: etsi si sanguis vel calidior, vel tenuior fiat: etsi totum corpus propter malum habitum aliquem, aggrauetur sanguine, quem, licèt modum naturæ conuenientem non excedat, expellit ad venas, quæ in vtero sunt, vt in rheumaticis dispositionibus accidit ex vna parte ad aliam. Hoc igitur modo menstrua plura fiunt. Pauciora autem esse solent, quotiescunque venæ, quæ deferunt sanguinem ad vterum, comprimuntur; vel obstructionem aliquam patiuntur, quia scilicet sanguis sit, quàm par est, crassior; vel ob id, quia vasa sint frigidiora, aut robusta adeò, vt quod influit, non admittant. Ita Galenus *in comment.* In hac non fuerunt plura, non omnino suppressa: Quomodo igitur ipsis apparentibus, non est sedatus morbus? Quia diminutè fluxerunt, quo tempore omnia sursum recurrunt, vt in dies obseruamus. Huic idem contigisse constat: nam, etsi vtplurimum ipsis principio erumpentibus, nunquam euidens quantitas euacuatur sanguinis menstrui; tamen, si non est insignis praua dispositio, neque grauiter affliguntur. Hæc autem grauissimum habuit, quia propter prauam dispositionem maior euacuatio erat necessaria, quæ cùm pro ratione morbi non esset, statim febricitauit, venis impertita affectione, pars autem subtilior ad supernas partes recurrens: &, vt est consuetum in vteri affectibus, ore ventriculi patiente facta est fastidiosa, & multum, copia vaporum sursum lata. Ad caput posteà peruenientes faciei ruborem causarunt, quod intelligit per particulam illam,

[c] *Rubuit colore phœniceo.*] Hoc est symptoma admodum familiare mulieribus, aut omninò non expurgatis, aut parciùs, quàm exigat præsens status. Et quotiescunque interrogabitis mulierem, & dicet pati quandam faciei phlegmonosam dispositionem, tunc sine dubio id causat diminuta euacuatio: persentiunt enim tunc vapores in facie quasi igneos, qui vt subtiles, facilè euanescunt, sed iteratò affligentes, quod Galenus etiam confirmat *lib. de venæ sect. aduersus Erasistrateos cap.*1. his verbis: *Præterea, mulierculam quandam, quæ viginti vniusque annorum ætatem agebat, ac ex menstruæ purgationis retentione faciem habebat rubicundam*, & quæ sequuntur. Illud *rubuisse colore phœniceo*, perinde est, ac si diceret multùm rubuisse. Nomen deductum à verbo Græco φοινίσσω, quod est rubefacio. Et Galenus idem 3.*method. cap.*4. confirmat, dum ait, φοινιγμὸν, significare rubefactionem, quæ vel per thapsiam, vel sinapi, vel tale aliquid excitatur. Accidit sic affectis, veluti iis, qui vel vrtica confricantur, vel verberibus cæduntur. Dicitur pariter secundùm aliquos color phœniceus, qualis est flos rubri papaueris, aut mali punici. Rutilus enim est color is, & igneus, qui, quia sæpe accidit elephantiasi, inde & φοινικινὸς νῦσος ab Hippocrate ἐλεφαντίασις dicitur, aut, vt alij, quia in Phœnicia, & aliis Orientalibus locis, frequens est elephantiasis. Vtcunque sit, rubedinem maximam contraxerat facies propter copiam sanguinis menstrui

subtilioris

ſubtilioris ſupernas partes petentis: niſi enim craſſior humor fouiſſet febrem, non eſſet tandiu producta, hinc etiam corporis languor, corpore copia grauato. Huiuſmodi languores habet Hippocrates ſuſpectos 2. *prorrhet.text.5.* his verbis: *Quæ præter vacuationis vaſorum rationem contingunt impotentiæ,infirmitatéſque,non exiſtente vaſorum vacuatione,malæ.* Addit Galenus: *Quod dicitur tale eſt. Inualidos, languentéſque in operationibus,ſicuti plurimum vacuatos in periculo eſſe exiſtima,ſi nulla in ipſis ſit facta inſignis euacuatio. Nam, ſi virtus ſine vlla manifeſta vacuatione imbecilla fuerit,grauātem oſtendit copiam,vel vnius principiorum intemperiem.* In hac ægrotante nulla ſequuta eſt inſignis euacuatio,ergo grauantem copiam adfuiſſe dicendum eſt, & hac de cauſa fuiſſe languidam,quod certiſſimum eſt, neque debet in dubium reuocari. Eadem ſententia legitur apud Hippocratem *lib.2.comment.2.Coacar.text.19.* Neque ceſſabant ſymptomata illa, ſed perdurante fomite, eadem etiam extabant ſymptomata die ſeptimo; verùm id erat boni, quod ſi non diminuebantur, neque magis ingraueſcebant, & nihilominus vrinæ perſeuerabant cum bonitate coloris, ex quibus ſalus poterat ſperari in virtute valida, quoniam diutiùs laboraturam facultatem denotabat earumdem tenuitas. Idem de Clazomenio habemus *in cuius comment.* ſic ſcribebat Galenus: *Planum ergo eſt tenues,ſed boni coloris vrinas, ob coloris bonitatem ſalutem promittere,quatenus autem erant tenues,hactenus tempus requirebant concoctioni.* Si fuiſſent craſſæ, fuiſſet morbus breuior, quia maiorem denotaſſent coctionem,& præter id fuiſſet euacuata materia peccans,cùm in morbis ab humorum abundantia genitis, plurimum reſidere in vrinis oporteat,Galeno confirmante *lib.2.progno.ſt.text.26.* Addamus, quod inter bona erat deputandum, ventrem commodè habuiſſe. Venter commodè habet, quando deiectio molis, conſtánſque eſt, & eo tempore ſecreta, quo ſecunda valetudine aſſueuit,ſi copia ex ratione ingeſti cibi eſt: ſi enim talis excernitur,inferior venter bene valet,ita Hippocrates *lib.2.progn.text.13.* & ibi ſine dubio loquitur de ventre inferiore, túncque eſt indicium non tantùm inferiorem ventrem bene valere, verùm etiam nihil in eum decumbere ex viſceribus, hepate, & liene dico. Hoc idem repetit Galenus *1.de criſ. cap.11.* Quid igitur intelligat Hippocrates per ventrem commodè habuiſſe,& quomodo inter bona deputari debeat, vidimus. His ſic habentibus, neque tamen ille recurſus humorum poterat retardari, ſed quemadmodum faciem infeſtabat: ita etiam aures lædebat, in quibus facta obſtructione, ſurditas eſt ſequuta, & in hoc humorum recurſu, erat etiam faſtidioſa, & ſi hoc accidēs,ſit quammaximè familiare in menſium retentione. Erat inſomnis, tum quia faſtidium illud inſomne facit ægrotos, tum etiam quia magis calefacto cerebro inſomnes fiunt, mirum citiùs non deliraſſe, cùm ſint hæc accidentia bilis conſectanea, & qui ita afficiuntur, delirent non difficilè: ſunt enim vigiliæ, & ſurditas delirij anteſignana, Hippocrate docente *lib.1.prorrhet. text.10.* his verbis: *Vigilantes cum ſurditate citò vehementer inſaniunt.* Et videtur Hippocrates addere,

[d] *Mentis erat compos.*] Quasi debuisset sic affecta delirare, & præsertim aucta febre, quod exprimit per verbum illud *acuta*, eo tempore solent ingrauescere accidentia, vt non immeritò potuerit horrere, vtero magis patiente: sunt enim familiares in mulieribus horrores vtero neruoso existente, ita & ingrauescere solet capitis affectio. Verùm, etsi sint delirij nuncia, non statim in parte imprimitur ea dispositio, quæ delirium concitare possit, sed tractu temporis, putredine aucta, magis parte recipiente læsa. In hoc accidentium grauium concursu, non est aucta humorum malitia in genere venoso, quando scribit vrinas fuisse similes: id est, boni coloris; sed tenues, longitudinem minantes, & per consequens in virtute imbecilla, periculum aliquod, & eo magis, cùm partem principem affectam ostenderent, & perseuerarent vsque ad nonam. Quando ipse scribit nihil esse innouatum, sed permansisse omnia & simul surditatem. At, ad quid addere. *Mansit item surditas:* Nonne erat satis dixisse, *nono nihil esse immutatum vsque ad decimamquartam*, in quibus includitur & surditas. At enimverò hinc eliciamus licet, quanti faciat partis principis læsionem, quæ sola reddit Medicum ambiguum de euentu: nam cùm surditas superuenit, minatur delirium. Hoc symptoma quanti sit faciendum in morbis acutis noscent iuuenes, cùm Medicinam facient, & præcipuè ipsa surditate perseuerante, quod grauius est, cùm mala signa cunctando soleant fieri deteriora, quod etiam in hoc experimur, cùm decimaquarta delira sit facta. Quomodo, cum remissione febris, aucta est capitis affectio ita, vt in delirium inciderit. Non est quid nouum hæc in morbis euenire, quod sæpissimè vidi: nam aliquando, qui humores erant in capite firmati, tardiùs dissipantur, quàm sedetur generis venosi affectio. Prætereà, quemadmodum scribit Hippocrates sæpissimè contingere, vt humores à venis ad neruos transmittantur, & superueniente tremore, febrem reddi mitiorem; ita hîc dicerem humores facientes febrem impetuosiùs illatos esse ad caput, & ob hoc sublato fomite febris, remissionem habuisse, caput autem magis læsum, quod facilius fuit factu, cùm iam esset surda. Hæc humorum impulsio ad partes supernas poterat spem præbere hęmorrhagię, propterea quod huiusmodi accidentia solent fieri à materia acri, & mordaci, quæ ad partes supernas elata, venas aperire erat apta, & fortasse in vehementē insaniam incidisset, nisi esset subsequuta hæc sanguinis euacuatio, quæ larga fuit, cùm dicat multum prorupisse. Hoc quod dicitur potest colligi ex Hippocrate 2. *in* 4. *Coacar. text.* 17. ibi sic legimus: *In febre ardente, aurium sonitus superueniens, cum visus obscuritate, & grauitate in nares incumbente, vehementem insaniam, firmámque denunciat, nisi largiter sanguis profluat è naribus, quia hac superueniente euacuatione tollitur causa illa acris, & mordax, quæ venarum ora aperiebat, & per consequens tollitur omnino, aut diminuitur surditas, pro ratione euacuationis: iam enim anteà dictum est, surditatem è febre, profluente è naribus sanguine, & aluo turbata solui, & loquitur de temporanea surditate, de qua iam satis in seperioribus.* Si igitur hoc modo surditas soluitur, cur & huic idem non contigit? Mirum dictu, quantopere corpus difficilè

euacuetur,

euacuetur, veluti in dies obſeruamus in iis qui cum ſudoribns perſeuerantibus, & aliis largis euacuationibus nihilominus febricitant. Et notate Hippocratis verba *in hiſtoria Metonis,* non dicit, *largam ſanguinis euacuationem liberare omninò*, ſed ait, *ferè*, & tamen dicit *largam.* Ergo etſi largiter, & in hoc fluxerit ſanguis, non eſt mirum, ſi omninò non eſt ſolutus affectus, quia nondum erat morbo par: neque materia erat adeò diſpoſita, vt ad vnicam expulſionem reſeruaretur. Meto etiam fuit delirus, & alia paſſus eſt, etſi tam largiter fluxerit ſanguis, vt vidimus. Verùm neque fuit inutilis; quoniam, ſi febrem reſpiciamus, fuit vtilis, quia ſanguis è naribus profluens bonum, præſertim cum ſurditate 4.*Aphoriſm.text.*60. Si menſium ſuppreſſionem, vtilis: nam ſanguis è naribus profluens bonum, 5.*Aphor.text.*33. At requirebat morbus nouos naturæ impetus, quibus ſe eximeret à peccantium humorũ moleſtia, & quò magis ad longinqua materia tranſmitteretur, eò ſalutarius extitiſſet, cùm neceſſariò fuiſſet facta diuerſio à ſurpernis ad inferna, qui motus maximè eſt in morbis magnis expetendus; modò reſpondeat morbi magnitudini, aut ſaltem diminuat affectum; reliquum poſteà faciliùs ſuſtinet in poſterum, & euincit. Iſte naturæ motus apparuit die vigeſimo, cum maximo ægrotantis commodo, poſtquam incœpit dolor, infernarum partium, pedum ſcilicet. Etſi attenditur in omnibus conferentia, & tolerantia, profectò contuliſſe iſtam depoſitionem conſtabit, ſi Hippocratis verba attendamus, qui ait, *ſtatim à pedum dolore omnino ſublatam fuiſſe ſurditatem, & delirium:* nam quemadmodum illa infeſtabant, quia recurrebant omnia ad ſupernas partes, erat conueniens mutato naturæ motu, eas fuiſſe infeſtatas partes, ad quas procumbebat humor, ſed diſpari euentu, cùm illa eſſet periculoſa, hæc autem depoſitio quammaximè vtilis, vti iam cum Galeno vidimus; ferri namque abſceſſus ad quammaximè longinquas partes, eſt admodum commodum. Verùm dum Hippocrates nihil de vrinis dicit, credibile eſt fuiſſe eaſdem, videlicet boni coloris, ſed tenues, cuius cauſa non tantùm erat fidendum alleuationi, quin eſſet ſuſpicandum de reditu: neque enim perfecta fiunt iudicia tam facilè crudo exiſtente morbo. In hoc oportet cautionem adhibere, neque ægrotantium querimoniis gratificari, quia, cùm morbus repetit, non eiuſdem cruditati, ſed Medico adſcribitur. Quàm eſſet humoribus repletum corpus, & quantopere opprimeretur natura, ex diuerſis repetitis euacuationibus licet coniicere. Tentauit natura ſe eximere à ſarcina ſanguinis euacuatione, vteri purgatione, materiæ depoſitione ad infernas partes, ſudore, iterata ſanguinis effuſione, nec propterea tot euacuationes, etſi iuuerunt, fuerunt ſufficientes ad inferendum perfectum iudicium. Vos igitur, cùm videbitis naturam per varias partes criſes tentare, elicite ex hoc naturæ oppreſſionem, neque tunc ſine periculo eſt ægrotans, niſi firmis ſit admodum viribus, vt hæc cùm neſciat Medicus, quorſum ſit morbu s euaſurus, poteſt enim aliquando, præter expectationem ſuccumbere. Illud

[c] *Febre liberata*,] non facit fidum iudicium, cùm non ſit mos Hippocratis hoc loquendi modo, fidum, & perfectum ſignificare iudicium;

inter

interquiescit multoties natura, iam anteà defatigata, sed denuò insurgit ad pugnam, & repetunt accidentia, quæ eò maiorem incutiunt timorem, quò maior erat perfectæ salutis concepta spes. Ecce quarto & vigesimo iterum succensa est febris, & surditas rediit, cum delirio; & tamen inquit, *pedes assiduè doluisse.* Tanta erat humorum copia, vt pars tenuior ad supernas, partes elata iterum cerebrum afficeret, quod non fuit difficile succensa febre, quo tempore ebullientibus humoribus, & efferuescentibus impetuosè superna petunt. At quoniam natura iam euaserat superior, maiore materiæ peccantis portione euacuata, quod reliquum erat crassioris ad infernas pellebat & impetuosius, quod significat per illam particulam,

[f] *Assiduè dolebant.*] Abscessus tam vtilis, vt hac humorum depositione valentiùs exonerata natura à crassiori, tentauerit non minùs vtilem expulsionem, scilicet per sudorem, neque amplius dicit,

[g] *Sudauit.*] Vt die vigesimo, sed inquit, multum sudasse, vt innuat euacuationis bonitatem, vti aliàs cum Galeno est demonstratum. Hac euacuatione omnino conquieuit febris, cum aliis accidentibus, vnò pedum dolore excepto, quod ideò euenit, quia erat crassior, quàm vt per sudorem solueretur. Integrum iudicium significat, quando subdit

[h] *Cætero fuit exactè iudicata.*] Non inquit ampliùs *febre fuit liberata*, sed *exactè*, id est omnino, sine recidiua. Illud venit obseruandum modò, videlicet rarissimè accidere, vt vigesimusseptimus per sudorem iudicet 4. *Aphor. comment.* 36. Videtur enim in morbis longis, & qui decidunt ab acutis, non posse materiam adeò attenuari, vt in sudorem abeat, fit autem facilè in iis, qui bile abundant, vt hæc. Diutiùs protraxit iudicium propter vrinarum cruditatem, & longiùs fuisset productum, nisi natura validissima sibi vias inuenisset, quibus se in dies à sarcina eximeret, quam non immeritò Hippocrates 5. *in* 6. *epid. text.* 1. morborum medicatricem nuncupat. Neque quis dicat, esse imperfectum iudicium adhuc, quia remanserint pedum dolores: certissimum enim est morbis chronicis esse familiares abscessus, quibus solent iudicari. Hic iam exciderat ab acutis, & degenerauerat in acutos ex decidentia, quo tempore cessat illa summa vis morbi; & ideò in his fiunt iudicia per abscessus. Itaque fit integrum iudicium morbi vniuersalis, per abscessum; sed restat curandus posteà morbus particularis, vt hoc loco videmus. Iudicata est integrè, & sedata est febris, surditas, & delirium, sed non est sedatus pedum dolor, quia erat nouus morbus per effluxionem factus, & dicitur abscessus à Galeno 2. *in* 1. *epid. comment.* 8. dum ait: *Nam vult Hippocrates ipse decumbendo, & etiam effluendo fieri abscessum.* Et seruabantur ægrotantes per hos abscessus: solùm verò bonum, maximùmque inter signa, quæ fiebant, quódque multos maximis periculis liberauit, hoc fuit, quibus ad stranguriam diuerterent, & in hoc abcessus fierent: scilicet natura materiam, febrem facientem ad renes deponente, & à renibus ad visicam ferebatur, & sic seruabantur. Hoc est fieri abscessum per effluxionem. Abscessus per depositionem est quando materia colligitur in parte aliqua determinata, vt quotidie obseruatur. Ergo non est mirum post solutionem febris per

abscessum

abſceſſum hunc, doluiſſe pedes,& nullum periculum afferre poterat,cùm cauſæ vniuerſales eſſent euictæ. Non rarò id obſeruatur in praxi, & quod dicitur de renibus, de quacumque corporis parte dici poteſt,cum natura ad vnamquanque inclinare poſſit. Sæpiùs ad longinquas, & exangues, tanquam ad debiliores, & hoc eſt in cauſa quòd pedes dolebant, integrè morbo vniuerſali ſoluto. Id fieri in morbis longis obſeruabitis. Quando aliquando intumeſcunt pedes, aliquando dolent, modò hoc, modò illud ſymptoma patiuntur, quod difficilè tollitur, quia vbi non eſt vis caloris, actio ſine dubio retardatur. Neque dolor erat podagricus,niſi communiori appellatione vtamur, veluti quoſcumque gutturis affectus, anginas,quoſcumque lateris dolores, pleuritidas, ita podagricum dolorem dicamus, quia pedes læderentur. Verùm in huiuſmodi caſibus non repetunt dolores, ſemel reſoluta,imbibita materia. Concludamus igitur ſermonem, & veniamus ad curationem.

Curatio.

HIppocrates *lib. de virginib. citat.* curationem eſſe inchoandam à venæ ſectione iubet. *Cæterùm*, inquit, *curatio, vt hinc liberetur, eſt ſanguinis detractio, ſi nihil fuerit, quod impediat.* Verùm ipſe non determinat locum euacuationis, an à partibus infernis, an à ſupernis. Ego quidem ſine verborum circuitione ad ſecundas venas infernas deueniſſem: ita enim deficienti naturæ fuiſſemus adiumento, ſanguine etiam iteratò miſſo: erat enim virgo,& boni habitus,quantum ex textu coniectare poſſumus. Deſinentibus menſibus, & nullo impediente expediebat blando aliquo medicamento, humorum abundantiam,ægritudinis cauſam ex parte demere. His enim euacuationibus fuiſſe prouiſum, ne tam violenter ſurſum eleuarentur humores,& ingraueſcerent partium ſupernarum affectiones. Alterantia debebant eſſe deobſtruentia citra caliditatem. Pentaphyllum, gramen, borago, fumus terræ, lupuli, ruta capraria, ſcorzonera, hordeum, ſemen melonũ,& id genus alia in iure parata, addito ſucco cichorij, acetoſæ depurato ad ℥.*j.ß.* cum ℥.*v.* decocti, plus vel minus, pro ægrotantis captu. Sanguine è naribus fluente diminutè, non erat inſtituenda curatio in Metone præſcripta, ſcilicet, ſanare caput, quia in hac cauſa erat menſium diminutio, quia ſic loto capite omnia eſſent ſurſum euocata potiùs, virtute permittente, nullo alio impediente, iteratò venas infernas ſecare, hócque octauo die facere, quem appellant Medici vacuum, & medicinalem, cum ſexto, decimo, duodecimo, decimoſexto, & aliis, & hoc modo appellantur, quia neque iudicantes ſunt, neque indicantes, neque prouocantes, ſed potiùs ſunt idonei,& occaſionem præſtant magnis auxiliis: dixi in octauo die eſſe ſanguinem mittendum, quia expediebat in ſeptima, tentatam criſim inſpicere, quæ cùm eſſet deficiens, poterat adiuuari per partem dictam, ſed non in die decretorio, quia natura iis diebus ſemper aliquid molitur, vel criticè, vel ſymptomaticè: ſed ſaltem rarò admodum, vrgente morbo, tardiùs Medico vocato. Alexipharmaca erant exhibenda.

A principio reuulsionibus insistere, vniuersalioribus præmissis euacuationibus; ventriculum fouere erat necessarium; vigilias arcere. Pedes dolentes à sola natura essent commodè curati; verùm, vt mulierum querimonias euitaremus expediebat aliquid moliri. Ipsis valdè dolentibus, ex vsu fuisset panatella cum oleo amyg. dulcium. Iuuisset oleum ex vitellis ouorum, oleum lumbricatum, vel chamæmelinum, anethinum, & id genus alia. Dolore resoluto, si qui tumor œdematosus permansisset, expediebat adhibere lixiuium. Aqua sulphurea, oleum in quo sal extitisset; acetum cum sale, vrina pueri ex vsu est. Ad roborationem, vnum cum rosis, corticibus granatorum, & similibus decoctum: Hæc, & similia conuenissent. At hæc habuit naturam adminiculantem, quæ tanquam internum contrarium semper morbo obstitit, obstinatè tantisper, dum integrè debellauit. In his casibus victus non vsquequaque tenuis requirebatur, quia morbus erat futurus longior, iuxta Hippocratis doctrinam *in 1. sect. Aphorism.* fuisset qualis conuenit febricitantibus boni succi, & facilis coctionis. Sed de his aliàs, & hactenus de præsenti Historia.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΟΓΔΟΟΣ.



ἘΝ Ἀβδήροισιν Ἀναξίωνα, ὃς κατέκειτο παρὰ τὰς Θρηϊκίας πύλας, πυρετὸς ὀξὺς ἔλαβεν. πλευροῦ ὀδύνη δεξιοῦ συνεχής. ἔβησσε ξηρά. οὐδ᾽ ἔπτυε τὰς πρώτας. διψώδης. ἄγρυπνος. οὖρα δ᾽ εὔχροα, πολλά, λεπτά. ϛ΄, παράληρος. πρὸς δὲ τὰ θερμάσματα, οὐδὲν ἐνεδίδου. ζ΄, ἐπιπόνως. ὁ γὰρ πυρετὸς ἐπέτεινεν. οἵ τε πόνοι οὐ ξυνεδίδωσαν. αἵ τε βῆχες ἠνώχλουν. δύσπνοός τε ἦν. ὀγδόῃ, ἀγκῶνα ἔτεμον. ἐῤῥύη πολλὸν οἷον δεῖ. ξυνέδωκαν μὲν οἱ πόνοι. αἱ μέντοι βῆχες ξηραὶ παρείποντο. ιά, ξυνέ-

ÆGROTVS VIII.



ABDERÆ Anaxion, qui ad Thracias portas habitabat, in febrem acutam incidit. Dextri lateris assiduus eum dolor cruciabat. [a] *Tussim habebat aridam, neque primis diebus exspuit, sitibundus erat, & insomnis, vrina boni coloris, multa, & tenues.* [b] *Sexto die delirabat,* [c] *fotibus nihil remittebatur. Septimo, magis laborabat: quippe febris intendebatur, nec sunt imminuti dolores, simúlque febres infestabant, difficulter etiam spirabat.* [d] *Octauo, secui venam, multùm, vt debebat effluebat, leniores ibi euaserunt dolores,*

δῶκαν οἱ πυρετοί. σμικρὰ περὶ κεφαλὴν ἵδρωσεν. ἔτι βῆχες. καὶ τὰ ἀπὸ πνεύμονος ὑγρότερα. ιζ΄, ἤρξατο σμικρὰ, πέπονα πτύειν ἐκουφίσθη. διψώδης ἦν. ἐκ τῶν ἀπὸ πλεύμονος οὐ χρησταὶ αἱ καθάρσιες. κ΄, ἵδρωσεν ἄπυρος. μετὰ δὲ κρίσιν ἐκουφίσθη. κζ΄, ὁ πυρετὸς ὑπέστρεψεν. ἔβησσεν. ἀνῆγε πέπονα πολλά. οὔροισιν ὑπόστασις πολλὴ λευκή. ἄδιψος ἐγένετο. ὕπνοι. λδ΄, ἵδρωσε δι' ὅλου, ἄπυρος, ἐκρίθη πάντα.

dolores, sed tusses aridæ permanebant. Vndecimo, febres fuerunt mitiores, aliquantum circa caput sudauit: [e] *etiamnum tusses durabant, & quæ à pulmone exibant, liquidiora erant.* [f] *Decimo & septimo, cœpit pauca, & concocta expuere, leuatus est, sitibundus erat, & à pulmone parum bonæ purgationes.* [g] *Vigesimo, sudauit, febre est liberatus, à iudicio rectiùs habuit. Vigesimoseptimo, rediјt febris,* [h] *tussiјt, multa excreauit concocta, in vrina multa subsidebant alba, desiјt sitire, dormiuit.* [k] *Trigesimoquarto, toto sudauit corpore, cessauit febris, in totum est iudicatus.*

COMMENTARIVS.



NEscio qua de causa, dum Hippocrates aliorum ægrotantium statum recenset, quo morbo fuerint detenti, ponat, hîc autem non: nam, dum quæ passus est sic ægrotans explicat: statim, in febrem incidisse acutam scribit, cùm tamen, pleuriticum fuisse, ex sequentibus constet euidenter, vt Galenus *in comment.* testatur. Crediderim ego ita ab Hippocrate factum duabus de causis. Primùm, quia voluit innuere febrem hanc non fuisse omninò inflammationis consectaneam, verumetiam aliquam traxisse originem ab affectione generis venosi. Secundò posteà, quia cùm pleuritis adeò habeat signa demonstratiua, quæ Medicos cordatos decipere non possunt, poterat vnusquisque accidentia considerans, quo morbo laborauerit cognoscere: nominauit autem primò febrem, & dixit fuisse acutam, quia hoc modo loquendi, significabat grauissimam fuisse pleuritidem. Quis enim est, qui cùm ægrotantem inuiserit, febricitantem inuenerit latere dolentem, extussientem, difficulter spirantem, non dicat talem esse pleuritide affectum, cùm ea omnia concurrant tunc, quæ faciunt ad necessariam huius morbi constitutionem, si credendum Galeno *in lib. 2. de diffic. respirationis cap.* 8. sic scribenti: *Pleuriticis itaque necessariò accedit & lateris dolor, atque hic cum febre, & respirandi difficultas, & tussis*, quibus statim subdit: *Neque enim possibile est pleuriticum esse, cui non omnia hæc adsint.* Pleuritis est in duplici diffe-

 rentia.

rentia. Vna legitima, altera ſpuria, de hac loquitur Aëtius, quando ſcribit dari affectionem, quæ videtur eſſe pleuritis, ſed tamen non eſt. Hæc occupat infernas coſtas, & aut nulla extat febris, aut ſatis modica. Spuriam item appello eam, quæ in ruſticis excitatur à deſtillatione, veluti vernali, & hyemali tempore videmus, in quibus craſſa admodum expuuntur, neque febris ſatis inſignis in his ſuccenditur ratione peccantis cauſæ. Verùm, neque negligendus affectus, cùm non rarò adueniente ſeptima, neglectus iugulet. Neque tamen dico ſpuriam, quia non ſit pleuritis, cùm habeat ſigna morbi, ſed talem appello reſpectiuè ad pleuritidem, de qua habet ſermonem Aëtius *lib.2. ſerm.4. c.68.* Ibi ſic legimus. *Pleuritis exquiſita, & propria, inflammatio eſt membranæ intrinſecùs latera ſuccingentis, dolorem punctinum vehementer inferens, cum acutiſſima febre. In capite ſequenti* ſermonē habet de ea, quam nuncupat ſpuriam. Re igitur ſic habēte quam exquiſitam dicat Aëtius, conſtat. Verùm, cùm neceſſariò accidentia dicta ſequantur, cur res ita eſt? Pulcherrimè, & clarè admodum id docet Galenus *multis in locis*, veluti *in lib.5. de locis malè affectis cap.3.* Primum igitur febricitare ſic affectos ſtatuit, quia adeſt inflammatio, & quia pars inflammata eſt cordi vicina. Itaque ad febrem accendendam duo requiruntur. Vnum, vt adſit inflammatio. Alterum, vt ſit vicinitas ipſius cordis: neque enim ſi phlegmone digitus doleat, omninò febricitabit homo, quoniam à corde longè diſtat: Neque cùm ſuccingentem membranam occupauerit affectus: hic autem ſit, aut ſcyrrhus, aut œdema. Ergo concurrant crudæ iſtæ cauſæ eſt neceſſarium ad febrem generandam, & ob id in hoc morbo ſtatim adeſt febris, quia hæc duo adſunt. Dolor ſequitur, quoniam affectus eſt inflammatio: ſcimus enim, inflammationem eſſe tumorem cum dolore; etſi vtplurimùm tumor deliteſcat ſimul cum rubore, & dolor ſolus relinquatur, quia interna eſt affectio. Eſt dolor iſte pungens teſte Galeno, quia partis affectæ ſubſtantia eſt membranoſa, & eam ob rem, quia circa coſtas eſt affectus, circa has firmatur, vt ait Galenus *lib.1. de criſ. cap.5.* Aliquando ad clauiculam tendit: Aliquando ad hypochondrium, quo tempore dicunt mulieres bonum eſſe ſignum, cùm dolor vagus eſt, neſcientes id fieri propter ſuccingentis membranæ extenſionem, quæ ad clauiculam peruenit, & infrà ad ſeptum tranſuerſum deſcendit, vt ex Galeno habetur *lib.2. acut. text.11.* Et hinc eſt quòd aliquando humor firmatur circa ſpatulam: & quoniam membrana hæc circumambit coſtas, occupat internam, & externam partem. Internæ partis læſionem cognoſcimus ex ægrotantis decubitu, veluti & externæ: ſi enim interna pars eſt inflammata, magis dolent, ſi in latus ſanum decumbant, quoniam tunc materia in parte contenta diſtendit partem inflammatam, & dolorem concitat: meliùs autem ſtare poſſunt in parte affecta, cùm materia ſuper coſtis conquieſcens, non diſtendat; & ſic minus doleant. Si externa ſit affecta, in latus affectum non decumbunt, cùm ex compreſſione doleant magis, in latus autem ſanum meliùs habent, conquieſcente materia ſuper coſtas. Si vtraque pars ſit inflammata, ex vtroque decubitu dolent, & hoc non rarò vobis eueniet in praxi. Tuſſim poſt-

eà

eà habent, impertita affectione partibus ſpiritalibus, & inde non poteſt ſeiungi à pleuritide, cuius rei reddens rationem Galenus *lib. 2. de criſ. cap.*10.dicebat id propterea euenire,quia facilè læſio impertitur pulmoni, ad reſpirationem admodum neceſſariò: tunc enim natura tentat noxium expellere; verùm ſine tuſſi nihil à partibus ſpiritalibus eiicitur: hac de cauſa extuſſiunt ſic affecti, eodem Galeno confirmante *lib.*4. *de loc.malè affect. cap.5. Difficulter aſpirant.* Id fit, non propter partem affectam, ſed ob affectum. Cùm enim ſit inflammatio membranæ coſtas ſuccingentis, neceſſariò adeſt tumor, & dolor cum rubore. Cùm dilatant thoracem, non æquè poſſunt dilatare,ac tempore ſanitatis,quia dolor prohibet,quominus reſpirationis inſtrumenta attollantur. Itaque reſpirationis actionem diſſoluere anticipant, vſu nondum completo, vnde ad ſecundam actionem pergere citò coguntur, non tantùm quietis adhuc, quantum cùm in naturali ſtatu nanciſcentia, inquit Galenus, ſpiritus in his eſt paruus,& creber ratione inflammationis, quòd ſi quid aliud ſuperueniat, nihil obſtat,quominus habeant ratum, & magnum, vt dicemus ſuo loco cum Galeno. Quare, quid cauſæ ſit cur habeant ante dicta accidentia, neceſſariò,explicatum eſt.Reſtat modò videre, quomodo ſit pulſus. Ipſe vult eſſe durum,& ferrinum,*lib.2.de criſ.c.*10. Explicat ſic. *Pulſus itaque laterali morbo laborantium,hæc omnia indicat.Sic non eodem modo omnia, ſed vnà cum tenſionibus ſit durus, neruoſum eſſe locum patientem oſtendit: qua verò terræ ſimilis eſt, inflammationis affectum.* Talem pulſum nominat *in lib.de ſubfiguratione empirica cap.6.* quo in loco ponit inter neceſſariò conſequentia membranæ inflammationem. Hæc, & alia quæ de accidentibus ſunt dicta, vnuſquiſque videre poteſt in vnum collecta in *lib. de conſtitut. artis Medicæ. cap.* 15. caput dignum quòd perlegatur, continens multa vtilia. Qualis igitur eſſet Anaxionis ſtatus, conſtat ex dictis: at quemadmodum vniuſcuiuſque morbi idea ex propriis cognoſcitur ſymptomatibus; ita magnitudo ex eorumdem magnitudine.Vtrum autem fuerit magna pleuritis, necne, non eſt difficile cognoſcere: nam febris erat acuta, quam magnam dixiſſet. Dolor lateris erat aſſiduus, quod intenſionem denotabat,præſertim cùm non cederet remediis.

[a] *Tuſſis erat arida*,ex qua morbi difficultas ſignificabatur, & contumacia.His ſic ſtantibus credendum eſt fuiſſe eò difficiliorem reſpirationem, quò erat inflammatio grauior. Ergo ægrotans hic non tantùm laborabat pleuritide, ſed grauiſſima, quia crudiſſima, & per conſequens,quantum à principio elici poterat,non omninò erat certa ipſius ſalus. Cauſa pleuritidis duplex eſt.Vna externa,altera interna.Vtraque multiplex:nam,dicente Celſo *c.*4.*de re Medica cap.6.Nimium frigus comprimendo:nimius calor liquando fluxiones proritat, & quid exterius aduueniens, veluti ictus, & alia multa,vt deglutire caſu aliquid, quod per trachæam deſcendat, hoc poteſt pleuritidi occaſionem præſtare.* Non grauabor modò recenſere, quod mihi contigit, fortaſſe non ampliùs auditum. Quidam deglutiuit, ipſo minimè animaduertente, fruſtum fœni, cùm in ore teneret, & maſticaret.Statim,vt retulit, incœpit vehementer tuſſire, & ſimul ſanguinis

portionem excreuit. Tussiendo punctionem quandam circa pectus sensit. Ab eo die, erat autem mensis Aprilis, quo id contigit, nunquam tussis, & dolor ille leuis conquieuit. Tandem ventum est ad mensem Decembrem, & perdurante tussi, nulla seruata victus ratione, decubuit ex lateris dolore. Vocatus ad curationem inueni pleuriticum, cùm nihil eorum deesset, quæ faciunt ad huius affectus constitutionem. Productus est morbus ad nonam diem, cùm tamen multùm expueret, post conuenientes factas euacuationes. Res meliùs cedebat, dolor diminuebatur, morbi sæuitia remittebatur, sed non omninò conquiescebat. Ventum est ad diem vigesimum, & perseuerabant accidentia, etsi remissa. Sæpiùs interrogaui, an vnquam expuisset frustum illud fœni. Hoc se non animaduertisse dicebat. Tandem ex improuiso, summo mane, ad tussim validissimè irritatur, & excreuit sputum crassum admodum cum frusto illo fœni, quod mense Aprilis deglutiuerat viride, vt herbam repræsentaret. Statim conquieuit tussis, minùs imposterum expuit, & paucissimo temporis interuallo conualuit integrè. Id ego recenseo, quia testari possum vidisse me hoc, & eundem curasse. Credidi semper illius affectus causam fuisse externam, nimirum fœni deglutitionem, à quo pulmo læsus irritabatur ad tussim, quo motu agitata materia, aduentante frigore, fuit impulsa ad partes laterales, quæ facilè materiam fluentem admittunt propter ipsarum frigiditatem. Quod igitur causæ externæ plurimùm possint, constat euidenter, etiam ex iis, quæ in dies obseruamus. At enimverò, neque hæ tantam vim habent, nisi adsit corporis dispositio praua, quæ ex leui occasione cedat causis morbificis: neque enim, etiamsi adueniat causa externa lædetur corpus, si prauis humoribus minimè scareat, & eam ob rem non est mirandum si multi in magni frigoris rigoribus, & inualidissimis causis minimum, aut nihil lædantur. Alij ex leui occasione grauiter patiantur. Causæ internæ pariter multæ sunt. Nam, quamuis pleuritis ortum habeat ab inflammatione, & hæc fiat à sanguine. Sanguis iste non semper est syncerus, quia potest esse biliosus, pituitosus, & melancholicus. Quando pleuritis pendet à sanguine, hanc Galenus appellat mitissimam, vtpote, quia sanguis omnium humorum est mitissimus. Hanc iactat se Galenus curasse citra sanguinis missionem, 4. *in 6. epid. comment.* 44 Quæ à pituita ortum ducunt, & ipsæ mitissimæ sunt, cæteris paribus, quia nunquam sunt negligendæ, vtcunque fiant, quoniam etsi à pituita pendeant, id est, à sanguine pituitoso, neque habeant æquè grauia symptomata, tamen difficiliùs concoquuntur, & excernitur humor, hinc periculum. De hoc Galenus tractat *lib 2. prognost. comment.* 46. & inquit, admodum esse modestas sanguineas, & pituitosas, quantum in ipsis est. Raro fit ab humore hoc, quia etsi pulmo propter ipsius raritatem, & laxitatem huiusmodi humorem facilè recipiat, pleura propter ipsius densitatem non admittit, & hoc docet Galenus 6. *Aphorism. comment.* 33. his verbis. *Pulmo cùm sit substantiâ suâ rarus, & laxus, facilè potest admittere humores pituitosos: membrana autem succingens biliosos magis propter ipsius densitatem; proptereà, qui pituita abundant, rarò pleuritide laborant.* Et notate modum loquendi Hippocratis

pocratis, & Galeni. Ipse inquit. *Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.* Galenus inquit, *rarò*, quia si excluderet omnino pleuritidem à sanguine pituitoso, vel à pituita, esset omninò falsum, quia vernales pleuritides, præcipuè pituitosæ sunt, & hyemales, quæ sunt in rusticis familiares, quia eorum corpora pituitosis sunt repleta humoribus; etiam pituitosæ sunt, vti ex sputis cernimus apparenter: potest enim pituita ita aliquando attenuari, vt se se in membranam insinuet, & id in dies experimur: quid enim magis causam peccantem denotat quàm excretio. Id quidem concludit Galenus faciliùs fieri, vel à sanguine, vel bile, vt tenuiores, & ad motum promptiores: melancholicus enim humor, vt terreus, omnium difficilimè se se in membranam insinuat. Verba Galeni *in loco citato de constitut. artis Med.* sic leguntur. *Fluxus ergo, qui phlegmonem efficit, cùm sanguinolentus, biliosúsque fuerit (talis autem in pleuritidibus ex toto est)* Cùm igitur res ita sit. A quo humore ortum habuisse hanc pleuritidem dicemus? Certè si omnia percurramus diligenter, à bile contractam esse inflammationem clarum fiet, vt percurrentes historiam apparebit. Quomodo conualuit in tam feroci morbo. Multæ possent adduci rationes. Vna, quia pars dextra lædebatur. Altera, quia à bile pendebat affectus. Tertia, quia vigebat virtus. Quod ad primum spectat, vulgata est, etiam apud idiotas opinio, pleuritidem partis dextræ minùs esse periculosam, quàm partis sinistræ, ea scilicet ratione, quòd affectio minùs sit cordi vicina. Hanc opinionem sustinet Auicenna præter cæteros *lib.3.Fen 10.tract.4.cap.1.* Quando inquit. *Quæritur autem quas species peripneumoniæ, & pleuritidis vocet deteriores, an illa, quæ est à latere sinistro, vicina cordi, an illa, quæ est in latere dextro. Quidam enim ponunt hanc esse deteriorem, & quidam ponunt illam esse deteriorem. Verùm veritas est, quòd propinqua parti sinistræ est deterior: sed est conuenientior ad hoc, vt maturetur, & recipiat resolutionem, si fuerit de proprietate eius, vt suscipiat illud. Et illa quæ remotior est à parte sinistra est salubrior: verùm ipsa est ex parte resolutionis, & maturationis magis inobediens.* Hæc Auicenna. Verùm ego hanc opinionem non multùm feci, quia periculum est in vi morbi, in causa peccante, non in parte affecta: nam siue dextra, siue sinistra pars sit affecta, semper est vicina cordi, cùm in medio sit locatum pectoris, vti ex anatome apparet, nisi quantum spectat ad ipsius pyramidem, quæ magis inclinat ad partem sinistram. Et vnusquisque Medicinam faciens habebit periculosas, & lethales pleuritidas in vtraque parte: & multos parte dextra laborantes periclitatos inspexi. Hoc quidem concedi potest partem sinistram faciliùs affici, quia maiori ex parte languidior est sinistra pars, dextrâ, & ob id magis apta ad fluxiones suscipiendas. Quod spectat ad secundum, verisimile est, quæ pendet à bile, cæteris paribus esse tutiorem, quia celeriùs resoluitur, etiamsi vehementissimi sint morbi, qui à bile proueniunt; nec tamen vtplurimum maligni sunt, ac periculosi; nisi bilis ex propriæ substantiæ corruptione, & inflammatione malignam acquirat qualitatem: nam ob substantiæ tenuitatem, & paucitatem citò, ac facilè expectaretur biliosa fluxio. In pituito-

sa

sa diutius cunctantur coctionis signa, & facultas animalis, tum propter crassitiem, tum propter morbi diuturnitatem magis laborat: hinc dicebat Hippocrates *lib.5. Coacarum text.26. Pleuritides biliosæ, & sanguineæ, vtplurimum nona, aut vndecima iudicantur, & maximè conualescunt.* Id quidem iusta ratione fit, quia bilis minùs adstringit membranam, & tenerior faciliùs transfluit. Sanguis quoque naturæ familiaris, celeriùs euinci potest, & morbi qui à calido sunt humore, celerius iudicium habent: à pituita enim viscida difficulter fit solutio, vt & à melancholico humore, vti iam dictum est. Vtrum modò biliosa sit periculosior sanguineâ, an è conuerso, & hoc vertitur in dubium. Si Hippocratem attendamus *in lib.3. de morbis text.19.* videbimus apertissimè confitentem, deteriorem esse sanguineam pleuritidem, biliosâ, quod etiam à Celso habetur, *in lib.1. de re medica cap.6.* dum inquit, *Huic dolori lateris, febris, & tussis accidit, & per hanc excreatur, si tolerabilis est morbus, pituita: si grauis, sanguis.* Si Galenum legamus, contrarium sentire videtur, qui pleuritidem sanguineam mitissimam vocat. Ego ita loca ista conciliarem: nimirum considerandam qualitatem pleuritidis: aut enim grauissima est, & dolorosa, aut est mitior: si primo modo non tantùm sanguinea est periculosior biliosa, sed & est lethalior. Si secundo modo, mitior est biliosa. Hanc solutionem deduco ex eodem Hippocrate; nam *in cap. citato*, non simpliciter scribit sanguineam pleuritidem esse deteriorem biliosâ, sed si fuerit fortis, esse dolorosam, & lethalem, quia si aliter intelligantur verba Hippocratis, parùm verisimiliter id scriberet, & vt solutio clara sit, ponantur verba Hippocratis, quæ sic legunt: *Et est quidem biliosa mitior, si non ruptiones æger habeat, sin minus dolorosior quidem est, sed non lethalis.* Subdit: *At sanguinea fortis, & dolorosa, & lethalis est.* Hæc sunt verba Hippocratis quæ mihi adeò clara apparent, vt non egeant maiori declaratione, quando comparat tunc magnam, & vehementem pleuritidem sanguineam, cum leui biliosa. Et ait, *sanguinea fortis*: non vt alij vertunt, *sanguinea est fortis.* Quòd posteà spectat ad sanguineam, & pituitosam, ita dicerem. Sanguis, cùm morbum facit, dolorem infert: pituita autem grauitatem vtplurimum. Igitur quantò dolor grauitate ipsa erit acerbior, atque molestior, eò sanguinea pleuritis erit pituitosa maior. Hæc de propositis dubitationibus dicta sint pro viribus. Relinquitur modò, vt tertiam causam examinemus, propter quam in tam graui morbo conualuit. Erat hæc, virium robur, quæ res in morbis familiam ducit: nam hoc in omnibus requiritur, sed multò magis in morbis pectoris, cuius causa dicebat Galenus. Mortiferæ sunt pleuritides, non tantùm in senibus, sed & in iuuenibus, & vna salus est virium robur *lib.10. method. cap.5.* Validam fuisse virtutem ex qualitate, & quantitate morbi satis patet; nam quotiescunque incurrant peripneumoniæ, vt pleuritides cum virtutis imbecillitate, perniciosæ sunt: si enim neque ex ipsis, qui viribus valent omnes seruantur, quòd nemo ex iis, qui imbecillam habent virtutem seruari possit liquidò constat omnibus dicebat Galenus *lib.3. prorrhet. comment.4.* Quid causæ sit, cur conualuerit

luerit,apparet ex dictis non obſcurè.Fuiſſe hanc pleuritidem grauiſſimam accidentia fidem faciunt : nam poſtquam ſcribit febrem fuiſſe acutam, quæ vehementiſſimam denotabat inflammationem , aſſiduúmque fuiſſe dolorem,vt ſolet in graui morbo : addit ſtatim,

Tuſſim habebat aridam.] Talem dicimus, in qua nihil omnino expuitur. Quomodo fiat, & quibus de cauſis , iam *ſuprà* demonſtratum. Hoc vnum addam, fuiſſe ſignum maximæ cruditatis , quod etiam *in comment.* confirmatur his verbis : *Anaxion hic,dum ſemper tuſſierit, nihilque planè expueret,crudiſſima conflictabatur pleuritide :* id autem nihil expuere, eſt quid ſimile , ac vrina extremè aquoſa,quam pernicioſam appellamus,non quatenus aquoſa eſt, quoniam ſolùm cruditatem oſtendit ; ſed quatenus naturam admodum validam requirat,cùm,qui talem habent vrinam,longiſſimo tempore debeant laborare , ſæpiſſimè autem contingat virtutem diſſolui,antequam poſſit concoquere materiam,quæ res ſi ita eſt,& hunc pleuriticum pernicioſè ſe habuiſſe conſtat. De re propoſita loquitur Galenus 1.*de criſ.cap.5*.quod idem,& longè clariùs repetit *eodem lib.cap.*18. hunc in modum ſcribens : *Sic,& in laterum , & pulmonum paſſionibus ea, quæ propriè ſputa vocantur,vrinarum ſubſidentijs aſſimilantur.* Nihil verò omninò expuere , ſed tuſſim tantummodo ſiccam habere , tale quiddam eſt,quale in vrinis extremè crudum,quod aquoſum nominamus,& maximè ſunt periculoſæ huiuſmodi tuſſes,quia, ſi hominem citò non tollunt, ſaltem in longius producunt morbum , Galenó confirmante his verbis, *lib.5. de locis malè affectis cap.3. Tuſſis maxima ex parte cum ſputis coloratis, nonnunquam verò ſine his.* Subdit : *Has incoctas pleuritidas, id eſt, quæ ſine ſputis apparent , nominant, quæ vel celeriter hominem rapiunt, vel longo temporis ſpatio finiuntur : ſputum enim, quò citiùs apparet,eò breuiorem reddit morbum , & hac ratione tantopere productus eſt morbus : ſi enim circa principium,id eſt,circa tres primos dies, quartumdecimum diem non tranſcendiſſet* , vt teſtatur Galenus 1.*Aphor. text.*24. Quod etiam *in Coacis* legimus , vbi habet : *Si ante tertium diem, breui ſoluitur , ſi poſt tertium,producitur* ; *eſt enim dies decimuſquartus , vtplurimum pleuriticorum,*veluti,& aliorum acutorum terminus : imò videntur ad ſuppurationem verti, ſi non expurgentur intra hunc diem *lib.5.Aphor.text.*8. quod non ſemper fit,ſed magna ex parte,vti Galenus *in eo loco*,notat. Cùm igitur vſque ad trigeſimumquartum diem productus ſit morbus , concludere fas eſt,fuiſſe viribus valentibus,qui potuerit obſiſtere morbo tam graui. His præmiſſis meritò dicit fuiſſe ſitibundum & inſomnem : ex concitatiori enim thoracis motu,ſitis excitatur, & ex doloris acerbitate, vigilent neceſſe eſt. In antecedenti Ægroto obſeruabat vrinas , & quia erant boni coloris , dicebat propterea conualuiſſe,etſi propter tenuitatem longitudinem demonſtrarent. Perinde in hoc vrinæ erant boni coloris ſecundùm Galenum ſalutem portendentes, longitudinem tamen, cùm eſſent tenues, niſi dicamus in vrinarum multitudine eſſe tenuitatem. Addamus quòd ex vigiliis improſpera ſequitur coctio, & ob id dabatur non obſcura cauſa tenuitati. Verùm ſciendum eſt vrinas in morbis pectoris

Mmm maxi

maximam habere vim ad prædicendam mortem, aut periculum, non tamen ad prædicandam salutem, & ob id, quoad morbum pectoris nihil faciunt ad iudicium ferendum. Cur ergo Hippocrates inspicit? Est præceptum Galeni non aspernendum; In quouis morbo vrinarum curam esse habendam, quia si in tali morbo bonis existentibus nihil afferunt boni per se, afferunt per accidens, quatenus generis venosi statum denotant non timendum, & quo simplicior est morbus, minus periculum, minus natura laborante. *In lib.3. de cris. cap.3.* hæc habentur. *Non tamen æqua omnium signorum dignitas est constituenda, sed in morbis quidem thoracis, atque pulmonis præcipuè sputamina sunt animaduertenda, non tamen vrinarum contemplatio est negligenda. 2. in 3. epid. comment. 6. Atqui vrinas semper memineris, vt inspicias in ventris affectibus, thoracis, pulmonis, neruorum: nam si bonæ sunt, non magnum habent momentum ad salutem: contrà, si prauæ, amplificant ægri periculum.* Præterea hac etiam de causa inspiciendæ sunt, quia aliquando soluitur pleuritis per vrinam, & credo voluisse Hippocratem nobis significare id, *in lib. 7. Coacar. text. 66.* his verbis. *In pleuriticis, vrina leuem subsidentiam subrubram habens, securum iudicium significat, quia indicat hoc fieri è materia sanguinea, & per vias vrinæ expurgari.* Vidi ego elapsis diebus puerum pleuriticum, multis emissis vrinis, in quibus multa subsidebant farinacea, integrè conualuisse, is nepos admodum Reuerendi Præpositi S. Iuuentij, & Iuuentius est ipsius nomen. Confirmat doctissimus Hollerius vidisse se pleuritidas graues solutas esse vrinis multis crassis, & nigris, conuersa deorsum materia, hócque faciliùs euenire scribit in pleuritide, quàm in peripneumonia, quia latera maiorem habent familiaritatem cum vena magna, quàm pulmo. In omnibus igitur morbis, eorum minimè ad genus venosum spectantibus vrinarum habenda est consideratio.

[b] *Sexto, delirauit.*] Istud symptoma solum erat signum sufficiens ad denotandam morbi vehementiam, & eiusdem causam. Primum, quia pleuritici non delirant, nisi in vehementissimis pleuritidibus. Ita Galenus *lib. 2. de diffic. respirat. cap. 8.* Delirus sexta. *Non vt accessio sua natura animum præcellens, sed vt affectus accessorius ad fortes pleuritidas.* Idem Galenus apertè *lib. 4. de causis pulsuum cap. 8.* dicit fieri delirium, cum causa peccans est biliosa. Verùm, cùm putris humor sit biliosus, vapores habet in modum fuliginis acres: qui mordicant, erodunt, irritántque cerebrum: itaque ad delirium perducit. Solere pleuriticos aliquando delirare, (quod etiam sæpissimè vidimus) idem Galenus scribit *lib. 5. de loc. malè affectis. cap. 4.* Cùm igitur delirauerit, ex hoc vtrunque innotescit, videlicet grauissimam fuisse pleuritidem, & à bile pendentem. At si delirabat, quomodo scribit Hippocrates fotibus dolorem non fuisse remissum: delirantes enim dolorem non sentiunt, vti aliàs vidimus. *2. Aphorism. text. 6.* Considerandа est qualitas doloris, neque enim semper delirantes sunt doloris expertes, sed tunc ita euenit, quando delirium est vehementissimum, dolor autem moderatus: at si res aliter se habeat, potest nihilominus mente vacillans dolorem persentire, quod huic ægrotanti contigisse

giſſe eſt veriſimile, cùm dicat deliraſſe, & nihilominus dolorem fotibus non fuiſſe remiſſum. Ergo adhuc doloris moleſtiam ſentiebat, neque hoc aliunde poterat habere, quàm ex ægrotantis relatione, & perinde dicendum eſt de reſpiratione, veriſimile fuiſſe parùm immutatam, quia quemadmodum pleuriticis parua eſt, & crebra, ita delirantibus magna eſt, & rara. Si igitur pleuriticus deliret, oportet confundantur iſtæ reſpirationes, & magis ad vnam ſpeciem inclinent, quàm ad alteram pro magnitudine inflammationis pleuræ, aut delirij. Id expreſsè ſcribit Galenus *lib.2. de diffic.reſpir.c.7.* hunc in modum. *Dolorem etenim ſolùm in aliqua parte, quæ circa reſpirationes mouetur, factum, paruam, & denſam reſpirationem vniuerſam efficere demonſtrabatur. Delirium verò ſolùm contrariam illi ipſi, raram ſcilicet, & magnam. Augmentum autem caloris, magnam, & denſam. Et contrariam ipſi frigiditatem paruam, & raram.* Subdit. *Si igitur à ſolo delirio reſpirationis ornatus, & integritas confunditur, magnus, & rarus erit ſpiritus penitus. Si verò à ſolo dolore paruus, & denſus. Si verò ambo concurrant, & dolor vehementer obtinuerit, obſcura erit omninò alteratio ex delirio. Si verò moderatus fuerit dolor, aut plus quidem ex dolore, minùs verò ex delirio, reſpirationem alterari continget, aut vice verſa, aut æqualiter iuxta vtrumqne.* Hæc Galenus. Ex quibus docemur delirium non poſſe demoliri alterationem quæ fit ex dolore, præterquam quod, ſi ipſum valdè magnum, & vehemens ſit, dolor verò ſit paruus, & obſcurus. Si verò dolor ſit fortis, perfectè euincit reſpirationis difficultatem, quæ ex delirio induceretur, & ſic de ſingulis. Quòd res ita ſe habet, crederem in hoc ægrotante non fuiſſe immutatam reſpirationem ex delirio quia dolor mihi videbatur longè grauior, cùm ſcribat.

[c] *Fotibus nihil remittebatur,*] Quod ſequitur ad ſymptomatis vehementiam, Galeno confirmante *lib. 2.acut. text.33.* dum inquit. *Vrgentis autem inflammationis notæ ſunt, dolor aſſiduus, eo quod nullo pacto à calidis fomentis remittatur.* Quare hucúſque non omninò ſalutem permiſiſſet Medicus, præſertim cùm exacerbari affectum in ſexta ſit malum, & maximè periculoſum, vt Hippocrates docet 2. *in 5.Coacar.text.27.comment.1.* Ibi ſic habet. *Quibus pleuriticis initio quidem dolores molles ſunt, quinta verò, vel ſexta exacerbantur ad duodecimum diem magis perueniunt, & raro ſeruantur.* Hoc ideò fit, quia maximam vim habet ſextus dies ad malum: ſi enim eo die aliquid boni appareat, non eſt fidendum, quia eorum ſignorum vis eſt admodum debilis: at ſi mala appareant & lethalia, ea quidem maximè timenda in ſexto, quem tyranno aſſimilari dixit Galenus, & præſertim cùm acceſſiones parium ſoleant eſſe malignæ in febribus præcipuè ſymptomaticis. Sæuiebat in dies morbus, poſtquam neque ſeptima die apparuit aliquid melius, cùm dicat magis laboraſſe, quod intelligi debet de omnibus accidentibus iam enarratis. Non eſt mirum pleuriticis ſeptima exacerbari, cùm maximus ſit dies in his morbis, præcipuéque fit exacerbatio in his, quoniam ſolet pleuritis à bile, motum humoris ſequi, & per tertium moueri, quod 1. *Aphoriſm. comment.12.* annotatur ſit. *At morbo laterali, & phrenitidi magna ex parte per tertium*

acceſſiones fiunt, & 1. *de criſ. cap.* 7. Atque omninò, antequam ſecunda acceſſio inuadat, quæ vt plurimum in laterali morbo tertio die fit. Quod poſteà dicit, *&* difficulter ſpirans erat. Galenus vertit ſic *in iam citato lib. de diffic. reſpirat.* Et difficulter ſpirans erat, eodem videlicet modo, nihil remittente difficili ſpiratione. Quia & ipſa vox *erat* indicat ſimiliter, vt prius, quod monet nos Anaxionem à principio ſtatim difficulter ſpiraſſe, ſed Hippocratem tanquam manifeſtum prætermiſiſſe. Perueniſſe ad ſeptimam cum virtutis robore, maximum, & qui hanc pertranſeunt, ferè omnes ſeruantur, cùm pleriſque in ſeptima fiat iudicium, & vbi iudicium, ſimul & mors, qui autem hanc pertranſeunt cum moderato virium robore, nullo commiſſo errore, ferè omnes ſeruantur, quòd centies obſeruaui, poſtquam Medicinam facio.

d *Octauo, ſecui venam.*] Nuſquam inuenietis apud practicantes tam Græcos, quàm Latinos huiuſmodi factam eſſe in pleuritide curationem; póſtque vix tempeſtiuè curari poſſunt, quibus tranſacta eſt quarta. Curatio potiùs admiranda, quàm imitanda. Et miror in morbo alioqui acutiſſimo remedium tam neceſſarium fuiſſe retardatum ab Hippocrate: nam ſi ipſe *tot in locis in acutis*, non eſſe differendam curationem præcipit, quomodo hîc aberrat à via inter medendum, dum videtur negligere, quæ magis neceſſaria eſſe ſcimus. Quòd ſi dicamus non fuiſſe vocatum tempeſtiuè; quomodo inquit foribus nihil fuiſſe remiſſum dolorem, & quomodo etiam tam exactè ſymptomata à principio inuadentia recenſet. Enimverò deceptum eſſe à morbo non eſt dicendum, quia decipiunt morbi ſimiles, morbi leues, non qui ſtatim ſe ſe detegunt euidenter; neque propterea mirum ſit deceptum aliquando eſſe Hippocratem, quia ne homo, id contingere potuit, præſertim cùm id ſibi eueniſſe teſtetur. *lib.* 5. *epid. text.* 27. Pulcherrima hæc verba addamus. *Autonomus in Omilo ex vulnere capitis mortuus eſt decimaſexta die, æſtate media, lapide percuſſus ex manu, ſecundum commiſſuras in medio ſincipite. Hoc me latuit ſectione opus habere, deceperunt autem me ſutura, habentes in ipſis iaculi læſionem: poſtea enim perſpicuum fiebat.* Hanc Hippocrates animi ingenuitatem tantopere extollit doctiſſ. Celſus *lib.* 8. *de re medica cap.* 4. hæc habens verba. *A ſuturis deceptum ſe eſſe Hippocrates memoriæ prodidit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium: nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multáque nihilominus habituro, conuenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipuéque in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur, ne qui decipiantur, eadem ratione qua quis ante deceptus eſt.* Ergo, quemadmodum aliquando deceptus in vno; potuit decipi & in altero. Verùm in hoc fuiſſe deceptum non eſt credibile, cùm vnuſquiſque vel mediocriter exercitatus ſtatim morbo inuadente iudicaſſet, non alium fuiſſe affectum, quàm pleuritidem. Quomodo igitur diſtulit remedium tam neceſſarium? Certè ego, nihil aliud reſpondere poſſem, quàm non fuiſſe vocatum, niſi eo die, quo ſecuit venam, aut iuſſit ſecari: ipſe enim ſecat, dum imperat. Cætera fuiſſe relata, aut ab ægrotante, aut ab adſtantibus: ſunt

enim,

enim, qui tam diligenter ægrotantibus aſſiſtunt, etiam noſtris temporibus, vt ægrotantium motus in ſingulas horas recenſere exactè ſciant: putarem enim ego ridiculum voluiſſe Hippocratem in tam graui, & periculoſo morbo, cum febre acutiſſima, quæ ad quoduis celere præſidium trahit Medicos, tentare priùs calidis fomentis experiri, idque ſpatio duorum dierum, cùm iam inſtaret ſeptima. Nonne in acutis, tractans de cauſis, inquit, ſecandam eſſe venam internam brachij dextri, quia citiſſimè à partibus principibus demit, in febre ſynocha nonne mittit ſanguinem, & ſtatim antequam putredo concipiatur? ergo, ſi ſectio venæ impedit futuram putredinem, quomodo non celerrimè deueniemus ad ſanguinis miſſionem in morbo graui à fluxione pendente, quæ intercipiendo impetum humorum, diminuit morbum. Quare non aliud eſſe dicendum ſtatuerem, quàm non fuiſſe tempeſtiuè vocatum, neque anteà alium Medicum, quia nullo modo diſtuliſſent id remedij genus, quod noſtris temporibus neglectum à primis diebus, neque amplius poteſt aptè admoueri, quia robur morbi, vtplurimum naturam deprimit, quomodo non debebat eſſe etiam Hippocratis temporibus. Quòd Medicus poſſit fomentis tentare, dolorem lenire, primo, vel ſecundo die à morbo, hoc concedi poteſt, at hoc modo retardari, nequaquam. Vtvt ſit, oſtendit ſanatio cum ratione adhibitum fuiſſe remedium, quia ſtatim conquieuit affectus, & bene notat Galenus poſuiſſe diem, quo in pleuritide ſecuit venam, tanquam nouum, quia ſcilicet ſit pro miraculo, morbum, alioqui grauiſſimum, expectaſſe tempus remedij, & potuiſſe etiam tempeſtiuè adhiberi, & cum ægrotantis commodo. Hoc quidem debetis obſeruare in praxi, operandi indicationem, non diebus terminari, ſed indicari à virtute tanquam permittente à morbo, à ſignis cruditatis, & coctionis. Ecce hic ſecat venam, & multum ſanguinis extrahit, aduerſus eorum opinionem qui tranſactis primis diebus ſanguinis miſſionem interdicebant. Modò igitur adſit virtus ab ea non eſt ſuperſedendum, etiamſi tranſacti eſſent viginti dies à morbi principio. Id ſuadet Galenus *in lib. de curandi ratione per ſang. miſſ. c.* 20. ibi conceptis verbis legitur. *Verùm, quoniam quintum ſæpè diem, aut ſextum ab initio expectant, priúſquã nos ad curandum accerſant, expediet nihilo ſecius quoque ſanguinem detrahere, etiamſi huius auxilij tempus ſit omiſſum. Quocunque enim die mittendi ſanguinis ſcopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibito; etiamſi vel vigeſimus is ab initio extiterit. At quinam fuerint hi ſcopi? Morbus ingens, robúrque virium, excepta ætate puerili, & aëre nos ambiente valdè calido.* Sequitur poſteà, & addit. *Porro autem quoniam exoluitur temporis tractu in pleriſque morbis virtus, idcircò & mittendi ſanguinis occaſio dierum numero deperditur, non tanquam primariò id dies efficiant, ac non re aliqua intercedente, nempe virium diſſolutione.* Itaque, ſi quando vel ſecundo die à principio vires exolui videantur, à vena ſecanda abſtinebimus. Sanguine igitur miſſo dolores facti ſunt mitiores. Quod indicationes habuerit à virtute, oſtendit euentus, quia ſequuta eſt conferentia, & tolerantia, poſtquam & febris, & dolores remiſſi ſunt, ſignum, quòd materia continuò fluens retrahebatur,

& inflammatio, cum affectione generis venosi aliquo modo conquiescebat:iudico enim febrem non tantùm fuisse symptomaticam, sed etiam essentialem; verùm generis venosi affectionem non fuisse grauem cum intensa putredine,quia vrinæ nihil habebant, nisi cruditatem,quod ex vrinarum tenuitate percipiebatur. Sudor ille,qui apparuit in vndecima,non omninò laudandus , quia debebat excludi à bonis ; tum quia erat solùm circa caput,tum quia erat modicus ; tamen id fiebat tantùm ratione fuliginum, quæ à parte affecta eleuabantur : vbi enim sudor , ibi morbus 4. *Aphorism. text.*38. & vbi fit, ibi euacuat membrorum patientium humiditatem, vt Galenus *in comment.* At cùm isti affectus non referuentur ad vnicam expulsionem , & debeant solui per sputum præcipuè, neque tempestiuè fuissent adhibita remedia magna, non poterat tam citò alleuari,& iudicari,& ob id addit,

[c] *Tusses etiamnum perdurabant.*] Verùm quemadmodum octauo die erant aridæ, vndecimo aliquid expuebatur , etsi liquida , quæ adhuc crudum extitisse affectum significabant ; tamen paulò melior erat ægrotantis conditio , sed non tuta salus, quia naturam denotabat aliquo modo concoquentem. Id docet Galenus *lib.*1.*de cris.cap.*18.quo in loco, postquam nihil expuere dixit respondere vrinis aquosis, quæ extremè crudæ sunt. Subdit : *Quòd si ab eo quod est nihil expuere,ad expuere , verùm liquida, & omninò cruda fiat transmutatio , liquet quòd debilis , & occulta est huiusmodi permutatio , & nondum est finitum principium,quod primum ægritudinis tempus dicitur : tamen etiamsi obscurum sit, bonum quid significat, videtúrque quid simile esse,ac illud,quod scribitur de lienteria , in qua motus acidus , bonum est signum , quia indicat ab omnimoda inconcoctione verti ad aliquam , sed obscuram , & debilem.* Scribit sic Hippocrates *6. Aphor.text.*1. *In longis læuitatibus intestinorum , si ructus acidus fiat , qui prius non erat , signum bonum , cùm tamen ructus acidus frigiditatem arguat. At , quia fit mutatio in melius , ob hoc est minus malum.* Sic de hoc ægrotante dicetur ; & scribit , quæ à pulmone exibant fuisse liquidiora, quia materia in pleura contenta refudet oportet in pulmones,posteà euacuetur, & quia nondum cocta erat,sed fluxilis, pulmones transmittebant, qualem recipiebant , quod describitur à Galeno *lib.*2.*de cris. cap.*10. hoc modo : *Tussiet igitur statim homo , non tamen omnino statim spuet , sed siquidem multum, ac crassum ab inflammatione defluxerit , cum tussi expuet: si verò paucum,& tenue, irritabitur quidem necessariò ita, vt tussis moueatur, non tamen expuet, antequam collectum simul , ac concoctum ad multitudinem,crassitudinémque peruenerit,* Sed hoc quidem ipsius dispositionis iudicium est, non autem membri patientis. Nam , cùm pars exquisitè angusta fuerit , & veluti alligans in seipsa , vniuersum fluxum cohibuerit , tunc facit morbum lateralem, qui aptysti,id est sine sputo nominatur,sed cùm satis relaxata fuerit,atque ad pulmonem dimiserit,tunc isti magis tussiunt,atque expuũt. Hoc igitur formam inflammationis,non autem patientem denotat locum.Quare cùm sputa inciperent apparere,sed liquidiora,erat indicium inflammationem remitti,& membranam relaxa-

ti

ri aliquantulum,ita vt ab ipsa in pulmones aliquid posset deferri. Adhuc autem erant parum vtilia sputa,sed potiùs sputamina : sputa enim dicuntur non bona duobus modis. Vno modo, quando carent coctione,altero modo,quando præter id,etiam sunt praua. Qualia sint habes ex Galeno *lib.*1. *de cris. cap.*5. Quæ propriè sputamina dicuntur , sunt , quæcunque subflaua,& subrufa,& subcallida,& subspumosa,& tenuia existunt,solámque cruditatem indicant:quæ verò flaua,rufa sunt,praua. Habes hæc apertiùs ex Hippocrate *lib.*2.*prognost.text.*43. ibi verba facit de qualitate sputi , de facilitate & difficultate expuendi , & multa scitu digna docentur. Verisimile tamen est,adhuc magis fuisse infestam, quia cùm materia esset tenuis, non intercipiebatur à spiritu,& eam ob rem , si à capite ad subiectas partes defluebat,tussim concitare poterat ; si à pulmone erat ducenda,non commodè id poterat præstari, cùm esset tenuis , & ad hunc vsque diem poterat sicca pleuritis nuncupari,etsi propriè dicuntur siccæ pleuritides illæ , in quibus nihil omninò expuitur, quas periculosissimas esse iam testatus est Hippocrates 2.*in* 5.*Coacarum,text.*20.*comment.*1. Multiplex autem est causa istius siccitatis. Facultatis animalis, & musculorum thoracis infirmitas. Doloris vehementia; humoris contumacia;& bronchorum obstructio. Illud quidem apertissimum est,minus malum , si statim è principio non expuant, modò morbus non habeat annexa symptomata grauissima : at si hæc superueniant, nec morbo progrediente,vllum expectorationis principium accidat,tunc periculum est euidés,& difficilè benè soluitur,tum sua natura , tum ex euentu. Sua natura , quia suppressione materiæ morbificæ cor aliquando non mediocriter patitur, & præfocari ægros contingit. Ex euentu verò,quia impossibile est,quin huiusmodi pleuritis sit longa , & in tanto temporis interuallo multa eueniunt mala ; nam , aut æger delinquit , aut adstantes , aut ab aliquo alio error committitur. At,vtcunque sit,in longitudine virtus fatiscit , quemadmodum & in aliis,& propterea meritò censetur pleuritis sine expectoratione per plures dies, periculosa. Antequam vlteriùs progrediamur aliud est in consideratione ponendum,quid videlicet intelligat Hippocrates,quando *lib.*5.*sect.*2.*text.*21.*comment.*1.inquit , *Pleuritides sine diuulsione , magis periculosæ sunt ijs,quæ cum diuulsione.* Sunt qui textum hunc expendentes putant per diuulsionem intelligere Hippocratem conuulsionem. Vt sensus sit : *Pleuritis cum conuulsione leuior est eâ,quæ sine conuulsione.* Vix tamen credi potest talem esse Hippocratis sensum,cùm vterque morbus sua natura sit lethalis , seorsim. Multò magis si vniantur. Neque ego postquam Medicinam facio cùm tamen quamplurimos inuiserim pleuriticos, aliquem adhuc vidi conuulsum ; non quia hoc sit impossibile fieri , attamen hucúsque non vidi. Respondent igitur sic esse Hippocratem intelligendum; nimirum conuulsionem pleuritidi coniunctam distrahere materiam,ac auellere à loco affecto pleuræ , & eam ob rem minus esse periculosas pleuritides cum conuulsione , quàm sine conuulsione. Sed quæso videat vnusquisque,quàm consonum sit hoc affirmare, cùm ipsa commissio , etiam censeri debeat pleuritide longè grauior. Sciendum igitur est,

nomen

nomen hoc *diuulsionis* aliquando vsurpari pro vehementi motu thoracis,& beneficio musculorum excitato,& hoc sequitur naturæ robur. Aliquando sumitur per solutione continui, à causa præter naturam incidente, frangente, exedente,& tendente. Hoc euenit, quotiescunque thorax contunditur, & violenter comprimitur,] his autem affectibus minimè thoracem esse obnoxium constat,cùm ossibus,& musculis abundet. Itaque tantò grauius periculum euenit ex deuulsione σπάσμα Græcis dictum,circa thoracem, quantò ipsius actio ad vitam, & morborum propriorum sanationem est magis necessaria. His igitur hunc in modum stabilitis.In loco citato σπάσμα non sumitur nisi primo modo: scilicet pro violentiori motu thoracis,vt sensus sit. *Qui in pleuritide vehementer extussiunt, minus habent periculum, quàm qui modicè.* Ratio huius est,quia in vehementiori thoracis motu arguitur virtutis animalis vis, quæ motu vehementi thoracem concutit, & ad expectorationem proritat: sunt enim duæ primæ causæ in pectoris morbis educendi sputi *lib. 2. prognost. text.* 43. Vna est humor ipse, qui in pulmone reperitur: pro ipsius enim qualitate facilius,aut difficilius educitur,vt clarum est. Verùm,neque hæc actio fiet, nisi pars quæ humorem continet ad expulsionem moueatur; hinc requiritur facultatis robur thoracem mouentis, ad hoc vt materia possit expectorari. Quòd si minùs tussiant, indicatur imbecillitas facultatis,& ob hoc multos mori contingit,vt in dies obseruamus,qui vix extussire sentiuntur,neque sputum educunt, aut quia dolor ita circa thoracem vrgeat, vt non possint attollere, quantum satis est, aut propter insignem facultatis imbecillitatem, & propter vtrumque ægrotos mori contingit,quoniam non expectorata materia peccante, defluit ad pulmones, eosdem erodit sua acrimonia,aut putrefacit,aut suffocans celerrimam infert mortem. Quemadmodum in phrenitide quies, iam fractis viribus, & ad pedes prolapsus in morbis, funestum est signum, perinde in pleuritide tussis remissio, & minima thoracis motio indicat virtutem infirmam. At vna salus est virum robur, cuius causa, vti dictum est, intus retenta materia celerrimè suffocantur, veluti vtplurimum senibus euenit, qui in thoracis morbis faciliùs ob hoc moriuntur, quoniam præ virium languore non possunt se eximere à materia peccante. His igitur de causis, meliorem esse versionem constabit, dicere scilicet per diuulsionem intelligere Hippocratem, motum thoracis, non conuulsionem; & per consequens minus periclitari, qui in thoracis affectibus vehementiùs extussiunt, quàm qui modicè.

[f] *Decimo & septimo cœpit pauca, & cocta expuere*] Euacuatio salutaris dicitur illa,quæ morbum,aut tollit,aut diminuit. Ita 2. *prognost. text.* 8. *Omnis screatio mala est, quæ non sedat dolorem: pessima autem quæ nigra: quæ verò sedat dolorem, omnis melior est.* Hæc ergo euacuatio longè melior erat primâ, quia materia apparebat cocta, quamuis esset pauca, sed hoc non erat mirum, cùm in huiusmodi morbis non fiant, vt in aliis repentinæ crises: leuatus tamen est,id est,accidentia iam enarrata remittebantur, &, si quid aliud, bonum significat ægrotantis statum: est facilior

respiratio

respiratio post expuitionem: tunc enim signum est internam inflammationem remitti: thoracem non æquè à materia peccante grauari, veluti è conuerso, quod frequentissimum in morituris est, si dolor minuatur; & tamen febris ingrauescat, cum aliis accidentibus: tunc deterrimus est ægrotantis status, vti doctissimè annotat Cœlius Aurelianus verba faciens de pleuritide *cap.15.* his verbis. *Si dolor minuatur cæteris auctis, perniciosum est.* Propterea minùs dubito ego, quando ægrotans de dolore conqueritur, quàm quando præter rationem sedatur, & animaduerto febrem augmentum suscipere, respirationem grauiorem esse, vereor tunc semper, ne materia ad aliquam nobiliorem partem feratur, cum ægroti pernicie, quoniam tunc potest delirium inducere ad caput transmissa, vt Hippocrates idem *5. Coacar. sect. 2. comment. 1. Lateris dolor* inquit, *in sputo bilioso citra rationem euanescens, insaniam mouet.* Hoc visus est confirmasse *6. in 6. epid. text.11.* quando ait: *Delirantibus laterum dolores cessant: quibusdam verò etiam febres.* Id est laterum dolores aliquando desinunt in phrenitidem, vti multoties contingit, quemadmodum *suprà* dictum est. Sed veniamus ad textum. Euacuatio illa decimaseptima facta, erat ideò minùs mala, quia vbi est coctio aliqua, etsi leuis, ibi est aliquod bonum, & hoc denotat in melius morbum processisse, cum primò essent liquidiora, hæc autem cocta. Sed quod spectat ad quantitatem, non respondentia magnitudini morbi, quæ scilicet possent omninò affectum debellare; verumtamen iuuamentum attulerunt, quia leuatus est, id est, minùs est afflictus, minùs à morbo molestatus, quæ verò permanebant in parte, fouentes inflammationem sitim concitabant. Hoc, vt videmus, fit in pleuritide, quando materia quæ euacuatur est biliosa, quoniam in humore placidiore, tollitur sitis; neque enim putandum est, tam violentum fuisse thoracis motum, vt ob hoc sitiret, cùm materia, quando coquitur, etiam faciliùs educitur, & per consequens minor thoracis impetus, quod verum esset non fuisse adhuc bene dispositum, subdit. *A pulmone parùm bonæ purgationes.* Est fortasse, quia pauca expuerentur? nequaquam: nam est mos Hippocratis apertè loqui, & dixit iam fuisse pauca. Puto ego quid aliud intelligere. Iam Hippocrates *lib. 2. prognost. text. 43.* dixerat in omni dolore, qui affligat circa pulmonem, & costas, oportere vt citò screetur: si enim difficulter id fiat, parum bona screatio censetur; & sic percurrit screationis qualitates singillatim. Itaque dum dixit, priùs pauca fuisse excreta, sed concocta. Addit parùm bonas fuisse ex pulmone expurgationes, vt innueret non perseuerasse incœptam euacuationem, quia cùm incœperit illa euacuatio decimoseptimo, id fortasse euenit decimaoctaua, aut decimanona: Nam non sat est incipiant ægrotantes expuere, sed oportet perseuerent expuitiones, cùm sæpiùs visi sint aliqui, qui expuebant, & cum iuuamento, quibus suppressum est sputum, cum pernicie; & quæ spes concepta erat ex sputo, eadem est ex eiusdem interceptione sublata. Aliquibus etiam repetit sputum, aut alia aliqua euacuatio superuenit, qua seruari solent. Itaque in hoc erant parùm bonæ purgationes, quia minimum inposterum expuebat. Quòd si natura valida non tentasset

nouam euacuationem, fortaſsè eſſet periclitatus, ſed exonerata magis, inſurrexit poſteà ad reliqui expulſionem, tum per partem affectam, per ſputum ſcilicet, & per cutim, erumpente ſudore.

[g] *Vigeſimo* igitur *ſudauit.*] Diximus cum Galeno terminum pleuritidis eſſe diem decimumquartum, aut ad ſummum vigeſimum; ſed quoniam tardiùs apparuit ſputum, diuturnior etiam fuit affectus, tamen natura diei omninò oblita, conata eſt iudicationem facere per ſudorem materiæ ſubtilioris. Euacuatio in pleuritidibus maximè conueniens, quæ vim morbi, vtplurimum extinguit maiori ex parte, potente inpoſterum natura, quod reliquum eſt craſſioris materiæ per ſputum educere. Nam per ſudorem alleuatur natura, veluti ſolet in aliis inflammationibus euenire, vt 3. *de criſ. cap.* 3. legimus ſic. *Sudores verò omnibus febribus proprij ſunt, & præcipuè intendentibus: finiunt autem non parum, & efferuentes inflammationes, quando, ſicuti & anteà diximus vnà cum coctionibus euacuauerint.* Ex quibus vltimis verbis clarè patet, cur præcipuè tam iuuerit ſudor, cùm iam apparuerint coctiones, vt Hippocrates notat. Iuuit, non integrè iudicauit. Criſis bona, etſi non perfecta, morbo maiorem requirente euacuationem: benè quidem actum eſt cum ægrotante, quando euacuationes, ſi non liberant, iuuant tamen, quod huic contigit, cùm à iudicio meliùs habuerit, quia ſcilicet morbi vehementia deferbuit. Verùm nondum conquieuerant omnia, ſed perneceſſaria erat aliqua alia euacuatio per ſudorem, quæ morbi vehementiæ reſponderet. Sed antequam natura finem ſuum conſequatur, multum agitetur neceſſe eſt, & inde repetunt accidentia, quæ poſteà eò faciliùs conquieſcunt, quo minor eſt humorum copia. Id eueniſſe vigeſimoſeptimo apparet, dum febris noua ſuccenſa eſt, vt ſolet fieri in humorum reliquiis, ſed id commodi habuit, quòd potuit materiam in parte contentam validè euacuare, & cum ægrotantis commodo: nam ſi multa excreaſſet ſine tuſſi, nihil iuuiſſet excreatio illa, ſed vt denotet materiam fuiſſe euacuatam à parte affecta, inquit,

[h] *Tuſſiit, multa excreauit concocta.*] Id eſt, excreauit multa concocta, & cum tuſſi, quia nihil à partibus ſpiritalibus euacuatur, niſi cum tuſſi, & ob hoc commoda fuit euacuatio, & vtilis, quam ſequuta ſunt multa bona: nam & vrinæ coctionem euidentem oſtendebant, ſignum quòd concurrebant ſimul affectiones, & quòd non quieſcente ægrotante, minùs proſperæ fiebant coctiones, & ob hoc etiam vrinæ cruditatem denotabant, præter id quod febris erat acutiſſima: erant igitur coctæ vrinæ, in quibus multa ſubſidebant alba, de quibus ſermonem habet Hippocrates *lib. 2 prognoſt. text. 26.* diffusè admodum. Remiſſam fuiſſe morbi ſæuitiem apparet ex eo quod addit,

[i] *Deſiit ſitire, dormiuit.*] Effectus coctionis, quo tempore omnia mitiora fiunt. Si febrem conſideremus per ſe ipſa erat maiori ex parte ſedata, ſi affectum particularem, benignior erat factus, quia materia, vt concocta faciliùs educebatur, cum minori thoracis concuſſione, & ob hoc etiam non ſitiebat, cùm ad ſitim concitandam non parùm faciat violentior

tior thoracis motus, vt 4. *de loc. malè affect. cap.* 8. quod etiam repetit 2. *in 6. epidem. comment.* 24. his verbis: *Illud autem. Parum irritantes tusses excitari, non frustra adijcitur: nam vehementes si fiant, pectoris, pulmonisque partes calefaciunt, atque inde febrem, sitimque adaugent, & si pusillæ tusses sint, & per longa interualla excitantur; tantisper membra commouent, dum in ipsa humiditas aliqua delabatur, atque ita euenit, neque tusses vehementer agitare, neque febrem accendere, propter quam laborantes minùs siticulosi reddentur.* Quare cùm sputa faciliùs educerentur, minor erat thoracis commotio, & per consequens minor sitis. Et qua ratione non sitiebat, eadem dormiebat, quoniam caput à vaporibus minùs infestabatur, & poterat somnus consiliari. Et tandem dum omnia conquiescunt, ægrotantes somnum capiunt, & firmantur magis, quo fit, vt roborata natura derepente insurgat ad reliquiarum expulsionem, veluti tandem trigesimoquarto contigit, quo die sudore per totum corpus erumpente in totum est iudicatus.

[k] *Trigesimoquarto toto sudauit corpore.*] Nihil à vigesimoseptimo die, ad hunc vsque apparuit, quod obseruatione opus haberet, vt credibile est, quia non subticuisset Hippocrates. Tandem sensim crassiore materia expurgata, tenuioris reliquum ad cutim detrusit, & ita fuit iudicatus omninò. Euacuatio facta, vt debebat: nam toto corpore exibat, quod est inter laudatas sudoris conditiones, & habuit conditiones requisitas, cùm perfectè solutus sit morbus, si quid aliud potuit sudorem adiuuare, fuit somnus. Auicenna *lib.* 1. *Fen* 2. *doct.* 2. *cap.* 13. docet quomodo per somnum sudor copiosiùs erumpat his verbis. Alimenti halitus, licèt nihilo amplior ad cutim per somnum, quàm vigiliam accedat, tamen in vigilia occurrens raræ, & calidæ cuti, insensibiliter perspirat: in somno autem propter cutis densitatem retinetur, & ob hoc concrescit, & in sudorem abit. Præterea halitus copiosior funditur à visceribus ad extimas vsque carnes dormienti, quia amplius alimentum dormienti coquitur, quàm vigilanti. Item vapor corporis, si liberè difflatur, nullum habens impedimentum, euanescit, si verò impingit, & detinetur per moram abit in sudorem, quod facilè ex cauitatibus corporis cognosci potest, quæ sudore abundant, vt sunt alæ, inguina; quoniam ex cauitate non citò effluat vaporosus humor. Ergo quiescenti per somnum halitus, qui non difflatur, nec motu corporis dissipatur, immanat factus pro vapore, sudor. Quibus sic stantibus non est mirandum, si præcedente somno tam copiosè sudauerit hoc die, quo sudore ita sedata sunt omnia, vt perfectissima sit sequuta crisis, quia iam præcesserant ea, quæ requiruntur ad perfectam, & integram crisim, de quibus Galenus sermonem habet *in cap. nuper citato, de cris. in fine capitis.* Quare constat non obscurè, quo morbo laborauerit Anaxion; quam causam habuerit fouentem; quomodo primis diebus vacillaret inter spem, & metum, & quomodo etiam præter spem, & expectationem conualuerit, & fuerit iudicatus integrè per sudorem die trigesimoquarto, qui dies tamen, etsi, post vigesimum potentissimè iudicet, raro tamen per sudorem, vti notat Galenus 4. *Aphor. comment.* 34. Similem ferè habui ca-

sum, dum in oppido Trumelli Medicinam faciebam, cuiusdam adolescentis, qui in trigesimaquarta tandem per sudorem fuit iudicatus post multa, & saeua accidentia: scilicet deliria, dolores, febres acutissimas, & tandem conualuit. Agebat annum circiter vigesimum. Hoc excepto, neminem alium vidi, qui attigerit diem decimumquartum: rarissimè enim huiusmodi habebitis pleuritidas. Hactenus igitur de praesenti Historia. Veniamus modò ad remedia.

Curatio.

QVod spectat ad morbum, sine dubio debebat victus ratio esse à principio tenuissima. Transacta septima poterat exhiberi contusum carnis, oua sorbilia, & id genus alia, quae in pauca quantitate plurimùm nutrire possunt. A vino, tanquam in huiusmodi morbis veneno, debebat omninò abstineri; veluti in omnibus inflammationibus internis, sed praecipuè in hac, in qua ita ardenter appetunt vinum, vt vix contineri possint, multíque pereunt, propter adstantium, & praecipuè mulierum indulgentiam. Ob hoc monendi sunt adolescentes benè in hoc sint oculati, quia minimum vini in huiusmodi affectibus mortem affert; ita autem appetere vinum crediderim ea ratione, qua dicimus, omne simile appetere suum simile. Aqua igitur est eo tempore imperanda, quae conficiatur cum seminibus coriandrorum, aut citri, cum modico saccaro, aut his similibus vti expediebat. Pro cibo panis tritus, contusum carnis in modica quantitate. Posteà statim ad opportuna medicamenta erat deueniendum. In hac curanda inflammatione duplex oriebatur indicatio, vt quod erat generatum tolleretur, quod in generatione prohiberetur. Ita Galenus *lib.13. method. cap.2. Phlegmones,* inquit, *quae in generatione est, duplex indicatio oritur, veluti in reliquis omnibus morbis, quicunque in gignendo adhuc sunt, nec dum absolutionem sunt nacti, ostendimus. Prohibetur quod in generatione est, reuulsione. Tolletur, quod fluxum est, euacuatione. Euacuabitur autem duplici modo, vel retrocedens, vel per sentientem particulam. Retrocedet autem, vel impulsu, vel attracta, vel transmissa, vel vno aliquo horum modorum, vel omnibus. Per locum verò patientem euacuabitur, partim quidem manifestè, & sensibiliter, partim verò in vapores tenuata. Si igitur vniuersum corpus plùs aequo plethoricum fuerit, per patientem locum minimè vacuandum. Nam, si scarificationibus, aut sectionibus sensibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus: si verò calefacientibus dispergere tentabimus, plus erit id, quod vi caloris ad partem attrahetur, quàm dispersum. Quòd si elaborabimus, vt quod influxit retrocedat, corpus plenum non admittet. Ad haec igitur ambo totum corpus euacuare oportet, aut omnino ad contraria loca retrahere, quod influxit, quo perfecto opere, priùs à parte repellendum, quàm dispergendum.* Haec habuit Galenus *lib. art. med. cap.95.* De medicamentis repulsoriis non agemus, quoniam in hoc affectu sunt vitanda, praecipiente Galeno *lib.11. method. cap.17.* nisi parciùs vtamur. *Parcius*, inquit Galenus *ad pectus, quàm ad*

ea,

ea, est vtendum adstringentibus, quando talia, humores, qui phlegmonem excitant in pulmones, & cor, nonnunquam reprimunt. Quare ad ea est deueniendum, quæ materiam in parte contentam euacuant. Erunt hæc duplicia, externa, & interna. Illa sunt fomenta ex rebus calidis temperatè, vt est spongia lateri affecto admota, calenti oleo semiplena. Hæc ex Hippocratis decreto 2. *acut. comment.* 1. cutim ipsam ad perspirationem rariorem efficit, phlegmonísque sanguinem, tum tenuat, tum per habitum digerit; quæ, si facta fuerint, non solùm sanguinis aliquid euacuabitur; verùm quoque & aliæ partes, quæ minùs distenduntur, mitiùs exinde, & mansuetiùs dolebant. In hunc vsum veniunt oleum amygdalinum, vnguentum pectorale, pinguedo gallinæ, cum croci portione, œsypum humidum, butyrum, & id genus alia commendantur; posteà admouere sacculum ex milio, semine lini, furfure triticeo, sem. anisorum, & similibus, quæ vim habent siccantem. Quibus, si dolor non cederet, non erat amplius dubitandum, an mittendus esset sanguis, & ad secundum remedium erat confugiendum; quia, quotiescunque dolor anodynis non tollitur, ad caussam remouentia est veniendum. Neque eorum consilium laudo, qui putant malè agere Medicos illos, à quibus statim inuadente morbo sanguis extrahitur. Immò laudo consilium, cùm soleant isti affectus celerrimo indigere præsidio, antequam inualescat inflammatio, & qui id remedij genus à principio neglexerunt, præcipites egerunt ægrotantes. Hoc quidem potest retardari in iis laterum doloribus, in quibus aut nulla aut admodum exigua febris est, de quibus tractat Aëtius, & Galenus pariter *in lib. de loc. malè affectis*, quia isti dant inducias, & si quomodocunque sit dolor, si vehementiùs affligat, oportet citò succurrere, ne concitetur inflammatio, & vide semper in quouis dolore lateris vehementi, tutos esse ægrotantes celeri facta sanguinis missione: multos morbi leuitate deceptos; posteà, aduentante quarta ita fuisse afflictos; vt, aut obierint, aut euidentissimè sint periclitati. Quòd si octauo misit sanguinem Hippocrates, non est imitanda talis curatio, sed admiranda, & singulare est exemplum, quod non facit scientiam. Quidquid igitur dicant alij, non tantùm puto malè agere, sed optimè consulere sanitati ægrotantium eos, qui in his casibus, eadem die, qua inuadit morbus, venam soluunt. Disputant posteà inter se viri grauissimi, quærentes, ex qua parte hæc operatio debeat fieri; proptereà, quoniam non est tardandum in his morbis, vos adolescentes consulo, vt dum isti inter se digladiantur, sanguinem mittentes quamprimum ex parte affecta, ex vena interna, præsto sitis imminenti ægrotantium ruinæ: neque enim vocatur Medicus statim ac incipit fluxio, aut imminet, quo tempore posset solui vena ex opposito, non tamen ex affecto latere neglecta. Et quoniam sæpissimè obseruaui ex euacuatione sedatum esse dolorem, aut euidenter diminutum, vt huic etiam contigisse ex textu apparet; redire autem in quarta, & paulo ante; eam ob rem, oportet vt iuuenes semper spectent doloris qualitatem, etsi iterum augeri animaduertant, ad eandem euacuationem deueniant ex eodem latere, ex eadem vena, quantitatem sanguinis extrahentes pro morbi vrgen-

 tia,

tia, & virtutis robore, neque pertimescant repetitas sanguinis euacuationes in his casibus, ter, quater, & hoc ampliùs expedit euacuare in vehementissimis doloribus, modò virtus permittat. Hoc modo fit reuulsio, & euacuatio materiæ facientis morbum, & sequemur consilium Galeni *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap.*16. his verbis explicatum. *Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis adhibita est sanguinis missio, clarissimam sæpe attulit vtilitatem.* Subdit. *Quæ verò ex opposito brachio, aut omnino obscuram, aut certè post temporis interuallum.* Id assumpsit ab Hippocrate *lib.*4. *acut. text.*33. Quando scribebat sic. *Venam brachij internam secare oportet, qua dolor afficit parte, expeditque sanguinem extrahere, non ad coloris mutationem, non ad animi deliquium, sed moderatè, vt possit iteratò mitti,* quia ex Aëtij sententia maior fit reuulsio, cum minori virium dispendio. Neque attendendus est locus dolens, sed semper sanguis est extrahendus, siue infernam, siue supernam partem occupet dolor. Galenum sequuti, qui expendens sententiam Hippocratis *lib.*2. *acut. text.*11. hunc in modum habitam. *Si verò eas, quæ sub septo transuerso sunt partes dolor infestat, nullúmque ad clauiculam signum fecerit, ventrem, vel nigro veratro, vel peplio mollire oportet.* Statim mentem suam aperit, dum hæc profert verba. *Vbi igitur, non solùm acutus morbus est, vt pleuritis; verùm, & cum febre vehementissima, multò magis vitanda est purgantis medicamenti administratio, atque per sectionem venæ vacuandam magis, etiamsi ad hypochondrium dolor finiatur.* Nempe, etsi minus quidem auxilium, quàm per purgationem sequatur, securiùs tamen multò existit. Immò nullum ex eo, quod per venæ sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur. Cùm igitur esset morbus acutissimus, sine dubio, prætermissa purgatione, ad venæ sectionem erat deueniendum. Neque vos auertat ab hoc remedij genere puerorum ætas, quos testari possum, curasse me tutò, vena secta, quamuis ex istis aliqui annum tantùm quintum attingerent, alij vix septimum. Cùm enim viderim in aliquibus non fuisse alleuatum morbum, hirudinibus admotis brachiis, periculúmque euidens extitisse ex vi morbi, secui venam statim, & omnes hucúsque conualuerunt. Hoc quidem consulo, vt à domesticis petatis veniam, quia potest puer mori ex vi morbi, non ex remedio, & sic adscribi vobis, cùm Galenus prohibeat in huiusmodi pueris venæ sectionem. Hoc præmisso remedio, si aluus non benè sponte flueret, poterat exhiberi leue aliquod pharmacum ex manna ad ℥. *ij*. dissoluta cum aqua capill. ven. & puluere sem. citri. Aut cum flore cassiæ ad ℥. *j*. aut quid simile, quod mediocriter aluum laxare posset: neque enim mediocriter laxatam aluum suspectam habemus in pleuriticis *lib.*5. *Coacarum text.*25. dum inquit. *In doloribus pleuriticorum vtile est aluum mollem esse, dummodò id non fiat propter alimenti corruptionem, aut propter partium principum sectionem: his enim modis, minimè laudanda est aluus mollis, cùm sit non tantùm periculosa, sed & lethalis.* Confirmatum ab Hippocrate 5. *Aphorism. text.*16. sic. *A morbo laterali habito, alui profluuium adueniens, malum.* Per alui profluuium exponit

Galenus

Galenus aluum turbatam: est autem alui turbatio larga per aluum euacuatio, & inquit hoc contingere, quando hepar non ampliùs potest ad se trahere alimentum, neque conuertere in sanguinem, aut quando alimentum est in ventriculo corruptum propter ipsius imbecillitatem: &, quamuis dicat in leui pleuritide posse alui profluuium iuuare ratione euacuationis; præsertim, si morbus nullum habeat timorem: tamen, si fieret propter causas iam dictas, crederem nihilominus esse maximè periculosum; nisi quis adderet, esse quando hæc fiunt, magnam pleuritidem. Oportet igitur, vt iuuet alui profluuium in pleuritide, has habeat conditiones, quas & in aliis morbis requirimus: videlicet, vt signa coctionis extent, tum in sputis, tum in vrinis: prætereà humor noxius expurgetur; & ex hac euacuatione æger leuiùs habeat, & in die critico fiat. His existentibus conditionibus profluuium alui non solùm in pleuritide, sed in omni alio morbo erit vtile, & commodum. Itaque tunc iudicabitur facta transmissio materiæ peccantis ad aluum, qua euacuatione præueniente, quemadmodum impeditur pleuritidis generatio, vt Hippocrates docet *lib. de aëre, locis, & aquis*, vbi hæc habet: *Non enim fieri potest, vt pleuritides & alij morbi vigeant, vbi alui liquidæ existunt.* Ita etiam iam factam tollit, natura sibi viam parante, & præcipuè tunc iuuare censetur, cùm dolor ad hypochondria deflectit. Quòd si conditiones dictæ absint, tunc alui motio in pleuritide, aut nullum affert iuuamentum, quod tamen minus incommodum; aut non tantùm non iuuat, verumetiam grauiorem reddit affectum, quod & in laterali morbo, & aliis pessimum est, vt signum, & vt causa. Primo modo, quia denotat affectum principi visceri, & partibus coctioni deseruientibus communicari; & ita eorum facultates resolui. Secundo modo, quia quotiescunque aluus mouetur, crudo existente morbo, vtplurimum vires prosternit, & nullum ægrotanti commodum affert. Sed redeamus ad propositum. Ego in hoc casu essem vsus iam dicto medicamento, quo placidè poterat aluus moueri. Posteà, cùm tusses essent aridæ, tentassem materiam incrassare syrupo violaceo, de endiuia, cum decoctis endiuiæ, violarum, capitum papaueris, & id genus aliis. Laudant multi in his casibus papauerem erraticum, nec sine ratione, quia habet vim incrassantem: verùm non illorum recipio opinionem, qui tantopere extollunt in morbi progressu ad expectorationem, quia incipiente morbo, tussi arida existente, ex humoris delabentis tenuitate potest admitti: at quando expectorandum est, tunc omnino est ab eo remedii genere supersedendum. In principio admittuntur diacodion, diadragachanti morsuli, saccarum violaceum. His vti expediebat, donec materia redderetur paulò crassior, quo tempore non inutiliter exhibitus fuisset syrupus de liquiritia, capilli vener. oxymel. saccarinum, & quæcunque sputum educendi vim habebant, citra tamen euidentem calorem. Commendant aliqui pomum sub cineribus coctum, saccaro posteà aspersum, per horas duas ante cibum assumptum. Alij in vehementi dolore, tanquam præstantissimum remedium proponunt butyrum cum melle rosaceo solutiuo æquis portionibus ad ℥. *vj.* tepidum exhibitum. Ego testari possum, aliis

non

non neglectis remediis, sæpissimè vsum fuisse vrgente dolore oleo ex sem. lini puro ad ℥. *vj.* cum euidentissimo ægrotantium commodo, nec mihi id remedij genus vnquam fuit suspectum, etiam cum valida febre, vigente dolore, post iteratas sanguinis euacuationes, & qui hoc medicamento vtentur tempestiuè, videbunt admiranda, quantitate moderata pro ægrotantium captu. Multoties exhibui nulla præcessa alia euacuatione, tardiùs vocatus, vt aliquid agerem, non quia salutis spem haberem, & tamen multoties à manifesta pernicie ægrotantes eripuit: nam, etsi imbecilles sint ægrotantes; tamen, si non iuuat, neque euidenter læsisse cognoui. Itaque quantum ego cognoui, nunquam me fefellit id remedij genus. Exterius sunt, qui extollunt medicamentum quod recipit oua duo, vel plus: euacuantur priùs oua, posteà cortices contundunt diligenter, quo peracto, sumunt ouorum vitellos cum albumine, & diligentissimè agitant, posteà miscent puluerem corticis ouorum, & addita olei communis portione, madefaciunt lanam, & parti admouent. Hoc remedium aliqui habent pro miraculo; verùm ego non tale sum expertus. Aëtius commendat, vrgente dolore, cucurbitulam scarificatam parte affecta applicitam, ex qua putat maximum sequi commodum, vt vnusquisque videre potest. Hæc, & multa alia à practicantibus habentur, quæ vnusquisque per se videre potest, & properea ab his supersedendum puto, præsertim cùm nullum efficacius remedium existimem esse, venæ sectione, & oleo dicto tempestiuè vtroque remedio administrato. At cùm decimoseptimo apparerent sputa concocta, & maior portio medicamentorum expectorantium erat exhibenda, à quibus nunquam abstinere fas est; quia, nisi aliquid humectans semper in ore teneant, difficiliùs educitur sputum, ore exsiccato: eam ob rem præstat humectantibus vti sæpè, & parum. Habenda erat ratio temporum pro instituendo victu, quoniam morbo eunte in iudicationem, necesse erat augere alimentum, quod Hippocrates exprimit his verbis 1. *acut. text.* 23. *At si os madescat, augere sorbitionem oportet*, quibus verbis innuit humorum coctionem. Et verba Hippocratis sic habent. *At si os madefiat, & quæ à pulmone expuuntur talia sint, qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem, vt dicam summatim, augere conuenit.* Nempe, quæ citius magísque madescunt, iudicationis denunciant celeritatem, quæ verò tardiùs, minúsque, tardiorem significant iudicationem, redditque rationem Galenus *in comment.* cur augere sorbitionem oporteat, subdens. *Ergo, qui probè expurgantur, his ptissanam dare quadrabit, non vt virtutem roboret modò, verùm quoque & his, quæ per tusses ex pulmone fiunt humidorum expuitionibus opem ferat.* Et Aëtius Galenum insequutus addit. *Post hæc etiam non colata integra ptissana exhibenda.* Neque improbassem eo tempore contusa carnis, & quæcunque virtutem possunt roborare, præsertim, cùm morbus esset futurus longus. In medicamentis oxymel. maximè commendandum, seruatis conditionibus ab Hippocrate relictis 3. *acut. text.* 24. Multa alia probantur, veluti confectio ex marrubio, iride, quam tantoperè extollit Galenus ad probè maturanda ea, quæ sunt in thorace, tum in pulmone

superuaca

ſuperuacanea : præparat enim ad expuitionem, inquit Galenus. Eſt autem iris facultatem habens calidam, & ſiccam ordine ſecundo, & aliud medicamentum præſtantius inueniri non poteſt, quod poſſit lentos thoracis humores educere, ait *lib. 5. ſimpl. med. facult. cap.* 12. tamen in valida febre hæc poterant eſſe ſuſpecta, cùm habeamus medicamenta, quæ ſine euidenti caliditate eandem operam præſtare poſſunt. Hæc poterant administrari, non obliti euacuationis alui, tempeſtiuo tempore. Et ne eſſet altercandum cum iis Medicis, qui in omnibus morbis indiſcriminatim alexipharmaca porrigunt, neque hæc erant prætermittenda, Hîc duo admonenda ſunt. Vnum eſt, vt quammaximè viteris vinum, etiam declinante morbo, quoniam ſæpiſſimè recidiuant, & periclitantur ægrotantes, etſi Hippocrates 3. *acut. comment.* 2. videatur non denegare in huiuſmodi morbis, ſic ſcribens. *Verùm, vt vno abſoluam verbo, vinum dulce in acutis morbis ad expuitionem, tum propter dictas, operationes, tum propter communem omnium vinorum rationem, qua vires roborat, idoneum exiſtit, & maximè iis, qui quæuis humida, quæ tum in thorace, tum in pulmone continentur expuunt.* Ipſe eſt intelligendus in vltima morbi declinatione, ſedata febre, ægrotante nihilominus expuente, quo tempore poteſt concedi, id tamen maxima cum cautione faciendum, & potiùs peccent iuuenes, ſeriùs exhibendo, quàm celeriùs concedendo. Alterum diligenter animaduertant, ne, quod ſæpiùs contingit, eiſdem eueniat, videlicet non permittant pleuriticos adſtringentibus vti, quia peſtifera ſunt, etiam morbo declinante; neque hoc eſt meum, verùm Hippocratis præceptum deſumptum ad verbum *ex* 1. *lib. acut. text.* 27. *Quare, qui lenticulam aceto confectam, morbo pleuritico iam declinato, vt nihil aliud, quàm coctorum expuitionem deſideraret, exhibuit. Is non immeritò languenti ipſi, qui ſequenti nocte ſuffocatus eſt, mortis cauſa viſus eſt fuiſſe.* Et tamen mulieres non raro, vt gratificentur ægrotantibus, aut granatum, aut quid aliud admittunt, cum non leui ægrotantium damno. His omnibus in hunc modum præſtitis cum Dei Opt. Max. gratia iam eſſet integrè reſtitutus, neque ob hoc reliqnum curationis erat negligendum, ſed nullo impediente, ad purgans medicamentum confugiendum : ita Aëtio ſuadente hunc in modum. *Profectu autem ex his conſequente, etiam cum ſubſcripta Aſclepiadæ hiera purgabis, quo omnes morbi reliquiæ expurgentur : quæ enim in morbis relinquuntur, recidiuas facere conſueuerunt, & non pura corpora, quo plus nutries, eo magis lædes.* Hæc Aëtius. Nos potuiſſemus exhibere blandum aliquod medicamentum, veluti ex ſyrupo violaceo ſolutiuo, mannæ, vtriuſque ad ℥. *iÿ.* ß. diſſoluta cum decoctione pectorali; vel his ſimilibus, ex manna ſyrupo roſaceo ſoluente vtriuſque ad ℥. ß. lenit. ℥. *j.* eodem modo diſſoluto medicamento, & tandem præſcripta in poſterum conuenienti victus ratione, vt celeriùs poſſet reſtitui ſinendus erat. Et de hoc ægrotante ſatis.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΝΑΤΟΣ.



ΕΝ Ἀβδήροις Ἡρόπυθος, κεφαλὴν ὀρθοστάδην ἐπιπόνως εἶχεν. οὐ πολλῷ δὲ χρόνῳ ὕστερον κατεκλίθη. ᾤκει πλησίον τῆς ἄνω ἀγωγῆς. πυρετὸς ἔλαβε καυσώδης, ὀξύς. ἔμετοι τὸ κατ' ἀρχὰς, πολλῶν χολωδέων. διψώδης. πολλὴ δυσφορίη. οὖρα λεπτὰ, μέλανα. ἐναιώρημα μετέωρον, ὅτε μὲν, ὅτε δ' οὔ. νύκτα ἐπιπόνως. πυρετὸς ἄλλοτε ἀλλοίως παροξυνόμενος. τὰ πλεῖστα ἀτάκτως. περὶ δὲ ιδ', κώφωσις. οἱ πυρετοὶ ἐξέτεινον. οὖρα διὰ τῶν αὐτῶν. κ', πολλὰ παρέκρουσε, καὶ τὰς ἑπομένας. μ', διὰ ῥινῶν ἡμορράγησε πουλύ. καὶ κατενόει μᾶλλον. ἡ κώφωσις ἐνῆν μὲν, ἧσσον δέ. οἱ πυρετοὶ ξυνέδωκαν. ἡμορράγει τὰς ἑπομένας, πυκνὰ καὶ κατ' ὀλίγον. περὶ δὲ τὴν ξ', αἱ μὲν αἱμορραγίαι ἀπεπαύσαντο. ἰσχίου δὲ δεξιοῦ ὀδύνη ἰσχυρὴ, καὶ οἱ πυρετοὶ ἐπέτεινον. οὐ πολλῷ δὲ χρόνῳ ὕστερον, πόνοι τῶν κάτω πάντων. ξυνέπιπτε δὲ ἢ τοὺς πυρετοὺς εἶναι μείζους, καὶ τὴν κώφωσιν πολλὴν. ἢ ταῦτα μὲν ὑφιέναι καὶ κουφίζειν, τῶν δὲ κάτω περὶ ἰσχία, μείζους εἶναι τοὺς πόνους. ἤδη δὲ περὶ τὴν ὀγδοηκοστὴν, ξυνέδωκε

ÆGROTVS IX.



ABDERÆ *Heropytho caput dolebat, nec decumbebat, quod tandem fecit paulò pòst. Hic ad superiorem viam habitabat: captus est febre ardente, & acuta. Primò, vomuit multa biliosa, sitibundus, implacidus multùm,* [a] *vrinæ tenues, nigræ, suspensiones sublimes interdum, interdum non.* [b] *Noctem habuit laboriosam. Febris aliàs aliter accedebat, sed ferè inordinatè.* [c] *Ad diem quartumdecimum surditas, febres creuerunt. Vrinæ eædem fuerunt. Vigesimo, multùm delirauit, itémque sequentibus diebus.* [d] *Quadragesimo, multùm ex naribus fluxit sanguinis, mentéque constitit magis: surdus quidem, sed perinde fuit: febres fuerunt remissæ: Proximis diebus crebrò sanguis ex naribus, & paulatim erupit.* [e] *Ad diem sexagesimum, narium quidem substitit profluuium, sed dextera coxendix admodum dolebat, febrésque increuerunt. Haud multò pòst partes inferiores omnes dolebant.: fiebat autem, vt vel febres maiores essent, maiórque surditas, vel hæ quidem remitterentur, alleuarentúrque, verùm partes*

μὲν πάντα. ξυνέλιπε δὲ οὐδέν. οὖρα τε γὰρ εὔχροα καὶ πλείους ὑποστάσιας ἔχοντα κατέβαινεν. οἱ παράληροί τε μείους ἦσαν. περὶ δὲ ἑκατοστὴν, κοιλίη πολλοῖσι χολώδεσιν ἐπεταράχθη. καὶ ᾔει χρόνον οὐκ ὀλίγον πολλὰ τοιαῦτα. καὶ πάλιν δυσεντεριώδεα, μετὰ πόνου. τῶν δὲ ἄλλων ῥαστώνη. τὸ δὲ σύνολον, οἵ τε πυρετοὶ ἐξέλιπον, καὶ ἡ κώφωσις ἐπαύσατο. ἐν ἑκατοστῇ, τελέως ἐκρίθη. καῦσος.

partes inferiores ad coxendices sitæ vehementiùs dolerent. Iam verò circa diem [f] *octogesimum cuncta remissa sunt,* [g] *nihil tamen destitit. Etenim vrinæ boni coloris, & copiosiores subsidentias habentes exierunt,* [h] *deliriáque imminuta sunt. Ad diem centesimum aluus fuit turbata multis biliosis, durabántque talia multa diu, deinde dysenterica cum dolore. Reliqua leuia fuerunt. In summa febres eum reliquerunt, discessítque surditas. Centesimo est absolutè iudicatus.*

COMMENTARIVS.

EA est ventriculi cum capite communio, vt quotiescumque vna pars afficiatur, altera non sit sine euidenti læsione, quod aliàs dictum est. Hinc fiunt vomitus biliosi, affecto cerebro & vulnerato, vti *ex Aphorism.* elicitur, & multa alia mala accidunt, quæ in dies experimur, nam istæ partes mutuas sibi dant operas, quia læso capite, ventriculus: læso ventriculo caput patitur. Huius rei nobis non obscuram fidem facit hæc Historia, dum ægrotantem repræsentat capite prius dolentem, & multò antè, quàm ex febre decumbere fuerit coactus: dum enim ventriculus bile esse affluens, quomodo non poterat capite dolere, cùm vapores ad illud transmittantur rectà, & etiamsi Hippocrates non referat qualitatem doloris, explicat tamen Galenus *multis in locis*, veluti *1. ad Glauc. c. 15.* & clariùs *lib. 3. de locis malè affectis c. 9.* his verbis. *Porrò ea corpora suapte natura idonea sunt, vt ipsis caput impleatur, in quibus vaporosus calidúsque spiritus generatur, aut quibus biliosa excrementa in ore ventriculi cumulantur.* Subdit. *Atque spiritus dolores inducunt tensiuos, qui idcircò sic vocati sunt, quia extensionis sensum inducunt. Biliosa excrementa dolore mordaci afficiunt.* Ex quibus colligimus quàm facile fuerit huic ægrotanti dolere capite & quali dolore infestaretur. Huic si prouisum fuisset aliquo medicamento euacuante cum victu conuenienti, fortassè præuenisset imminenti morbo, antequam humor magis in dies congestus putredinem susciperet, febrémque accenderet, vt contigit posteà. Hoc exemplo potest vnusquisque, quando minùs bene habent sibiipsis

 consulere,

conſulere, ſaltem victus ratione, quia ſi ea eſt corporis diſpoſitio, quæ victus ratione non poſſit omninò emendari, iuuantur tamen non parum. Ecce hic ægrotans, cùm capite cœpiſſet dolere, & diu, prauè eſſe intus diſpoſitum demonſtrabatur: eſt enim dolor capitis perſeuerans ex ſignis futuræ ægritudinis, vt ſuperiùs demonſtrauimus cum Galeno, neque potuit euitare, quin inciderit in morbum prauæ corporis diſpoſitioni æqualem, in febrem ſcilicet ardentem, & acutam, qui morbi, vt aliàs demonſtrauimus, ex bile originem trahunt. Cùm enim humor eò creuit malitiæ, vt eidem natura non poſſit dominari, aut expellantur neceſſe eſt, aut detenti putreſcant, vt modò contigiſſe certum eſt. Verùm antequam vlteriùs progrediamur, videamus, cur Hippocrates dicat incidiſſe in febrem ardentem, & acutam, non dixit in febrem acutam, & ardentem, quia ſic, aucto morbo, poteſt fieri ardens: At quando eſt ardens verè, eſt etiam acuta. Ego exiſtimo, ita eſſe loquutum Hippocratem, vt innueret grauiſſimum quidē fuiſſe affectum, addendo *acutam*, voluit demonſtrare extitiſſe verè ardentem. Ad quid enim hoc addere? fortaſſe vt excludat à tertianis, ſed ad quid hoc addere, dum ipſe ſermonem habet tantùm de morbis acutiſſimis & malignis? Itaque crediderim ego id addidiſſe, vt demōſtraret fuiſſe diſſimilem ab aliis, quæ in hac conſtitutione vagabantur. Hæ non admodum erant acutæ, neque aderant vigiliæ graues, neque multa ſitis. Verba Galeni *text.* 34 *Febriū ardentiū, quæ vigebant hæc erat natura. Initio ſoporoſi, faſtidioſi, inhorreſcebant. Febris non acuta, neque magnoperè erant ſitibundi, neque deliri.* Quibus conſtat euidenter non eodem modo laboraſſe, quo alij conſueuère in hac conſtitutione, & ob id vtitur hoc loquendi modo. Perinde de phrenitide ſermonem habens, inquit. *Nec phreniticorum inſaniuit quiſpiam, quod vſu venit alijs, & tamē phrenitici dicuntur ex continuato, & minimè intermittente delirio.* At illud ſciendum eſt, nomine phrenitidis omne delirij genus intelligere Hippocratem, quomodocunque fiat; & ob hoc, vult dicere in textu. Nec phreniticorum inſaniuit quiſpiā, videlicet in aliis, qui vigiles, & loquaces, & inquieti, & apertè delirantes erant, ſed cum graui ac lenta in ſomnum delatione, grauiter peribant. Galennus *in com.* refert illud accidens in multam humiditatem, dum ait. *Verùm hic ſtatus cùm multa humiditate caput repleret, ſoporoſum aut omnibus, aut pleriſque, vtcunque laborarent, ſymptoma attulit ſub morbi inuaſione, vbi praui humores nondum eò deuenerant acredinis vt vigilias vehementes, deliria, phrenitémque concitare poſſint.* Hoc debet à nobis maximè in morbis obſeruari. His ſic ſtantibus, vti dictum eſt, vt probaret diuerſimodè ægrotaſſe hunc ægrotantem, dicit laboraſſe febre ardente, & acuta. Quòd verum ſit, perpendentibus nobis accidentia notum fiet. Primum, ex vomitu, quem habuit, peccans cauſa innoteſcit, dum multa bilioſa vomuiſſe dicit. Inutilis euacuatio, quod cognoſcitur ab effectu, poſt vomitum ingraueſcente morbo, ſignum, quòd peſſima erat ægrotantis conditio, cùm viderim aliquando vomitu ſuperueniente in febriū principio diminutā eſſe febrem, multa materia per os euacuata. At cùm vomitus fiat in morborum principiis, aut quia totum corpus ſit prauis humoribus

replctum,

repletum, aut quia ingens adſit cacochymia in genere venoſo, aut quia maxima extet copia, vel humorum malitia. Aliquando etiam contingit id fieri à ventriculo copia repleto, aut mala qualitate infeſtato, aut quia ichor quidam tenuis aliqua parte principe circumpoſita reſudet, vti à iecore. In hoc ægrotante ſine dubio à parte principe tranſmittebatur ad os ventriculi: ſolet enim naturâ talis humor præ leuitate fluitare, & ad os ventriculi regurgitare, vt Galenus *in lib. 3. prognoſt. comment.* 30. verùm etiam portio non aſpernenda, ad venas detrudebatur (talis erat praua corporis diſpoſitio, & venarum) vt inſigni contracta putredine febris ſit concitata maxima: nam febres huiuſmodi fiunt, cùm venæ tempore æſtiuo exſiccatæ, acres & bilioſas humiditates, quæ tenues ſunt, traxerint, quas ἰχῶρας vocant, ſcribit Hippocrates 2. *in* 1. *epidem. comment.* 20. Hunc in modum affecto, non immeritò ſitis erat infeſta, quia huius erat cauſa euidens, & quomodo non poterat in tanta humorum prauitate os ventriculi infeſtantium eſſe multùm implacidus. Tres habet cauſas iſta in febribus implaciditas. Vna eſt, quando humores mouentur ad partes ſuperiores, ſiue criticè, ſiue ſymptomaticè, quod Galenus innuit *lib. 3. prorrhet. comment.* 65. Textus ſic habet. *In faſtidioſis quibuſdam vigilantijs parotides maximè.* Galenus. *Si igitur, quæ Hippocrates nos docuit antè contemplatus, fore ſperaueris, deinde ægrum veluti ex ciborum repletione faſtiditum videris, parotidas excitandas expecta.* Alij legunt. *Deinde ægrum, veluti ex ciborum repletione faſtidioſum, & vigilem videris, parotidas excitandas expecta.* Et quia plurimum refert præuidere humorum motum ad ſuperna, addam ſequentia verba, quibus futuras parotidas denotat ſic. *Signa autem per quæ parotides fore ſperaueris, ſunt hæc. Primum ſanè abſceſſuum omnium commune ſignum eſt, quòd diutius trahenti euenit ægro; deinde ſi morbus deſes fuerit, & deorſum vergat, vel calidus, & ſurſum repat, vel ceruicis, capitiſque grauitates fuerint, & dolores, & faciei rubores. Nam per hoc, ſi parotidas fore antè ſperaueris, certior prænotio erit, cùm quæ in dictione relata ſunt apparuerint.* Confirmat *in eodem lib. text.* 73. Secunda cauſa implaciditatis, quando virtus à corpore opprimitur, & ſic affecti nullam quietem inueniunt, modò hunc, modò illum ſitum quærentes, túncque vnaquæque forma aggrauat eos. Id contingit in interna inflammatione, aut ſaltem in præcordiorum æſtu. Tertia cauſa, cùm os ventris repletum eſt prauis humoribus. Sic affecti, aliquando nauſea ſegni tentantur, quæ irritat, ſed nihil excernit; aliquando autem euomunt; vtrique non bene habent, deterius autem priores dicebat Galenus 2. *prorrhet. comment.* 44. De eadem re Galenus eſt eloquutus, etſi non tam diffusè 7. *Aphoriſm. text.* 56. Quomodo igitur non poſſet non eſſe implacidus ventriculo tam prauè affecto, conſtat iam. Genus venoſum deterrimè ſe habuiſſe confirmat vrinarum qualitas.

[a] *Vrina nigra, tenues.*] Dum Hippocrates ſcribit laboraſſe febre ardente, & acuta, magnitudinem morbi aperit: malitiam ex ſuperuenientibus: ſcilicet vrinis nigris. Fuiſſe tenues nihil mali: nam ſequebantur morbi tempus, principium, in quo cruditas; neque mortem poterant mi-

nari, quantum in se erat; sed, quod magis erat, morbo diuturnitatem. At nigras extitisse, hoc non erat de nihilo, de quibus non est disserendum, cùm in superioribus sit actum. Sat est dicere, non parùm periclitatum in tam praua corporis dispositione, vt inde optimè, dicat doctiss. Vallesius, nullum esse tam grauem morbum, quin aliquis aliquando conualescat, nec tam leuem, quin aliquis aliquando moriatur.

Suspensiones erant sublimes aliquando, aliquando non. Hoc referendum erat in motum febris, quam per tertium motam esse, est verisimile, cùm à bilis prædominio penderet, & hoc etiam videntur significare verba illa.

Febris aliàs aliter accedebat, sed ferè inordinatè;] Neque ego intelligerem illud *inordinatè*, quia moueretur veluti febres à variis humoribus pendentes, sed exponerem, aliquando citiùs, aliquando tardiùs inualuisse, quia sic fert natura morbi, vt quò magis progreditur, eò magis, & citiùs augeatur, & inualescat, quod intelligit quando scribit aliàs aliter accessisse, id est, modò maiores, modò minores extitisse: Quo igitur tempore febris erat validior, materia faciliùs à vi caloris vertebatur in flatus, quo tempore suspensiones redduntur elatæ: neque enim etsi causa esset bilis, propterea carent flatibus ægrotantes, cùm id non neget Hippocrate 5. *Aphorism. text.* 72. dum scribit. *Qui regio morbo laborant, non multùm ventosi sunt:* neque adderet *non multùm*, si non esse ventosos, existimaret: sed addit, *non multùm*, quia respectiuè ad materiam pituitosam, non dicuntur ventosi; fieri tamen non potest, quin in putrescendo, cùm sit humida, aliquos flatus emittat, tenuiores tamen, quàm alij humores, & eam ob rem præ sui tenuitate facilè feruntur ad ima, & hoc obseruatur in dies in febribus ardentissimis, adesse nebulam, quæ in morborum principiis superna perit, propter flatus, vti aliàs cum Galeno demonstrauimus *in prognost.* vt hoc pro impossibili non sit ponendum, cùm experientia quotidiana id confirmet magis. Aliquando verò suspensiones non erant sublimes, quia dum cessabat ebullitio, non tantoperè eleuabantur flatus, & ob hoc eo tempore, neque tanta suspensionum eleuatio, donec denuò accessio inuaderet.

[b] *Noctem habuit laboriosam*] Id est, quando suspensiones erant elatæ noctem habebat laboriosam, & ratio est, quia eo tempore febris accessio erat, quo tempore non possunt ægrotantes non nisi noctes ducere laboriosas, & præcipuè in tanta humorum copia, à qua os ventriculi affligebatur: nam illud *multùm implacidus* non est intelligendum de vno die sed de pluribus diebus, vt verisimile est, & hinc colligas licet, inordinatum etiam febris motum, cùm patiente ventriculo nullus seruetur accessionum ordo, vt clarum est; euertitur enim naturæ ordo à symptomatis grauitate, quod aliquando ad se ita trahit curationem, vt Medicus de nullo magis sit sollicitus tantisper, dum conquieuerit: tunc enim, nec dormiunt, nec cibum assumunt, nec minimum quiescunt: symptoma semper pertimescendum, sed multò magis in febribus huiusmodi. Prætereà magna erat naturæ oppressio, vt vomitus denotat, neque propterea tunc seruatur à natura ordo, cùm oppressa tentet omnibus modis se eximere à

sarcina,

ſarcina, quantum in ſe eſt, &, quemadmodum dicit Galenus pulſus in aggrauatione propterea cognoſci, quia ſunt inordinati, & inæquales, ita etiam poteſt natura oppreſſa à ſarcina, nulla humorum varietate, aut minima exiſtente inordinatè mouere, præſertim cùm vtrunque exiſtit, ſcilicet copia, & malitia, vt in hoc cernimus, & hoc eſt, quod non dicit fuiſſe inordinatas, ſed ferè, quaſi velit innuere ſeruaſſe, vt dicebam, quendam motum non omninò determinatum, vt ſolet fieri in morbis acutis, qui vtplurimum per tertium mouentur.

c *Ad diem decimumquartum ſurditas*] Multoties obſeruaui, vrinis ad tenuitatem mutatis, non rarò deliraſſe ægrotantes, non quia vrinæ indicent ſupra genus venoſum, ſed quia coniectura quadam aſſequimur eleuari vapores ad caput, à quibus incaleſcit, & deliria fiunt, de qua re ſatis in ſuperioribus, & præcipuè id ſolet contingere quando vrina habet ſuſpenſiones elatas: nam Hippocrates ſcribit. *Suſpenſiones elatæ, haud multò poſt delirauit.* Hoc idem contigit huic ægrotanti, qui ſurdus factus eſt decimaquarta die cum iiſdem vrinis. Quis non dixiſſet grauiſſimum fuiſſe ægrotantis ſtatum, cùm ante decimamquartam malè, deterrimè decimaquarta ſe haberet? ſolent enim huiuſmodi morbi aut in malum finire, aut integrè iudicari. In hoc non erat expectandum iudicium bonum, cùm omnia ad perniciem tenderent, vti ex antecedentibus, & ſubſequentibus conſtat: cùm enim morbi ingraueſcunt, quo tempore eſſet videndum aliquid boni, neſcio quomodo poſſet Medicus, quid boni inpoſterum expectare. Sed minus malum eſſet ſurditatem ſuperueniſſe eo die, niſi, quantum ars Medica docet, longè deteriora expectarentur. Habemus *in Coacar. lib.* 1. *ſect.* 2. *comment.* 1. *text.* 9. *In acuta febre aures obſurdeſcere furioſum*; etſi, neque hoc ſit ex certioribus ſignis, cùm multoties contingat videre ægrotantes, qui ſurdi facti ſunt, neque tamen delirant, aliquando multos furioſos, & phreneticos, qui tamen anteà de ſurditate non ſunt conqueſti: attamen ſuſpecta res eſt, cùm ferri humores ad caput ſit iudicium; præſertim, ſi ſint bilioſi, vt in hoc, & eo magis iiſdem manentibus vrinis tenuibus, & nigris, in quo naturæ motu febris increuit, vt ſolet fieri in naturæ validioribus motibus, ſiue criticis, ſiue ſymptomaticis. Modò erat ſine dubio motus ſymptomaticus, cum naturæ detrimento. Nam dum materia peccans ad partem principem fertur, non poteſt fieri, niſi cum euidenti periculo, cùm partium principum læſiones ſemper ſint magni faciendæ: & tantò magis ſi bilis ſurſum in caput verſa, non vacuetur aliquo modo, ſed ibi ferueat; tunc breui inſania denunciatur. Et hoc attendere debetis diligentiſſimè, quia nobis faciet, & ad præſagium, & ad curationem, & maximè, quando videtis eadem perſeuerare, neque minimum minui, veluti nunc apparet: nam, ſi quid noui excitiſſet, ſignificaſſet Hippocrates, vt ſui moris eſt. Ob hoc à decimaquarta tranſit ad vigeſimam, quo die ſcribit multùm deliraſſe, & etiam ſequentibus diebus. Non ſemper eodem modo, & æquè citò læduntur ægrotantes, quia ſenſim cauſæ inualeſcunt, & partes magis reſiſtunt: verùm quò diutiùs reſiſtunt, ſi concidant, maius malum. Hic ægrotans debebat deli-

rare in decimaquarta, præcessis vrinis, quales describit, verùm superuenit tantùm surditas, nondum ea impertita læsione, ex qua delirare posset. At quemadmodum distulit, multò maiorem læsionem est expertus, cùm dicat multùm delirasse, quia diutiùs perseuerauit humorum impetus ad caput, ita vt validissimum sit concitatum delirium; non tantùm, quia delirauerit eo die; verùm, quia causa erat ita fixa, & fouebatur, vt & sequentibus diebus perdurauerit, id est, vsque ad quadragesimum diem. Itaque videmus magnam extitisse causam, quæ magnum inuexerit delirium, & tantoperè durans. Quod si quis vestrûm huiusmodi ægrotantem curasset: enimverò, non paruum nobis negotium imposuisset, dum quibus diebus erat aliquid expectandum ad salutem, iisdem apparerent ad perniciem, ita, vt videretur omninò mors expectanda, tum ratione sæuitiæ morbi, tum ratione longitudinis: inuenire enim ægrotantem, qui tam valenter grauissimi morbi sæuitiem sustineat, quis non iudicabit fuisse hunc firmissimis viribus, præsertim, cùm quo die potuisset expectari iudicium cum morte, eodem die, præter spem, & expectationem crisis superuenit post tot labores perpessos; nam subdit.

[d] *Quadragesimo die multum è naribus sanguinis fluxit*] Sanguis tribus modis fluit: vel enim stillat, vel paulatim, & interuallis; vel erumpit. Stillare sanguinem semper malum, vti aliàs comprobatum est. Per interualla fluere, & paulatim, non omninò malum; erumpere autem bonum quidem, sed neque simpliciter bonum, nisi quibusdam perpensis, & diligenter consideratis. Hoc quidem in confesso est, familiarem esse hæmorrhagiam febribus incendentibus, & inflammationibus, præterquam pulmonis. Cur sint inutiles, hæc redditur ratio. Vna est, quia humor morbum faciens à sanguine sæpiùs diuersus est. Altera, quia vix criticè ad nares propelli potest, cùm nulla via subsit satis commoda à pulmone in venas narium, eam ob rem suspectam esse hæmorrhagiam in pulmonis affectibus putant; quia, si fiat, magnum esse morbum volunt, in quo per sympathiam cor ita ferueat, & aduratur, vt vniuersus sanguis in venoso genere iam exæstuet, atque affectio calidissima ad cerebrum perueniat. Alij dicunt, pulmonibus inflammatis non ita conuenire, vt quæ non respondeat venis, quæ è vena caua disperguntur. Hoc confirmatur Galeni auctoritate desumpta *ex lib.3. de crif. cap.3.* vbi legimus. *Non tamen lethargus, & peripneumonia fluxum sanguinis amant.* Quod perinde est, ac si diceret minùs iuuantur, quàm morbi recensiti *in illo cap.* Sed redeamus ad propositum. Iam multis in locis diximus cum Hippocrate, & Galeno ardentes febres sanguinis fluxu curari, idque *in Coacis in lib.4. text.45.* his verbis legitur. *Acuti morbi indicantur sanguine fluente ex naribus die critico, & sudore multo.2. in* 1. *epid. text.79.* & *in historia Metonis*, id etiam apertissimè colligitur. At non semper id commodum euidens sequitur: vidi enim sæpiùs in acutis febribus factas esse huiusmodi motiones cum detrimento euidenti ægrotantis; & memini inter cætera cuiusdam adolescentis viginti annorum, cui ita impetuosè erupit, vt difficilè potuerit sisti. Paucis interpositis diebus impetuosiùs repetens,

nunquam

nunquam potuit intercipi, quantumuis multa fuerint administrata, & iam mors erat præ foribus: dixerunt posteà curatum fuisse nobis absentibus à quodam milite, verùm tamen ad eam deuenit maciem, & virium prostrationem, vt non nisi longo tempore potuerit restitui, idque in aliis obseruaui. Ob hoc cùm sanguis erumpit, non ob hoc conualiturum ægrotantem sperabitis; nisi diligentiùs ægrotantis statum expendatis. Oportet igitur vt euacuatio illa fiat tempestiuè, videlicet, fiat in die critico, per rectitudinem, & morbum aut tollat, aut diminuat, quod facilè sequitur, si prægressis signis coctionis appareat, aut manifestis, aut perfectis, si secus fiant, non omnino bonæ; immò, dicit Hollerius doctiss. vidisse se hæmorrhagias, quæ vix adhibitis remediis cohiberi potuerint, etsi fierent in die critico, & tamen parum salutares, non remissa febre, neque capitis affectione, quod & ego non semel obseruaui: nam istæ hæmorrhagiæ die critico factæ, tribus modis inutiles. Primo, quia sit largior, quàm par est; secundo, quia non finiat febrem; tertio, quia grauia inducat symptomata, quod lethale est. Scribit etiam vidisse se die pari motas hæmorrhagias à quibus conualuerunt ægri, sed sæpiùs redeunte morbo, & subinde recurrentibus grauissimis symptomatibus cum non obscuro ægroti periculo. Ad hoc igitur vt iuuent, oportet adsint conditiones recensitæ, veluti & de aliis euacuationibus statui potest. Et ad summum attendite euentum, & effectum euacuationis: nam crisis vel est ad bonum, vel est ad malum. Ad bonum, vel perfecta, quia scilicet integrè iudicat. Imperfecta, quia diminuat, non tollat morbum. Ad malum, quando post tentatam crisim, omnia in deterius labuntur. Itaque hic ægrotans minus malam habuit hæmorrhagiam, cùm ab euacuatione leuiùs habuerit: sed mirum tantoperè expectasse, cùm vtplurimum fiant ante decimamquartam diem, quo tempore videtur sanguis magis feruere, post autem hunc diem omnia mitiora redduntur, & potiùs abscessibus fiunt obnoxij, quàm crisibus, quia ex Galeni mente morbi acuti verè iudicantur, morbi autem, cùm longitudinem habent, abscessibus soluuntur, & in his enumerari acutos ex decidentia crediderim: oportet igitur fuisse robustissimis viribus, & habitu sanguineo, qui in quadragesima, quo tempore ex morbo, præsertim grauissimo plurimum sanguinis consumitur, adhuc multum fluxerit sanguinis cum ægrotantis commodo: si enim senex extitisset, vix credibile est, potuisse à tam graui morbo euadere, qui cuiusque iuuenis, & fortissimis viribus, salutem reddidisset ambiguam. Quare, bene actum est cum hoc ægrotante, qui post euacuationem leuiùs habuit, non est tamen perfectè iudicatus, quia non omnia erant, quæ ad perfectam crisim requiruntur: nam etsi nihil dicat de vrinis, credendum tamen est, non fuisse vsquequaque coctas, quin magis essent concoquendæ. Quod surditas ad proportionem euacuationis fuerit diminuta, non est mirum, quia duas peculiares requirit euacuationes, vt *ex Coacis* habetur; scilicet alui fluorem, & sanguinis ex naribus euacuationem, quod repetit Hippocrates 4. *Aphorism. text.* 60. quo in loco docemur, non quamcunque surditatem tolli per sanguinis fluxum è naribus, sed tantùm, quæ in febribus

 est

est momentanea, vt Galenus his verbis confirmat. Et dictum est nunc ab ipso hoc idem, & præterea de profluuio sanguinis è naribus: etenim & hoc soluit surditatem, eam videlicet, quæ in febribus est absque vlla propria, atque præcipua auditus instrumenti læsione. Nihil autem mirum, si cùm euacuantur, ac transmittuntur noxij humores, morbi cessant. Quare, quæ iam altas iecêre radices, hæ incurabiles sunt, aut saltem non possunt tolli euacuatione sanguinis. Fuit igitur hæc euacuatio, & capiti, & vniuerso corpori apprimè vtilis, & quod magis firmum fecit iudicium, fuit illa euacuationis perseuerantia, cùm sequentibus diebus eruperit. Itaque fuit copiosa primo, fuit largior sequentibus diebus; nam etsi paulatim flueret, id tamen fiebat crebrò. Larga euacuatio dicitur tribus modis, aut quia confertim fiat, & sit multa. Aut quia, etsi affatim non fiat, tamen perseueret longo tempore, vt euacuatio sequentium dierum. Tertio modo dicitur larga euacuatio, quando vtroque modo fit. Id probabat Galenus exemplo pluuiæ 1. *in* 1. *epid. comment.* 1. sic scribens: *Tribus modis pluuiæ multæ fiunt. Interim ob ipsum imbrem confertim decidentem. Interim diuturnitate temporis, licet guttatim tantùm in singulis diebus decidat. Interdum ambobus coniunctis.* Hæc conuenientior poterat fieri euacuatio, cùm hanc possimus nuncupare egregiam, cum Galeno 2. *acut. comment.* 1. quando dicebat. Magni morbi quærunt, quæ se iudicent egregia. Sunt autem hæc, venæ sectio, & purgatio. Et 2. *Aphorism. comment.* 29. appellat magna præsidia. *Tentandum*, inquit, *afferre maiora præsidia: sunt autem hæc maximè quidem venæ sectio, & purgatio nonnunquam*; ita vt videatur præferre purgationi sanguinis missionem. Vtrum autem facta ab arte, an à natura sit potior, crederem ego sine dubio factam à natura, cùm illa dicatur morborum medicatrix, & Medicus in tantum operetur, in quantum naturæ motum spectat, cùm multoties totum opus naturæ relinquere sit coactus. Maximæ quidem sunt euacuationes, quæ natura operante fiunt, quia ipsa tempestiuè agit, & cum ægrotantis commodo, & multræ fiunt ad melius mutationes tunc, nobis minimè animaduertentibus, neque per artem expectantibus: nisi aliter fiat lacessita. Euentus comprobat rem perinde esse, cùm in hoc ægrotante conata sit natura multis modis à morbo vindicare, primo, euacuationibus conuenientissimis, scilicet, per sanguinem è naribus, posteà etiam per depositionem materiæ peccantis ad infernas partes, veluti ipse notat contigisse sexagesimo die, quod ipse his explicat verbis,

c *Ad sexagesimum diem, narium quidem substitit profluuium*] Diximus tribus modis sanguinem fluere in morbis: vel enim erumpit, vel paulatim, & per interualla fluit, vel stillat. In hoc ægrotante duobus primis modis facta est euacuatio, quia primo multùm fluxit, posteà, spatio viginti dierum perdurauit, sed leuior erat euacuatio. Tandem, cùm ventum esset ad diem sexagesimum, non destitit natura ab incœpto opere, etiamsi diuerso modo, vtiliter tamen, deponente natura materiam peccantem ad infernas partes, cuius depositionis non obscurum erat signum coxæ dolor: vbi enim dolor, ibi fluxio, & quoniam istæ depositiones non fiunt,

nisi

nisi cùm maximo naturæ conatu, ob id solent febres magis inualescere. Opus naturæ mirandum, quæ omni conatu tentauit se eximere ab humorum noxiorum molestia. Quanti sint æstimandæ istæ depositiones, iam *suprà* vidimus. Facilè sustinent partes hunc humorum delapsum, vti Galenus confirmat 3.*prorrhet.text*.22.dum scribit : *Dolores si ad infernas dilabuntur partes, facilè ab his perferuntur*, intelligentibus nobis de maximè longinquis, fitque hæc motio, vtplurimum cum ægrotantium commodo, quod visus est confirmasse Galenus *in lib*.4. *Coacarum text*.5. sic. *In longis febribus, vel tubercula, vel labores in articulis fiunt, & si fiunt, non inutile.* In hoc fuisse cum ægroti alleuatione ostendit euentus, etsi non potuerit sequi iudicium perfectum, deficientibus iis, quæ ad tale iudicium requiruntur, proptereà facta quidem est depositio in die critico, & procul à sede affecta, & detrusa est etiam materia ad partem, quæ totius materiæ poterat esse capax : at deerat præcipuum requisitum : scilicet coctio; credibile tamen est, fuisse aliquod euidens signum coctionis, etsi non perfectum. Hinc euenit, vt quando multa est materia, non æquè facilè possit munus suum explere, & aliquando videatur suo motu frustrari, vti modò apparet nòn obscurè, quando apparet, aliquando valentius natura operante, & materiam ad infernas partes detrudente, factam esse depositionem cum ægrotantis commodo, quia tunc alleuabatur febris ; verùm, si cessabat à motu, materia in venis existens feruentior reddebatur ; & inde maior ad partes supernas transmissio, vnde surditas increscebat. Quare hoc venit animaduertendum à nobis in praxi, vt naturæ motum attendatis, & quantum fieri potest, caueatis, ne humores impetum habeant ad principes partes. Potuit magis natura in expellendo, dum maiore conatu est aggressa euincere, & debellare morbificam causam, eandémque ad longinquas partes detrudere, qui motus, etsi non fuit perfectus, tamen alleuationem attulisse tandem, demonstrat octogesimus dies, in quo inquit, *cuncta sunt remissa.* Et quis vestrûm non existimasset vacillasse ad hunc vsque diem inter spem, & metum, cùm tam grauia sit passus symptomata, & tamen neque omninò etiam

[f] *Octogesimo die*] omninò sublata, cùm addat;

[g] *Nihil tamen substitisse.*] Id est, nullum accidentium integrè conquieuisse. Ex hoc coniicere possumus, non defuisse materiam crassam: nam morbi prorogantur, vel propter affectionem partis principis curatu difficilis, aut propter humores crassos, incoctósque, aut propter aliquod commissum : inquit Galenus 3.*prognost comment*.23. Subdit : *Si nec affecta fuerit pars, aut nulla alia causa, aut ægri committentis, aut curantium eum, aut propter exteriorem causam, v.g. tempus, terram, conditionem, domicilium prauum, conflictationem, solicitudinem, angorem : restat, vt humoribus crudis, ac concoctu difficilioribus prorogetur. Hos igitur assolet natura in partem quandam ignobiliorem expellere, quoties per excretionem pellere extra corpus non queat.* quod idem reperit *lib. de causis morborum cap.6.* Quod autem fuerit immunis à principis visceris læsione, non omnino negandum, si vomitum principio morbi factum attendamus : at negari

non poteſt, quin ſub dominio quodam fuerit humor craſſus: in longis enim morbis hunc deſiderari vix credibile. Maximam,& ingentem fuiſſe humorum copiam ex iteratis naturæ motibus coniiciatis licet. Primo enim tentauit criſim per hæmorrhagiam: ſecundo,per abſceſſum partium infernarum, neque hæ fuêre ſufficientes ad perfectum iudicium. Modò aliam tentauit per vrinas, quod indicat per verba illa,habuiſſe copioſiores vrinas, cum copioſioribus ſubſidentiis: nam denotat decubitum humorum ad vias vrinæ, & fuit in cauſa,vt non ſit firmatus abſceſſus in articulis, qui propter ipſorum amplitudinem facilè patiuntur abſceſſus, & facilè recipiunt fluentes humores ex Galeno 2. *prognoſt. text.*67. cuius occaſione fit, vt in partibus illis propter aptitudinem, quam habent ad recipiendum humorem, ita firmetur etiam vt ægrotantes facilè claudicent,veluti denotatur à Galeno 4.*Aphor.comment.*31. & magis confirmatur *in loco nuper citato prognoſt.*Hic autem cur nihil horum paſſus? quia natura detruſit materiam,quæ abſceſſum in iis partibus facere poterat,ad vias vrinæ,& eſt illud quod Galenus ſcribit *in loco ſuprà citato* 3.*prognoſt.* quando ait: *Porrò id ipſum, quod per coctionem medeatur, excretio quædam eſt,quæ ex vrina magna ex parte, raro per aluum efficiatur.* Euacuatio maximè conueniens, ſi credendum Hippocrati dicenti 4. *Aphoriſm. text.*74. *Quibus ſperatur abſceſſum futurum ad articulos,liberat ab abſceſſu vrina multa,craſſa,& alba facta,qualis in laſſitudinariis,febribus quarto die fieri incipit quibuſdam. Si verò etiam ex naribus fluxerit ſanguis,breui admodum ſolutio fit.* Addit Galenus. *Dictum eſt à me etiam prius, quòd abſceſſus fuerit ad articulos iis,qui in his laborem paſſi ſunt,& quibus quouis modo in morbis articuli laſſi ſunt, & præterea in quibuſcunque craſſorum humorum multitudo longo tempore perdurauerit.* Si itaque natura valuerit per vrinam expurgare corpus, æger ab abſceſſu liberatur, humorem ad articulos decubiturum per veſicam euacuans. Requirit autem hæc euacuatio multos dies,& propterea non eſt mirum,ſi nondum liberatum videmus, ſed quidem ſubleuatum ab accidentibus, & ratio erat,quòd tanta erat efferueſcentia,vt nihilominus tenuioris materiæ portio ad caput eleuaretur, cùm adhuc deliraret aliquantulum, quod indicat per particulam illam,

[k] *Deliria ſunt imminuta.*] Nam,eſt quidem ſublatus humorum aſcendentium fomes, ſed non omninò, vt delirium omninò potuerit auferri. Sed, neque his euacuationibus contenta natura,aliam denuò tentauit,& largiſſimam per aluum, quæ non tantùm ante centeſimum diem ſuperuenit, ſed etiam vſque centeſimum diem perdurauit. Quæ euacuabantur erant bilioſa multa, & diu durabant, id eſt, non tantùm euacuabat multa,ſed etiam hæc larga euacuatio per multos dies perſeuerabat,& quod maximum eſt in tam diuturno morbo, non potuit illa humorum mala qualitas demulceri,vt denotat dolor in excrementorum tranſitu affligens ita, vt dixerit Hippocrates poſt multum tempus fuiſſe euacuata dyſenterica cum dolore,quia tandem bilioſa excrementa in tranſitu vellicant partes per quas tranſeunt, ita vt ramenta excernantur, vt Galenus notat

lib.6.

lib.6.de loc.malè affectis.cap.2. Etenim protinus, inquit, *ipsius initio bilis mordax secernitur, quam deinde internorum abrasiones sequuntur, posteà paulum cruoris simul excerni videtur, quando videlicet affectus ipse dysenteria est.* Itaque non esset mirum fuisse excreta ramenta post tantam biliosorum humorum euacuationem. Verùm crederem ego Hippocratem ita esse loquutum, vt demonstraret non fuisse dysenteriam hepaticam, in qua nullus extat dolor, sed intestinalem, quæ dolorosa est; sed ob id addidisse dysenterica cum dolore, vt demonstraret tam feruidam fuisse materiam, quæ intestina vellicans, dolorosum inducebat affectum, vti multoties obseruauimus factum etiam in tertianis, in quibus aluo mota bilis excernebatur, quo tempore perinde erat occurrendum; ac si affectus fuisset dysentericus verè, neque mirum hæc fieri, cùm biliosi humores non possint suam acrimoniam deponere, quam habent naturalem, vti sæpè etiam vidimus factum in vrinarum emissione, quando scilicet fiunt abscessus per effluxionem, vt Hippocrates docet 2. *in* 1.*epid.text.*8. dum ait: *stranguriosa, non nephritica*, sed his alia pro aliis. *In cuius comment.* hæc sunt. *Et per sedem excretiones fiunt praua sæpius, cùm liber quidem ab affectu venter sit, per eum tamen purgetur totum corpus: at abscessus in illo fit ab effluxione aliqua: nam vult Hippocrates ipse decumbendo, & etiam effluendo fieri abscessum. Ita etiam per renes nonnunquam, & vesicam nullo illos laborantes suo affectu, repurgatum totum corpus.* Per vesicam expurgata est materia Pythioni. Fuit hæc euacuatio tam larga, vt potuerit tandem in tam diuturno, ac valido naturæ conflictu, qui sine dubio ambiguum reddidisset Medicum, totam materiam peccantem ita euincere, vt sensim à corpore deturbauerit omninò, & tam perfectè, vt integrum sit sequutum iudicium centesimo die, quod denotat per verbum illud, *absolutè.* Neque illud addidisse: *Febris ardens*, vult dicere ad hunc vsque diem fuisse febrem ardentem, & non immeritò existimat Galenus fuisse ab aliquo additam hanc particulam: nisi dicamus voluisse addere, non quia nobis veram significet ardentem, sed vt ostenderet, quàm fuerit semper flagrans hæc ægroti dispositio, cùm etiam vsque ad centesimum biliosa fuerint euacuata, & admodum mordacia. Casus memoria tenendus, & maximè obseruandus: nam, etsi ex euacuationibus videretur alleuari, quis affirmasset conualiturum, cùm præsertim aliquando crises interturbentur, aut quia natura in via deficiat, aut quia ægrotans in diuturno morbo delinquat, aut adstantes peccent: quoties enim Medicus frustratur sua spe, & sua opinione, his de causis, & ob id antequam iudicium feratur, maxima cautio adhibenda est, præsertim in morbo tam chronico, tam graui, cum lethalibus à principio signis, cum tot, & tam variis symptomatibus, & euacuationibus, quæ corpus opprimi à sarcina euidentissimè suadebant. Quomodo igitur conualuit? Respondet Galenus *in comment.* his verbis: *Vir hic memoratu dignus, qui morbum grauem, virium robore excepit, alioqui tanto morbo futurus impar.* Subdit. *Et omnino pulsibus eius inerat robur, simúlque & reliqua omnia secundùm naturam constabant: Iam etiam respiratio videtur, & appetitus laboranti fuisse inculpatus, quæ magni sunt,*

vt ille ait, *ad salutem ponderis.* Verba magni momenti, ex quibus elicit Galenus solutionis grauissimi morbi causam, etsi Hippocrates in textu nihil dicat. Verba hæc sunt attendenda, quia in morbis consideratur vitalis facultas, tanquam præcipuum salutis instrumentum. Propterea *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap.* 13. dicebat. *Pulsui vehementi cum æquabilitate tanquàm virium robustarum signo fides habenda est, ex abundanti autem magno.* Est autem Galeno pulsus vehemens, qui tactum subuertit, id est, qui valde, & cum renisu pulsat, vt ipse ait *lib.* 3. *de diffic. pulsuum, cap.* 5. cuius causam efficientem, constituit facultatis robur. Itaque facultatis vitalis cura habenda est in omnibus morbis: hæc enim in morbis omnibus ducit familiam; & hac de causa idem Galenus dicebat. *Maxima quidem in omnibus febricitantibus signa in pulsibus, & vrinis consistunt.* Sed & respiratio potest plurimum ad salutem, ad quod respiciens Hippocrates 1 *progn. text.* 26. sic scribebat: *Spirationis facilitatem existimare oportet, per quam magnam vim habere ad salutem in omni morbo acuto, qui cum febre infestat, & quadragesimo die iudicetur.* Præterea erat appetitus inculpatus, quod est optimum, ita docente Hippocrate. *In quouis morbo, bene se habere ad oblata bonum, contrarium verò malum:* Indicat hoc facultatem naturalem, qua cibos appetimus, benè valere; verùm hoc signum non simpliciter bonum censetur, sed aliis bonis concurrentibus. Hæc igitur sunt, quæ maximum habere momentum ad salutem vult Galenus, & his existentibus impossibile est, quin adsit virium robur. Cur igitur in tam graui morbo conualuerit, constat satis. Modò veniamus ad curationem.

Curatio.

CHronici morbi maiorem exposcunt diligentiam, quàm breues, quia non rarò interturbantur curationes, ob errata, quæ in iis solent committi; præsertim, cùm natura varias sæpissimè faciat mutationes. Quare, qui ægrotum tam grauiter affectum vidisset cum accidentibus ab Hippocrate recensitis, statim sine dubio refrigerante victus ratione instituta, eadémque immutata pro morbi longitudine, decreuisset sanguinem mittere: ita enim demulceri potuisset sitis illa infesta: extracto tamen ex brachio dextro ex vena interna quam euacuationem iterare erat pernecessarium, præsertim cùm virtutem haberet validissimam, quæ etiam largissimam sustinuisset euacuationem. Neque mihi fecisset negotium vomitus ille biliosus, pendens ab æstuante hepatis dispositione, ad ventriculum bile regurgitante: ita enim deferuescente incendio, prouisum esset, quantum per artem Medicam licet. Quòd si vomitus fuisset adeò infestus, vt eo tempore non daretur locus medicamentis per os assumptis, tunc poterat iniici clyster ad euacuandum, & reuellendum materiam à ventriculo, & etiam potuisset Medicus vomitum adiuuare in diminuta naturæ euacuatione cum lenioribus, veluti aqua hordei tepida cum oxymelite, recipiendo aquæ ℔. cum ℥. ij. oxymelitis, paulò plùs, aut minùs pro ægroti

captu.

captu. Quo quiescente exhibuissem soluens medicamentum, sed blandum, quo in dies vtimur sine ægrotantium detrimento, vt ex syrupo rosaceo ad ℥. ij. cum ℥. j. diacat. dissolutis cum aqua boraginis, & pulu. sem. citri ad ℈. ß. Nec mihi fuisset suspectum medicamentum ex manna paratum, modò fieret decoctum cum foliis absinthij, quidquid alij dicant, vel cum sem. anis. coriandrorum, aut citri, & æstiuo tempore, cum portione pulpæ tamarindorum, veluti ad ʒ. ij. aut cum sero lactis secundùm artem facto. Posteà erat insistendum medicamentis deobstruentibus citra calorem, omniáque cichoreacea in hunc vsum veniebant, cum syrup. acetoso simplici, de succo acetosæ, lupulorum, de limonibus. Neque in his casibus suspecti sunt syrupi, quia sua dulcedine vertuntur in bilem, quia sæpissimè habebitis languentes, qui his magis delectantur, alij magis succis depuratis, alij decoctis, alij stillatitiis medicatis, quorum gustui fas est gratificari. Alexipharmaca vtilia. Reuulsiones, non sine euidenti ægrotantis detrimento fuissent prætermissæ, & iis singulo mane, & vespere erat insistendum, præsertim cùm vrinæ à principio euidentem capitis læsionem minarentur, & multo magis die decimoquarto, aucta eo die capitis læsione. Post quem diem iterassem medicamentum non validum, sed fuissem contentus ℥. j. lenitiui dicti ad leniendam aluum, & addidissem oxymelitis portionem in syrupo. Transacta vigesima si per delirium licuisset, iterassem leniens ex manna, ad ℥. iij. dissoluta cum aqua rutæ caprariæ & pulu. sem. citri, ad hoc vt reuelleretur materia ad caput captum habens, quo peracto non essem veritus iteratò sanguinem extrahere, si non ex alia parte, saltem ex venis sedis. Quòd si delirium fuisset contumax cum oxyrrhodinis, tum vesicantibus vsus essem partibus inferioribus. Sunt qui suspecta habeant, quia cantharis exulceret vesicam intus assumpta; itáque verentur, ne qua pollet proprietate, eadem afficiat vesicam exteriùs admotum medicamentum. Ego testari possum, me millies vsum esse hoc medicamento exteriùs, neque obseruasse hanc, quam aliqui somniant, noxam. Quadragesima, cùm sanguis è naribus erumperet, nihil reliqui erat, nisi vt Medicus esset spectator, & inspiceret naturæ motum, quorsum euaderet. Natura benè operante, aliud non erat moliendum, cùm videret esse factam euacuationem cum morbi alleuatione, sed solùm alterantibus vti, & tertio quoque die, aluo minùs mota, clysterem iniicere, sicque procedendum erat, aut infusionibus in syrupo factis ex rhabar. opt. per interualla exhiberi, etsi necessitas vrgeret, repetendo medicamentum dictum, aut parum dissimile. Cùm ad sexagesimum esset ventum, & sanguis esset iam interceptus; verùm ad partes infernas inclinaret natura, erat motus ille adiuuandus, sed blandioribus remediis, vt frictionibus leuioribus, manibus oleo liliaceo, vel chamemælino inunctis; & ita ducere, quò natura vergebat: sed quia nihilominus perseuerabant accidentia, aliàs aliter aucta, operæpretium erat animaduertere, an expediret iteratò euacuare; & sic sensim alterare, & sensim euacuare, quam euacuationem per epicrasim factam curat Galenus *lib.9. cap.10.* nam in morbis longis indigemus euacuatione; verùm virtus aliquando repugnat,

gnat, si non præsens, saltem futura, ob hoc oportet vtrunque respicere: & vtriusque curam habere. Verba Galeni. *Si igitur, cum viribus imbecillis corruptela incidit, vtique quod affectus remedium est, id cum virtutis custodia pugnat. Siquidem affectus vacuandum esse præcipit, idque vel vena incisa, vel purgatione. Harum autem neutram ferrent imbecillæ vires. Quoniam igitur in omnibus eiusmodi repugnantijs incerta succurrendi ratio est, aliàs insanabilis omninò affectus relinquetur, aliàs spatio, & ægrè, idque si magnum nactus sit Medicum, sanari poterit. Oportet namque, vbi indicationes ita sibi aduersantur, & paulatim quod est vitiosum vacuare, & paulatim inuicem quod salubre est pro eo reponere.* Subdit. *Vocant Medici eiusmodi vitiosi succi curationem*, Græcè, ἐπίκρασιν. Cùm verò materia ad vias vrinæ deriuaretur, vt ex copiosioribus subsidentiis demonstrabatur, erat iis insistendum, quæ manu tenerent naturæ motum, sed iis, quæ citra euidentem calorem opus hoc perficere possent, & ita progredi pro humorum inclinatione; sed inprimis virtutis non obliti, quæ totis viribus erat seruanda; etsi robur adesset, exhibitis contuso carnis, aqua carnis, ouis sorbilibus, stillatitiis, & iis, quibus passim Medici vti consueuêre. Tandem cùm centesimum attingeret diem, & aluus esset turbata multis biliosis, & mordacibus, nihil aliud poterat Medicus cogitare pro ægrotantis salute, videns adesse copiam adhuc cum virtutis robore, quàm refrigerare interius, & exterius. Interius, exhibito sero lactis cum portione syrupi ros. solut. ita enim peccantem materiam euacuasset, & per consequens refrigerasset: Exteriùs, clysteribus ex lacte, aqua hordei, ptissana, iure, cum saccaro rubeo, & vitellis ouorum. Neque aliud erat agendum, quàm attemperando curationem perficere, cùm natura ipsa perfectè euicerit morbum, & integrè iudicauerit. Hinc videant illi, qui, cùm morbus transcendit decimamquartam, conqueruntur de morbi diuturnitate, & aut accusant Medicum, aut stipendium diminuunt, quod frequentissimè contingit, aut tandem expectant vsque ad finem morbi, quo finito, omninò obliuiscuntur ipsi quantum curanti Medico debeant. Hoc scitote iuuenes in his, aut similibus morbis cautè agendum in victus ratione, ante oculos habentes Hippocratis dictum *in Aphorism. text.* 7. quod sic habet. *sect.* 2. *Quæ longo tempore extenuantur corpora lentè reficere oportet: quæ verò breui, breuiter.* Huius rei reddens rationem Galenus *in comment.* ait. *Quæ enim pauco tempore extenuata sunt corpora, ob humorum, & spirituum euacuationem, non ex solidorum colliquatione id perpessa sunt; qui verò longo tempore extenuati sunt, iis carnes liquescunt, graciles etiam redduntur aliæ partes, per quas coctio in animalibus, & distributio, & sanguificatio, & nutritio perficitur. Quare tantum non poterit concoqui alimentum, quanto indiget corpus. Quam ob causam talia corpora, longiori tempore reficere oportet, atque tenuiter, quod lentè nominauit. In quibus autem soli humores, & spiritus sunt euacuati, in iis celeriter, ac plenius contingit reficere, cùm fiduciam nobis præstet solidarum partium robur.* Hæc Galenus. Quibus nos docet, quomodo in morbis longis sit procedendum. Quod & vos obseruare debetis, & etiam memoria tenere hanc

Historiam,

Historiam, quæ ob oculos ponit casum non vulgarem, & ægrotum, qui per crisim integrè est iudicatus à morbo, cui per Galeni dicta conuenisset magis per abscessum solutio. At hæc satis.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΔΕΧΑΤΟΣ.



Ν Ἀβδήροις Νικόδημον ἐξ ἀφροδισίων καὶ ποτῶν, πῦρ ἔλαβεν. ἀρχόμενος δὲ ἦν ἀσώδης. καὶ καρδιαλγικός. διψώδης. γλῶσσα ἐπεκαύθη. οὖρα λεπτὰ, μέλανα. β', ὁ πυρετὸς παρωξύνθη. φρικώδης. ἀσώδης. οὐδὲν ἐκοιμήθη. ἤμεσε χολώδεα ξανθά. οὖρα ὅμοια. νύκτα δι' ἡσυχίης. ὕπνωσε. γ', ὑφῆκε πάντα, ῥαστώνη δὲ ἦν. περὶ ἡλίου δυσμὰς, πάλιν ὑπεδυσφόρει. νύκτα ἐπιπόνως. τετάρτῃ ῥῖγος, πυρετὸς πολύς. πόνοι πάντων, οὖρα λεπτά. ἐναιώρημα. παρέκρουσε πολλά. ζ', ῥαστώνη. η', τὰ ἄλλα ξυνέδωκε πάντα. ι', καὶ τὰς ἑπομένας, ἐνῆσαν μὲν οἱ πόνοι. ἧσσον δὲ πάντες. οἱ δὲ παροξυσμοὶ καὶ οἱ πόνοι τουτέῳ διὰ τέλεος ἐν ἀρτίῃσιν ἦσαν μᾶλλον. εἰκοστῇ οὔρησε λευκὸν, πάχος εἶχε, κείμενον οὐ καθίστατο. ἵδρωσε πολλά. ἔδοξεν ἄπυρος γενέσθαι. δείλης δὲ πάλιν ἐθερμάνθη. καὶ οἱ αὐτοὶ πόνοι. φρίκη. δίψα. σμικρὰ παρέκρουσε. κδ', οὔρησε πολὺ, λευκὸν,

ÆGROTVS X.



BDERÆ *Nicodemum ex venere, & potu corripuit ignis. Initio, erat fastidiosus, &* [a] *cor ei dolebat,* [b] *erat siticulosus: lingua exusta: vrinæ tenues, nigræ.* [c] *Postridie febris accesit, horrebat, fastidiosus erat, non dormiuit, vomuit† biliosa flaua: vrinæ similes. Noctem quietam duxit, dormiuit. Tertio die sunt cuncta relaxata, & remißio fuit: sub Solis occasum rursus grauius habuit. Nox laboriosa fuit. Quarto, rigor, febris multa, omnia dolebant: vrinæ tenues cum suspensionibus.* [d] *Sexto, multum delirauit. Septimus dies leuis fuit. Octauo, alia fuerunt omnia remissa. Decimo, proximísque diebus tenuerunt illum quidem dolores, cæterùm omnes illi leuiores. Huic accessiones, & dolores præcipuè diebus paribus semper incesserunt. Vigesimo, albam vrinam reddidit, quæ crassa erat, sed* [e] *reposita, non residebat: multum sudauit, visus febre liber esse. Vespere rediјt calor, iјdémque dolores, horror, sitis, aliquantulum delirauit. Vigesimoquarto, multam vrinam, & albam reddidit, in*

πολλὴ ὑπόστασιν εἶχον. ἵδρωσε πολλῷ θερμῷ δι' ὅλου. ἄπυρος ἐκρίθη.

qua multa subsidebant: sudor ei toto corpore copiosus, calidus emanauit, sine febre iudicatus est.

COMMENTARIVS.

MVLTA sequi corpori detrimenta ex praua victus ratione iam ex antedictis constat satis. Quomodo afficiantur corpora, & contabescant sæpe ex veneris vsu, pręsertim immoderato, quotidiana testatur experientia, cùm habeamus nostris temporibus iuuenes, qui, cùm vix pubescere incipiant, huic rei non mediocriter indulgent; quo fit, vt non animaduertentes, quibus dent, ex breui voluptate, longiùs doleant, cùm morbum Gallicum incurrant ex immodico concubitu, vti notat Schenchius *in suis obseruationibus.* Hoc, dum expendit doctiss. Vallesius, inquit, *Vix est vllum morbi genus, quod non possit venus nimia facere: nam malignas succorum putrescentias facit, & omnium partium principum debilitatem, & neruos emollit, & fluxiones commouet, & cruditatibus replet. Vtuntur verò nimio vino, qui & nimia venere, & eam etiam ob causam multò plus ea mala incurrunt. Vt verò vtantur euenit, quia ij maximè sunt veneri dediti, qui & Baccho, sed & qui veneri indulgent, sentientes sese debilitari, vinum, vt debilitatis remedium appetunt, euenitque illis, multò lædi magis, quia vinum ipsum caput & neruos tentat, & fluxiones commouet, & incoctum cruditates auget, si tamen coqui potest, calefacit, febrésque excitat: fitque vt venere calorem naturalem minuente, & vino præter naturalem augente, febres fiant malignæ.* Hactenus Vallesius. Quæ verba volui referre, quia digna sunt, quæ attendantur. Febres ex nimio veneris vsu accendi etiam testatur Auicenna *lib.* 3. *Fen* 20. *tract.* 1. *cap.* 11. inquiens: *Et quandoque accidunt ei febres acutæ adurentes.* Testari possum vidisse me multos, qui citissimè ex immoderato coitu obierunt. Eundem euentum habuit quidã elapsis diebus, qui cùm huic rei nimis liberaliter indulsisset, ipso referente, derepente malignè ægrotauit, vt non tetigerit septimam. Cùm igitur res ita habeat, non sine causa febre correptus est hic ægrotans. Neque per febrem, leuem febrem intelligite, quia sequentia accidentia demonstrant fuisse vehementem: at talis est Hippocratis mos, vt vehementem febrem aliquando, appellet febrem sine addito. Affirmat hoc Galenus 4. *Aphor. comm.* 13. Habet Hippocrates sic: *Si à febre habito collum peruertitur, & vix potest deuorare, sine vllo tumore, lethale est* Galenus *in comment.* dicit intelligi de vehementi febre, his verbis: *Verùm si propter excedentem siccitatem id accidat, & collum euerti, & vix posse deuorare, lethalis est casus, & præcipuè cùm vehemens est febris: vt verba illa (Si a febre habito.) Præterea febres non in omnibus æqualiter accenduntur:*

nam

nam aliqua à principio videntur manui mites, posteà sensim increscunt, quod Hippocrates annotat 1.*in 6.epidem.text.29.* dum ait: *Febrium quidem aliæ mordaces sunt manui, aliæ mites: aliæ non mordaces quidem, sed posteà insurgentes: quod inde euenit propter subiectam materiam.* Quòd posteà ex nimio vini potu febres accendantur, clarius est quàm vt maiore indigeat probatione.

[a] *Cor dolebat.*] Meritò si cor dolebat, erat fastidiosus; nam nullum accidens est magis infestum, quàm illud, quod insequitur oris ventriculi affectionem, quæ eo magis molesta solet esset, quò pars exquisitiore sensu est prædita, vti sæpiùs dictum est. Symptoma admodum familiare iis, qui propter ingluuiem cruditates generant: est enim multorum consuetum post largas euacuationes, largiùs etiam nutriri, nescientes ventriculi actionem labefactatam; & præsertim ob nimiam venerem, quo tempore si quæ alia pars, ventriculus læditur non modicè, Galeno teste 1.*in* 3.*epidem. comment.*4. dum scribit: *Quamquam venus, vt vacuatione plenum fieri non permittat corpus, tribuamus sanè hoc illis, stomachum certè labefactat non mediocriter, cùm eum veneris abstinentia, etsi corpus impleat, confirmet, vt quod maximè.* Nescientes dico, minùs concoquere tunc post largas euacuationes, cuius occasione prouentus cruditatum fieri solet.

[b] *Erat siticulosus.*] Hoc denotat febrem à principio fuisse ex vehementioribus, cùm statim à principio inuadente febre sitiret, sed multò magis id confirmabat linguæ ariditas, cùm fieri accidentia vehementissima, statim morbo incipiente, eiusdem vehementiam detegat, dum circa principia soleant esse omnia mitiora. Quòd si in principio euidentia interni incendij apparebant signa, quid erat futurum morbo aucto. Et hoc notate vos cùm Medicinam facietis. Hæc pariter manifestabant peccantem causam, bilem scilicet, vti etiam apertiùs constabit ex sequentibus. Quòd autem vrinas habuerit tenues, non quid nouum in morbi principio, quo tempore omnia sunt cruda: fuisse autem nigras pessimum erat, si de verè nigris intelligit, quando hæ sunt exitiales admodum: verùm tam citò vix credibile esset, potuisse ægrotantem sustinere morbum vsque ad vigesimumquartum, & posteà restitui omninò. Ergo non ex vi morbi tales fuisse verisimilius est, sed ex depositione seri sanguinis propter emulgentium dilatationem à vehementiori calore factam.

[c] *Postridie febris accessit.*] Morbi acuti, vtplurimum mouentur per impares, rarò autem diebus paribus, ita in hac constitutione, & *in lib. qui inscribitur, Breuis denotatio dogmatum Hippocratis, in vltimis verbis.* Cur autem fiat, vt aliquando morbi per pares moueantur, docet Galenus 3.*in 1.epid.comment.*13. quo in loco ait, *aliquando naturam irritari ad excretionem, & quemadmodum irritatur, ita cogitur peruertere ordinem.* Id longè clariùs habetur ex Galeno *lib.2.de diebus decret.cap.2.* Ibi inquit, naturam semper suos seruare ordines, & in his suas tentare motiones: peruerti autem hanc inordinatam periodum, quia irritetur. Verba Galeni sunt: *Expedit autem Medicum, qui Hippocratis arte dignus futurus est, si quid aliud, hoc certè persuasum habeat, experientiam iudicare, naturam*

rem quandam esse ordinatam, & cùm materiam superauerit, proportionibus quibusdam definitis, & periodis ordinatis motiones ipsius fieri. Subdit: *At, quæ præter rationem incidunt aliquando, ordinémque confundunt, tunc ipsi obueniunt, cùm non planè materiam vicerit, sed impeditur ab ea, prohibetúrque suis proportionibus moueri.* Hoc idem confirmatur *lib.3. de diebus decret. cap.*8. quo in loco videtur tribuere multùm Lunæ in his mutationibus. Cùm res ita se habeat, quando Hippocrates scribit, *Postridie febris accessit*, vult dicere febrem habuisse accessionem diebus paribus. Hoc tempore commota materia fiunt horrores quidam, & præcipuè, si materia habeat aliquam adiunctam malitiam, quæ os ventriculi infestet, cuius causa etiam rigent ægrotantes propter partis neruosæ exquisitissimum sensum, quod accidens aliquando reputatur inter signa futuri vomitus, præsertim biliosi, vti Galenus statuit *in lib. prognost.* & qua ratione tunc horrent, rigent; aut, vt alij tenebricosam vertiginem patiuntur, eadem ratione non dormiunt, quia id sua natura fert bilis, & fastidium patiuntur, vellicante os ventris bile. Quòd essent hæc antesignana vomitus euentus demonstrat, cùm haud multò pòst euomuerit biliosa flaua, postquam nihilominus vrinæ non sunt immutatæ, sed erant similes. At quid mirum? neque enim tam citò potest contracta in renibus intemperies sedari. Non scribit hîc an substantia, an sedimento, an vtroque esset nigra, quia plurimùm refert hoc scire ad præsagium ferendum, vti aliàs vidimus, ob id puto, quia non erant tales ex vi morbi, sed ob causam dictam. An modò dentur vrinæ nigræ, & tenues simul, demonstrauimus in Historia vxoris Epicratis cum Galeno *in lib. de vrinis cap.*10. Noctem posteà duxisse quietam, & dormiuisse, non quia esset sublata vigiliarum causa, sed quia erat nox præcedens diem imparem, qui in hoc ægrotante erat placidior: probant hoc sequentia, cùm die tertio cuncta sint relaxata. Perdurauit hæc quies vsque ad tempus vespertinum, qua hora cœperunt molestare consueta symptomata; & sic noctem transegit molestam: nox enim grauis ante accessionem, quam rigor diei quarti manifestat, cui semper euidens alteratio solet sequi in febribus, hinc maior febris; neque mirum, cùm si debebat properare ad augmentum, necessariò deberent omnia ingrauescere, & quoniam in febribus corpus vniuersum concutitur, sed præcipuè musculi, ita, inquit, omnia dolebant, quæ solent præcipuè pati in febre, hinc euenit, vt in validissimis febribus vix moueri possint ægrotantes: vel dicamus, omnia doluisse ex iis partibus, quæ solent non difficilè pati, vt os ventriculi: caput, quod verisimile est anteà doluisse, tum ex vi febris, tum etiam, quia haud multò pòst delirium erat superuenturum, quod minabantur vrinarum suspensiones, vti aliàs dictum est: addamus & renes, non tantùm propter causam externam, sed etiam propter vim febris, vt in dies videmus.

d *Sexto, multùm delirauit*] Id prædixisset Medicus videns repentinas vrinarum suspensiones; etsi non sit necessarium, vti superiùs vidimus. Mirum si tyrannicus ille dies aliquid attulisset vtilitatis: prætermisit quintum tanquam quietiorem, vt imparem, veluti septimum etiam fuisse ait.

Quòd

Quòd octauo omnia fuerint mitiora, referamus id in depositionem humorum, quæ incipiebat fieri ad partes ignobiles, vt quarto die demonstrabat, quo omnia dolebant, perseuerabat natura in opere, verùm non ita perfectè, vt alleuatio esset euidens, quoniam in materia cruda requiritur virtus valida, & maior ipsius vis, quo tempore etiam solent accidentia ingrauescere, quod quotidie in praxi obseruatur. Diebus elapsis curauimus matronam huius ciuitatis, quæ cùm acutissimè febriret, derepente est facta veluti immobilis, toto corpore eadem dolente, cum capitis euidenti affectione à principio, & tamen quò minùs mouebatur, id est, quò magis dolebat corpus, minùs à febre diuexabatur, ídque factum est vrina cruda existente, híncque apparet non obscurè abscessus partium infernarum fieri cum ægrotantis commodo. Ad hoc credendum de præsenti ægrotante moueor, quoniam constat euidentissimè, partibus istis dolentibus, meliorem factam fuisse ægrotantis dispositionem: demonstrat euentus, cùm post hanc depositionem humorum, omnia meliùs habuerint, & perdurauit hæc alleuatio, quia etiam decimo die, & aliis sequentibus diebus, non æquè grauiter fuit afflictus: nam dolores infestabant quidem; verùm leuiùs, & id prouenire poterat, quia materia ad musculos transmissa maiore ex parte resolueretur, perseuerabant nihilominus dolores, quia continua erat ad eam partem fluxio. Et hinc videte, quantum possit humorum depositio ad ignobiles partes, quæ facit, vt ægrotans, etiam crudo morbo alleuetur euidenter, & hoc satis est, etsi non integrè iudicet, cùm natura imposterum quod reliquum est commodiùs euincat, aut diminuta materia crassiore, nouam sibi adinuenit viam, qua integram morbi solutionem afferat, vt modò apparet, dum referens, quæ vigesima euenêre, dicit albam vrinam reddidisse. De vrina alba sermonem habens Galenus *lib. de vrinis cap. 5.* scribit, *Multa hanc vrinam significare, si præter id, quòd sit alba, sit etiam tenuis: nam hæc minimè cocta est, & propterea, aut denotat imbecillitatem virtutis, quod contingit in senibus, & etiam in morbis chronicis, in quibus vtplurimùm hæ vrinæ apparent, veluti etiam in aliquibus, qui natura sunt imbecilli.* Aliquando insequuntur renum obstructionem, vt in nephriticis, de quibus loquens Galenus *in lib. de locis malè affectis*, dicebat *vrinas esse à principio, veluti serum lactis.* Aliquando demonstrant esse hepatis obstructionem. Sæpè maximum portundunt malum; quia, si ita cernantur in febre ardente, capitis affectionem minantur, vti in superioribus dictum est. Etsi iam ipsis delirantibus tales appareant, mortem prænuntiant, cùm natura tantoperè afflicta non possit tempus coctionis expectare. Si igitur vrina, quam emisit hic ægrotans talis fuisset ex causa proximè dicta maximum extitisset malum; præsertim, cùm vigesima apparuerit; at quia fuit crassa, ob hoc aliquo modo coctionem significabat, etsi non perfectam, quod indicat per illam particulam.

[c] *Reposita non residebat*] & fortasse fuit vrina satis copiosa, qua potuerint humores deriuari dolores facientes. At tanta erat humorum quantitas, vt nondum potuerit integrum iudicium facere, nisi noua tentata via

per cutim, quando scribit sudasse multum. Natura nullam prætermittit actionem, qua possit se à molestia eximere, & satis est, quando euacuationes aliqua ex parte iuuant; deterrimæ, quæ, cùm largæ sunt, nullo modo iuuant, vt sunt illæ cuiusdam iuuenis, quem modò præ manibus habeo. Hic largam habuit per aluum euacuationem: multas vrinas emittit; sudat, & tamen nullæ istarum diminuunt febrem, sed in dies magis inualescit cum linguæ ariditate perseuerante, & iam agitur vigesimusoctauus dies. Huic non potest nisi malum fieri præsagium, & moriturum breui. Aliter res euenit huic ægrotanti, qui si non integrè est liberatus, saltem iutus est non parum, cùm febris ab istis euacuationibus ita fuerit diminuta, vt videretur à febre liber. Benè dicit, visus est, quia in cruda materia sedantur, & diminuuntur morbi, non integrè iudicantur. Euacuationes dictæ solent corpus commodè purgare, inquit Galenus *lib.* 10. *de simpl. med. facult. cap.* 19. verùm hoc non æquè facilè fit, nisi materia cocta, & propterea in sedatione febris, cruda existente materia, nouam expectantes febris succensionem, non errabitis; nisi denuò sequatur euacuatio aliqua insignis, quæ fidum faciat iudicium. Probat hic casus, dum videmus parum perdurasse illam alleuationem, vesperi noua succensa febre cum omnibus iam recensitis accidentibus: Hæc timorem incutere non debebant, iam visis signis manifestæ coctionis; verùm ostendit nobis hoc, cauendum esse à mutatione victus, dum videmus ægrotantes meliùs habere, quia paruus error interturbat naturæ motum, quæ cùm valida est, omnes suos adhibet conatus, vt ægrotantem vindicet à molestia. Recidiuæ sunt similes prioribus morbis, & ob id repetita febre omnia accidentia priora rediêre, & perseuerauit illa naturæ pugna vsque ad diem vigesimumquartum, quo die duas euacuationes est molita: per vrinam vnam, per sudorem alteram, ambæ conuenientes, sed per sudorem vtilior, vti celerius iudicans, & in die pari, quia accessiones habebat per pares, est hic dies decretorius eorum morborum, qui paribus mouentur, Galeno dicente *lib.2.de diebus decret.cap.6.* Fuit sudor iudicans robur virtutis, cùm esset multus, & calidus, & omninò iudicans, cùm toto corpore emanauerit, & ob hoc etiam sine febre est iudicatus, id est integrè, & sine recidiua. Neque miror iudicatum fuisse per sudorem, quia iam præcesserant aliæ euacuationes per vomitum, per vias vrinæ, vt inde maiore parte dempta & medicamentis etiam, vti credibile est, tandem reliquiis attenuatis, non incommodè potuerunt demandari ad cutim, & per sudorem iudicari; præsertim, cùm ad partes infimas maior crassioris materiæ pars detruderetur, vti dolores ostendebant. Quid igitur mirandum si potius per sudorem, quàm per aliam euacuationem est solutus morbus: si enim Anaxion trigesimaquarta per sudorem integrum habuit iudicium, quanto magis vigesimaquarta idem poterat euenire in pari virtutis robore; neque propterea referendum est hoc in multam potionem, quæ poterat anteà per vrinas excerni, sed in robur virtutis viam sibi per eam partem tentantis humorum peccantium: si enim propter nimiam potionem id fuisset, extitisset inutilis euacuatio, non decretoria. Ergo dicendum est fuisse humores

mores peccantes, qui per hanc viam ſunt euacuati, à qua ſolutio morbi integra eſt facta, vt ex textu elicimus.

Curatio.

ETſi videamus hunc ægrotantem integrè fuiſſe iudicatum, ex quo poſſumus elicere robuſtas habuiſſe vires, tamen à principio quiuis dubius de ipſius ſalute extitiſſet, accidentia perpendens, & propterea, & ſi morbus vt talis proportionata requirebat præſidia; tamen res non poterat determinari, niſi à Medico curante, pulſum eo tempore tangente. Verùm cùm huiuſmodi caſus eueniunt, cautè ſine dubio agendum: labefactatur enim virtus ex immodica, & immoderata venere, cuius occaſione dicebat Hippocrates. *Omnia mediocria.* Itaque, cùm appareret ex faſtidio, congeriem prauorum humorum in ventriculo extitiſſe, crediderim ego, cum ipſius maximo iuuamento potuiſſe Medicum exhibere aliquod leue euacuans: ita enim fortaſſe præueniſſet vomitioni ſequenti die factæ, idque ex ℥. *iij.* mannæ diſſolutæ cum fructibus, & floribus cordialibus, & pulu. ſem. citri, aut cum decoctione tamarindorum, vel exhibendo caſiam ad ℥. *j.* aut etiam diacat. optimè reformatum per horas duas ante cibum. Hoc peracto ſtatim erat firmandus ventriculus, qui, vt inquit Galenus 6. *de ſanitate tuenda cap.* 14. reſoluitur non parum in veneris vſu. Ad hoc præſtandum expediebat fouere aut abſinthio pontico cum oleo abſinthij, aut menthæ, & ſimilibus. Hoc peracto ego non fuiſſem veritus deuenire ad venæ ſectionem. Primum, quia non dicit vſum fuiſſe immodicè venere, quia ſe explicat Hippocrates, vt *infrà* apparebit: itaque potuit ea eſſe diſpoſitio corporis, qua in leui cauſa validam ſit expertus offenſam. Præterea, neque credendum eſt ad id eſſe redactum, vt morbo grauiſſimo exiſtente eſſet ſuperſedendum à tali remedio, poſtquam grauiter affectus, conualuit omnino. Quare ego ſanguinem extrahi iuſſiſſem, & quemadmodum hæc euacuatio eſt in manu Medici, non eſſem veritus iteratò mittere, parcè ſemper, vt poſſet eſſe locus nouis euacuationibus per ſanguinem, virtute attenta. Expediebat poſteà inſiſtere refrigerantibus ſyrupis, & maleficæ qualitati obſiſtentibus, non prætermiſſis alexipharmacis. Tranſacta decimaquarta, erat perneceſſarium aliquid exhibere quod materiam minueret; in quem vſum fuiſſet ſyrupus roſaceus ad ℥. *iij.* vel paulò plùs, cum ℥. *j.* lenitiui. Hoc peracto erat neceſſarium decoctum præparare quod citra calorem duceret ad vias vrinæ: ſic enim eſſemus imitati motum naturæ ducentis ad eas partes, quia eadem curatione tentatus eſſet ſudor; & ſic eadem curatione duabus euacuationibus eſſet ſatisfactum cum ægrotantis commodo, & eò magis, quòd illæ euacuationes fiebant cum vtilitate. Inſiſtere reuulſionibus expediebat, oxyrrhodinis ad auertendam materiam à capite. Integrè ſoluto morbo ad reliquias tollendas erat veniendum, neque aliud præparaſſem ſoluens, quàm iam præſcriptum. Poſteà interiùs erat roborandus ventriculus internis, & externis. Illud, quod primò erat faciendum conſiſtit in victus ratione præſcribenda,

præscribenda, quæ debebat esse optimi succi, & facilis digestionis, ne aggrauaret ventriculum, qualia sunt oua sorbilia, stillatitia, succus carnis, & similia. Animaduertentes, vt saltem per decem dies optima vteretur victus ratione, ne imbecillitas ventriculi nouam congeriem humorum coaceruans, nouam generaret febrem, & longè deteriorem. Et hæc hactenus.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΕΝΔΕΚΑΤΟΣ.



Ν Θάσῳ γυνὴ δυσάνιος, ἐκ λύπης μετὰ προφάσιος ὀρθοστάδην ἐγένετο ἄγρυπνός τε καὶ ἄσιτος. καὶ διψώδης ἦν. καὶ ἀσώδης. ᾤκει δὲ πλησίον τῶν Πυλάδου, ἐπὶ τοῦ λείου. τῇ πρώτῃ ἀρχομένης νυκτὸς, φόβοι, λόγοι πολλοὶ, δυσθυμίη, πυρέτιον λεπτόν. πρωῒ, σπασμοὶ πολλοί. ὅτε δὲ διαλίποιεν οἱ σπασμοὶ οἱ πολλοὶ, παρέλεγεν. ἠσχρομύθει. πολλοὶ πόνοι, μεγάλοι, ξυνεχέες. δευτέρῃ διὰ τῶν αὐτῶν. οὐδὲν ἐκοιμᾶτο. πυρετὸς ὀξύτερος. τρίτῃ οἱ μὲν σπασμοὶ ἀπέλιπον. κῶμα δὲ καὶ καταφορὴ, καὶ πάλιν ἔγερσις. ἀνήϊσσε. κατέχειν οὐκ ἠδύνατο. παρέλεγε πολλά. πυρετὸς ὀξύς. ἐς νύκτα δὲ ταύτην ἵδρωσε, πολλῷ θερμῷ δι' ὅλου ἄπυρος. ὕπνωσε. πάντα κατενόει. ἐκρίθη. περὶ δὲ τὴν τρίτην ἡμέρην, οὖρα μέλανα, λεπτά. ἐναιώρημα δὲ ἐπὶ πολὺ στρογγύλον.

ÆGROTVS XI.



N Thaso mulier morosa insomnis est facta, & cibo abstinuit, cuius erat occasio mæror, [a] *nec tamen decubuit, erátque sitibunda, & fastidiosa. Habitabat hæc prope filios Pyladæ in campestribus. Primo die,* [b] *circa initium noctis, timores, verba multa, mæstitia,* [c] *leuis febricula:* [d] *mane, multæ conuulsiones: sicubi multæ illæ conuulsiones desinerent, delirabat, & loquebatur contumaciter: multos dolores, magnos, assiduósque habebat.* [e] *Altero die eadem permanserunt,* [f] *somnum non cepit,* [g] *febris magis acuta. Tertio, conuulsiones conquieuerunt,* [h] *sopor, & in somnum inclinatio, rursúsque vigiliæ excitauerunt eam, continere se non potuit, multùm delirauit, febris acuta: sub hanc noctem sudor multus toto corpore, & calidus prorupit, liberata febre dormiuit, planè mente constitit, iudicata est. Circa tertium diem vrinæ nigræ, & tenues. Suspensiones multùm erant*

rotundæ,

ὐχ ἵδρυτο. περὶ δὲ κρίσιν γυναικεῖα πολλὰ κατέβη.

rotundæ, non subsidebant. [i] *Sub iudicium menses copiosi sunt profusi.*

COMMENTARIVS.

SI res fuisset cum iis, qui facilè credunt mulieres sic affectas esse fascinatas, statim fuisset veniendum ad eos, qui huic rei incumbunt, quorum copia magna est. Verùm sinamus istos, & veniamus ad textum. Hippocrates nobis ob oculos ponit causam, propter quam mulier hæc esset insomnis, & alimentum non assumeret, quia dicit, cuius erat occasio mœror, quasi velit ab oculos ponere multa incommoda afferre mœstitiam. Diebus elapsis Religiosa quædam in vno ex cœnobiis istius ciuitatis incœpit absurda loqui, & mœsta esse; tandem in maniam incidit derepentè. Inuisit vnus ex his, qui de Moniacis incumbunt, & statim à spiritibus malignis infestatam, certò affirmabat: ego verò aliter sentiebam, ad causas antecedentes animum conuertens; neque frustratus sum mea opinione. Erat hæc religiosa boni habitus, & sanguinea, & solebat suis temporibus expurgari commodè, dum per ætatem licuit. Iam peruenerat ad annum circiter quinquagesimum, quo tempore, etiam in sanguineis solet cõsueta euacuatio naturaliter supprimi; verùm muneris sui non omninò oblita natura, statutis quibusdam temporibus aliquam molitur euacuationem, & præsertim instante consuetæ purgationis hora; Itaquæ aliquæ patiuntur hæmorrhagiam, aliæ hæmorrhoïdas, aliæ pustulas, erysipelata & id genus alia. Huic igitur natura transmittebat materiam ad caput, sed detrudebatur ad superficiem, & fiebat erysipelas non aspernendum, quo sedato meliùs posteà habebat, neque de aliquo amplius conquerebatur. Vt solet aliquando, non æquè bene disposito corpore, facta est consueta humorum noxiorum depositio ad caput, sed non ad extimas partes, intùs retento humore, in tam graue delirium decidit, vt hanc audiremus plus iusto loquentem, impudentem, cùm tamen nihil in ea anteà posset desiderari, quod faceret ad singularem modestiam. Curata est medicamentis opportunis, sanguine ex pede misso, posteà ex brachio, aliquibus assumptis internis medicamentis, quantum per ipsam licuit. Visa est meliùs habuisse; verùm perdurabat affectio. Tandem paucis interpositis diebus, caput valde vehementer intumuit; erysipelas consuetum erupit in capite, quo tandem resoluto, ita integrè conualuit, vt omnia etiam hoc tempore exerceat, quæ ad modestissimam Religiosam spectant. Adhuc viuit, neque amplius aliquid est passa, nisi leuem capitis dolorem, cui occurro secta ex pede vena. Quare sanata est, citra eorum auxilium, qui quoscunque morbos à causa occulta fieri asserunt, quibus etiam aliqui ex Medicis nostræ ciuitatis annuunt. Neque nego aliquando

do id cótingere,sed nego tam frequenter euenire,vt iste falsò supponunt. At quæ causa fuit tanti mali. Certè suppressio mensium,& perinde huic, de qua est sermo, contigit, quæ propter præcedentem mensium suppressionem in affectuum genus decidit,de quo loquitur Hippocrates;rémque ita fuisse ostendit sanatio,vt apparebit *infrà*. Hoc quidem euidenter constat, grauissimè fuisse afflictam, cum grauissimis symptomatibus, neque fortasse conualituram, nisi natura valida potuisset citò per sudorem partem materiæ demere, quæ euacuatio neque erat sufficiens, nisi conuenientior superuenisset per vterum. Quòd autem causa febris, & aliorum accidentium fuerit consueta euacuatio retenta, timor ille, mœstitia, & alia fidem faciunt: cùm enim sanguis ille vtplurimum sit melancholicus,retentus,necesse est recurrat ad aliquam partem,& in his casibus ferè semper hepar, & ventriculus primæ sunt partes, quæ molestiam persentiunt,hincque euenit,vt huiusmodi mulieres fiant morosæ, id est,fastidiosæ, inquietæ, etsi etiam natura sua tales sint, vtplurimum: est verbum Græcum,quod significat stultum,dementem, qui omninò mente est alienatus,quod legitur apud Galenum *lib.3.prorrhet.comment.60.* his verbis. *Quæ* μώρωσιν, *id est fatuitatem menti inducunt.* Fit igitur, vt quæ mœrore quasi vacillent mente, & in hoc affectu etiam consentit os ventriculi, quo fit vt facillimè appetentia subuertatur, & vigiliæ infestent, quorum causa est mœror. Scimus mœrores esse passiones vehementissimas, à quibus corpora contabescunt, propterea non est quid nouum, & hanc ex mœrore talia esse passam, qualia describuntur ab Hippocrate, & eo magis, quòd in mœroribus talibus solet ad ventriculum confluere biliosa quædam superfluitas, dicente Hippocrate 6. *Aphorism. comment.50.* & etiam fortasse clariùs hoc idem repetit Galenus *lib.2. de Hippocratis & Platonis placitis cap.*8. hunc in modum. *Si quidem,& mœror,& vehementior exercitatio facit, vt flaua bilis in ventriculum confluat, à qua posteà irritati, & morsi homines cordis dolore laborant.* Addit. *Cur verò id fiat, hîc non est explicandi locus, sed satis, quod quidem ad præsens negotium spectat, hoc sit, cùm ostenderimus cordis dolorem, veluti etiam morsum,qui in mœroribus sentitur,non esse cordis, quod est viscus,sed orificij ventris affectionem.* Hîc repetit, quod sæpiùs dictum est, intelligere os ventriculi, quando ait. (*Cor dolebat*) Cur igitur sitiant sic affecti,clarè patet.

[a] *Nec Accubuit*] Quia nondum humores eò creuerant, vt putredinem ingentem conciperent, ex qua febris originem traheret: nam melancholia febris est expers, quandoquidem humor non putret, aut plus æquo non incalescit,nec exuritur. Verùm, cùm nulla sit causa tam leuis, quæ non euidentem inferat corpori noxam,si perduret,ob id non est mirum,si hæc tandem ex mœrore ita fuerit affecta, vt etiam febris sit concitata,& quo die febricitauit,eodem die circa initium noctis timores,verba multa: effectus humoris melancholici, quod ipse significat per illam particulam.

[b] *Circa initium noctis*]: nam timores fiunt in melancholicis: multa verba,ingrauescente accessione,posteà, mœstitia declinante,eadem febris

accessione:

accessione: etsi in melancholicis apparent huiusmodi varietates accidentium, vt scilicet aliquando loquantur, aliquando taciturni fiant, pro ratione causæ, & temporis ipsius generationis, quod diebus elapsis in quodam obseruaui mercatore, qui cùm res haberet suas minùs prosperas, ex mœrore contabescens, aliquando lugebat, aliquando clamabat, aliquando ita erat taciturnus, vt per horas ne verbum emitteret, pessimo tandem fato functus, cùm seipsum propriis manibus occiderit. Rem melancholicis ita euenire visus est Aëtius esse testatus *lib.2. serm.2.cap.9.* dum hæc ad verbum habet. *Cognoscere autem oportet quòd duplex est melancholiæ species. Quidam enim ex natura, & temperatura ab initio atram bilem habent. Quidam verò ex mala diæta posteà id temperamentum acquisiuerunt. Et est species hæc segnis, & ex vstis semper. Qui verò ex flauæ bilis superassatione in delirium incidunt, audaciores, & iracundiores aliis sunt, & percussores, & omnia horrenda facientes, & maximè tempore, quo bilis superassatur. Quo verò tempore ipsa erit extincta, tristes, mœsti, & timidi sunt.* Quibus verbis colligere possumus fuisse flauam bilem superassatam, vti etiam magis meo iudicio ex sequentibus constat.

c *Leuis febricula*] Nescio quo modo posset esse adeò leuis febris hæc, vt appellet febriculam; etsi soleat humor melancholicus difficilè accendi, verùm in hac abundabat humor, qui sua natura faciliùs poterat inflãmari: nam, si credendũm est Galeno, timores à maximè acri, & deusta bile fiunt, quandoquidẽ dum animalis spiritus simul cum cerebri substantia nigrore inficitur, fit, vt speciem quamlibet externam horridè recipiat, & cum mœrore, non secus, quàm si triste esset, quod recipitur, quasi animus è puro æthere, puro, splẽdidóque spiritu gaudeat; impuro, & tenebricoso lædatur: terrentur proptereà melancholici, vt in tenebris pueri, quod atræ bilis calor mentis sedem tenebris similem reddẽs, metum sine occasione incutiat, ait Iacotius. Quòd autem timores, vti dictum est, fiant à maximè acri, & deusta bile, Galenus apertissimè dicit *2.in 1.epid.com.75.* dum scribit sic. *Timores verò magnopere acris, & deustæ bilis flauæ symptomata sunt.* Subdit. *Cognata iam timoribus sunt mœstitiæ, & tamen sic affectos appellat melancholicos, 6. Aph. text. 23. Si timor, & mœstitia longo tẽpore perdurãt, melancholicum tale est.* Si igitur humor talis poterat febrem fouere, quomodo appellat febriculam; nisi dicamus talem fuisse ad tactum, aut febriculam, quia circa principia omnia sunt imbecilliora. Quid si diceremus laborasse febre continente, & ea specie, quæ semper augetur, de qua Galenus *lib.9. method. cap.30.* nam primo die nuncupat leuem febrem, posteà magis acutam, tandem acutam. Rem ita esse videtur Galenus confirmare *1. in 6. epid. comment. 2.* Ibi docet venas vteri ingentissimas esse, faciléque sanguine repleri ex retenta purgatione, siue à partu, siue ex alia occasione. Hic diutius retentus, si febrem excitet, illa ex synochorum genere est. Galeni verba hæc sunt. *Inter omnes corporis partes, plurimas, grandissimásque venas vteri habent, cúmque eos, aut menses, aut à partu purgamenta suppressa, aut phlegmone aliqua vtcunque orta malè accipiunt, ipsos sanguine repleri necesse est, quo deinde putrescente, si febris excitetur, inter synochorum species*

 cies

cies ipsam connumerari opus est: nam id genus febrium ex putrido sanguine accendi ostensum est; Hæ verò calentium vaporum vim haudquaquam paruam in caput submittunt. Hæc Galenus. Quibus posse nos concludere videtur febrem fuisse, qualem iam descripsimus, præsertim etiam solutionis modo considerato: solet enim synodus raro fieri, sed si fiat quarto die finit, Galeno teste *lib.3. de cris. cap.4.* appellátque febres peracutas. Verba Galeni sic habent. *Et ita raro accidit, vt in quarto die fiat crisis, vt videatur bis tantùm Archigenes in toto tempore vitæ suæ id obseruasse, ego verò ad hanc horam semel solùm. Et causa est, quemadmodum diximus in lib. de diebus decret, vt crisis sæpiùs ex quarto die ad tertium, & ad quintum transmutetur. Nam morbus, qui tam subitò crisim habet, omninò peracutus est.* Subdit. *In omnibus autem morbis peracutis necessarium est febres vel esse synochos, vel continuas quidem, sed quæ per tertium exacerbantur. Synochi quidem raro eueniunt, & vbi nullus sit error, in quarto finiuntur per crisim, natura propriis circuitibus ad crisim perueniente.* Sed veniamus ad textum, & dicamus appellare leuem febrem respectiuè ad alios dies.

d *Mane conuulsiones multæ.*] Illud in confesso est, nos nullum posse affectum excogitare, quem non faciat mensium retentio, & ob id etiam conuulsiones possunt superuenire: est enim vterus pars neruosa, cui omnes neruosæ partes consentiunt, earum neque facilis conuulsio est ratione vteri affectionis, quia etsi pars dicatur neruosa, habet tamen exiguos admodum, quod idem Galenus confirmat 1. *in 6. epid. comment. suprà citato* his verbis. *Atqui in vterum nerui quidam planè inseruntur: alioqui enim quomodo sentiret? sed admodum pusilli sunt isti, si cum membri magnitudine comparentur, huiúsque rei occasione parum est familiaris conuulsio, vteri vitiis, etsi fiat, accidit magis repleto capite fuliginosis excrementis, quàm ratione vteri.* Itaque, si in hystericis passionibus conuelluntur mulieres & delirant aliquando, est, quia communicat vterus affectiones capiti, ipso scilicet repleto fuliginosis excrementis malis, quàm, vt dictum est, neruorum vteri ratione, & in hac idem accidisse est verisimile, cùm videamus seruatum esse motum quendam humorum inordinatum, vt ipsis in capite detentis, & accensis delirium concitaretur, transmissis verò ad neruos, concitaretur conuulsio, quod idem accidisse narrat Hippocrates mulieri Zizici, quæ pariter conuulsa est cum delirio, de qua dicebat Galenus sic. *In conspicuo porrò est, vitiosis humoribus ad caput sublatis, delirium furiosum extitisse, simúlque conuulsiones consequutas esse.* Hæc habuit furiosum delirium, causa validiore existente, ex quo non omninò tutus erat dicendus status ipsius, & hoc confirmat Galenus *lib.2. prorrhet. text.9.* sic. *Ex composito, modestoque homine ferox responsio, mala.* Galenus *Malum esse, inquit, omne illud, quod fit præter naturam propriam, quia prauè se habere dicitur. Cui enim propria natura composita est, is non solùm cum incompositus desipit, perniciosam habere affectionem demonstrat, sed etiam, & cum ferocitate respondens prope ad phrenitidem accessit, & sic è conuerso.* Hanc eandem sententiam habemus etiam *lib.2. Coacarum*

comment.

*comment.*2. sic scriptam. *Modesti hominis audax responsio, mala,* & continetur hæc sententia sub illo generali axiomate. *Quæ naturæ simillima, maximè salutaria, dissimillima maximè lethalia.* His igitur sic existentibus, non immeritò dolebat, & assiduos dolores patiebatur: cùm enim pateretur non mediocriter musculosum genus, non poterat non nisi dolere vniuersum corpus. Hæc habuit primo die, quæ cùm magna essent, & grauia, quis non dubitasset de ipsius salute, præsertim cùm perseuerarent mala hæc? Nam dicit

[e] *Altero die eadem permanserunt, somnum non cepit, febris magis acuta*] Increuit morbus, quia febris inualuit, & erat deterior ægrotantis conditio, & vt demonstret quanti semper fecerit vigilias iuges in ægrotantibus Hippocrates; etsi dixerit eadem omnia permansisse, tamen voluit addere:

[f] *Somnum non cepit*] vt indicaret grauem ipsius affectionem; nam, non dormire ægrotantes in die, non est magnum: sed nunquam dormire, est maximum, quia accenduntur magis humores, quibus accensis, cætera accidentia redduntur sæuiora, & febres etiam acutiores fiunt, & in omnibus istis historiis videmus, quanti fecerit semper vigilias, nisi dicamus id fuisse referendum in auctionem febris, quando inquit,

[g] *Febris magis acuta*] Aut dicamus fuisse in causa dolores illos, vt vigilaret. Ita habemus *in Coacis. Pessimum autem est non dormire neque die, neque nocte: aut enim præ dolore, & afflictione vigilauerit, aut ab hoc signo delirabit lib.*7. *Coacarum. text.*35. *Dolor enim, & labor tum animi, tum corporis vigilias concitant.* Quare perpetuæ vigiliæ pessimæ sunt, vt causa, & vt signum. Primo modo, quia corpus in tali affectione exsiccatur, bilis coaceruatur, vires exoluuntur, alimentum non tantùm non concoquitur, sed crudius relinquitur, quàm sit ingestum, confirmatum ab Hippocrate, & Galeno 2.*acut.comment.*55. Secundo modo, quia denotat dolorem, aut delirium. Neque crederem causam fuisse melancholiam tot vigiliarum, sed quidem & febrem, & accidentia, quæ somnum arcere poterant: nam in delirio absunt somni causæ naturales, bona scilicet cerebri temperies, & suauis euaporatio. Si ex dolore est, hic insequitur, aut incendium, aut internam inflammationem, aut quid simile. Sequitur modò, & recenset quæ tertia die euenêre, & ait conquieuisse conuulsiones,

[h] *Soporosam fuisse, & in somnum inclinationem habuisse*] Si spectemus ægrotantis statum, prima facie videtur suspecta res, quando ex calido morbo, transitum facit in frigidum, vti de Hermocrate dicebatur, quoniam videtur eo tempore adeò virtus prostrata, vt mortem habeant sic affecti præ foribus. Si fiat propter depositionem materiæ ad caput, malum est, sed cum virtute valida, non tantopere perniciosum, quia potest materia illa euinci à natura, & superari, & ita ægrotans restituatur. Verùm in hac ægrotante putarem ego fuisse somnum verum, defatigatâ naturâ à vi morbi: cùm enim hucúsque somnum capere non potuisset, conuulsionibus, & deliriis tentata, ipsis vigiliarum causis sedatis, conuulsionibus videlicet, somnum capere poterat non difficili negotio, aut saltem in som-

nunq inclinare. Id in dies obseruamus in iis, qui longis tentati vigiliis: si vigiliarum causa recedat, statim veluti renati dormiunt, quo tempore quies accidentium perseuerat. Verùm in hac ægrotante, cùm haud multò pòst natura esset crisim molitura, parum durauit quies illa, & iterum inualescente febre cum delirio non poterat non nisi vigilare. Accidentia quæ solent crises præcedere siue perfectas, siue imperfectas: nam non potest natura à corpore peccantem materiam deturbare, nisi cum validissimo conatu, quod Galenus confirmat pulcherrimè *lib.* 3. *de cris. cap.* 1. & ponam verba, vt faciliùs acquiescant ij, qui Galenum legere grauantur, vt quamplurimi ex nostris discipulis faciunt. Ibi Galenus demonstrat quomodo sit fidendum crisibus, & ait, eo tempore fidem habendam, quando fit cum euidentibus excretionibus, secùs malè agitur cum ægrotante, quia malignius materia retrocedit, incipit autem sic. *Antecedit autem huiusmodi excretiones, & abscessus non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis. Nam, & difficiles tolerantiæ, & vigiliæ, & deliria, & graues somni, & difficiles anhelitus, & vertigines tenebricosæ, & difficiles sensus, dolores capitis, colli, stomachi, & multorum aliorum membrorum: nonnullis verò aurium sonitus, & vani ante oculos apparent splendores, & lachrymæ inuoluntariæ effluunt, vrinæ retinentur, labrum agitatur, aut aliquid aliud tremulum fit, obliuio, & præsentium ignorantia, & vehemens accidit rigor, & plurimum accessio consuetam anticipat horam, & multus æstus, sitisque intolerabilis sequitur: clamant, saliunt, sicuti furentes, neque possunt in eodem recumbere situ.* Subdit. *Deinde repente multus sudor erumpit, aut vomitus aliquis non paucus insequitur, aut venter subitò soluitur, aut abundans fit sanguinis fluxus, aut hæc omnia simul contingunt, vnde non paruus inuadit timor inspicientes. Et quispiam homo vulgaris, cùm istis adesset, ipsa re cogente ita pronunciauit, quòd iudicium tunc de vita ægrotantis ageretur. Neque enim Medicorum aliquis primus inuenit id nomen, sed omninò necessarium fuit, vt qui præsens esset conturbaretur, & exclamaret, & crisim, id est iudicium rem ipsam nominaret. Decet autem Medicum generosum, neque turbari, neque futurum euentum ignorare.* Hactenus Galenus. Quæ verba volui referre ad vnguem, quia sunt digna attentione. Ex quibus colligimus euidenter istius ægrotantis turbationem criticam fuisse, neque mirandum inualida virtute hæc fieri, quia non sine causa dicebat Hippocrates *sect.* 2. *Aphorism. text.* 19. *Acutorum morborum non omninò certæ sunt prænunciationes salutis, aut mortis. Quia hoc fit propter subitam mutationem. Istud autem fit*, inquit Galenus, *propter subitam in iudicatione permutationem, quæ naturam humorum sequitur morbificorum.* Et quia nonnunquam humor noxius ex vno loco transfertur ad alterum: morbi enim magni non expectant suæ solutionis tempus longum, sed aut in bonum, aut in malum celerrimè soluantur necesse est, quia diutiùs non potest natura perferre vim morbi. Itaque non est cur curiosè quæramus an criticus fuerit motus, necne; nonne contulit sudor, qui prorupit: nonne bonas habuit conditiones, quia multus erat: nullum enim paucum criticum: nonne toto corpore: nonne calidus: ergo habuit conditiones requisitas,

quiſitas,vt *ex prognoſticis* aliàs vidimus.Sed & euentu : quid aliud dicendum,quàm fuiſſe optimum,cùm febrem ſuſtulerit,& delirium,& meritò, quia etiam in tertio erupit die : Hic laudatur ab Hippocrate. *Sudores boni ſunt, ſi tertio fiant die.*4. *Aphoriſm. text.*36. *In cuius comment.* habemus Galeni ſententiam ſic. *Iudicatoria ſigna , ac caſus in diebus iudicatoriis incipiant.* Poſteà. *Nunc verò à tertio incipit, qui anticipat quartum in breuioris temporis morbis : & poſt hunc quintum ſcripſit vno die quarto tardiorem. Iudicia autem in morbis acutis potiùs diebus imparibus fiunt, quia mouentur diebus imparibus. Si verò,* inquit Galenus, *omninò Hippocrates illum prætery̆t, id eſt quartum diem , ob hanc cauſam ipſum exiſtimo iſtud feciſſe , quoniam morbi plurimi peracuti , qui cum ſudore iudicantur, tertio , & quinto magis , quàm quarto iudicium ſuſcipiunt. Rariores enim ſunt,qui quarto die iudicantur, atque hoc à me fuit inuentum per experientiam , cùm ob hoc ipſum valde admodum inquirerem , qua de cauſa dies quartus fuiſſet ab Hippocrate in Aphor. prætermiſſus. Hoc autem videtur accidere, quoniam morbi peracuti primam ſtatim acceſſionem vehementiſſimam habent,& reliquas illis proportionales per diem tertium.* Verùm, dicet quiſpiam, Quomodo tam integrè potuit iudicati , cum vrinis prauis. Res videtur eſſe admodum difficilis , tamen crędendum eſt Hippocrati. Sed tamen, etſi vrinæ eſſent in iudicio , quales deſcribuntur , non fuit id impedimento,quo minus firmum fieret iudicium; quoniam dum Hippocrates ait,tertio die iam dicta habuiſſe, nocte poſteà ſudaſſe, & iudicatum fuiſſe,tamen addit. *Circa diem tertium,vrina nigra, & tenues* , vt denotaret hanc per ſudorem euacuationem fuiſſe quidem vtilem ; verùm non futuram ſufficientem , cùm nulla criſis detur perfecta in crudo morbo, niſi noua ſuperueniſſet euacuatio magis conueniens , qua adueniente potuit perinde fieri fidum iudicium , ac factum apparet in ſequenti ægrotante , quæ (quod eſt maximum) liberata eſt per ſudorem ſexto die integrè,quod tamen non extitiſſet,niſi ſuperueniſſent menſes , vt videbimus. In hac,vt ſignificet modum integræ ſolutionis,addit.

[1] *Menſes ſub iudicium copioſi ſunt profuſi.*] Quaſi dicat, vrinis crudis exiſtentibus recidiuaſſet ſine dubio, niſi conuenientior apparuiſſet euacuatio,à cuius ſuppreſſione trahebat originẽ morbus,& oſtendit euentus, ſignum , quod fuit quammaximè conueniens : nam ſi illud , quo ablato, ceſſat morbus , dicitur ipſius cauſa : ſine dubio dicemus menſium ſuppreſſionem fuiſſe omnium malorum cauſam, quia ipſis erumpentibus ſtatim ſedata ſunt omnia,neque ſi aliter eſſet factum,potuiſſet tam celeriter ſedari affectus iſte , vt ex ſymptomatibus eius conſtare poteſt. Sudor in menſium ſuppreſione multùm commodi præſtat , & obſeruaui ſæpiſſimè integrè iudicatas ægrotantes, quibus erant retenta purgamenta. Non ſemel vidi exoneratâ naturâ per ſudorem , ſequutam eſſe euacuationem per vterum ; & ita integrum factum eſſe iudicium. Quid igitur dicemus de vrinis nigris.In hoc caſu,nihil periculi minabantur : nam in menſium ſuppreſſione familiares ſunt tales vrinæ:immò vos adoleſcentes,cùm tales videbitis in mulieribus, ſtatim interrogate , quomodo ſe habeant purgationes

tiones vteri, quia inuenietis facilè talium vrinarum causam, cùm aut sint suppressi menses, aut sint erupturi: neque enim fiunt propter ardorem, neque propter extinctionem, sed quia tinguntur humore melancholico, & hoc habetis probatum à Galeno *in comment.* quando ait: *Vrinæ verò color nihil attulit periculosi, etiamsi esset niger, quòd retenti menses essent melancholici magis.* Vidi ego in quadam muliere Brixiana huiusmodi vrinam. Huic erant retenti menses iampridem ex magna defatigatione, ex vehementibus motibus, mœrore, propter detentum intra carceres maritum: tandem febricitans decubuit, & statim vrinas habuit nigras, quas dum inspexi, non parum verebar de ægrotantis salute, cùm non leuiter febriret, soporosa esset, capite doleret: tamen re meliùs expensa, interrogaui quomodo se haberet vterina euacuatio, & apertissimè constabat euacuationis vterinæ retentionem omnium accidentium fuisse originem, neque me mea fefellit opinio, cùm secta vena ex infernis partibus omnia citissimè conquieuerint, & conualuerit integrè, quæ omnia eò animosiùs sunt præstita, quia non eram oblitus eorum, quæ à Galeno ponuntur ad hanc rem spectantia *lib.6 de loc. malè affectis cap.5.* Quòd si Galenus tractãs de mensium suppressione, déque symptomatibus hanc suppressionem consequentibus, huic euacuationes mederi dicit, *lib. de venæ sectione aduersus Erasistratum cap.5.* profectò summa cum ratione fuit, restituta hæc mulier fluxis mensibus, & copiosè. Et si virgo illa, quæ in vestibulo templi ægrotabat, iudicata est sanguine ex naribus fluente, cui tamen & menses erant suppressi, quantò magis debebat hæc curari; nam, vti aliàs dictum est, natura efformauit vterum hac ratione, vt excrementa à mulieribus coaceruata per hanc partem euacuarentur. Verba Galeni, quæ *lib. 2. de semine cap. 5.* habentur, hæc sunt. *Cùm primæ fœturæ constitutio humidior, & frigidior extiterit, principium formationis est serius, & finis adeo tardus, atque imbecillis subsequitur, vt membra genitalia foras protendere non valeat. Vnde effectum est vt hæc, cùm in ipsis, vtpote extremis in formatione partibus natura defecerit, omnium infirmissima euaserit: alibi autem à nobis demonstratum est, quidquid ex alimento, siue bono, siue malo superuacaneum est, id à validioribus membris, ad infirmiora solere depelli. Vnde fœminæ, quia imbecillius animal est, excrementa multa abundare, quia verò omnium infirmissimas habet genitales partes, in eas redundantem sanguinem ferri.* Hæc Galenus. Ex quibus apertissimè videmus quanti sit detrimenti, & quanti commodi excrementorum euacuatio, aut retentio, & vt rem concludamus, accedendum est ad Galenum, & ita cum ipso rem terminare. Iam dixit euacuationem omnia prædicta accidentia sanare, & ex Hippocrate habemus suppressionem mensium, sanguine è naribus fluente, iuuari. Reliquum modò est, vt huius rei historiam afferamus, qua probetur rem ita esse, vti dictum est, videlicet, sanguinem è naribus fluentem his suppressionibus commodum præstare. Et, vt epidem. libros prætermittamus, legitur *lib. de venæ sectione aduersus Erasistrateos*, referente Galeno, non vnica historia, & inuehit in Medicos illos, quos Romæ inuenit, omninò venæ sectionis inimicos, qui ne mulierculæ etiam suppres-

sis

ſis menſibus,& grauiter affectæ, voluerint venam ſecare; ex quo tamen factum eſt, vt pectoris aperto vaſe, ſanguinem expuerit,& tandem obierit. Quo in loco multos caſus recenſet eorum, qui peſſimum habuerunt euentum ex venæ ſectionis intermiſſione, & poſt multa alterius mulieris ponit euentum ſic: *Nos etiam inſequuta eſt mulier numero quarta, quam illi venæ ſectionis hoſtes, menſtruæ purgationis non paruo tempore grauatam, eodem pacto ad interitum ferè protraxerant. Nam primis tribus diebus ipſam in inedia conſeruabant, febre enim continua laborabat: quarta verò luce pauxillum quid ſorbitionis exhibentes, quintam ſine cibis tranſigere iuſſerunt, in qua illa grauiſſimè exacerbata deſipiens proſiliebat, & clamore iam extra fores ab illa ſublato, vix tandem ab his, qui eò confluxerant, retineri potuit. Verùm hanc natura copioſo ſanguine ex naribus ſeruauit, & dabatur occaſio, qua non ſine admiratione diſcere poteramus, quantam habeat facultatem ad huiuſmodi facultatum medelam ſanguinis ſubtractio.* Subdit ſtatim. *Mox enim poſt ſanguinis è naribus eruptionem, mulier ab omnibus ſymptomatibus libera euaſit.* Hæc de ſanguine è naribus fluente, ſuppreſſis menſibus. De euacuatione poſteà ab vtero facta, non eſt dubium citiſſimè, & tutiſſimè curare, ſi ſponte à natura, ſed etiamſi ab arte fiat, ſectis ſcilicet inferioribus venis: narrat enim Galenus ſe curaſſe mulierem, cui ſpatio octo menſium intercepta erat naturalis euacuatio, cuius occaſione ad extremam vſque maciem deuenerat. Hac euacuatione ex infernis ſcilicet integrè priſtinus eſt reſtitutus habitus 3. *in 6. epid. comment.29. Atqui,* inquit, *ego cuidam muliercula iam octo menſium ſpatio purgationis menſtruæ ſuppreſſione laboranti, extenuatiſſima cùm eſſet, haud exiguo detracto ſanguine, breuiſſimo tempore proprium habitum reſtitui, ſicut & alias non paucas eodem modo ad ſanitatem reſtitui: ſed, quod illi mulieri accidit (neque enim erat ignobilis) fuit valde celebre. Ipſi quidem, reſciſſa vena, & Medicis ex eo remedio futuram vtilitatem firmiter polliceri verentibus, quin etiam nonnulli mihi aduerſari audebant, non ſolùm propter mulieris maciem, ſed etiam propter inappetentiam ex venæ ſectione ſequuturam noxam affirmantes.* Paulò infrà. *In muliere ſanè, quam memoraui, primo die ſanguinis ſeſquilibram detraxi, rurſum poſtero die libram vnam. Tertio verò non multò plus ſemilibra: erant enim octo vnciæ.* Haud multò pòſt. *Illa igitur & ego recenſebo ſophiſtis, vt valeant, nuncians, quoniam ſcilicet ipſius venæ eminebant ſanguinis plenæ, colore liuido, remiſſo autem vaſculo, liquidæ pici & colore, & craſſitudine ſimilis ſanguis emanabat. Ob idipſum ſanè multò magis viſus eſt largiter euacuandus.* Ecce, quomodo reſtituta ſit hæc mulier, etſi fuerit per multum tempus emaciata: reſpicere enim oportet ad morbum, & ad morbi occaſionem: nam etiamſi fiant hydropes, fiant tremores, & alij morbi frigidi, neque propterea ſuperſedendum eſt à venæ ſectione, quamuis hoc videatur aduerſari Galeno ſcribenti, *Sanguinis miſſionem in morbis frigidis ad extremum ducere, periculum, lib.3. de loc. malè affectis, cap.4.* Quod euidenter repetit etiam *lib. de curandi ratione per ſang. miſſionem:* tamen, quotieſcunque occaſio morbi eſt aliqua conſueta euacuatio, non prætermittitur

huiusmodi medicamentum, dummodo id virtus admittat, quod verum sit apertissimè confitetur Galenus *lib. adducto de vena sect. aduersus Erasistratum*, se curasse spasmum, hydropem ex retentis hæmorrhoïdibus factum, vena secta in pede. In húncque modum erudiuit me tum longa experientia, tum ratio ipsa, quæ mihi suggessit, vt occasionem ipsam, eiúsque momentum sic inuestigarem. Quod dicit de hæmorrhoïdibus, dictum putes de euacuatione mulierum: mutuò enim sibi respondent in accidentibus, differunt tantùm, quòd euacuatio mulierum dicitur naturalis, illa autem præternaturalis *lib.3. de sympt. causis. c.2.* Et quemadmodum ex suppressione sanguinis hæmorrhoïdalis fiunt hydropes, ita etiam ex vterina euacuatione, quos affectus nihilominus curat euacuatione per sanguinis missionem *lib.4. acut. text.111.* Verùm id in primis attendere debet, an scilicet affectio sit inueterata, necne, & quæ species hydropis sit facta: neque enim quamuis speciem, neque quocunque tempore sanari has contingit; cùm, excepto hydrope anasarca, aliæ species non curentur hac euacuatione: neque etiam, si inueteratus sit hic affectus, curari potest, iam validiori hepatis contracta intemperie frigida. Verba Galeni id confirmantia hunc in modum se habent. *Nempe hic solus cùm incipit, eget interdum venæ sectione, cùm scilicet ex retentione vel hæmorrhoïdis, vel muliebrium, vel ex quapiam, quæ ita plethorica sit causa incœperit.* Tympaniam verò, & ascitem nullus per sanguinis missionem sanare est ausus. Tremores eadem euacuatione curasse scimus Hippocratem, qui *lib.2. epid. sect.4. text.5.* narrat historiam Stymargi famulæ. Hæc habuit tremores, fluente autem sanguine ex vena tali, curata est. *Stymargi famula*, inquit, *Idumea erat, cùm peperisset filiam, os vteri contortum est, & in coxam, & crus dolor. Liberata est iuxta talum secta vena, etiamsi tremores secundum corpus eam tenebant.* Subdit. *Sed ad occasionem oportet venire, & ad occasionis initium.* Huius historiæ meminit etiam *lib. de venæ sect. aduersus Erasistratum cap.5.* & *lib. de rigore, & tremore*, quo in loco hæc addit Galenus. *Mulieris meminit, quòd à partu celebri illa purgatione secundarum puerperiȷ vacuata non esset, deinde tremor oboriretur. Hanc, inquit, sanaui sanguine ex talo detracto; etsi tremores totum corpus occuparent. Quid iam aliud hic obscurè subindicat, quàm quòd aliàs sanguinem non misisset. Frigidum enim affectum tremorem esse creditur, sanguinem verò calidum. Non igitur ausus esset quispiam sanguinem euacuare in affectu, qui calefieri desiderat. Ego tamen, inquit, ausus sum, & rationem docet sic. Sed ad causam, & ad causæ occasionem veniendum. Id quod infestabat, & infestantis causam noui. Quod infestabat sanguinis copia erat. Causa, ipsius vuluæ ad coxas inclinatio, propter quod mulier purgata non erat. Sanguis igitur, quem vacuatum esse oportebat non inanitus, sed in corpore oberrans, naturæ pondus erat. Vnde tremoris causam intelligens, sanguinis copiam: occasionem verò causæ, vuluæ affectum. Deinde copia quidem vacuationem indicante: parte autem affecta, locum, per quem vacuare conueniebat: ambo hæc coniungens, sanguinis detractionem molitus est ex talo, hanc quidem, quoniam sanguinem vacuare volebat: ex talo autem, quoniam vterus affligebatur.* Hactenus

nus Galenus. Quibus omnibus apparet, quanti ponderis ſit in morbis pendentibus à conſueta euacuatione, ſuperuenire eandem, & quàm facilè ſubleuentur ægrotantes præter expectationem. Id in dies obſeruamus: & idem licet in hac muliere obſeruare, quæ tam grauiter affecta, nihilominus integrè fuerit iudicata, ſuperueniente per vterum euacuatione: neque eſt cur dubitemus de recidiua, quando ſuperueniunt euacuationes, à quarum ſuppreſſione omnia pendebant ſymptomata, & ob id neque putandum hanc mulierem recidiuaſſe, etſi tam citò conualuerit, quia ſuperuenit euacuatio materiæ, cuius retentio erat cauſa morbi. Itaque non dubitandum, quin integrè conualuerit, & ſine recidiua, vti dictum eſt. Quod ſpectat ad hæmorrhoïdas. Vidi ego hominem de vrinæ ſuppreſſione conquerentem per multos dies; Medicíſque omnia tentantibus, vt eandem prouocarent fruſtrati ſunt ſuo fine tantiſper, dum hirudines venis ſedis ſunt applicitæ: erant enim adeò repletæ vt compreſſionem facerent collo veſicæ, & ob id vrina intercipiebatur, quibus apertis ſtatim magna vrinæ copia effluxit, & ſanatus eſt, & hac de cauſa ſemper interrogare oportet ægrotantem, an aliqua ſit retenta conſueta euacuatio, quia tunc omnes contingentes morbi, vtplurimum originem trahunt. Experiebatur hoc alter, qui iam erat ætatis prouectæ, cùm caput doleret, tam familiarem habebat infernam illam euacuationem, vt efflueret ſanguis ex illis partibus ſimplici re proſpera confricatis partibus; & ſic ſeruatus erat à Medicorum manibus ad illum vſque diem, cùm tamen attingeret ferè octogeſimum annum. Hoc inter cætera obſeruaui ego in muliere iſtius ciuitatis. Iam tranſacti erant dies decem, & amplius à partu. Suppreſſi ſunt menſes: tam impetuosè humores delati ſunt ad ſupernas partes, vt non niſi recta ceruice reſpirare poſſet, orthopnœa laborans. Accerſitus, cùm ferè omnia accidentia in enixis habeant, cauſam aut omninò ſuppreſſam, aut deficientem vteri euacuationem, ſtatim interrogata muliere, cognoui ſuppreſſa fuiſſe purgamenta. Itaque mirum dictu, quàm celerrimè ſit ſanata, cùm tamen videretur mortem habere præ foribus, ſanguine ex pede miſſo, & iteratò eadem hora ex altero, & ad hoc me cogebat velox accidentium remiſſio, dum ſanguis fluebat: ſenſim enim alleuabatur, & ego animoſiùs extrahens ſanguinem, antequam diſcederem conualuit integrè, non ampliùs impoſterum de accidentibus conqueſta. Verùm quid moror in his recenſendis. In dies hæc, & grauiora apparent, & ex aliis obſeruata habemus. His ſic ſtantibus, quid mirandum, ſi tam citò conualuit hæc de qua eſt ſermo, vt vidimus.

Curatio.

CVratio ſine dubio debebat dirigi ad illud, vnde omnia originem ducebant, itaque ſtatim erat ſecanda vena ex vtroque pede, & melius fuiſſet, ſi ſtatim, ac incœpit conqueri de morbo, ſoluta fuiſſet vena, fortaſſe citiùs erupiſſent menſes, & præueniſſent futuro morbo: nam, *Quæ iam facta tenent, ante facta prohibent*, dicit Hippocrates 3. *in* 6. *epid. text.* 40. De-

cubitus quidem, in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibet. Galenus *in comment.* hæc habet: *Vult Hippocrates dicere. Abscessus in quibus morbis facti eos discutere queunt, si præuertant, ijdem, ne fiant impedimento sunt. Vel omnia, quæ post aliqua torta liberant, eadem si anteuertunt, fieri prohibent.* Itaque in principio facta euacuatio ex pede poterat euocare menses, & sic præseruare ab iis, quæ est passa; & dictum Hippocratis facit ad prognosim, & ad curationem. Ad prognosim, cùm fiunt sponte isti abscessus, istæ euacuationes. Ad curationem, cùm à Medico tentantur: nam sæpissimè contingit, vt ab arte fiant præcautionis gratia, veluti quando hæmorrhoïdas euocamus, aut podagram tentamus in iis scilicet, qui tali euacuationi sunt obnoxij: neque enim pro quouis morbo, quiuis abscessus procurandus est, sed pro quocunque is, qui tali morbo soleat vtiliter succedere. Veluti si quis capitis affectione laboraret, superueniret autem podagra, cum ægrotantis commodo. Si posteà contingat consuetis temporibus retardari podagram, caput autem eo tempore iterum lædi: tunc bene actum erit cum ægrotante, si tentet Medicus podagram mouere, aut frictionibus, aut cucurbitulis, nisi, vt aliquando contingit à natura id fiat, & quod dicitur de podagra, de aliis euacuationibus intelligas licet. Sed veniamus ad curationem. Ego si hanc mulierem inuisissem, affectámque, vti videmus, reperissem, non potuissem non credere sanguinem melancholicum factum crassiorem vteri vasa obstruxisse, sícque impediri menses, quominus commodè fluerent, credidisse̒mque potuisse eundem humorem in toto abundare. Itaque præmissa sanguinis missione ex infernis partibus, recenti existente euacuationis retentione, expurgassem posteà corpus leni aliquo pharmaco, inter cætera fumus terræ, mel rosaceum solut. ex vsu fuissent, lenitiuum, & id genus alia, quo præstito instituissem medicamenta deobstruentia, eo modo. ℞. *syrupum de pomis, de fumo terræ, capill. ven. & huiusmodi alia:* complicata enim febre, mitiùs erat agendum, *facta decoctione ex gramine, pentaphyllo, fumaria, cichorea, boragine, radicibus petroselini, & alijs, quæ immutantur posteà pro vrgentia.* His per aliquot dies assumptis potuisset exhiberi medicamentum purgans huiusmodi. ℞. *Agarici rect. trochis. ℥. ij. infusis secundùm artem in simili quantitate aquæ fumariæ. Facta expressione addi poterant mellis ros. sol. ℥. iij. lenit. ℥. j. & fiat potio.* Hoc autem exhibuissem sedato morbo, & finita menstruali euacuatione. Quòd si conuulsio vrgeret, & perseuerasset, inungenda erat spina oleo vulpino, cum oleo amygdalino, aut similibus. Alexipharmaca erant vtilia, quia etiam mœstitiæ prouidere poterant. Epithemata, reuulsiones primis temporibus erant pernecessariæ, sed potiùs partibus infernis oxyrrhodina. Modò erat inspiciendus naturæ modus; & si ex præscripto naturæ fuisset purgata, aliud, quoad sanguinis euacuationem, non erat moliendum: sin minùs adiuuanda erat euacuatio illa sanguine ex pede misso. Si verò, quoniam dicit fuisse copiosos, plus quàm par esset fluxissent, sistendi erant remediis ad hoc præstandum opportunis. Commendatur remedium hunc in modum paratum. Primùm assumunt turturem pinguem, ab intestinis, & fæcibus repurgatum. Deplumatum

tum lauant in vino rubeo constringente,& aqua rosacea. Deinde ponunt mastichis ℥.j. & in ventre ponunt, quem suunt, ne labatur, atque inter assandum loco butyri,aceto rosaceo aspergunt: pinguedinem defluentem colligunt, & vsui reseruant. Postquam perfectè assatus est,in ollam nouam coniiciunt, obturant diligentissimè & in furnum calidum ponunt, vt possit perfectè ita exsiccari, vt puluis fiat minutissimus, carne simul cum ossibus contusis. Sumunt hunc puluerem ad cochlear vnum, modò cum aqua plantaginis,modò cum alio decocto adstringente. Posteà pinguedinem collectam custodiunt, & imum ventrem inungunt, pectinem, inguina, & regionem renum quotidie. Ponitur hoc remedium,tanquam arcanum ad sistendos menses immodicè fluentes. Valet ad diarrhœam, ventris diuturna profluuia: omnem humiditatem consumit, album, & rubrum fluxum mensium restringit: sedat matricis dolorem. Hoc etiam remedium commendatur. ℞. *Ossium humanorum ʒ.j.sumatur cum vino rubro spatio nouem dierum.* Dicunt fuisse matronam quandam,quæ longissimo tempore hoc morbo laborauit,neque vnquam potuit restitui nisi hoc medicamento. Hoc tamen est certissimum minimè esse vtendum his medicamentis,nisi morbus fiat ex imbecillitate retentricis, & ob hoc cautè agendum in sistendis his euacuationibus, quia intempestiua suppressio aliquando hydropem facit: nam si à quantitate, euacuandum, si à mala qualitate corrigendum:si commoda fiat euacuatio attendere naturæ motum. Inter cætera optima victus ratio, quæ, quemadmodum debet esse boni succi in omnibus,in hac debebat esse tenuissima:poterat enim breuitas morbi eandem permittere, cùm in talibus virtus non multùm soleat prosterni,nisi aliquæ sint tam vehementes euacuationes, quæ nos ad pleniorem victum trahant. Sed de hac ægrotante satis.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ΔΩΔΕΚΑΤΟΣ.



EN Λαρίσσῃ, παρθένον πυρετὸς ἔλαβεν. καυσώδης. ὀξύς. ἄγρυπνος. διψώδης. γλῶσσα λιγνυώδης. ξηρή. οὖρα, εὔχροα μὲν, λεπτὰ δέ. δευτέρῃ ἐπιπόνως. οὐχ ὕπνωσε. τρίτῃ πολλὰ διῆλθεν ἀπὸ κοιλίης, ὑδατόχροα. καὶ τὰς ἐπομένας διὰ

ÆGROTVS XII.



VIRGINEM *quandam Larissæ febris cepit ardens, & acuta, insomnis, sitibunda erat: lingua fuliginosa, & arida: vrina boni coloris,& tenues: secundus, fuit dies* [a] *laboriosus, non dormiuit. Tertio, aluus multa reddidit aquei coloris, proximísque diebus talia* [b] *commodè. Quarto,*

τοιαῦτα δυσφόρως. τετάρτῃ, οὔρησε λεπτὸν ὀλίγον. εἶχεν ἐναιώρημα μετέωρον. οὐχ ἵδρυτο. παρέκρουσεν ἐς νύκτα. ϛʹ, διὰ ῥινῶν λαῦρον ἐρρύη πουλύ. φρίξασα. ἵδρωσε πολλῷ θερμῷ δι' ὅλου. ἄπυρος ἐκρίθη. ἐν δὲ τοῖσι πυρετοῖσι, καὶ ἤδη κεκριμένων, γυναικεῖα κατέβη τότε πρῶτον. παρθένος γὰρ ἦν. ἦν δὲ διὰ παντὸς ἀσώδης. φρικώδης. ἐρυθρὸς προσώπου. ὀμμάτων ὀδύνη. καρηβαρική. ταύτῃ οὐχ ὑπέστρεψεν, ἀλλ' ἐκρίθη. οἱ πόνοι ἐν ἀρτίῃσιν.

vrina tenuis, & pauca, habebat suspensiones elatas, non subsidebant, sub noctem delirauit. Sexto, ex naribus largiter multum fluxit, inhorruit, ac mox sudauit toto corpore multum, & calidum, sine febre iudicata est. Dum febricitaret, & iam esset iudicata, menses tunc illi primùm prouenerunt, quippe virgo erat. Perpetuò autem fastidiosa erat, & horrebat, facies rubicunda erat, oculi dolebant, caput graue erat. [c] *Huic non repetijt, sed iudicata est. Dolores diebus paribus.*

COMMENTARIVS.

IAM anteà dictum est, virgines, quo tempore instant menses grauissima pati symptomata. Experientia quotidiana id confirmat, & hac de causa potuit & hæc ægrotans grauiora sustinere, cùm eidem instarent, neque possent erumpere. Narrat vir quidam præstantissimus, vidisse se virginem nobilem, quæ variis symptomatibus obnoxia est facta; nimirum, cùm anteà roseo genarum, & labiorum colore floruisset, facta est exanguis, cordis tremore laborans: pulsabant temporum arteriæ, & si scalas ascendere cõtingeret, dyspnœâ corripiebatur. Stomachus omnia alimenta fastidiebat, & præcipuè carnem. Crura præcipuè circa talos ad noctem œdemate tumescebant. Accidentia virginibus familiaria, viro iam maturis. Nam tunc sanguis menstruus ad matricis loculos, & venas ab hepate fluit. Hic, cùm ob illarum angusta oscula, quæ nondum patuerunt, viscosis quoque, & crudis humoribus obstructa, & etiam ob sanguinis crassitiem erumpere non possit, rursus per venæ cauæ, maiorísque arteriæ propagines, ad cor, hepar, diaphragma, & præcordiorum venas regurgitat: capiti pariter magna copia impertitur; & ita circa viscera accidentia grauia parit, dyspnœam, tremorem cordis, hepatis inflationem, stomachi fastidium, cardialgiam: Fit etiam, vt eadem ratione epilepticæ euadant, & delirantes. His igitur medetur venæ sectio, sed faciliùs, & securiùs curantur, si viro copulentur, inquit Hippocrates *lib. de morbis virginum.* his verbis: *Principium sit mihi compositionis eorum, quæ perpetua sunt in arte medica: non enim possibile est morborum naturam*

cogno

cognoſcere, ſiquidem artis eſt inuenire, niſi quis nouerit naturam in diuiſibili, ex qua in principio diſcreti ſunt: primum de morbo ſacro appellato, & de attonitis, ſiue ſyderatis, & de timoribus, ex quibus adeò fortiter homines pauent, vt delirent, & dæmones quoſdam videre ſe putent, ipſis infeſtos, quandoque nocte, quandoque interdiu, aliquando verò vtroque tempore. Poſteà ab huiuſmodi ſpectris multi iam ſe ſtrangulauerunt, plures autem mulieres, quàm viri: eſt enim muliebris natura animi magis abiecti, ac imminuti. Cæterùm virgines nobiles, & maturæ viro hoc magis patiuntur, vnà cum menſium deſcenſu, anteà non valde hinc afflictæ: poſteà enim ſanguis in vteros confluit, velut effluxurus. Quum igitur oſculum exitus non fuerit apertum, ſanguis autem amplius influxerit, propter cibos, & corporis augmentum, tunc ſanguis non habens effluxum, præ multitudine ad cor reſilit, & ad ſeptum tranſuerſum. Cùm igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, poſteà ex torpedine deliriũ apprehendit, quemadmodum cùm aliquo longo tempore deſidente, ſanguis ex coxis, ac femoribus depreſſus in tibias, ac pedes torporem inducit. A torpore autem pedes ad iter faciendũ impotentes fiunt, donec ſanguis ad ſeipſum reuertatur. Reuertitur autem celerrimè, quum ſteterit in aqua frigida, quæ vltra malleolos madefaciat. Atque hic quidem torpor facilè cedit: citò enim propter venarum rectitudinem refluit. Et locus corporis non eſt periculoſus. At ex corde, & ſepto tranſuerſo tardè refluit: venæ enim obliquæ ſunt, & locus periculoſus, & ad delirium, & inſaniam paratus. Quum enim hæ partes repletæ fuerint, & horror cum febre vigeat, erroneas febres appellant. His ſic habentibus, quæ acuta quidem inflammatione inſanit, quæ putredine verò clamat, præ caliginoſitate autem timet, ac formidat, præ compreſſione verò circa cor, ſtrangulationes parat: præ ſanguinis autem malitia, animus mœrens, ac anxius malum attrahit. Sed & alium horribiliter compellat, & in puteos proſilire, ac incidere iubet, & ſtrangulari, tanquam meliora ſint hæc, & omnem vitæ vtilitatem excedentia. Aliquando verò ſine ſpectris, ac phantaſmatis voluptas quædam adeſt, ex qua mortem, velut bonum quoddam amat. Poſtquam autem reſipuit homo, mulieres, tum alia multa, tum pretioſiſſimas mulierũ veſtes Dianæ conſecrans à Vatibus id iubentibus decipitur. His omnibus præmiſſis, ſtatim addit curationem, ſic ſubdens. *Cæterùm curatio, vt hinc liberentur, eſt ſanguinis detractio, ſi nihil fuerit, quod impediat. Ego verò iubeo virgines, quum huiuſmodi patiuntur, quam citiſſimè viro cohabitare: ſi enim conceperint, ſanæ fiunt. Si verò huiuſmodi non affuerint ipſis, ſimul cum pubertate, haud paulo poſt corripientur, ſi viro non nupſerint. At verò ex mulieribus viro iunctis ſteriles magis hæc patiuntur.* Placuit verba Hippocratis addere, quæ totum librum de virginum morbis continent, vt vnuſquiſque videat, quid ſuper hac re ſcripſerit Hippocrates, & quomodo afficiantur virgines, & quibus remediis ſuccurrendum ſit. Veriſſima eſſe hæc, quæ ab Hippocrate ſcribuntur comprobat quotidiana experientia, & ego Nobiliſſimam iuuenem habui præ manibus, iſtius ciuitatis, quæ aliquando dicebat ſe videre ſenem monſtruoſum, aliquando lapidem in eandem iacientem, aliquando deoſculantem, ita vt

propter

propter multa,quæ patiebantur coacti sint ipsius domestici tradere in manus eorum,qui effascinatas curant, & hanc tali affectione esse correptam affirmatè tenebant. Nescio quo casu, cùm iuuenis cuiusdam istius ciuitatis amore detineretur, insciis suis nupsit cum hoc, & statim viro cohabitans ab omnibus affectibus est sanata, neque amplius inposterum de aliquo symptomate est conquesta. Habet modò filios, & marito orbata, vidua manet. Sit hoc tanquam exemplum multorum,quæ possent adduci, quæ obseruaui,dum Medicinam facio.Considerent igitur iuuenes symptomata,& causas,vt præsto sint accidentibus virginum, quæ etsi videantur grauia, minimo negotio tolluntur, vt Hippocrates docet, & obseruaui multoties.His sic habitis,non est,quòd aliquis miretur, tam grauiter esse conflictatam hanc virginem,cùm peruenisset ad ætatem pubertatis,neque tamen adhuc erupissent menses.

*Huic facta est febris ardens, & acuta.*Talem fuisse ex accidentibus constat,cùm insomnis,sitibunda fuerit,linguam admodum exustam habuerit. Hæc accidentia cùm inueneritis in febre,in qua nulla sit immodica euacuatio,sine dubio suspicari debetis de graui morbo,& præsertim,si statim inuadente morbo grauia hæc accidentia appareant:vis enim causæ arguitur,quæ non alia esse potest,vtplurimum,quàm materiæ biliosæ excellens putredo. Neque nouum hæc fieri; quia, cùm instaret tempus menstruæ purgationis, neque possit illa materia euacuari, corpus plethoricum reddebatur, sícque à vaporibus adustis læsis partibus superioribus,antedicta eueniebãt.Verùm,etsi morbus esset grauis, tamen neque erat desperanda salus; primum, quia vrinæ fuerunt boni coloris,si tamen est credendum vrinis boni coloris in principio; nam Galenus *in 2.prorrhet. text.*23. dicebat.*Et vrina cocta mala*; & ratio est; quia, quemadmodum vrinæ cruditas initio parum terrere solet, ita parua fides præstatur vrinis, quæ initio morbi coctæ apparent,etsi in hac non dicat fuisse coctas, sed boni coloris,vt innueret,non tantam fuisse humorum malitiam, quæ vrinas redderet colore pessimas, veluti non rarò vidimus euenisse. Itaque ex hoc signo non erat virginis desperanda salus, cùm Galenus non parum fidat bono vrinarum colori perseueranti. Sed & erat iuuenis, maximum in re modica remedium, in quibus fit ad melius mutatio præter expectationem.Quantum in se erat,debebat ratione vrinarum diuturnior esse morbus; verùm cùm naturam habemus adminiculantem,pauca sufficiunt remedia, & qui morbi ex sui natura debeant prorogari, iidem nobis non animaduertibus soluuntur in bonum.Et quis est ex Medicis,qui magna,& sæua accidentia inspiciens à principio, non dubitasset de grauiori affectu, præsertim cùm & secundo die ingrauescerent magis, quod intelligo per verbum illud.

ª *Laboriosus.*] Sed neque hoc contentus, vt morbi grauitatem denotaret; etsi dixerit ab initio fuisse insomnem, tamen voluit addere, *Non dormiuit*,vt sciatis esse graue symptoma hoc in omnibus morbis,vti aliàs dictum est. Sed meritò dies secundus fuit laboriosus, cùm esset par dies, in quo morbus suas vehementias habebat. Alleuata videtur tertio die per

euacuationem

cuationem factam multi aquei coloris, & perseuerauit sequentibus diebus. Hæc denotabant cruditatem; verùm, quoniam non rarò iuuantur ægrotantes, vt causa saltem, propreteà addit commodè fuisse reddita; non ratione qualitatis, sed ratione quantitatis: fuit enim in causa, vt copia demeretur, & cruditatis remedium est alui fluxus, vti iam aliàs dictum à Galeno, & repetit 7. *methodi cap.* 11. & quemadmodum in euacuationibus attenditur conferentia, & tolerantia; ita in hac erat hoc attendendum; quod, vt puto, exprimit per verbum illud.

[b] *Commodè*] Quia scilicet iuuabat: nam dicere fuisse commodam, quia sine dolore, absonum est, quoniam illud respicit qualitatem humoris tantùm, & potest euacuatio non dolorosa virtutem deprimere. Itaque cōmodè, quia cum iuuamento ægrotantis. Dicebat Galenus *loco nuper adducto. Sunt quibus diarrhœa, & cholera fiunt, quæ omnem corporis redundantiam tollunt.* Et *lib.* 1. *de alit. facult. cap.* 7. ait. *Neque enim per aluum aliquid excreueramus, quod vnicum in cruditatibus est remedium.* Hoc quidem credibile erat, non potuisse hanc euacuationem esse pro ratione morbi, cùm potentior, & conuenientior requireretur, potuit tamen reddere faciliorem euacuationem per vterum, tollendo sarcinam, cùm essent multa, quæ euacuabantur: dico autem requiri conuenientiorem, per vterum scilicet, quæ solet retardari, intestinis copiâ repletis, vti in vterinis doloribus apparet. Hæc, cùm non fieret, perseuerabat affectio, non sublata morbi præcipua causa, & inualescebat, cùm quarta die emiserit vrinam tenuem, & paucam. Hoc potuit habere duplicem causam. Vna erat euacuatio alui; vbi enim multa alui excrementa, pauca vrina, & tenuis, maiore copia delata ad aluum. Altera causa est, quia humores ferebantur ad supernas partes, hinc tenuitas vrinæ, humoribus biliosis ad superna elatis. Pauca, quia paruum est, quod irritat. Quod in malis censeri poterat, erat illa suspensio elata, non subsidens, ex quibus euidenter suspicio delirij oriebatur, de qua re in antecedentibus satis: neque errasset, dum haud multò pòst delirasse ponit. Symptoma mulieribus etiam familiare admodum: neque tam facilè fuisset sedatum delirium; nisi præuenisset sanguinis euacuatio è naribus, eáque copiosa; etsi in die erat infido: nam quintum prætermittit, vt nihil noui afferentem, præsertim cùm morbus moueretur per pares; & hac de causa etiam die pari tentauit iudicium: verùm hoc quidem memoria dignum est, factum esse tutum iudicium in hoc die; quando, Galeno dicente, *aut nullum solet fieri tali die, aut non nisi infidum:* & tamen scribit hanc ægrotantem fuisse sine recidiua. Quòd esset larga euacuatio, sequebatur morbi cruditatem, cum robore naturæ. At quòd facta sit sine recidiua, non est de nihilo, quia obseruabitis fieri quidem hæmorrhagias die pari, à quibus iudicabuntur ægrotantes; sed tamen sæpiùs redeunte morbo, & recurrentibus periculosis symptomatibus. Hoc idem, & præsenti ægrotanti contigisset, nisi statim conata esset natura materiam peccantem per partes diuersas euacuare, euacuationibus effatu dignis: & ex hoc arguere possumus naturæ multas, & insignes tentantis euacuationes robur. Nam post sanguinis eruptionem: per sudorem nouam fecit expulsionem;

nem; nec aliud fuit, *inhorruisse*, nisi velle prænunciare nouam humorum expulsionem, quæ commoda admodum fuit, cum toto corpore erupit calidus, & multus. Quare meritò, cùm per tot partes deturbaretur à corpore materia peccans, & cum tanto ægrotantis commodo, dicit sine recidiua fuisse iudicatam; etsi malè admodum haberet, cùm perpetuò esset fastidiosa, horreret, faciem haberet rubicundam: hinc & copiam facies; & malitiam humorum, horror, & fastidium denotabant, quamuis in hac virgine sine dubio insequerentur retardatam mēsium eruptionem. Confirmat hoc Galenus *lib de venæ sect. aduersus Erasistratum*, & *lib.5. de loc. malè affectis cap.5.* Ibi habetur: *Prædicta accidentia sequi mensium suppressionem, & ob hoc interrogandæ sunt mulieres, an per vterum expurgentur, necne, quia nihil horum solet accidere bene expurgatis.* Posteà concludit his verbis. *Igitur, quibus menstruorum cohibetur purgatio, ijs huiusmodi plerumque eueniunt accidentia.* Quod idem 1. *in 6. epid. comment.2.* legitur. Addit in vltimis verbis.

[c] *Huic non repetijt.*] Sed cur integrè iudicata est sexto die, quod infrequens est admodum, quia connaturalis euacuatio superuenit, à qua omnia antedicta accidentia pendebant: nam subdit. *Dum febricitaret, & esset iudicata, menses illi primùm prouenisse, quippe virgo erat.* Iam ex mente Galeni sæpiùs vidimus diem sextum semper esse infidum, & nunquam integrum afferre iudicium. Vt igitur demonstret, & hoc facilè potuisse euenire in præsentia, addit statim prouenisse menses, quia maximi fuit iuuamenti, & Galenus *in comment.* hæc subnectit. *At mirum non reuertisse, cùm sextus dies non iudicet vnquam fideliter.* Quare nouum hoc, & rarum illi accidisse iudicauit, cùm scripsit. *Huic non repetijt*, sed iudicata est, tanquam oportuisset repetere. At verò causam etiam, cur non redierit scripsit, addendo. *Dum febricitaret, & indicata esset, menses primùm fluxerunt.* Nam euacuationis perseueratio, diebus post iudicium satis erat, vt firmum seruaretur iudicium, quòd die sexto præcesserat per sanguinis eruptionem, & sudores, maximè quòd nulla esset pars princeps affecta inflammatione, neque maligna humorum abundantia. Ex hoc elicite, quantum possit naturalis illa euacuatio ad subleuandas mulieres, cùm tantam habeat vim, vt firmet iudicium in sexto die factum. Si secùs factum esset, recidiuasset sine dubio; etsi tres anteà euacuationes sit molita. Vnam per aluum, & copiosam. Hanc dicit Galenus à natura fuisse factam, & non extitisse vt morbi symptoma. *Planum ergo erat*, inquit, *solam requiri euacuationem, quam natura tertio die incœpit, consummauit sexto. Nam per naturam, non vt morbi symptoma ventris euacuationem accidisse ipse dilucidè his verbis indicauit. Secundò aluus multa reddidit, aquei coloris, proximisque diebus talia commodè.* Commodè, quia à principio quidem incœpit, nulla existente coctione; sed moderatè facta est, cum ægrotantis commodo: est enim quæuis euacuatio maximè commendanda, quæ iuuat, pessima, quæ, aut nihil iuuat, quod tamen minus malum, aut præter id, quòd non iuuat, morbum, & symptomata auget, & præcipuè, si adsit affectio capitis, thoracis, in internis inflammationibus, vt signum, & vt causa.

Vt

Vt signum,quia indicium est affectum communicari hepati, & ventriculo,eorúmque facultatem alteratricem,& attractricem collabi.Causa verò, quia omnis symptomaticus fluxus vires dissoluit, frequentia desurgendi, resolutis spiritibus , & ob hoc vos diligenter obseruabitis euacuationes, quorsum euadant,priusquam iudicium feratis. Hæc euacuatio non fuit ex immodicis, etsi perseuerauit ; & ex eo cognoscimus esse euacuatam materiæ peccantis partem,cùm iuuamentum sequutum sit, cuius causa Hippocrates addit : *Commodè superuenit pariter altera euacuatio per nares*, de qua,& ipsius conditionibus iam aliàs dictum est.Tertia fuit per cutim, sudore erupto. Et tandem adinuenit natura viam , sarcina iam per alias antegressas euacuationes dempta,qua fidum fieret iudicium,& seruaretur tale , per vterum dico , quæ meritò præualuit aliis omnibus , præsertim, cùm perseuerauerit post iudicium. An sextus dies fideliter iudicet sua natura, nouit Dromeadai vxor, quæ sudore sexto die erupto obiit,vt non immeritò de die sexto ita sentiat Galenus 1. *de diebus decret. cap.*2. In septimo ne memorari omnes adhuc possim. In sexto iudicantur,sed cum difficilibus symptomatis,cum periculo non mediocri , adhuc absque fide, imperfectè,obscurè, sine notis, & ad perniciem,& *eodem lib. cap.*4. Mihi quidem in mentem venit septimi diei naturam Regi assimilare , sexti verò Tyranno. Ille siquidem clementior , tanquam bonus aliquis princeps iis,quos iudicat,vel supplicij partem adimit,vel illustrat victoriam. Hic è contrario,vel pernicie illius,quem iudicandum accepit gaudet , vel salute dolet,quærítque vbi animum expleat,& malè ægrum, qui in ipsum incidit tractet , & longa punitione exerceat. Quomodo igitur fuerit iudicata hæc virgo , & quot passa sit , iam constat. Restat vt de curatione aliqua dicamus.

Curatio.

VIdetur in hac , natura præscribere curationem : nam dum sarcina premeretur, & essent fluxuri menses , non potuit munere suo fungi, nisi pluribus prægressis euacuationibus , quibus factis , tandem perfecit opus , mensibus erumpentibus. Ex hoc ego si virginem sic affectam præ manibus habuissem , priùs ex brachio sanguinem extraxissem , vt copia demeretur, exhibito leniente, syrupis modicè deobstruentibus exhibitis, & purgante præmisso post syruporum assumptionem , ex agarico , melle rosaceo,& id genus aliis. Tandem obseruassem motum naturæ. Si menses incœpissent fluere , ego spectassem per diem saltem quorsum naturæ motus euaderet , & si ex præscripto naturæ fierent , quid aliud , quàm attendere motum naturæ, & esse simplicem spectatorem : hoc autem cognoscitur ex euentu , quia neque Medicus debet iis omnino fidem præstare , quoniam decipiuntur , aut præ pudore vera non fatentur. Itaque si videt virginem bene in dies se habere , quiescere , bene se habere ad oblata , & morbi sæuitiam in dies tolli , bene actum est tunc cum ægrotante , quoniam euacuatio bene succedit : sin minùs , videat aliquid

remanere ex prioribus accidentibus, aut sensim sedari, tunc potest esse naturæ adiutor, & sanguinem ex vtroque pede euacuare pro ægrotæ habitu: neque parcè vnquam, quia in illa ætate abundat sanguis, non quia plus generetur, sed quia minus consumitur, vt Galenus 3. *Aphorism. comment.* 27. quod est in causa, vt familiaris sit euacuatio per nares. Quòd si nullo modo erupissent, ego statim post vniuersales euacuationes dictas sanguinem misissem ex vtroque pede, præsertim non sedatis, expurgatione peracta, accidentibus, ipsa conquerente de capitis dolore, de vaporibus ascendentibus, facie rubedinem per interualla habente, tunc animosè ad id remedii genus deuenissem, & obstruentibus moderatè agentibus essem vsus, ad faciliorem naturæ motum. Hoc tamen obseruato, quod ex virginibus, vt de aliis dici potest, aliæ aliis pubescūt citiùs, aut tardiùs. Sunt quæ nunquam expurgantur toto vitæ cursu, quæ tamen concipiunt. Ego binas cognoui fœcundas admodum, cùm tamen menses nunquam habuissent, quod ex aliis colligimus etiam. Rarum hoc, & infrequens, non tamen impossibile: oportet enim in his esse sanguinem menstruum, verùm propter meatuum angustiam, non posse ferri ad vterum, aut saltem propter paucitatem non irritare naturam, tantum tamen esse, qui possit sufficere ad cōceptum, & fœtus nutritionem. Erat in oppido Salarum vna, quæ nunquam expurgata est toto vitæ cursu, & tamen filios edidit, sed vt plurimum difficulter adeò periebat, vt cogerentur fœtum ferro extrahere, & tandem malo fato functa est, quia in partu obiit miserrimè: habuit tamen filios superstites, quos ego cognoui. Idem Schenchius confirmat *in suis obseruationibus*. Quemadmodum inueniuntur quæ nunquam expurgantur; ita etiam sunt quæ præuertunt tempus, si credendum est Auctoribus. Saxonia refert vidisse se Venetiis puellam, quæ annum quintum agens, singulo mense expurgabatur, modicè tamen. Vidi mulieres ætate prouectas, quibus iam statutum tempus purgationis præterierat, cùm annum ferè sexagesimum haberent, & tamen singulo mense expurgabantur, cum euidenti commodo, etsi videretur euacuatio solito minor, erat necessaria sanguinis missio ex infernis partibus. Rara tamen sunt hæc: Frequentissimum incipere virgines expurgari circa pubertatem, cuius cùm non sit certus terminus, aliæ aliis citiùs, aliæ tardiùs pubescunt. Aliquando incipiunt expurgari, & posteà non amplius vident per menses, per annum, citra nocumentum, quia nondum bene assueta natura est ad illam euacuationem. Quare, quando virgines afficiuntur, vt dictum est, statim occurrere expedit euacuationibus per inferna, & omni ope niti oportet, vt euocentur faciliùs: si verò res est cum rusticis virginibus, non adeò frequentia sunt accidentia, quia ipsæ suo labore absumunt magnam humorum copiam, & ob id etsi minùs expurgentur, non æquè redduntur obnoxiæ huiusmodi accidentibus. In hunc vsum multa veniunt, quæ faciunt ad mensium euocationem. Veluti hoc, ℞ *fol. melissæ, pimpinellæ, sabinæ an. m. j. croci in fol.* ℨ *ij. vini albi* ℔. *ij. Infundantur omnia per horas* 24. *& fiat destillatio vitreis organis vsque ad* ℔. *duas. Exhibent* ℥ *vj. pro vice.* Alij probant medicamentum huiusmodi, ℞. *Theriacæ antiqua*

tiquæ ʒ. j. croci ℈. ij. ſumantur cum ℥. ij. aquæ artemiſiæ per ſex dies exhibito medicamento, præmiſſis lotionibus partium infernarum ex decocto ſaluiæ, artemiſiæ, radicibus ebuli, ſambuci, & huiuſmodi alijs, quibus ebullitis ſ. q. vini albi optimi ad tertias, paretur lotio, qua coxæ, & inferna partes abluantur, & fricentur. Exhibent alij *Croci grana duo, aquæ pimpinellæ ℥. ij. cum ʒ. ij. ſaccari optimi.* Vel *aloës lotæ ʒ. ij. fiant pilulæ triginta cum ſucco ſabinæ, & dentur tres pro vice ante cibum horas tres, vel quatuor.* Multa, & varia præſcribuntur remedia à practicantibus, quæ pro tempore, & vrgentia ſunt moderanda: obſtat enim aliquando febris, cuius maxima eſt habenda cuſtodia. Et hæc ſufficiant, donec meliora habeamus.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ τρισκαιδέκατος.



Πολλώνιος ἐν Ἀβδήροισιν, ὀρθοστάδην ὑπέφερε χρόνον πουλύν. ἦν δὲ μεγαλόσπλαγχνος. καὶ περὶ ἧπαρ ξυνήθης ὀδύνη, χρόνον πουλὺν παρείπετο. καὶ δὴ τότε καὶ ἰκτερώδης ἐγένετο. φυσώδης. χροιῆς τῆς ὑπολεύκου. φαγὼν δὲ καὶ πιὼν ἀκαιρότερον βόειον, ἐθερμάνθη σμικρὰ τὸ πρῶτον: κατεκλίθη. γάλαξι δὲ χρησάμενος ἑφθοῖσι καὶ ὠμοῖσι, πολλοῖσιν, αἰγείοισι καὶ μηλείοισι, καὶ διαίτῃ κακῇ, πάντων αἱ βλάβαι μεγάλαι. οἵ τε γὰρ πυρετοὶ παρωξύνθησαν. κοιλίη τε τῶν προσενεχθέντων, οὐδὲν διέδωκεν ἄξιον λόγου. οὖρα τε λεπτὰ καὶ ὀλίγα διῄει. ὕπνοι οὐκ ἐνῆσαν. ἐμφύσημα κακόν. πουλὺ δίψος. κωματώδης. ὑποχονδρίου δεξιοῦ ἔπαρμα ξὺν

ÆGROTVS XIII.



POLLONIVS *Abderæ morbum rectus diu ſuſtinebat: magna autem illi erant viſcera, ac* [a] *circa iecur conſuetus dolor* [b] *multo tempore conſequebatur: & ſanè tunc etiam morbus eum regius cepit, euaſitq; flatuoſus, ac* [c] *albidus. Cùm aquam bibiſſet, & ediſſet intempeſtiuiùs bubulam, eum paruus calor inuaſit,* [d] *decubuit. Deinde, cùm lacte vſus fuiſſet crudo, coctoq; copioſo, caprino, & ouino, victúque malo, omnia multùm offenſa ſunt: nam febres exacerbatæ ſunt, venter nihil effatu dignum ingeſtorum reddidit: vrinæ tenues redditæ, & paucæ: ſomnum non capiebat,* [e] *inflatio mala, magna ſitis, ſoporoſus erat,* [f] *dextri hypochondrij eleuatio cum dolore, ex-*

ὀδύνη. ἄκρεα πάντοθεν ὑπόψυχρα. σμικρὰ παρέλεγε. λήθη πάντων ὅτι λέγοι. παρεφέρετο. περὶ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτην, ἀφ' ἧς ῥιγώσας ἀπεθερμάνθη, κατεκλίθη. καὶ ἐξεμάνη. βοή, ταραχή. λόγοι πολλοί. καὶ πάλιν ἵδρωσις. καὶ τὸ κῶμα τηνικαῦτα προσῆλθε. μετὰ δὲ ταῦτα, κοιλίη ταραχώδης, πολλοῖσι, χολώδεσιν, ἀκρήτοισιν, ὠμοῖσιν. οὖρα μέλανα σμικρά, λεπτά. πολλὴ δυσφορίη. τὰ τῶν διαχωρημάτων ποικίλως. ἢ γὰρ μέλανα καὶ σμικρὰ, καὶ ἰώδεα. ἢ λιπαρὰ καὶ ὠμὰ, καὶ δακνώδεα. κατὰ δὲ χρόνους ἐδόκεε καὶ γαλακτώδεα διδόναι. περὶ δὲ εἰκοστὴν τετάρτην διὰ παρηγορίης, τὰ μὲν ἄλλα ἐπὶ τῶν αὐτῶν. σμικρὰ δὲ κατενόησεν. ἐξ οὗ δὲ κατεκλίθη, οὐδενὸς ἐμνήσθη. πάλιν δὲ ταχὺ παρενόει. ὥρμητο πάντα ἐπὶ τὸ χεῖρον. περὶ δὲ τριηκοστὴν πυρετὸς ὀξύς. διαχωρήματα πολλὰ λεπτά. παράληρος. ἄκρεα ψυχρά. ἄφωνος. τριηκοστῇ τετάρτῃ ἀπέθανε. τουτέῳ διὰ τέλεος, ἐξ οὗ καὶ ἐγὼ οἶδα, κοιλίη ταραχώδης. οὖρα λεπτὰ, μέλανα. κωματώδης. ἄγρυπνος. ἄκρεα ψυχρά. παράληρος διὰ τέλεος. φρενιτικός.

trema partes vndique subfrigida, parùm delirabat, omnium obliuiscebatur, qua locutus esset; mente mouebatur. [g] *Ad diem decimumquartum cum à rigore incaluisset, decubuit, & insaniit: clamor, perturbatio, multa verba,* [h] *rursus sudor, ac tum denique sopor incessit. Posteà aluus turbata multis biliosis, meris, crudis: vrina nigra, pauca, tenues: multum implacidus erat: deiectiones varia erant; nam erant vel nigra, pauca, virulenta; vel pingues, cruda, & mordaces: tandem etiam lacti similes reddere visus est. Ad diem vigesimumquartum leuiùs habuit: catero nihil est immutatum, aliquantulum mentis erat compos, ex quo autem decubuit, meminit nullius, rursumq; subitò desipuit,* [k] *omnia in peius vergebant. Ad diem quartum, & trigesimum obiit. Huic semper, postquam hominem ego vidi, aluus fuit turbata. Vrina tenues, & nigra, soporosus ipse, & insomnis, extrema partes frigida, delirus perpetuò. Phreniticus.*

COM

COMMENTARIVS.


Viscera secundùm Galenum dicuntur cor, iecur, lien, pulmo, renes, vt ipse vult *lib. 3. de alim. facult. cap. 12.* & *multis alis in locis.* Magna esse viscera, duobus modis intelligimus, vel quia ita natura sint efformata, vel quia morbosam habeant dispositionem. Primo modo, si à principio ortus talia fuerint, fiunt autem huiusmodi, quando locus in quo continentur etiam magnus est, cuius occasione dicebat Galenus *2. acut. comment. 31.* *Magnus venter viscera confirmat, & stabilit*; & de corde scribebat Galenus *lib. 6. art. med. cap. 29.* Ibi signa calidioris cordis referens, inter alia ponit thoracis latitudinem. De capite verba faciens si tale sit propter bonam cerebri constitutionem, & ob insitæ virtutis robur, quæ multam, & bonam efformauerit, eueniat, bonum est signum. Ad summum calida sunt semper frigidis maiora, & etiam salubriora, quia calidi est dilatare, & semper magis fuit naturæ familiaris. Hoc sic stante, non est dicendum Apollonium magna habuisse viscera propter optimam conformationem, sed propter partium, internarum affectionem: intelligo nunc hepatis, & lienis præcipuè, obstructionem iam diù contractam. Coniecto hoc ex dolore, quem dicit habuisse circa iecur: nam, ex Galeno 4. *Aphorism. comment. 66.* Dolores viscerum quatuor de causis fiunt, vel ob inflammationem, vel ob erysipelas, vel fortem obstructionem, vel abscessum aliquem: à nulla autem istarum causarum doluisse crediderim, quàm ab obstructione, quia si ab inflammatione, aut erysipelate extitisset febris, cùm morbus esset talis, vt rectus ambularet, nulla febre adhuc succensa, sed tãtùm affectus erat viscerum magnitudo, & hepatis dolor. Potuisset quis suspicari potiùs de abscessu, quod sæpissimè contingit, & ego etiam sæpius vidi factos abscessus per congestionem in pectore, circa hepar, & alias partes, qui per menses durabant, aliis ad annos sunt producti, & tandem ipsis suppuratis, alij conualuêre, alii verò sunt periclitati. Nobilis quidam ex Strigarollis carri, dolore infestabatur circa pectus, sed leni, qui aliàs violentiùs affligebat, aliàs mitiùs. Perdurauit spatio trium annorum, tandem suppuratus est, & conualuit: viuit adhuc. Verùm, cùm Hippocrates scribat viscera, & non viscus, neque aliud addat quàm dolorem, essem huius opinionis intelligere obstructionem vtriusque visceris, sed præcipuè hepatis, dum ait: *Consuetus circa iecur dolor:* quasi innuat prauam huius ægrotantis dispositionem, qui hepar iampridem malè affectum habebat, & obstructum, quod magni facere expedit, cùm sit pars sanguificatrix, & ex ipsins affectione multa mala contingant, improspera sequuta sanguificatione, solétque obstructo viscere hoc grauitas quædam persentiri, etiam flatuoso spiritu existente, tensiuus excitatur dolor, vti Galenus *lib. 5. de loc. malè affectis. cap. 7.* ait, neque tunc vehementiam habent, ex cuius vi virtus possit prosterni, vt idem Galenus probat *7. Aphorism. comment. 52. sic.* *Dolet quidem etiam*

hepar

hepar propter obstructionem, verùm mediocriter, & cum quodam ponderis sensu potiùs, quàm vehementis doloris. Dolor autem vehemens propter flatuosum spiritum vel inflammationem, maximam scilicet, aut suppuratam accidit. At etiamsi Hippocrates dicat.

[a] *Circa iecur*] existimandum est iecur ab affectu minimè fuisse immune, quia dicit viscera fuisse magna: prætereà tantam habent inter se communicantiam istæ partes; vt vna affecta, altera non possit esse à læsione immunis, quod denotat Galenus *lib. 2. de aliment. facult. cap 26.* fuit tamen facta mentio solius iecoris, tanquam partis, de qua multò sollicitus est Medicus, & putassem ego vtranque partem fuisse læsam gibbam, & cauam in tam insigni hepatis affectione, cùm vtraque pars maximè obstructionibus sit obnoxia propter venarum exiguitatem, & meritò dicit.

[b] *Multo tempore*], quia obstructiones sunt morbi longi, neque adeò infestant ægrotantes, vt cogantur decumbere statim, quod in dies experientia demonstrat, & qualitas etiam humorum obstructiones facientium infirmat, qui cùm sint crassi, & glutinosi, longo tempore indigent, vt calefieri possint. Hoc probat Galenus *lib. 3. de sympt. causis cap. 2.* At obstruuntur quidem crassis, & glutinosis succis, quod idem repetit 8. *meth. cap.* 4. Generantur humores dicti vtplurimum ab ingluuie, intempestiuo motu, de quibus iam *suprà* dictum est: ex his enim intempestiuè administratis solent facilè humores crudi generari, veluti etiam ab immodica quantitate, & huiusmodi aliis. Verùm prætermittamus alias causas, & dicamus harum obstructionum generationem ortum habuisse ab intemperata victus ratione, in cibo malæ qualitatis, qua vsum fuisse etiam ante morbum est verisimile, cùm ab hac non potuerit abstinere iam ipso ægrotante, & quod maius est, etiam in quantitate: nam sæpissimè euenit, vt alimentum prauum sua natura, nihil afferat incommodi, si moderatè sumatur, propterea vulgatum est illud: *Quantitas, non qualitas:* Nocumenta ab Hippocrate recensita potuit afferre caro bubula, cùm sit duræ digestionis, & difficilis coctionis, & ad generandas viscerum obstructiones maximè accommodata, vt Galenus ait 4. *in 6. epidem. comment.* 5. nam etsi valẽter nutrire videatur, sanguinem nihilominus generat, quàm conueniat crassiorem *lib. 3. de alit. facult. p. 2.* Et Hippocrates fatetur idem, sic scribens. *Bubula etenim carnes melancholica generant pathemata. Nempe harum natura insuperabilis est, nec quiuis ventriculus eas concoquere potest, lib. 4. acut. text 98.* Galenus *in comment. Natura enim insuperabilis est, quam nullus superauit, lienémque facilè ex istius carnis esu intumescere affirmat, fierique prauos habitus, quos καχεξίαν appellant Græci:* Prætereà lacte etiam est vsus, & multo, & quamuis lac caprinum sit mediocris substantiæ, vt ait Galenus, *lib. 5. de sanitate tuenda. Lac* inquit *asina tenue, serosúmque est; capra mediocris substantia.* Itaque hoc nutriet magis, vbi nutritione est opus: illud omninò tutius est. Nam, si cum pane solùm sumatur, tum citiùs subducitur, tum minimè est flatulentum, sed nec in ventre cogitur, potissimum si priùs salis aliquid, & mellis immiseris.

Ouillum,

Ouillum & ipſum craſſum eſt, dicit Galenus *lib. de bonitate, & vitio ſuccorum*, *cap.*4. præſertim ſi coctum ſit: hoc enim ſine dubio ſucci nimis eſt craſſi, vt eodem loco habemus. Itaque ſi ſua natura inflat hypochondria, quanto magis id efficiet in iis, qui natura habent hypochondria malè affecta, cuius cauſa id interdicebat Hippocrates 5. *Aphoriſm. text.*64. in *cuius comment.* habet Galenus ad verbum ſic. *Vbi enim in iis, qui integra ſanitate fruuntur, videmus hoc capiti dolorem afferre, & hypochondria inflare, non eſt admirabile colligere quòd iis, qui iam caput dolent, vel ſuſpenſa habent hypochondria, ſit inimiciſſimum.* Multa habemus de lacte ad ad hoc facientia *in loco nuper adducto de ſanitate tuenda*, & *lib.*3. *de alim. facult. cap.*15. Quibus omnibus conſtat, quomodo iure grauiter fuerit affectus hic ægrotans, cùm & aliis intemperantibus id in dies contingere conſtet, derident tamen Medicos, ſi quando benè ſuccedat: verum enimverò maxima cautio eſt adhibenda, quando non ſecundùm naturalem ſtatum habemus. Ecce ictericus factus eſt, & addit Hippocrates, euaſitque flatuoſus, & albidus. Erat flatuoſus, quia non ventilato calore, ipſo in materiam craſſam agente, non poterant non niſi eleuari flatus, & ego multos vidi ictericos magna flatuum copia infeſtatos; neque enim ſimpliciter intelligimus textum Hippocratis *ex* 5. *Aphoriſm. text.*72. deſumptum, etſi ipſe moderetur dictum, addens hoc, (*non admodum*) quo modo loquendi non excludit flatus; quorum neque omninò fuiſſet expers, ſi à bile ſolùm id eueniſſet: nam dum putreſcit, in illa ebullitione non poſſunt non niſi flatus excitari, cùm actu ſit humida, quod apperet in emiſſione excrementorum, quæ etſi bilioſa ſint, tamen ſæpiſſimè cum ſtrepitu emittuntur, vti in dies appatet. Fuit malum apparere icterum ante ſeptimum diem, de qua re iam dictum eſt in antecedentibus. Sunt autem quatuor cauſæ icteri ſymptomatici. Motus morbi, materia adhuc cruda exiſtente, Phlegmon iecoris, ſcyrrhus, obſtructio. Has cauſas ponunt lethales, obſtructione excepta; ſi tamen ſimplex ſit, & nulla alia grauior ſuccedat affectio, vt huic contigiſſe eſt certum, qui auriginoſus factus eſt ex viſcerum obſtructione, citra febrem, quod etiam multis aliis euenit, qui ex leui occaſione propter meatuum anguſtiam, obſtructionibus detenti fiunt icterici, & ſola multoties naturæ ope ſubleuantur, verùm ſi adſit praua corporis diſpoſitio, grauiora ſuccedant eſt neceſſe, vt modò apparet, cùm haud multò pòſt peſſimè viuens, ſuccenſa ſit febris, qualis deſcribitur; & ob hoc lethalis, præſertim cùm ex Dioclis ſententia, referente Celſo *lib.*3. *de re Medica cap.*24. *Si poſt febrem oritur, prodeſt: ſi poſt hunc febris, hominem tollit:* etſi multa ſint diligenter obſeruanda, etiam poſt febrem, & multa concurrant ſit neceſſe, vt iuuet, vti in ſuperioribus cum Galeno eſt demonſtratum. Sed & multò erat periculoſius hypochondriis tenſis exiſtentibus: nam periculoſum eſt poſt auriginem febrem oriri, vtique ſi præcordia dextra parte dura permanſerint, ac dolentibus his læua: nec minùs periculi eſt, ſi vel priùs orta febris, ex ſe prodens vitium hepatis, vel lienis vtrimque permaneat iam ictero facto. Eſt duplex icterus, vnus ab hepate, & alter à liene originem trahit: In lienis affe-

ctione color eorum ad nigredinem tendit: in hepatis læsione ad citrinitatem *lib.2. de naturalibus facult. cap.9.* Dum igitur Hippocrates dicit factum in ictericum album, non vult significare fuisse hydropicum, & laborasse leucophlegmatia, sed vult nobis innuere icterum ortum habuisse ab hepatis obstructione: hanc enim ictericiam Aræteus albidam appellat, dum recensens causam vtriusque icteri, inquit. *Quicunque ictero nigro laborant, in his ater color.* Posteà subdit. *At in albidiore arquato color est ex viridi, & albo temperatus:* per albidiorem arquatum, intelligit icterum ab hepate prouenientem ad differentiam nigri. Neque propterea nego, quod pro vero ponit Aræteus, & multò magis experientia confirmat, posse icteros in hydropem incidere, aut cachexiam: sed tamen id fiet, quando diuturnus admodum est affectus: neque si iam hoc morbo fuisset correptus, tam euidenter febricitasset, quia in tanta humorum frigidorum congerie febres accensæ videntur ad tactum leues, etsi facilius intereant ex virtutis imbecillitate, non potente diu natura morbi vim sufferre. Ego igitur verbum illud

c *Albidum*] ita interpretarer. Solent, qui obstructiones patiuntur ex leui occasione febrire, sed multò magis id accidit iis, qui intemperantes sunt, neque morbum attendunt, ita vt, cùm hic eo modo esset affectus, vt refert Hippocrates, & nihilominus prauè viueret, mirum fuisset, si leuiter ægrotasset. Videbitur fortasse minimum erratum aquam assumpsisse, dum magna habebat viscera: verùm quiduis minimum, maximum est, in praua corporis dispositione, veluti sunt ij, qui viscera habent obstructa, auget enim cacochymiam, si credendum est Galeno 3. *acut. text* 40. Comedit bubulam intempestiuiùs. Per hoc denotat Hippocrates quàm errauerit, assumens eo tempore bubulam: nam dum obstructionibus magnis laborasset intempestiuiùs bubulam assumpsit, quia requirebantur alimenta facilis alterationis, & non crassa, obstruentia magis; quo factum est, vt aucto viscerum affectu, putredine concitata paruus calor inuaserit; verùm, neque tam paruus, quin fuerit coactus decumbere. Ad id tandem rediguntur intemperantes, vt parua negligentes, deteriora experiantur, à quibus se eximere vtplurimum nequeant. Quando viscera sunt obstructa, & diu durat affectio, non est mirum, si tandem sic affecti febre corripiantur, & fiant etiam aliquando inflammationes; quia, cùm propter obstructionem alimentum non distribuatur, & fiat collectio plenitudinis in venis mesaræi, & simarum partium iecoris, periculum est, ne si diutiùs moram trahant, inflammentur, aut putrefiant, aut vtrumque succedat *lib. de bonitate, & initio succorum. cap.2.* Verba Galeni sic habent. *Iecoris porrò obstructiones comitatur distributionis impedimentum, ac plenitudinis collectio in mesaræi, simarúmque partium visceris venis.* Quo casu periculum fit rursus, ne, aut inflammatio consequatur partium, vbi collectio facta fuerit, aut redundantium humorum ipsorum putredo: quandoquidem alterutram sequi necesse est crudos, crassósque humores, vt, aut in sanguinem conuertantur concocti, aut putrescant, sicut reliquis omnibus quoque accidit, quæcunque horis calentibus diutius moram trahunt.

d *Decubuit.*

[d] *Decubuit.*] Parum erat decubuisse, cum modica febre, quam natura fortasse superasset, nisi nouo errore commisso eundem exacerbasset affectum, quod apertè videtur confirmare Hippocrates, dum ait, postquam significat deliquisse in vsu lactis, quod perniciosum est in his morbis, & præsertim cùm eo etiam immodicè sit vsus, in calore imbecillo partium concoquentium, addit, victúque malo, quasi concludat, quodcunque delictum commisisse in victus ratione, & ob id iure febres fuisse exacerbatas, & symptomata deterrima reddita, sed & multò faciliùs, quia aluus est omnino suppressa: nam in cruditatum abundantia, nil deterius, quàm aluum plus iusto supprimi, cùm enim cruditates sint morborum omnium caput, vt docet Galenus his verbis. *Quando, ne quispiam ægrotaturus omnino sit, qui ne quando cruditatibus laboret, curam gesserit, lib. de bonitate, & initio succorum cap. 3. si eæ retineantur in corpore, nulla non incommoda impertiunt corpori, facile autem est aluum supprimi lacte cocto ingesto, sed & multo frequentius obstructis visceribus, verùm cum hac distinctione. vtrum sint obstructæ venæ visceris, an vesica fellea, quoniam plurimum refert: nam in hepatis obstructione excrementa sunt chylosa, subtilia, & plurima, quia alimentum non potest deferri ad hepar, quo non existente, neque etiam potest alimentum verti in sanguinem, & ob id, cùm iam in ventriculo fuerit elaboratum, delatum ad intestina, apparet chylosum excrementum: subtile, quia humor serosus non potest ad hepar ferri hepatis venis obstructis.* Plurima sunt, quia, cùm non fiat separatio excrementorum à bono, simul omnia per intestina euacuantur. Verba Auicennæ, quæ desumuntur *ex lib. 3. Fen 14. tract. 2. cap. 5.* vbi tradit signa obstructionis hepatis hunc in modum. *Et illa, quæ est ex eo, quod expellitur, est, vt sit egestio subtilis, chylosa, plurima: subtilis quidem, quoniam aquositas cholerica non inuenit viam ad hepar, sed chylosa, quoniam hepatis operatio non præualet in ipso ita, vt conuertatur ipsum à sua chylositate ad sanguinem. Multa verò, quoniam illi, cuius est proprietas, vt in egestione fæx expellatur, iam additum est illud, cuius proprietas est, vt penetret ad hepar, & conuertatur plurimum eius in sanguinem, & separetur plurimum eius aquositas factum, & separetur pars eius cholera facta, & pars eius facta melancholia, & hoc totum additur ad illud, cuius proprietas est, vt egrediatur factum egestio, quare multiplicatur eius nocumentum.* Hæc omnia Auicenna desumpsit à Galeno 8. *method. cap. 7.* in quo capite post multa, hæc ad verbum leguntur, tractans de hepate. *Est igitur hæc ipsius facultas principalissima, & ferè prima, concoquere videlicet, & permutare, ac alterare, atque assimilare sibi conueniens alimentum, quam alterationem vocamus, quæ verò iuxta hanc alterationem remanent excrementa, ea per aliam facultatem, quam excretiuam, & expulsoriam nominamus, expelluntur. Ostensum autem est, quòd hæ facultates omnes in omnibus sunt partibus corporis per omne vitæ tempus. Omnes enim familiare sibi attrahunt, & alienum excernunt, attractúmque temporis processu alterant, quo tempore etiam retinent, & constringunt. Vocatur autem alteratio ipsa vsquequo ad similitudinem partis, quæ nutritur, transmutatur, concoctio, vbi verò iam parti apponitur,*

 nutritio.

nutritio. Tandem subdit. *Cùm igitur hepar præ imbecillitate ex ventre, & intestinis alimentum trahere non potest, liquida, & nondum iusto modo exsiccata per sedem excernuntur, etsi quidem venter simul cum hoc viscere fuerit imbecillus, ac non probè concoquens, cruda: si verò validus, concocta quidem, sed liquida, propterea quòd nulla, aut omnino modica digestio, ac distributio ad hepar est facta.* Hæc, & alia scribit Galenus loco adducto, quæ digna sunt memoria. Quibus sic stantibus, non est dicendum obstructionem fuisse in venis hepatis, sed in substrata vesica, quam felleam appellant: cùm igitur bile repleatur, bilem in se receptam ad intestina posteà detrudit, quando se grauari sensit, hincque fit, vt excrementa reddantur, quia bilis ad intestina descendens irritat facultatem expultricem. Quòd si obstruatur, & bilis ad intestina non deferatur, necessariò regurgitat, & simul cum sanguine mista per vniuersum corpus defertur, hincque morbus icterus dictus, quo laborauit ægrotans iste: tunc nihil excernunt sic affecti, aut non nisi parum & cum maxima difficultate; & ratio est, quia bilis cùm non possit ad intestina descendere, non irritat eorum expultricem facultatem, & ob id remanet, veluti mortua, & quo magis retinentur excrementa, eo magis indurantur, síque emitti contingat, illa aut sunt alba, aut cineritia, quoniam bile non tinguntur, qualia potuerunt esse, quæ reddebat Apollonius. Hac de causa colicam affectionem fieri contingit, vt pulcherrimè annotat Auicenna *lib. 3. Fen 15. tract. 1. cap. 3.* his verbis. *Et quandoque fit propter reliquas causas oppilationis, & illa, quæ est in colica fit, propterea quòd humor viscosus glutinat faciem meatus, quare cholera non effunditur ad intestina, & hæc est illa, cuius causa est colica, immò sunt ambæ eius causæ communicantes in causa vna, & est oppilatio præterita, quæ peruenit ad meatum fellis, antequam accideret colica, & prohibuit choleram effundi ad intestina, & abluere ea: postquam ergo hæc fuit prohibita, ad hoc vt effunderetur ad intestina, non fuerunt abluta, & multiplicauerunt humiditates, & commouerunt colicam, & accidit, vt cholera redderet ad corpus, quare commouit icteritiam.* Res à nullis, quòd sciam, primò obseruata, quàm ab Auicenna, quod sæpissimè fiat colicus dolor obstructo intestino duodeno, per quod bilis peruenit ad intestina. Ob eandem causam vrinæ erant paucæ, tenues: erant paucæ, quia obstructio gibbæ partis erat euidens, neque humores adhuc poterant ita attenuari, vt ad vias vrinæ possent ferri: tam enim erant crassa, & viscida, vt si morbus fuisset salutaris, longissimo temporis interuallo id potuisset assequi, & si quæ materia pertransibat, illa erat admodum tenuis, quia crassior non poterat exitum habere. Itaque & alui, & vesicæ excrementa desiderabantur cum maximo ægrotantis incommodo; nam dum nihil, aut minimum excerneret, adesset autem excrementorum copia non obscura, accenderentur erat necessarium, & ventriculum grauarent, hinc vigiliæ: neque enim poterat caput esse à molestia liberum in tanta ad superas partes vaporum transmissione, & notate Hippocratem non dicere: vigilem fuisse: & hac ratione, quia materia intus existens suis vaporibus potiùs poterat somni inclinationem facere: attamen cùm tanta est humorum copia grauans,

etiamsi

etiamſi ſomnum non capere dicantur, neque tamen vigiliis tam euidenter capiuntur, vt verè vigiles vocentur, ſed inter ſomnum, & vigiliam ſint, veluti vnuſquiſque experitur, cui contingat veſpertino tempore plus alimenti aſſumere, quàm à ventriculo commodè poſſit concoqui, tunc dormiunt quidem, ſed tota nocte nouum quærentes ſitum, quodammodo non dormiunt: quando enim ſymptoma à bile oritur, videbitis Hippocratem dicentem. *Virgil erat, vigilabat, & quid ſimile.* Quòd eſſent flatus explicat per illam particulam.

[e] *Inflatio mala*] Non ita acciperem, vt ſignificet tumorem, veluti aliquando ſumitur ab Hippocrate 4. *Aphoriſm. comment.* 34. quando ait Galenus *in comment. Priſci etenim per inflationem, Græcè οἴδημα, & tumorem idem intelligebant.* Neque nos latet triplicem eſſe tumorum differentiam? vel enim ſunt cum dolore, quos iuniores inflammationes nominant: vel abſque dolore, & duri, quos Græci ſcirrhos vocant: vel ſine dolore, & molles, quos iidem Græci œdemata, id eſt inflationes peculiariter appellant, & propterea ab antiquo vſu receſſerunt, vt qui non omnia præter naturam incrementa ſub vocabulo inflationis complectantur. Ego igitur hac in parte non ſumerem pro aliquo ex tumoribus à Galeno deſcriptis, ſed pro flatuum copia inſigni. His abundaſſe eſt credibile propter prauam victus rationem, qua vſus erat, & præſertim, cùm lac ex ſui natura ſit flatuoſum, & pauciſſimi ſint, quibus in flatus non vertatur: dicebat Galenus *in loco ſuprà adducto de alit. facult.* Itaque crediderim poſſe nos vertere inflationem pro copia flatuum, quæ meritò dicitur mala, quoniam ſi retineantur, incommoda multa pariunt, idque pro ratione ſuccorum, à quibus originem trahunt: nam aliquando flatus eſt valde frigidus, & craſſitiem habens, à quo non mediocriter dolent inteſtina: Aliquando autem præ ſui acredine mordens, dolorem inducit vehementem: Aliquando autem nulla eſt manifeſta qualitate donatus, ſed ſola diſtenſione lædens. Huic originem traxiſſe ex materia craſſa veriſimile eſt, ſi cauſam antecedentem reſpiciamus; verumetiam aliquid fuiſſe acredinis ab effectu, & conſequentibus apparet, cùm bilioſa adeſſent, vt videbimus infrà. At, vtcunque eſſet ſine dubio erat mala inflatio, quia exitum non habebat: Hinc Hippocrates *in lib.* 2. *Coacarum text.* 6. *comment.* 1. *In febribus flatulentus venter malo eſt, ſiquidem incluſus flatus non excidit.* Eſt flatuum retentio mala, vt ſignum, & vt cauſa. Primo modo, quia ſupernæ partes, vtplurimum grauiter affliguntur, venter læditur, & prætereà materia intus exiſtente diutiùs, calorem concipiens, internas inducit intemperies. Secundo modo, quia ſignum eſt obſtructionis meatuum, expultricis infirmitatem, aut inteſtinorum caloris natiui extinctioné, quod eſt admodum pernicioſum, verùm in hoc ægrotante factá fuiſſe hanc malam inflationem à calore in craſſos humores agente, cuius cauſa etiam magna ſitis vrgebat, ſymptoma inſequens dolores, vt notiſſimum eſt: leuis enim dolor perſeuerans, magnam poteſt inducere ſitim, vti conſtat experientia, cùm bilioſa quædam ſuperfluitas ad os ventriculi confluat, cuius cauſa ſitiunt. Verùm, ſi inflammatione hepatis laborabat, quod denotant verba illa,

[f] *Hypochondrij dextri eleuatio cum dolore*] quomodo erat soporosus, si inflammationem habebat in hypochondrio dextro, quod innuit per verba præsentia, & quomodo magna sitis. Nulli dubium quòd obstructiones fiunt vtplurimum à materia crassa obstruente, cuius causa tandem partis calore non ventilato efferuescit pars, & inflammatur cùm igitur incipit ebullitio illa, calor agens in materiam crassam, transmittit vapores ad caput; & sic perinde in somnum inclinant, ac pueri in accessionum principiis, qui inuadente febre dormiunt propter excessum humiditatis, hinc sopor, sed attenuata materia, haud multo post accenditur caput, & delirant, & præsertim grauiore existente inflammatione, quod cognoscitur ex pedum refrigeratione: nam in paruis, extrema non refrigerantur, sed potiùs vtuntur; verùm in magnis, quia intus exardescit corpus, extrema refrigerantur, quoniam calor ritu cucurbitulæ trahit, & etiam eadem ratione magna sitis, vigente inflammatione, & eo tempore mirum, si non delirent, grauissimè capite affecto. Hic parum delirabat, nondum ita materia acri facta, quæ violentiùs cerebri membranas vellicaret. Omnium obliuisci in morbis, videtur frigiditatem denotare: nam obliuio fit à frigiditate *lib. 2. de sympt. causis. cap. 7. Fatuitas, obliuio ex frigiditate.* At, si dicat quispiam, obliuionem in morbis acutis factam sequi intensum calorem, id quidem erit concedendum per se, sed per accidens insequitur refrigerationem, quatenus aliquando euenit, vt præternaturalis calor, destruens calorem natiuum induens frigiditatem, vt lacti contingit, quod à sole acescit. Est autem perniciosissimum signum, vt scribitur *in hac sectione text.* 37. quando hæc habet. *Obliuio manifesta est, & monstrata frequenter est, de exitialibus esse*, quod repetit *lib. 1. prorrhet. text.* 28. in quo sic habet. *Vrinæ excretio in non recordantibus perniciosa.* Vbi Galenus. *Perniciosum est signum, quia etiam peryt naturalium functionum intellectus*, quod idem habemus *in Coacis lib. 1. text. 6. comment.* 1. vbi sic legimus. *Cum rigore non agnoscere familiares, malum: malum quoque obliuio.* Nam cùm rigor fiat natura tentante aliquam euacuationem, si nihil contingat istorum, & ægrotans fiat obliuiosus, indicium est naturam pugnæ, & causæ morbificæ succumbere, quo tempore & cerebrum refrigeratur, calore proprio, & insito resoluto, simul cum totius corporis calore. Itaque ipsius actiones læduntur, memoria imprimis, & imaginatio. Idem contingit etiam delirantibus quidem; sed illud symptoma sequitur tunc calidam temperiem, & siccam cerebri, & isti ita fiunt propter spirituum mobilitatem, & exhalationum acrimoniam, animo veluti distracto. Verùm hi ad se redeunt, remotis impedimentis. Cerebrum autem, si eo modo refrigeretur, vix, aut ne vix quidem restitui potest, cùm iam constet immedicabile esse vitium, si morbo calido, morbus frigidus succedat. Deinde *in 2. prorrhet. text.* 30. *Ignorantia cum rigore, & obliuio, victum calorem natiuum ab ea, quæ symptomatica est, refrigeratione, indicant.* Quòd enim non agnoscant familiares, neque factorum recordentur, ex cerebri refrigeratione enasci id constat, patétque vtrunque per se malum esse symptoma, & si ambo simul fiant, geminari prauitatem. Cùm

igitur

igitur duplici de causa fiat obliuio, quid dicemus de hac obliuione? Crediderim ego non esse factam à refrigeratione, quia scilicet extinctus fuerit calor natiuus, quia non tandiu perdurasset: ergo in hanc propenderem sententiam, ideò obliuiosum fuisse, quia vacillabat mente, neque ea refrigeratio dicenda erat rigor, quamuis sumeretur lato modo, quoniam non erat principium accessionis, sed insequebatur, vti dictum est, vim inflammationis. Quod verum sit, subdit, mente fuisse motum, quasi velit innuere, etsi facta sit anteà extremorum refrigeratio, posteà obliuio, non propterea extinctum calorem putes, quia non tandiu superuixisset, sed id ideò factum, quia non erat apud se, & hoc est delirantibus familiare, non recordari eorum, quæ loquuntur, vti constat Medicinam facientibus, & à Galeno habetur apertissimis verbis *lib.2. de motu musculorum cap.6.* sic. *Principium autem inueniendi ea hoc faciemus, multos videlicet homines interdum actiones quasdam egisse, quarum paulò pòst penitus sunt obliti: vt, qui per metum, aut ebrietatem, aut aliquid aliud generis eiusdem egerunt, nihil amplius eorum, quæ egerunt, dum in illis constitutionibus erant, recordantur. Causa autem, vt mihi videtur est, quod non intenti actionibus tota mente fuerint. Pars enim animæ imaginatiua, quæcunque ea sit, hæc eadem & recordari videtur. Si itaque insignes impressiones rerum in imaginationibus acceperit, conseruat perpetuò, atque id quidem est memoria tenere: sin verò obscuras, & penitus superficiarias, non conseruat, & hoc est obliuisci:* Subdit. *Et ob hanc causam, in curis, ira, ebrietatibus, timoribus, phrenitidibus, & omninò in vehementibus animi affectibus, nullius eorum, quæ egerint, imposterum amplius meminerunt.* Posteà. *Nam, qui mente errant, loquuntur, vadunt, & omnes motus voluntarios obeunt: sed, ne hi quidem, cùm ad ingenium redierint, amplius meminerunt, quæ egerint.* Ergo fuit obliuiosus, quia mente mouebatur, vt ait Hippocrates.

g *Ad diem decimumquartum*] Nescio, quomodo dicat Hippocrates hunc ægrotantem die decimoquarto decubuisse, quasi ante hunc diem rectus esset. Verùm ego sic responderem. Adhuc non peruenerat ad eum diem, in quo magna salutis spes potest subesse, quod spectat ad morbos acutos. Itaque, cùm eo die riguerit, sine dubio sperasset Medicus potuisse sequi rigorem aliquam insignem, & commodam euacuationem, quæ etsi diceretur symptomatica, propterea non impediebat id, quin sequeretur aliqua morbi alleuatio, vt inde spes melioris conciperetur. At cùm superuenerit rigor in die decretorio, & subsequuta sit euacuatio per aluum, quam perdurasse à decimaquarta die anteà scribit, & ab hac euacuatione, non tantùm non fuerit alleuatus, sed potiùs apparuerint omnia coctioni contraria, & funesta, tunc quidem meritò poterat dicere Medicus, verè decubuisse cùm non amplius surrecturus esset. Confirmat hoc Hippocrates 4. *Aphorism. text.46.* hunc in modum scribens. *Si rigor accidat, ægro iam debili, febre non deficiente, lethale.* Et notanda particula illa: *ægro iam debili:* quia si non fiat euacuatio, malum, si fiat, pessimum, cùm omnis euacuatio in virtute languida sit pessima. Febris, an defecerit ex textu elicimus, quando increuit morbus, cum grauioribus accidentibus, postquam insaniit,

insaniit,& hoc denotat illam obliuionem, vt diximus, originem traxisse ex delirio,& vt ostendat grauitatem delirij, addit,perturbatum fuisse,clamasse. Omnia hæc capitis auctam affectionem clarè demonstrabant, & Galenus 2.*acut.comment*.45.inquit. *Perturbatio periculosissima est,quando nulla posteà subsequitur euacuatio,quia solent hæc præcedere crises:at quando erat expectanda crisis, omnibus ad perniciem tendentibus.* Quòd si sudor erupit,procul dubio,aut fuit frigidus,aut pessimæ conditionis,& fortasse erat paucus,ob hócque damnandus: scribit enim simpliciter.

[h] *Rursus sudor,*] Fortasse etiam circa caput,iam virtute debilitata, & ob hanc rem soporosus factus: est enim in imbecillitate varius quidem naturæ motus, quo tempore insurgit ad pugnam peccantis materiæ, aliquando delirant,surgunt,clamant; verùm, cùm diutiùs impetum sustinere non possit natura,interquiescunt accidentia,ipsa cedente, & tunc fiunt veluti soporosi,quo tempore sæpissimè concipitur spes melioris conditionis,sed falsa.Si aliud debebat capitis affectionem alleuare, erat alui motio & larga,id autem euenit,quando succedit natura operante,non eo modo, quo nunc,irritata: nam non fuit signum roboris ipsius, sed euidentis depressionis, cùm pernicies ægroti eò magis manifestaretur, quò largior euacuatio apparebat: neque mirum id ita fuisse factum,interna existente inflammatione, quia aut suppuratio succedit, aut virtutis casus: prætereà alimenti corruptionem, coctionis, & distributionis defectum, vel etiam, quod pessimum est,facultatis hepaticæ resolutionem ostendit, cùm adhuc essent cruda,præter id,multa,copiam,mera, flagrantem internam dispositionem denotantia.Si quid aliud naturalis facultatis dispositionem denotare poterat,erat excrementorum varietas,quæ, etsi varietatem humorum demonstraret, simul etiam imbecillitatis facultatis signum poterat esse; verùm illud erat deterius excerni excrementa tam maligna, ex quibus vnusquisque poterat arguere prauam corporis dispositionem, & deleteriam humorum qualitatem tam per aluum, quàm per vias vrinæ exeuntium: vrinæ enim erant nigræ, tenues, de quibus excrementis vtriusque partis iam aliàs sumus eloquuti in superioribus. Hoc erit satis dicere ab huiusmodi excrementis posse nos facilè deuenire in cognitionem hepar vtraque parte malè fuisse affectum, scilicet parte caua, & parte gibba. Auicenna *lib.*3. *Fen* 14. *tract*.3. *cap*.1. vult partis gibbæ affectionem esse deteriorem.quàm partis cauæ,dum inquit. *Et apostema quidem, quod est in gibbositate,deterius est apostemate,quod est apud concauitatem*; Verùm scire oportet ab vtraque parte impendere periculum: at quemadmodum inter cæteras facultates vitalis est præcipua; ita qui morbi spectant, ad facultatem vitalem,ij sunt deteriores: modò,non immeritò dicunt gibbæ læsionem esse periculosiorem, quia cauæ affectus facit, vt ægrotans sit inappetens,nauseabundus,euomat bilem, sitiat quammaximè: sed gibbæ inflammatio, de hac nunc intelligo, dolorem maiorem facit inter spirandum: talis est magis molesta, & dolor ad iugulum protenditur. Hæc accidentia communicantur vitali facultati, & ob id putant grauiorem esse affectionem gibbæ partis, quàm concauæ: vos verò vtramque affe-

ctionem

ctionem plurimi facite,etiamsi verè, ratione facultatis magis timenda sit gibbæ, quàm cauæ inflammatio. Sed veniamus ad textum. Erat in hoc ægrotante affecta pars gibba,& pars caua: neque dicat quis potuisse excrementa hæc demandari ad hepar sine partis principis læsione, quia hoc concedimus: neque enim necessarium est,vt materia feratur ad aliquam partem,tanquam ad terminum ad quem, sed sæpissimè vniuersum corpus expurgatur per illam partem,sine illius partis noxa: at in hoc ægrotante non eadem erat ratio, sed concurrebat noxa partis principis, vt iam ex tactu constare poterat,& ex accidentibus,cùm appareret manifestè vtramque partem munere suo minùs benè fungi, cùm vtraque excrementa essent cruda.Vrinæ erant tenues: Alui excrementa erant cruda.Hoc pertinet ad facultatem naturalem,quæ præcipuè residet in hepate,& cùm pars gibba per vrinas,caua per aluum soleat purgari, vtrumque extitit in hac euacuatione: prætereà fuit pessima in hepatis inflammatione aluum moueri,non quia non possit iuuare,si fieret apparētibus signis coctionis, sed quia in principio deterrima est: ita Galenus *lib.2. prorrhet.comment.58.* docet,sic scribens. Nempe aluus in quouis morbo profluens sine quidem coctionis signis, quæ sæpiùs audiuistis, nihil iuuat: si verò implacidiùs operata fuerit, præter id,quod nihil iuuat, noxam etiam attulit. Cùm his verò iuuat, magísque si contristans humor vacuetur, atque adhuc magis, si æger post euacuationem sit placidior, certiúsque, cùm in die iudicatorio apparuerit quippiam, quòd per indicem significatum fuerit. His sic existentibus, est certissimum hanc euacuationem fuisse non tantùm inutilem,quia nihil iuuerit; verùm,& perniciosam, cùm noxam euidentem attulerit, cùm post euacuationem fuerit implacidus; & addit *multùm*, vt denotet effectum euacuationis: At quomodo poterant æruginosa, pinguia,nigra, virulenta iuuare,crudo morbo existente, de qua re aliàs cum Hippocrate,& Galeno dictum est. Nec sufficit dixisse talia fuisse, qualia descripsit, sed etiam addit.

[i] *Tandem lacti similes reddere visus est*] Hoc est in conspicuo excrementa aliquando reddi, qualia sunt edulia,quibus vtimur, quo existente possemus dicere,quia lacte vsus sit multo,talia emisisse excrementa,quemadmodum vidi multos,longo vsu ptissanæ,alba habuisse excrementa: ita canes ex ossium esu alba emittunt excrementa, quod tamen,neque semper verum est,sed hepate æstuante,& in febricitantibus infantibus sæpissimè, quæ per aluum excernuntur, aliàs flaua, aliàs viridia, & tamen solo lacte vescuntur.Ego verò,non proptereà alba fuisse excrementa dicerem, quia multo lacte fuerit vsus: cur enim talia non erant à principio. Prætereà, cur in tam æstuanti dispositione non est corruptum lac, & versum in bilem,quod familiarissimum est, præsertim in iis, qui obstructionibus laborant,& aliquem habent calorem in hepate:cur priùs fuerunt biliosæ, posteà nigræ, deinde virulentæ, & tandem lacteæ excretiones. Sed modum loquendi Hippocratis diligenter obseruarem. Ad quid addere,postquam enarrauit qualitatem excrementorum, (*Tandem lacti similes*) Multùm apud me valent verba illa,& vult dicere quid simile. Si vis co-

gnoſcere quantus eſſet æſtus internus, obſerua excrementa, quæ primò fuerunt bilioſa. Hæc non omninò improbanda. Poſteà apparuêre deteriora, & maiorem calorem indicantia, cùm eſſent nigra: ſed peiora in dies: neque enim eodem die tam varia fuerunt, quæ excernebantur, cùm hoc à decimoquarto ad vigeſimumquartum euenerit, quo intermedio tempore facta ſunt æruginoſa, quæ quantopere erant improbanda, certum eſt omnibus Medicinam profitentibus: nam in morbis, quo plura, & lethalia ſigna coëunt, eò certius mortis præſagium eſt, vti ex Hippocrate habetur *in lib. 2. Coacarum. text. 26.* his verbis. *Signis lethalibus iam editis, tremores parui, & vomitus æruginoſus.* Poſt hæc tandem factæ ſunt lacteæ excretiones, non ob alimentum, ſed propter vehementiorem calorem, aucta interna inflammatione, & bile ad caput delata. Hæc talia fieri conſueuerunt, aut propter obſtructionem veſicæ felleæ, vt vult Galenus, *lib. 2. prognoſt. comment. 20. Candida,* inquit, *haudquaquam decumbere croceam de iecore bilem in ventris ſedes ſignificat.* Aut propter delationem bilis ad ſupernas partes, aut propter edulia, & huic propter ſecundam cauſam facta ſunt talia, vt Archecrati contigiſſe narrat Hippocrates 1. *lib. prorrhet. text. 13.* Ibi Hippocrates ſic habet. *Phreniticis alba deiectio malum, vt Archecrati: an & in his veternus fiat? Rigor in his peſſimus.* Addam libentiſſimè verba Galeni, ne adoleſcentes longiùs petant. *Quòd albæ deiectiones, & ob ciborum colorem fiant, liquidò conſtat: vidimus ſiquidem eos, qui lac ſolum ingeſſerunt, vel panem purum, vel chondrum, vel lupinos, vel tale quippiam, deiectionem habere albam, ſi his comparentur, qui lenticulam ederunt, vel braſſicam, vel decoctum leporinum ſanguinem. At certè ijs, qui alba ingeſſerunt edulia, flaua bilis quidpiam adueniens deiectionem colorat, ita vt ingeſtis pallidior efficiatur. Cùm igitur Medicum quempiam audieris dicentem, albas eſſe morbo regio deiectiones, quod ad naturales eas compararet, conferátque, quódque ad collationem harum ſermo ſit ipſi oportet. Atque, quo modo plerique alij Medici deiectiones in morbo regio albas fieri dixerunt; ita, & nunc in phreneticis dixit: quaſi eas prorſus flaua carere bile dixerit. Fit autem id, cùm ea non amplius in ventrem confluat, ſed vnà cum ſanguine, qui in vniuerſum corpus diſtribuitur ſurſum fertur: idque vel propter adſtrictionem quandam eius, qui bilem in ventrem defert, canalis, veluti in morbo regio laborantibus vſu euenit, vel propter vehementem ardorem, qui in ſuperioribus iecinoris partibus exiſtens, ſanguinem vnà cum bile ſurſum rapit.* Hactenus Galenus. Quibus apertiſſimè conſtare credo, cur tandem excrementa in Apollonio facta fuerint lactea; cùm enim vehementiſſimo delirio eſſet correptus, fieret autem, quia inflammatio extaret interna, vt verba Hippocratis denotant, quando ante decimam dicit, *Hypochondrij dextri eleuatio cum dolore* quid mirum, ſurſum repente bile talia facta eſſe, præſertim, cùm perſeueraſſet etiam ſequentibus diebus: nam etſi dicat vigeſimoquarto leuiùs habuiſſe. Hoc non poterat ſpem ſalutis afferre, ſed erat quies quædam naturæ non potentis ampliùs inſurgere aduersùs cauſam morbificam, quia nihilominus antedicta erant eadem. Hîc poteſt adaptari textus

Coacarum

Coacarum lib.2. text.12. qui ſic legit. *Morbi inſignis malis leuati, & in bonis non remiſſi difficiles ſunt:* nam viſus quidem eſt alleuatus, quia leuiùs haberet,& aliquantulum mentis erat compos, verùm illud erat maximum, nunquam ad ſe ita veniſſe, vt recordaretur eorum, quæ agebat, ſignum quòd ingens, & firmata erat cerebri affectio, quam decet pertimeſcere: & vos in ægrotantium alleuatione, longè abeſſe debetis ab opinione vulgi, qui vnius horæ alleuamentum exiſtimat meliorem ægroti conditionem, híncque concipit ſpem ſalutis: propterea debetis omnia diligentiſſimè expendere, & animaduertere, an perſeueret alleuatio illa per tres dies, & hoc amplius, pro tempore morbi, ne coacti ſitis eadem die de eodem morbo,ſæpiùs aliter ſentire. Ecce, quomodo parum durauit illa alleuatio,quia erat infida, neque erat morbi ratione, ſed naturæ depreſſione,quia ſubdit;rurſum deſipuiſſe ſubitò,quaſi velit innuere minimum temporis perduraſſe illam alleuationem, ſed repetitis accidentibus,virtutis proſtratione exiſtente,meritò ſubnectit.

[k] *Omnia in peius vertebant*] quia non amplius diſſolutus naturalis calor poterat reſtitui, ſed omninò reſoluto, nihil aliud erat reliqui, niſi vt deplorata ſalute peſſimo fungeretur fato, & vita caderet, quod poſt multa perpeſſa contigit die trigeſimoquarto, quia natura robuſta omnes cauſæ morbificæ conatus,quantum in ſe eſt,ſuſtinet,ſed tandem continuò cauſa pugnante,neque vnquam conquieſcente, ſuccumbat eſt neceſſe, & præſertim animali facultate tam grauiter læſa, naturali malè affecta, vt ex continua euacuatione alui conſtat. Parum refert hîc quærere, an Hippocrates fuerit tempeſtiuè vocatus, necne: refert quidem vos monere,vt cùm venietis ad ægrotantem, antequam manus admoueatis, virtutem expendatis,non tantùm præſentem, ſed & futuram, & ita ad curationem vos accingatis,ſi validam habebitis: ſin minus,& ita ſit eſſentialiter,non per aggrauationem, prædicto euentu, facite quod per virtutem licebit, & vt magis exiſtimationi veſtræ conſulatis, ſeniores conſulite Medicos: inualuit enim vſus noſtris temporibus, vt ſi ægrotans poſt grauem pugnam conualeſcat, hoc ſemper ſequatur alicuius Sancti interceſſione, quod quidem credibile eſt: nam veluti Deus Opt.in homines ſemper,aut ſæpiſſimè animaduertit propter peccata,ita ſæpe euitent mortem intercedentibus Sanctis: verùm hoc indignum eſt, & graue. Si moritur ægrotans, Medico ſemper mortem adſcribere immediatè, neque amplius dicunt Deum Opt. Max. noluiſſe eiſdem vitam concedere; ſed tunc Medicus in aliquo defecit. Vos igitur ſtatim inuiſentes ægrotantes iubete, vt confiteantur peccata,quia placata diuina ira, morbi non ita ſæuiunt, & ſi permittente Deo id fiat,vt ab omni culpa vos vindicetis, ſeniores,vt dixi, vocãdos curate, neque eorum ſitis,qui aliorum actiones damnantes nihil boni putant,niſi quod ipſi faciunt. Modeſtè igitur agite,& diuinam prouidentiam exorate, vt vobiſcum ſemper ſit in curationibus, neque vnquam tribuite vobis felices curationum euentus, quia omnia deſuper veniunt,& multò magis, cùm morbos habebitis contumaces, vt erat hic Apollonij.

Curatio.

IN huius ægroti curatione duo erant ſpectanda, morbus præſens, & morbus imminens: verùm, ſi quis præſentem morbum, videlicet viſcerum obſtructionem curaſſet, ſine dubio futurum prohibuiſſet, neque in febrem incidiſſet. At eſt hominum quoddam genus, qui quo magis in victu delinquunt, eò magis ſe iactant, Medicum veluti negligentes, ipſi autem ſæpiſſimè luunt pœnas. In huiuſmodi igitur caſibus illud imprimis ſtudere oportet, vt caueant ab erratis, quia ſunt irrita omnia, niſi habeamus ægrotantem obſequentem: ſin minùs, melius eſt curationem non tentare, quàm cum dignitatis detrimento eandem aggredi. Ergo ſupponentibus nobis potuiſſe curari hunc ægrotantem, erant neceſſariæ euacuationes per medicamenta, vt congeſtæ cruditates poſſent à corpore tolli, ad quod opus perficiendum exhibuiſſem medicamentum eiuſmodi, ℞. *ſyrup. de cich. Guglielmi, cum rhabar. completi, mellis roſ. ſolut. ana ℥. j. ß. diacat. ℥. j. cum aqua capill. ven. facta potione.* Poſt hoc, paraſſem medicamentum alterans tale, ℞. *ſyrup. de cich. Guglielmi ſimpl. oxym. ſim. ex melle Hiſpano ana. ℥. j. decoctionis foliorum agrimon. bethonicæ, capill. ven. boraginis, radicum aſparagorum, paſſularum, hordei, ſem. coriandro um ℥. iij. ß. miſce.* In talibus enim caſibus maiore ſyrupi quantitate eſt opus, quia morbus eſt contumax. Interim interrogaſſem ægrotantem, an eſſet aſſuetus euacuationi hæmorrhoïdum, quam ſtatim tentaſſem, ſi habuiſſet familiarem. Vidi aliquando factos homines ictericos ex retenta hac euacuatione. Quòd ſi in hoc non erat hæc cauſa, non fuiſſem veritus ex brachio ſanguinem extrahere: hoc enim modo curat obſtructiones Galenus 8. *meth. cap.* 4. Aliquot ſyrupis aſſumptis, & ſanguine iteratò miſſo, purgans exhibuiſſem ex ℥. *iij. mellis roſ. ſoluentis*, & ℥. *j. diacat. diſſoluto medicamento cum infuſione ʒ. ij. rhabar. opt. in aqua agrim. facta.* præſtat enim in huiuſmodi obſtructionibus placidioribus vti medicamentis, quia aliquando agitata violentiùs materia febres accenduntur, & ob id vidi ego meliùs, & tutiùs fuiſſe actum, ſi dum viget obſtructio, ſenſim deobſtruendo procedamus, ſi tamen iis temporibus aluus plus iuſto ſit adſtricta. Hoc præſtito, quia materia non poteſt tam facilè educi, operæpretium fuiſſet, alterantibus denuò vti; & ſic ſenſim alterando, & ſenſim euacuando curationem contumaciſſimæ obſtructionis tentare. Itaque iteraſſem *ſyrupos ex duabus racidibus, ſyrupum de agrimonio, cum decocto agrimonij pentaphylli, radicibus aſparagorum, petroſelini, graminis, foliorum cetrach. radium capparum, cum portione tamariſci, & fraxini*, & ſic poſt hæc, repetito placido medicamento, deueniſſem poſtea ad ea, quæ interiùs aſſumpta, & exteriùs admota, difficiles obſtructiones tollere ſunt apta. Huiuſmodi commendatur. ℞. *chalybis ℥. viij. molatur ſuper porphyrite ſubtiliſſimè cum aceto, deinde ſiccetur ad ſolem, aut ignem; & ſic ſepties iteretur.* Poſteà ℞. *limaturæ ſic præparatæ ℥. ij. cinnamomi, nucis conditæ an ʒ. iij. rhabar. ʒ ij. ſpecierum aromatici roſati ʒ. iij. mellis optimi,*

ſaccari

saccari albissimi ana ℔. *j. misce,& lento igne,fiat electuarium. Sumatur ad* ℥.ß. *& exerceat corpus post assumptum medicamentum,& sic sequatur per dies triginta, & hoc amplius.* Inter cætera commendatur *spiritus tartari legitimè paratus ad* ʒ. *j. vel eiusdem liquor ad* ʒ. *j. cum aqua chelidoniæ, vel fumariæ.* Item ℞. *conseruæ cetrach.* ℥. *ij. trochisc. de capparibus* ʒ. *j. specierum diarrhodon Abbatis,spec.diagalangæ an.* ʒ. *j.ß. limaturæ chalybis maceratæ in aceto,& tenuissimè tritæ* ʒ. *iij. seminum portulacæ* ʒ. j. *cum syrupo acetosæ simpl. fiat electuarium: sumatur ad auellanæ quantitatem, superbibendo aquæ portulacæ,aut tamarisci parum.* Neque hoc vinum improbatur. ℞. *Vini albi* ℔. *x. aquæ cetrach.* ℔. *ij. radicum asparagorum, filicis,capparum an.* ℥. *j. fol. cichor. cetrach. agrim.ana M.j. ellebori nigri* ℥. *ij. epithini, cyperi* ℥. *j. cinnamomi, maceris singulorum* ʒ. *ij. bulliant in duplici vase vsque ad consumptionem, sextæ partis, deinde per noctem macerentur,& facta diligenti expressione,& colatura,ponatur vinum in phiala vitrea, & addatur chalybis præparati* ℔. *j. posteà diligenter vas obturetur, & in stuffa fumaria per decem dies teneatur, quotidie vas diligenter semper quassando. Vsus huius vini est,vt singulo mane* ℥. *vj. vel vij. pro ægrotantis captu sumantur.* Hunc in modum etiam medicamentum præparatum laudatur. ℞. *rasuræ chalybis præparati* ℥. *ij. diarrhodon Abbatis* ℥. ß. *agarici recent. trochisc. rhabar. an* ʒ. *ij. syrupi de corticibus citri, quantum satis, & fiat electuarium. Huius capiat in mane per aliquot dies* ʒ. *j. vsque ad* ʒ. *ij. & superbibat haustum vini generosi albi.* Vel ℞. *chalybis præparati cum aceto, ammoniaci an.* ʒ. ß. *pulueris cetrach. tamarisci an.* ℈. *ij. rhabar.opt.* ʒ. *j. cum aceto scillitico, fiant pilulæ octo pro duabus vicibus, & sic per quindecim dies.* Neque improbatur vsus *terebinthinæ lotæ cum vino* ℥. *j.ß. saccari opt. pulverizat.* ℥. ß. *fiant pululæ. Accipias* ʒ. *j. singulis, vel alternis diebus.* Hæc,& alia interna medicamenta proponuntur,quæ vnusquisque habere potest à practicantibus. Exteriùs hepati proficuum fuisset emplastrum ex meliloto. Aut ℞. *farinæ.sem. lini,florum chamæmeli puluerizati, farinæ hordei an.* ℥. *iiij. cum oleo absinthij, rosarum, spicæ q. s. fiat emplastrum, & hepati tumefacto admoueatur. Lieni conuenisset ceratum ex ammoniaco,ex gumma elemi.* Vnctiones *ex oleo amyg. amararum ex vrina pueri cum succo cucurbitæ siluestris. Aqua fabrorum.* Hæc ita iuuat, vt dicant aliqui vsu capparum, & potione aquæ, in qua faber ferrarius sæpe candens ferrum extinguit per annum, contumacissimos lienis tumores fuisse liquatos, & integrè solutos. Hæc, & alia poterant fieri antequam febris accenderetur, qua curatione fortasse, & bona victus ratione prohibuisset,quo minus fuisset succensa febris,qualis describitur. Febre modò succensa,quàm celerrimè erat subueniendum iis,præsidiis, quæ multis profuisse vidimus, esséntque reserandi vias obstructas vim habentia,verùm respicerent acutiem febris. Itaque in consimilibus casibus statim confugissem ad venæ sectionem, extracto sanguine pro virtutis robore, & morbi magnitudine, quo præstito; nisi aluus probè iret, propinassem medicamentum ex manna, & lenitiuo, aut diacatholicone, dissoluta cum aqua agrim. in qua decoxerint folia absinthij, & puluis sem. citri. Posteà

deueniſſem ad deobſtruentia: horum enim opus eſt anguſtiores vias expedire, abſtergere, ſi quid glutinoſi vaſi inhæſerit, humorúmque craſſitiem extenuare, & incidere, vt Galenus *de bonitate, & vitio ſuccorum.* Verùm, quoniam, eodem dicente, frequens eorum vſus ſanguinem reddit ſeroſum, aut atrabiliarium; quia, præter id, quòd attenuant, & incidunt, etiam vehementer calefaciunt, à quorum calore tantum abeſt vt humores attenuentur, vt potiùs craſſiores fiant, & partes ſolidiores exſiccentur, proptereà ab his erit abſtinendum, & ratione obſtructionis, & ratione febris vehementis, & potius ex vſu erit oxymel, quod tantopere commendat in huiuſmodi caſibus, nullo impediente. Huic addidiſſem ſyrupum de endiuia, quæ tantopere hepati proficua eſt, ſyrupum de agrimonio, qui in affectibus hepatis conducit maximè, iecoris obſtructiones expurgat, & firmat viſcus, dicebat Galenus *lib. 5. de ſimpl. medic. facult. cap. proprio. Eupatorium,* inquit, *herba eſt, tenuium partium, incidendi, extergendique facultatem, citra manifeſtam caliditatem obtinet, quocirca iecoris obſtructiones expurgat, ineſt itidem ei, & adſtrictio quædam, per quam robur viſceri addit.* Vſus præterea fuiſſem ſyrupo de acetoſ. citri, de acetoſa, acet. ſimpl. concinnata decoctione ex acetoſa, endiuia, boragine, ex gramine, ruta capraria; aut, ſi viſcera erant tam magna, ne incideret in hydropem ex nimia potione, poterant exhiberi ſyrupi ſine aquis: exhibito cochleari vno, aut altero paſſularum, ipſis priùs mundatis ab acinis: ſunt enim viſceribus quammaximè familiares, ſi credendum Galeno *lib. 8. de comp. medic. ſecundùm locos. cap. 7.* Cæterùm vua paſſa contemptilis videri poſſit, ob familiarem eius vſum: at verò hoc ipſum eam facit vtiliorem: nam cùm familiaris nobis ſit, in tantum adſtringens eſt, quantum opus habet viſcus affectum. Habet autem, & vim concoctoriam crudorum humorum, & vim coërcendi maligna, fitque ipſa haud facilè putredini obnoxia, & vltra hæc ſecundùm totam ſubſtantiam viſceri ipſi eſt familiaris, & proſpera. His prætereà adderem, & radices graminis, petroſelini, folia pentaphylli, nec improbaſſem ſcordiū. Semina quatuor maiora frigida, ſem. citri, flores cordiales, & id genus alia, quæ citra calorem vias poſſint aperire: nam, neque ratione febris valenter calida conueniſſent, & quia ante decimamquartam diem aluus videbatur adſtricta, vſus fuiſſem emollientibus clyſteribus, & quoniam ex longa, & diuturna obſtructione, tandem febris fuit concitata cum hypochondrij dextri inflammatione, eam ob rem lenire hepar expediebat etiam exterius. Solemus vti familiariter ſucco cichorij, oleo roſaceo, cum portione omphacij, quod magis Galeno arridet, quàm acetum, quia ſcilicet minùs efficax ſit, & mordax, & proptereà etiam hypochondriis æſtuantibus magis commodum *lib. 4. de ſimpl. med. facult. cap. 12.* vbi hæc habentur. *Etenim ad hypochondria ardentia præſtantius eſt ſuccus omphacij, quàm aceti, quod nec violentum, nec ferientem habeat frigiditatem, nec eam mordaci admiſtam caliditati.* Lienem inunxiſſem medicamentis iam dictis, oleis calentibus, chamæmelino, abſinthij, capparum. Oleum abſinthij fit ex abſinthio Pontico, quia hoc præſtat ei, quod in noſtris regionibus naſcitur, & proptereà eſt admodum vtile,

quoniam

quoniam habet maximam adſtringendi vim,vt Galenus 13. *method.c.17.* & *lib.11.method.cap.16.* Ibi ita ſcribitur. *Nos, ſi minima ſuſpicio ſit,iecur, ventriculum, laborare, abſinthium protinus oleo incoquemus, ac eas particulas perfundemus.* Cùm autem duplex in omni abſinthio facultas, & qualitas ſit,vtique in Pontico adſtringendi facultas non parua eſt. In reliquis omnibus amara quidem qualitas vehementiſſima, adſtrictio verò, quam ſaltem guſtu agnoſcas,aut planè obſcura,aut prorſus nulla ſentitur, proinde Ponticum ad iecinoris,& ventris phlegmonas eligi præſtat. Hoc peracto,vigiliis erat prouidendum omni genere reuellentium,& maximè ſunt attendendæ in morbis vigiliæ, erátque adhibendum omne genus reuulſionum, quia hac curatione fuiſſet facilè prouiſum imminentibus malis,nimirum inſaniæ,quæ poſt decimamquartam diem eſt facta. Si hirudines venis ani fuiſſent applicatæ, fortaſſe benè eſſet conſultum ægrotanti; quia,quammaximè retrahit hæc euacuatio à capite.Inſtandum erat alexipharmacis iam ſæpiùs dictis. Vos debetis his vti, ſi diuites curare contingat, cùm vtplurimum multa cupiant proponi remedia; ídque aut quia diuitiis affluunt, aut quia exiſtimant ex his maximum ſe percepturos commodum, & ob id,ne hæc prætermittatis; nam ſi contingat alium Medicum vocari ad curationem, & proponat, ipsíſque exhibitis, caſu natura aliquam moliatur euacuationem, ſine dubio morbi alleuatio aduenienti Medico tribuetur.Proponite igitur omnia remedia, vt multùm feciſſe videamini;verùm in operando cauti eritis,ne præcipitanter his vtamini. Sunt,qui ad ſydera extollant ſmaragdum in affectibus capitis. Ego quidem non damno:at neque cum iis conuenio, qui tantopere extollunt; verùm neque id negligite,ne quid peccaſſe videamini.Fruſtra hæc omnia fuiſſent propoſita,niſi in primis attenderetur victus ratio, quæ tenuis eſſe debebat, vt poſſent humores facientes obſtructiones diſſipari. *Attenuatio*,ſcribit Galenus 3.*in 6.epidem. comment.29. eſt corporis euacuatio.* Hæc fit multis modis,ſed præcipuè diæta, vt *lib. de articulis* habemus, quo in loco ſic legimus. *Quando verò Medicus dedita opera attenuare, ac gracile corpus reddere vult, primùm id inedia coërcet.* Verùm, quoniam noſtri temporis homines non poſſunt tantam ferre inediam, cùm tempore ſanitatis admodum ſint intemperantes,propterea etiam tempore ægritudinis ſeruandam præcipit Galenus *multis in locis*, & 2.*in 6.epidem. comment.26.* Inter cætera edulia, præferenda erat ptiſſana, dummodo benè ſit præparata, vti aliàs dictum eſt. Hanc exhibet Galenus 8. *method.* & dixi, dummodo ſit bene præparata, quia hordeum, perinde ac fabæ eſt flatuoſum, ſed in hoc differt, quòd hæ quantumuis decoquantur, nunquam flatuoſitatem deponunt,hordeum autem probè decoctum, eandem deponit omnino, Galeno teſte,1.*lib.acut.comment.18.* *Ptiſſanam*, inquit, *ſi plurimum incoxeris, cibum haudquaquam flatuoſum efficies.* Et nos quidem fabaceum, ita Græcè dicunt, neque ſi tribus coxeris diebus flatu viduum,orbatúmque reddideris, maximámque habet vim,detergendi, & infarcta reſerandi, vt *loco citato* manifeſtiſſimè apparet, ſed apertiſſimè præ cæteris confirmat Galenus optimam eſſe ptiſſanam in febribus ardentibus,

dentibus, & vbi sitis ingens adest, & obstructiones vehementes, *lib. de ptissana, cap.5.* in hunc modum scribens. *Vt rursum hac in re ptissana reliquis superior existat, quòd nullam dum manditur parit insuauitatem.* Habet quinetiam lubricitatem eius præcipuéque cremor, sed quæ in transitu non adhæreat membris. Oua essent ex vsu in his casibus, & quæcunque sunt optimi succi edulia. De ouis scribit Galenus *lib. de remed. facilè parabilibus cap.15.* habere maximam vim humectandi, & etiam aliquam vim incidendi, etsi modicam, vt *lib. de ptissana cap.6.* Ibi sic legitur. *Atqui præter hanc, aliorum est nullum ex his, quæ siue medicamenta, siue vt alimenta offerantur, quod vtraque hæc possideat, sed aut parum incidens abundè humectabit, & nutriet, quemadmodum panis, alica, oua, & pisces.* Ergo aliquo modo oua incidunt. Verùm in hoc ægrotante fortasse minùs probarentur, cùm crassa esse dicat Galenus *multis in locis.* Vbi verò adsunt obstructiones insignes, huiusmodi edulia sunt vitanda. Quòd sint crassi succi apertè confitetur Galenus *lib.4. acut. Oua* inquit, *& chondrus crassi sunt succi, & boni, & humorum acrimoniam infrenant*, quod pariter habetur *lib.1. acut. cap.6.* & *lib.5. de sanitate tuenda*, Hoc in loco ob id abstinendum à multo ouorum esu, quia crassi sunt admodum succi, & lenti. Verùm minimo negotio tollitur hæc controuersia, cùm ibi non sermonem habeat de recentibus, sed vetustis, hæc autem in vsum medicum non veniunt, recentia autem sic à Galeno commendantur. *Oua recentia veteribus plurimum præstant, quippe optima sunt, vetustissima autem pessima.* Lege caput. De iisdem sermonem habens Auicenna hæc scribit *lib. de viribus cordis. tract.2. capite de ouis. Oua sanguinem generant subtilem, & clarum, citò in sanguinem conuertuntur, & minimè sunt excrementosa*, intelligit autem præcipuè oua gallinarum, quod etiam apud eundem legimus *lib.1. Fen 2. doctr.2.* sic. *Exemplum spissi multi nutrimenti est ouum elixum, caro vaccina. Exemplum subtilis multi nutrimenti, boni chymi, ouorum vitelli, & vinum, & aqua carnis.* Ex quibus verbis etiam potest elici, quomodo sit intelligendus Galenus, quando scribit *oua esse crassi succi*, & de quibus intelligatur. Quare poterant animosè dari, cùm nutriant, humectent, refrigerent, & sint boni succi, neque crassi: præcipuè vitelli, intelligentibus nobis de ouis recentibus sorbilibus, aut tremulis. Post hæc, & aqua carnis, & quæcunque optimi sunt succi in his casibus sunt eligenda. Verùm, cùm magis alimentis, quàm medicamentis esset insistendum, rebus ad perniciem in dies tendentibus, ob hoc non est, quòd dicamus quomodo esset succurrendum capitis affectibus, quomodo esset supprimenda aluus plus iusto fluens, cùm esset potiùs colliquatio, & ob hanc causam erat anima componenda, vt Christianum decet, & huic rei præcipuè incumbendum. Sicque laus Deo.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ τεσσαρεσκαιδέκατος.



ΕΝ Κυζίκῳ γυναικὶ θυγατέρας τεκούσῃ διδύμους, καὶ δυστοκησάσῃ, καὶ οὐ πάνυ καθαρθείσῃ, τὸ μὲν πρῶτον ἐπῆλθε πυρετὸς φρικώδης, ὀξύς. κεφαλῆς καὶ τραχήλου βάρος μετ' ὀδύνης. ἄγρυπνος δὲ ἐξ ἀρχῆς. σιγῶσα δὲ καὶ σκυθρωπὴ, καὶ οὐ πειθομένη. οὖρα λεπτὰ καὶ ἄχροα. διψώδης. ἀσώδης τὸ πολύ. κοιλίη πεπλανημένως ταραχώδης. καὶ πάλιν ξυνισταμένη. ἕκτῃ ἐς νύκτα πολλὰ παρέλεγε. οὐδὲν ἐκοιμήθη. περὶ δὲ ἑνδεκάτην ἐοῦσα, ἐξεμάνη. καὶ πάλιν κατενόει. οὖρα μέλανα, λεπτὰ, καὶ πάλιν διαλείποντα, ἐλαιώδεα. καὶ κοιλίη πολλοῖσι, λεπτοῖσι. ταραχώδεσι. ιδ΄, σπασμοὶ πολλοί. ἄκρεα ψυχρά. οὐδὲν ἔτι κατενόει. οὖρα ἀπέστη. ιϛ΄, ἄφωνος. ιζ΄, ἀπέθανε. φρενῖτις.

ÆGROTVS XIV.



MVLIER Cyzici, quæ gemellas filias difficulter pepererat, & minùs esset purgata, primo die in febrem incidit horridam, & acutam: [a] *capitis, & colli suberat dolorifica grauitas. Insomnis initio, tacita, tetrica, nec ad animi æquitatem potuit perduci:* [b] *vrinæ tenues, siticulosa, fastidiosa sæpenumero: aluus inconstanter turbata, rursumq́ constitit. Sexto die sub noctem multùm delirauit, non dormiuit. Sub vndecimum insanijt, rursus ad mentem redijt: vrinæ nigræ, & tenues, deinde aliquanto post oleosæ: aluus multa, tenuia, & turbata excreuit. Quartodecimo* [c] *multæ conuulsiones: extremæ partes frigidæ, nihil amplius sapuit:* [d] *vrinæ restiterunt, perijt. Phrenitis.*

COMMENTARIVS.



Miratur aliquando vulgus, si mulierem binos enixam fœtus videat, sed multò magis id euenit, si Schenchij obseruationes legat, qui refert multa, quæ vnumquemque trahent in admirationem, si modò pro veris omnia sunt habenda. Hoc quidem certum erit, posse mulierem & quatuor edere fœtus, & hoc meis temporibus est obserua-

tum in muliere oppidi Gambaranæ, quæ quatuor emisit, tres viuos, & baptizatos, qui per mensem vixerunt, quartus autem, muliere iam imbecilla existente intra vterum detentus cum matre suffocatus est. Binos edi non est ratum, eósque superstites, vt in dies apparet, cùm ad senectutem multos peruenisse conspiciamus. Vltra hunc numerum non sunt superstites, quòd sciam, neque quòd legerim hucusque. Quomodo autem fiat hæc multiplicatio fœtuum, non adeò certum, cùm diuersæ sint authorum opiniones. Alij dicunt id euenire propter fœcunditatem seminis, quod scilicet, quemadmodum granum tritici, alicuiusve alterius seminis plures videmus plantas producere; ita & in semine humano contingat, quotiescunque fertilissimum est. Alij referunt in vterum; quoniam cùm recipit semen, volunt generari fœtus, aut in sinistram, aut dextram, prout recipitur, aut duos si in vtramque recipiatur. Sunt qui tribuant multa receptacula distincta vtero, quòd si in duo, aut tria receptacula incidat, duos, aut tres generari infantes, quam sententiam confutat Aristot. *lib. 4. de generatione animalium cap.* 4. qui sic ad verbum scribit: *Semen igitur trahi à locis vteri, atque ob eam rem multa generari pro numero locorum, & acetabulorum, quæ vnum non sunt, opinari, nihil rationis est,* sæpe enim eodem in loco gemini consistunt, in genere etiam multipari, cùm plenus fœtuum vterus fuerit, deinde alius ab alio iacere cernuntur, quod ex dissectionibus patet. Et idem Arist. *sect.* 10. *problem. prob.* 30. dicit omnino esse contra naturæ legem, & ob id minùs seruari, quàm in aliis animalibus. *Cur*, inquit, *in animalium cæterorum genere seruari æquè gemini possunt, quamquam sexus sunt vtriusque, in hominum autem non possunt?* Resp. *quòd homini maxima partus geminatio contra suæ naturæ legem accidit: singulos parere sancitum est, cùm in geminis ipsis marem, ac fœminam creari omnino natura recusat.* Ergo, quod maximè contra naturæ legem est, id & imbecillum esse ratio postulat. Alij posteà dicunt fieri propter seminis abundantiam, quod dum distinguitur, duos, tresve generari infantes volunt. Huius opinionis fuit Auicenna *lib.* 3. *Fen* 21. *tract.* 1. *cap.* 17. quando ita scribit: *Et causa quidem in geminis est spermatis multitudo, ita vt non spargatur ad duos ventres matricis sparsione replente totum secundum singularitatem.* Et *eodem loco tract.* 2. verba faciens de geminis. *Causa*, inquit, *eorum est multitudo spermatis, & diuisio ipsius in duo,* & scribit, etiam raro esse superstites; addens: *& incolumitas quidem duorum filiorum, etiam geminorum, non est plurima, fierique vno coïtu, non pluribus affirmat.* Galenus *pariter sect. quinta Aphorism. lib. finit. Medica inscripto*, hæc ad verbum leguntur: *Gignitur mas, vt nonnulli opinantur, postquàm ex dextra parte semen fuerit in vterum coniectum: fœmina, cùm ex sinistra.* Sunt qui existiment à feminis peculiari temperatura id euenire. Sunt qui referant in superfœtationem. In tot opinionibus non vtique certum est, cui magis sit adhærendum. Verùm si credendum est Galeno *in* 14. *lib. de vsu partium cap.* 4. dicenti vterum plures sinus habere, credendum erit etiam sequi hoc seminis abundantiam, vt Auicenna vult, & refert Theodorus Gaza *super expositione problematis* 28.

lib. 10.

*lib.*10. Itaque videtur hæc opinio magis communis, cui adhibenda erit fides, donec meliorem causam excogitetis. Vtcunque sit, siue vnicus sit fœtus, siue plures, hoc præcipuum est, si mulier sine difficultate pariat, quod sæpissimè obseruaui, & diebus elapsis, etiam in nobili muliere, quæ geminos edidit fœtus sine dolore ferè, & superuiuunt adhuc, erant autem masculi, quod maximè facit ad faciliorem partum. Aliæ ita difficulter pariunt, vt aut periclitentur, aut saltem multùm patiantur. Id autem tribus de causis euenit, Galeno annuente *lib. finit. Medica inscripto.* Aut enim fit ratione mulieris, aut ratione fœtus, aut ratione exteriorum. Ratione mulieris, duplici de causa; aut quia maximè animi mœrore detineatur, ídque aut propter zelotypiam, quod frequentissimum est, aut quia mœreat ob alias causas. Secundo modo, quia aliquo sit detenta morbo, non admodum prospera sanitate fruatur, aut quia angustis sit meatibus, aut propter nimiam pinguedinem, aut quia sit primipara, aut vterum habeat affectum. Ad hanc rem spectantia videbis Petrum Forestum *lib.*28. *de mulierum morbis*, *obseruatione* 70. *pag.*44. *in schol.* Ratione posteà fœtus, quia in vtero sit mortuus, vel sit geminus, aut monstruosus. Ratione exteriorum, quando scilicet est vehementissimum frigus, aut calor immodicus, resolutis spiritibus. Id autem præcipuè habetur ex Aëtio *lib* 4. *serm.* 4. *cap.* 22. vbi tractat de causis difficilis partus. Quòd si difficiles partus fiunt, quando geminati sunt fœtus, non sine causa hæc difficulter peperit, cùm fœminæ essent, quæ difficiliùs egrediuntur, quia sunt debiliores, & per consequens etiam difficiliores, & periculosiores fœminarum partus, quàm masculorum, vti alias vidimus, & in dies obseruamus, & in duobus sine dubio maior naturæ vis requiritur, quàm in vno, vti omnibus facilè constat. Fortasse, etsi id non dicat Hippocrates, tempestiuè non fuerunt editi. At, vtcunque sit, naturaliter res ita esse debet, quamuis in aliquibus aliter appareat, vt videmus in vxore serui cuiusdam istius ciuitatis, quæ per aliquot annos vtero gerens, prope tempus partus gestat fœtum mortuum. Ad dies sex, octo, ei fœtet os, & alia quæ id indicant extant euidenter, posteà feliciter emittit, neque imposterum aliud patitur, nisi virtutis imbecillitatem, quam reparare optimis eduliis est necessarium. Anno 1634. binos mortuos est enixa, & haud multò pòst surrexit è lecto, anno sequenti masculum parturiit mortuum sine noxa. Verùm videbitis hoc infrequens, & rarum, quoniam si naturaliter, & tempestiuè parturientes patiuntur, quanto magis abortientes, sed veniamus ad hanc mulierem. Hæc difficulter peperit, credo, quia geminatum habebat fœtum. Graue difficilè parere, sed grauiùs supprimi à partu puerperia. Neque est quòd quis dicat non esse tantopere necessariam largam euacuationem in geminato partu, quia scilicet multùm sanguinis à duobus absumatur: potest quidem tenuior, & purior, qui facit pro fœtuum nutritione consumi, deteriore relicto, & ego essem huius opinionis, saluo meliori consilio, deteriorem tunc esse sanguinem, quàm in simplici partu, quia minùs relinquatur boni; & ideò magis fuisse necessariam à partu, quæ si retineatur, non est nouum mulieres lethaliter affici, quia ita quotidiana compro-

bat experientia. Obiit modò iuuenis, quæ à partu nihil omninò purgata est, quarto die, etsi statim adhibita sint conuenientia medicamenta, concurrente voto Excellentissimi Doctoris à S.Petro. Neque vnicum possem afferre exemplum, nisi notissimum esset id, etiam idiotis, grauissimè scilicet affici mulieres, quæ à partu non euacuantur. Causæ suppressionis mensium tot sunt, vt hîc non sit locus recensendi, cùm vnusquisque per se videre possit apud Aëtium *lib.*4. *serm.*4. *cap.*51. & apud multos etiam probatissimos auctores. Hæc, cùm ita euenerint, non mirum, si ita lethaliter est affecta, idque ex horrore cognoscebatur: est enim horror enixis admodum familiaris, quando scilicet partus non faciles sunt: cùm enim vterus sit neruosus, horrent facilè, & propter sanguinis prauitatem in febres incidunt mali moris, aliæ citiùs, aliæ tardiùs pro corporis dispositione, quam prauissimam habuisse ex hoc possumus cognoscere, quia vix est enixa fœtus, quod statim in febrem ab Hippocrate descriptam incidit; cum accidentibus enarratis, nimirum.

[a] *Statim capitis, & colli suberat dolorifica grauitas.*] Maximus est vteri consensus cum capite, & eam ob rem hæc, aliáque fiunt accidentia, & ob id facta est insomnis, propter capitis consensum à materia illa adusta affectum, veluti pariter fuisse tacitam, tetricam, nec potuisse, ad animi æquitatem perduci. Sequuntur hæc effectum humoris melancholici, quod etiam vidimus in historia mulieris morosæ, nec ad animi æquitatem poterat perduci, quoniam non cessabat causa, si enim menses fluxissent, omnia fuissent sedata.

[b] *Vrinæ tenues*] Quæcunque accidentia erant, vnicam habebant causam, mensium retentionem, & quia veluti percolabantur humores, erant vrinæ tenues; morbo etiam crudo existente, nisi dicamus fuisse delirij antesignanas, de quibus aliàs: & cùm ebullitio maxima esset in partibus internis, eam ob rem siti infestabatur: Fastidiosa verò sæpenumero, elatis vaporibus illis tetricis ad os ventriculi. Inter cætera, quod huic mulieri fuit infestum, erat alui motio. Euacuatio in enixis deterrima, & tanta erat humorum malitia, cui non poterat natura dominari, vt aliquando vehementior, & largior esset euacuatio, aliquando videretur suppressa, sed elatis vaporibus ad caput concitabatur delirium, & præcipuè suppressa euacuatione, maiore vaporum copia caput infestante: obseruamus enim naturam mouere, & tentare se eximere à molestia humorum peccantium: verùm cùm natura grauatur, inordinatè mouet, aliàs expellente, aliàs à sarcina obruta, neque potente, aut ad alias partes inclinante, & eo tempore videmus, si natura moderetur humoribus inutilem sisti euacuationem, cùm verò irritatur, denuò redit euacuatio, maligna materia stimulante, & ob id videtur inconstans naturæ motus, & ideò etiam fiebat fastidiosa sæpenumero, non semper, quia illa vaporum transmissio non erat ad os ventriculi perpetua. Verùm attendite diligenter, aluo mota in febribus malignis, quorsum euadat euacuatio, quia nunquam ferè supprimitur statim cum ægrotantis commodo, quin impedito naturæ motu per partem conuenientem, recurrat statim ad aliquam nobiliorem, vti apparet

in

in hac,cui cùm ſtatim ſuppreſſa fuerit aluus turbata, id eſt largiter fluens, caput euidenter ſuſcepit partem humorum aſcendentium, & pro ſui qualitate,etiam ſymptoma induxerunt in talibus febribus minimè aſpernendum, delirium ſcilicet, & vehemens, inſequens peccantis humoris efferueſcentiam,& meritò additur *ſub noctem*,non *in nocte*,ſed *ſub noctem*, quia circa veſperas humor melancholicus efferatur,etſi etiam ſubſequente die deteriore , nox ſolet eſſe grauior : per impares enim mouebatur. Sed ad quid addere non dormiuit : nonne delirans,vigilabat.Verùm diligentiam Hippocratis admirari expedit in obſeruandis ſymptomatibus. Duplici de cauſa hoc additur, vt ſcilicet denotet perduraſſe tota nocte validè,neque fuiſſe ex iis deliriis,in quibus in ſomnum fit inclinatio,ſed fuiſſe furioſum delirium. Itaque addit hoc, vt & vim, & perſeuerantiam delirij denotet, quod magis confirmat modus loquendi Hippocratis , dum vndecimum memorans, ait inſaniuiſſe, quod perinde eſt ac ſi diceret delirium perſeuerauit vſque ad vndecimum,neque ſedata eſt capitis intemperies;verùm aucta,cùm in inſaniam inciderit, neque mirum id eueniſſe : nam obſeruabitis vos in praxi,quod maximè attendere debetis : cùm morbi cauſa non tollitur, & vehementia morbi conquieſcit , recurret haud multò pòſt, & grauiùs affliget : inſanire autem mulieres ex menſium retentione adeò eſt familiare, vt quid aliud, multò magis à partu, retentis puerperiis , vti iam ſæpiùs vidimus. Quòd ſi rurſus ad mentem rediit, quæ cauſa erat alleuationis repentinæ in tam graui morbo , aut igitur naturæ oppreſſio, aut minor acceſſio,quo tempore minor vaporum copia fertur ad ſupernas partes,& minùs læduntur,donec vis morbi repetat,& inualeſcat. Hoc in dies obſeruamus in morbis, aliquos ad tempus delirare grauiter,conquieſcere aliquãdo,natura minùs pugnante. Aut dicamus,rediiſſe ad mentem, non quia eſſet melior ægrotantis conditio , quam non promittebant vrinæ nigræ,tenues,oleoſæ. Hæ,vt vidimus,fiunt quidem nigræ in menſium ſuppreſſione aliquando criticè ; verùm in hac erat omninò ſymptomatica euacuatio, ingentiſſimum inſequens incendium , & ob hoc omninò improbanda ; ſed quoniam aluo iterum mota , reuulſio ſit à capite facta, etſi cum euidenti virtutis detrimento.Primò,quia erat colliquatio:ſecundò,quia in enixa,deterrima eſt euacuatio,cùm requiratur per vterum non per aluum, & experientia docet ferè omnes periclitari mulieres , quibus ſtatim largiter aluus fluit,aut quibus à Medico medicamentum propinatur ſoluens. Repugnat ratio , experientiáque longa mihi hoc fit certiſſimum,propterea cauete filij à ſoluentibus in enixis in primis diebus,quidquid alij ſentiant,clyſteres adminiſtrate : nam obſeruate hiſtorias , habebitis mulieres enixas mortuas omnes, quibus aluus largiter eſt mota,& ſi aliquæ ſeruantur , iis non ita violenta eſt euacuatio , quin neceſſaria per vterum perſeueret. Hæc igitur prauo eſt functa fato , quia aluus immodicè fluxit,ſuppreſſis menſibus.Et tandem,ſi ſeptimo die malè.Vndecimo peſſimè : quid aliud quàm in decimaquarta iudicium,illúdque cum morte expectare,& recenſens ea,quæ hoc die euenêre , ſubdit,

ᶜ *Multæ conuulſiones.*] Vxor Philini etiam ex retenta à partu purga-

tione conuulsa obiit. Quo in loco fuit dictum per vteri inflammationem, consentiente scilicet neruorum principio, cerebro, vt etiam *in hoc comment.* notat Galenus his verbis. *Verùm etiam propter difficilem enixum inflammato vtero febris est aucta.* In conspicuo porrò est vitiosis humoribus ad caput sublatis delirium furiosum extitisse, simúlque conuulsiones consequutas esse. Adduximus eo loco Galeni auctoritatem desumptam *ex lib.3. prorrhet.comment.27.* Vbi Galenus scribit fieri aliquando in magnis vteri inflammationibus conuulsiones, & quando fiunt, esse periculosas. Verba Galeni hæc sunt. *Sed, quoniam & in magnis vteri inflammationibus conuulsiones, interdum assident, ab his nunc dictas separauit, adijciens dictioni ἀπύρως, quod sine febre est.* Subdit. *Nempe, quòd magnas inflammationes febres consequantur, neminem latet. At non sæpiùs fiunt ex vteri inflammatione conuulsiones si fiunt, periculosæ sunt. At non periculosæ, sed & lethales fuerunt in his mulieribus. Cùm autem essent multæ conuulsiones, quæ familiarissimæ sunt suppressioni mensium, vt dictum est, non est mirum partes extremas factas fuisse frigidas, tum quia virtus erat iam ad extremum, & calor non diffundebatur ad infernas partes, tum etiam, quia conuulso genere neruoso, contrahitur calor, & fertur ad medias corporis partes, extremæ autem redduntur frigidæ, & exangues, recurrente calore ad intimas, vti sæpiùs alias est dictum,*

d *Vrinæ restiterunt*] *Dictum est ab Hippocrate 5. Aphorism. text.58. Recto intestino aut vtero inflammationem patiente, vrinæ stillicidium aduenire. In recto quidem intestino, & vtero per compatiendi rationem vesica patiente, in renibus autem purulentis, purè per vesicam euacuato. Hoc igitur sui acredine mordens vesicam excitat ad excretionem. In vteri autem, & recti intestini inflammatione, vicinitatis ratione pati vesicam est necessarium, vt quæ & intemperaturam participet, & inflammationem, & ob id prematur, atque angustetur à tumoribus præter naturam, qui in illis existunt.* Hæc Galenus. Quibus videtur posse concludi substitisse vrinam in hoc ægrotante propter inflammationem vteri. Verùm, cùm & aliis de causis possit vrina supprimi in his febribus, propterea crederem non ratione inflammationis, sed alterius causæ id symptoma euenisse. Scribit Galenus *lib. Medic. inscripto cap.13. Vrinæ retentionem propter multas causas fieri, nimirum, propter nimiam inflammationem, propter nimiam repletionem, propter imbecillitatem, propter grumos sanguinis, aut crassitiem vrinarum,* quod etiam habetur *lib.6. de loc. malè affectis cap.4.* & *lib.3. de sympt. causis cap.2.* Quibus sic stantibus crederem non fuisse suppressas vrinas alia de causa quam propter imbecillitatem facultatis expultricis, emoriente natura. Hoc symptoma sequitur extremam instrumenti refrigerationem, veluti dictum est, & habet periculum euidens, cùm sit admodum perniciosum, dicente Galeno *2. prorrhet.text.16.* sic. *Vrinarum in morbis acutis interceptiones ex refrigeratione pessima. In comment.* Galenus refert in causam dictam, vel in sensus priuationem, ob refrigeratum ipsius neruum, non sentiente, quæ contristant. Perinde *in Coacis. Intercepta cum rigore vrina, praua.* Addamus & supprimi vrinam criticè, quando scilicet

natura

natura haud multò pòst est aliquam euacuationem molitura, verùm, tunc præcedunt quæ salutarem suppressionem præmonstrant. In hac muliere non est ambigendum propter quid sit intercepta vrina, dum videmus Hippocratem ita esse loquutum. *Vrinæ restiterunt. Perijt.* Quid simile habetur 2. *in* 3. *epidem. in historia illius anginosæ.* Ibi Hippocrates scribit *ideò fuisse mortuam, quia suppressæ fuerint euacuationes.* His addit Galenus. *Nam ideò putare esse mulierem defunctam, quòd suppressæ erant deiectiones, ridiculum sit: neque enim ob suppressionem perijt, cæterùm illi contigit propterea supprimi deiectiones, quòd naturales functiones extinguerentur. Neque verò, quia frigidæ erant, & liuidæ partes extremæ, ideò obijt, sed quòd moreretur factum est, vt illæ morerentur.* Perinde huic. Non ideò periit, quia vrinæ restiterunt, sed ideò restiterunt vrinæ, quia demortua iam esset facultas; ita etiam de extremorum refrigeratione. Rem ita esse euentus probat, quando, vti dictum est, statim obiisse scribit à suppressione vrinarum.

Phrenitis.] Vera phrenitis ex continuato delirio cognoscitur, hoc autem cùm fuerit interpolatum, intelligemus de valido delirio. Quantus igitur esset affectus constat, quomodo ex retentione mensium laborauerit, ex textu apparet. Quem euentum habuerit legenti fit notum. Nihil aliud est reliqui, nisi vt opportunam curationem instituamus pro similibus casibus.

Curatio.

ENimuerò in huiusmodi casibus, non minor esse debet diligentia in præscribenda victus ratione, quàm in inueniendis medicamentis opportunis, cùm soleant esse mulieres Medicis non parum molestæ, quia scilicet multùm esse nutriendas puerperas velint, & maximè si geminus sit fœtus, cùm tamen minùs sint alendæ, & longè minus, si ex partu sint euidenter debilitatæ, cùm non possit eo tempore natura alimenti quantitatem euincere: minimo enim est contenta fomite, modò tempestiuè detur, & sit boni succi, sæpiùs iterato: qui enim vberiùs alere in virtute imbecilla ausi sunt, ægrotantes quàm celerrimè præcipites egerunt, præcipuè mulieres post partum, quo tempore excrementosæ sunt quammaximè, exhibitóque alimento, quod grauet non coctum, corrumpitur, & alit cacochymiam, sícque non rarò mortis causa fuit, quod pluries obseruauimus. Ergo mulierum querimoniis neglectis, victus admodum tenuis erat imperandus, cuiusmodi fuissent oua in iure optimo dissoluta, cum mucilagine melonum, si appetant illam. Contusum carnis ad ℥. *iij.* quod quinque horarũ spatio potest iterari, aut exhibito succo carnis assatæ, aut simili aliquo, semper virtutis præsentis, & futuræ memores, & sic successiuè quatuor horarum spatio aliquid aliud dando. Vespertino tempore panis tritus cum ouis. Ptissana, & alia id genus in vsum venire poterant. Interpolatis horis, non fuisset inutile stillatitium carnis exhibere, repleto pullo ex foliis rutæ caprariæ, acetosæ, scorzoneræ, graminis, hordei seminibus, foliis auri, margaritis in succo limonum dissolutis. Hac, aut non

dissimili

dissimili victus ratione instituta, expediebat sine mora deuenire ad remedia opportuna, quæ & mouere menses possent, vias reserando, & calorem febrilem attemperare. Inter cætera, citra controuersiam ad sanguinis euacuationem erat veniendum ex pede, quæ poterat iterari bis, ter, & quater morbo non remittente sæuitiam, virtute permittente, neque sunt parturientium morbi negligendi, quamuis sint leuissimi: nam, si est omnium affectuum causa mensium retentio, sine dubio huic euacuationi primò, & principaliter est insistendum, aliis non neglectis malis, si extracto sanguine pro morbi ratione, & virtutis robore, nihilominus accidentia perseuerassent, his incumbendum. Itaque tolli grauitatem, etsi insequeretur præcipuè vteri affectum, potuisset demulcere, oleum liliorum alborum, adeps gallinæ, butyrum, cauentibus nobis ab iis, quæ acutum habent odorem, quia capiti officiunt, statimque & cordi epithemata iuuissent, vt minus vaporum tetricorum reciperet, & interius ex vsu fuissent alexipharmaca sæpiùs dicta. Ventriculo prouideri poterat oleis ex mastiche, menta, aut puluere eorundem cerato facto. Ad vigilias demulcendas proposuissem lac pro oxyrrhodino, muliebre scilicet recèns mulctum. Ab aliis remedij soporiferis in mensium defectu quantum possum abstineo, neque per os exhibeo, nisi vi quadam vigiliarum grauitas ad id remediis genus me trahat; & priùs externis expertis, quod vos obseruare debetis, cùm valenter incrassent, & suppressioni officiant. Ad sitim arcendam poterant præscribi morsuli ex seminibus melonum contusis, cucumeris, psilij, & modica portione hordei; & sic cum saccaro dissoluto in aqua endiuiæ secundùm artem concinnatis morsulis, quorum vnum in ore teneret. Manus Christi, & tandem permittere vt bibat aquam acetosæ cum acetositate citri, euitante ipsa mulierum garrulitatem, quia cum suâ naturâ sint loquaces, siti non obscuram præbent causam. Et quoniam solent mulieres pati hæmorrhoïdas tempore partus, qua de causa aluus adstringitur plus iusto, & etiam dolet venter. Huic dupliciter possumus succurrere, superiùs exhibitis, & inferiùs iniectis, Primo modo, oleo amyg. dulcium recenter facto, amygdalis non vetustis, iisdem excorticatis, & sine igne extracto oleo. Hoc vtor ad ℥. *iij. vel v.* lenit aluum placidè, & dolores quos patiuntur enixæ demulcet. Verùm hoc facio in iis, quibus clysteres iniici non possunt: at si admittant, tutiùs agimus. Vtor felici successu clystere in huiusmodi casu, ℞. *Iuris carnis, etiam vetustissimæ ebullitæ cum foliis maluarum, & sem. anis.* ℥. *viij. butyri* ℥ *iij. lenitiui* ℥ *j. aut* ʒ. *vj. saccari rubri* ℥. *ij. & sic concinno medicamentum*, quod lenit commodè, & citra dolorem euacuat. Vos moneo, & hoc attendite. In clysteribus mulierum cauete à melle, à rebus dulcibus, sed præcipuè in enixis, quia si aliquæ sustinent sine noxa, quàm plurimis fiunt tormina, quæ non leue detrimentum afferunt, & ego animaduerti pluries ex clysteribus obiisse mulieres, vtinam & vos non videatis, si consilium meum contemnatis. Præterea iubete, vt in lecto reddant excrementa, quia tutiùs agetis, si posteà propter partus difficultatem, cogatis coacti medicamentis vti ad facilitandum partum. In hunc vsum multa ve-

nire animaduerto, quæ à practicantibus habentur, & inter cætera, quæ video probari est *puluis factus ex trochisc. de myrrha ad* ℈. *ij. & cinnamomo ad* ℈.j. *datus cum vino non febrientibus, vel cum decoctione artemisiæ, si febris obstet.* Alij exhibent *succini albi* ℈. *ij. vel* ʒ.j. *cum aqua liliorum alborum.* Mirandum, inquiunt, medicamentum ad facilitandum partum, quod conficitur ex borace officinarum. Datur puluis ad ℈.j. cum decocto matricariæ, vel sabinæ. Quòd si secundina retineatur post partum, à cuius retentione, non tantùm grauiter afficiuntur, sed celerrimè moriuntur, nisi virtutis robur tempus expectet euacuationis per vterum, vt contigit modò in iuuene quadam, cui secundina putrefacta est, & sensim euacuata per vterum, & seruata est; verùm rarissimè videbitis sic euenire, sæpissimè mori, neque expectare quartum diem. Ad harum expulsionem id præcipuè commendatur, quod ex dictamo Cretensi fit ad ʒ.j. cum iure cicerum rubeorum, quo vsus sum in recensita muliere, neque id mihi esset suspectum medicamentum etiam febrientibus mulieribus, cùm expediat celerrimè succurrere, quia symptomatum magnitudo vix expectat remedia. Testiculi equi in furno exsiccati, & in puluerem redacti maximè prosunt, si istius pulueris exhibeatur tantùm, quantum tribus digitis capi potest, iteratóque possunt exhiberi cum iure. Prætereà accipiunt succini albi, & fimi accipitris albi ʒ.ß. cum vino exhibent, aut cum aqua capill. veneris, hoc tamen semper obseruantes, quid magis vrgeat an vis febris, an alia annexa. Et tandem, cùm aluus est vehementiùs mota, possunt iniici clysteres lauatiui dicti, & semper attendere in principio, an aluus tam larga sit, quæ conuenientem euacuationem impediat. Ob hoc in enixis prompti eritis, tempestiuè vocati, ad euacuationes, quia sæpissimè aduenit symptoma conuenientem operationem impediens. Conuulsionibus fuisset prouisum spinam fouentibus nobis oleo ex vitello ouorum, ex lumbricis, ex vulpe cum modica portione olei ex spica, nisi tamen fuisset ex iis, quæ odores habent infestos. Extremæ partes erant fouendæ sæpiùs linteolo calefacto, vt calor foueri posset, non desistentibus à decocto aperitiuo citra calorem. Neque, etsi videamus res in deterius ruere, sunt prætermittenda remedia, quia aliquando præter spem fiunt ad melius mutationes, & tandem qui cum ratione curauit, debito satisfecit. Quòd si tandem deplorata res sit, Presbyteris committenda, vt postquam corpus non potest seruari, animæ cura habeatur.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ πεντεκαιδέκατος.



Ν Θάσῳ Δεάλκους γυναῖκα ἣ κατέκειτο ἐπὶ τοῦ λείου, πυρετὸς φρικώδης, ὀξὺς, ἐκ λύπης ἔλαβεν. ἐξ ἀρχῆς δὲ περιεστέλλετο. καὶ διὰ τέλεος ἀεὶ σιγῶσα, ἐψηλάφα. ἔτιλλεν. ἔγλυφεν. ἐτριχολόγει. δάκρυα. καὶ πάλιν γέλως. οὐκ ἐκοιμᾶτο. ἀπὸ κοιλίης ἐρεθισμοί. οὐδὲν διήει. μικρὰ ὑπομιμνησκόντων, ἔπινεν. οὖρα λεπτὰ, σμικρά. πυρετοὶ πρὸς χεῖρα λεπτοί. ἀκρέων ψύξις. ἐνάτῃ πολλὰ παρέλεγε. καὶ πάλιν ἱδρύνθη σιγῶσα. τεσσαρεσκαιδεκάτῃ, πνεῦμα ἀραιὸν μέγα διὰ χρόνου, καὶ πάλιν βραχύπνοος. ἑπτακαιδεκάτῃ, ἀπὸ κοιλίης ἐρεθισμὸς ταραχώδης. ἔπειτα αὐτὰ τὰ ποτὰ διήει. οὐδὲν συνίστατο. ἀναισθήτως εἶχε πάντων. δέρματος περίτασις καρφαλέου. εἰκοστῇ λόγοι πολλοί. καὶ πάλιν ἱδρύνθη ἄφωνος. βραχύπνοος. κα΄, ἀπέθανεν. ταύτῃ διὰ τέλεος, πνεῦμα ἀραιὸν μέγα. ἀναισθήτως πάντων εἶχεν. ἀεὶ περιεστέλλετο. ἢ λόγοι πολλοὶ, ἢ σιγῶσα διὰ τέλεος. φρενῖτις.

ÆGROTVS XV.



N Thaso Dealcis uxorem, quæ in Lio habitabat ex mærore febris horrida corripuit. [a] *Ab initio cooperiebatur, & perpetuò, semper tacita villos straguli captabat, vellebátque, & scalpebat;* [b] *plorabat, móxque ridebat,* [c] *non dormiebat, aluus irritabatur, sed nihil descendit, admonita paululum bibebat: vrinæ tenues, & paucæ non habentes subsidentiam.* [d] *Febres ad manum tenues, partium extremarum frigus. Nono die multùm delirabat, rursum ad mentem rediit, tacita. Quartodecimo spiritus rarus, magnus per interualla, rursúsque breuispira.* [e] *Septimodecimo, aluus irritata, turbata deiecit. Posteà ipsi potus pertransibant, prorsus mente falsa est, nihil sapiebat,* [f] *cutis distenta, & arida fuit. Vigesimo multùm est locuta, rediitq; ad mentem, muta, breuispira. Primovigesimo, defuncta est.* [g] *Huic erat spiritus rarus, & magnus perpetuò. Nihil sitiebat, semper cooperiebatur, aut multùm loquebatur, aut tacebat perpetuò. Phrenitis.*

COMMENTARIVS.

MOERORES sunt animi passiones, dicebat Galenus *lib de cognoscendis, curandisque animi morbis cap.3.* & *in lib.artis Med. cap.5.* & tam vehementes sunt animi passiones, vt multi ex mœrore obierint, testatum à Galeno *lib.12.meth.cap.5.* qui etiam *libello de parua pilæ ludo cap.1.* conceptis verbis scribit: *Nulla est tam vehemens affectio corporis, quæ animæ affectiones vincat.* Hinc videmus multos sibiipsis vim intulisse, & mortem dedisse, alios deliros factos, alios alia passos, & eam ob rem vnusquisque cauere debet, ne cùm incœperit à causa externa mœstus esse, diutiùs perseueret; sed, quantum in se est, depellat ab animo causam mœroris, quia prauissimos effectus pariunt in humanis corporibus; & præcipuè in iis, qui habitu sunt melancholico, sed multò magis in iis quibus aliqua supprimitur euacuatio naturalis. In hac non admodum certum est, quam causam habuerit mœror; solent autem mulieres, quemadmodum minùs patiuntur ex retentione seminis, cùm viro sunt copulatæ, magis affici ex zelotypia, cùm ab hac causa suffocatio, & alia grauia accidentia superuenire consueuerint, quando & melancholia ita vexantur, vt nihil sit, quod eas ab affectu vindicare possit, donec tollatur causa. Multas ego mulieres cognoui grauiter læsas: attamen, cùm tam pessimè se habeat hæc mulier; & si ex mœrore hæc, & grauiora contingant; tamen putarem ego, & libentissimè referrem in diminutam, aut suppressam mensium euacuationem. Vtcunque esset, adeò fuit exsiccatum corpus, vt febris fuerit succensa cum horrore: neque enim humor melancholicus tam celeri motu mouetur, vt rigorem verum inducere possit, proprium symptoma humoris biliosi. Aut dicamus horruisse, quia in tanto mœrore, etiam vterus traheretur in consensum, & vt est pars neruosa, horrorem faceret.

[a] *Ab initio cooperiebatur, & perpetuò.*] Poterat hoc esse propter horrorem, sed multò magis erat indicium delirij, cùm id faceret perpetuò, ita notat Galenus *in comment.* dum ait: *Et cooperiri, est proprium vtrisque, id est phreniticis & melancholicis; quotiescunque mens vacillat, multa imaginantur, quæ non sunt.* Erat tamen euidens melancholicæ effectus, vt etiam sequentia euidentiùs denotant, vt fuisse tacitam, quod simul ad melancholicos spectat, & in febribus pessimum, vt *ex Coacis* habemus *comment.2.lib.2.* his verbis: *In febribus mentis emotiones, taciturnæ, in eo, qui voce priuatus non est, perniciosæ sunt. Cùm enim æger, qui naturâ taciturnus non est, tacet, nondum progresso morbo, neque facta phrenitide, huic veternus quidam marcor, atque in somnum propensio accessit, aut melancholiæ principium.* In hac iam erat factum delirium, cùm addat, villos stragulí captasse. Hoc est inter exitialia signa ex Hippocratis decreto *1.prognost. text.23.* & ægrotantem ad phrenitidem properare, & hac de causa propter scilicet imminens malum lethale, quia si ita esset simpliciter, & Galenus

eo morbo obiisset tunc, cùm festucas carpebat acutè laborans, ipso de se referente sic 4. *lib. de locis malè affectis cap. 2. Cùm enim per æstatem ardente febre laborarem, & festucas atro colore ex cubili eminere, & floccos similiter in vestibus esse putarem, quos auferre tentans, nihilque sub digitis eductum inueniens, accuratiùs, vehementiúsque id efficere sum conatus. Audiens itaque duos ex amicis, qui tum aderant, dicentes: Vidésne hunc floccos euellere, & festucas colligere? Statim intellexi id ipsum, quod dicebant me fecisse. Cùm verò sic animo constarem, vt rationalis in me facultas vigeret, rectè, inquam dicitis, proinde ne me phrenitis arripiat auxilio estote.* Ergo neque hoc signum est ægrotantem phreniticum esse, sed periculum imminere, cùm Galenus posteà idoneis capiti irrigationibus factis ad mentem redierit, & conualuerit. Quod & probari potest auctoritate desumpta ex 5. *de locis malè affectis cap.* 4. vbi conceptis verbis legitur: *Cùm verò iam proximè ad phrenitidem accedunt, oculi eius vehementer euadunt squallidi, atque ex altero ipsorum aëris lachryma effunditur, ac deinde lippitudo innatat, & venæ ipsorum sanguine plenæ videntur, & sanguis stillat è naribus. Quo tempore nihil, quod exactè ad prudentiam pertineat, respondent, & floccos auellunt, & festucas carpunt.*

b *Plorabat, móxque ridebat.*] Isti varij motus in ægrotantibus, multiplicitatem materiæ ostendunt: nam vt in febribus hæc materia celeriùs, illa tardiùs putridum calorem concipit, ita hic humor citiùs, aut tardiùs in atram bilem, & melancholiam degenerare solet. Et, cùm pars materiæ ferueat, atque vratur, alia autem iam vsta sit. Illa risum, audaciam; hæc autem pauorem, lachrymas facit, & alia id genus. Hoc verò imprimis considerare oportet, quomodo lachrymæ illæ effluant. Nam si lachrymæ habeant causam euidentem, veluti dolorem, aut aliam aliquam animi affectionem, illæ nihil mali denunciant, neque suspectæ sunt; quoniam dicuntur quodammodo voluntariæ: si verò nobis inuitis fiant; etsi videantur ex oculis immediatè effluere, neque aliquam capitis, aut totius affectionem præmonstrare; tamen possunt hæ, & capitis, & totius corporis statum patefacere: si enim fiant, vt contingit in inflammationibus oculorum, aut quia destillatio aliqua ad oculos præcipitet, tunc sunt quidem præter naturam, & oculorum arguunt affectiones, aut totius corporis, quando scilicet à toto ad caput materia fertur, & per oculos effluit: tamen eo tempore non sunt prorsus mortiferæ, sed aliquando non multùm afferunt incommodi. Expedit tunc considerare tempus, in quo fiunt: si tempore coctionis, futuram possunt prædicere crisim. Si aliis temporibus, possunt sequi nimiam vini potationem, violentum vomitum, quo tempore oculi solent inflammari aliquando; quia, quemadmodum in vomitu ventriculus euacuatur, ita maximè repletur caput. At si contingat fieri, non ob dictas causas, sed ob exolutionem, & extinctionem facultatis retentricis ipsorum oculorum, tunc non est remedio locus, & hoc cognoscitur ex cauitate, & extenuatione oculorum, veluti habemus ex Galeno 1. *prognost. comment.* 10. & 4. *Aphorism. comment.* 52. & apertè admodum 2. *in* 1. *epid. comment.* 80. sic: *Quibus in febribus acutis, atque*

adeò

adeò ardentibus spontaneæ erumpunt lachrymæ: his est, siquidem cætera non sint exitialia, narium profluuium expectandum. Qui incommodè habent his non sanguinis eruptionem, sed portendunt mortem. Verùm hîc scire debetis, dicere Hippocratem plorasse, non lachrymas erupisse, hoc autem indicabat imaginationem fuisse deprauatam, vt inde melancholicum quidpiam obueniens ploraret, nihilominus prauum erat, indicans affectionem partis principis.

[c] *Non dormiebat*] & quomodo poterat sic affecta dormire: ex his enim, quæ patiebatur poterat vnusquisque coniicere vigilem fuisse: hinc eliciatis volo, quanti semper fecerit vigilias Hippocrates, vt nunquam obliuiscatur huius symptomatis, vt corpus sensim colliquantes, si perseuerent. Dicit aluum fuisse irritatam, & benè dicit fuisse irritatam, quia si fuisset mota, maxima reuulsio extitisset à capite; verùm dum mens est læsa, non potest facultas fungi munere suo, cùm non sentiat indigentia, neque solent euacuari multùm per infernas partes, nisi sit colliquatio, à qua citiùs resoluitur virtus: vidi non rarò iniectos clysteres, & validiores, nihilominus frustra, humoribus impetuosè ad supernas motis, qui non æquè facilè retrahuntur, & ob id etiam eo tempore necessaria non appetunt, neque comedunt, neque bibunt, inde fit, vt Galenus 1. *prorrhet. text.*16. nuncupet pauco vtentes potu sic. Prorsus item βραχυπόται sunt phrenitici, id est, bibendi desiderium his exiguum est propter mentis ægrotationem, quod repetit *lib.*1.*de difficult.respirationis,cap.*12. Qua ratione aluus irritabatur, eadem ratione & vesicæ excrementa pauca erant, pauco existente irritamento, bile ad caput delata, vnde fiebant substantia tenues, & sine residentia, aut dicamus cum Galeno *lib.*2. *in* 1. *epidem.* tales fuisse vrinas, quia à febre ardente esset tostus omnis ex sanguine humor, aut vrinæ instrumenta iam essent demortua: neque enim ea erat conditio, quin & hoc vereri possemus: dicere enim id factum, quia parum biberet, non vsquequaque in ægrotante conuenit; nam habebitis multùm bibentes, & parum meientes, quia febris absumit, & propter obstructionem difficilis fit humorum transitus. Alios autem minimum bibentes, & multùm meientes, quando multa extat serosa humiditas, quæ intra vasa non potest detineri. Verùm in hac id contigisse affirmandum, quia deliraret: vidimus enim multos, qui petita matula, eáque ipsis data, non iam lotium effunderent, sed matulam in manibus otiosè detinerent. Alios, qui exurgerent quidem, tanquam ventris onus deposituri, postquam verò descendissent, penitus obliuiscerentur, atque nihil efficerent, donec à præsentibus admonerentur. Quibus omnibus concludendum est à delirio potiùs omnia prouenisse.

[d] *Febres ad manum tenues.*] Est hoc pulchrè dictum, quasi moneat nos Hippocrates, vt exactè attendamus symptomata, quæ si maligna sunt, tunc non est fidendum paruitati febris, quoniam intùs peccatum est; & obseruate diligenter in pestilenti, in maligna constitutione non habebitis calorem mordacem, & hoc est malignè afficere, quemadmodum si homo inimicus nos blandè alloquatur, intùs autem habeat virus. Itaque vult

dicere Hippocrates sic. Febres ad manum tenues, quasi febrili calore non laboraret: at quomodo cognoscemus prauam esse ægrotantis conditionem? certè ex antedictis, & ex sequentibus, videlicet addit statim partium extremarum frigus, intus æstuante calore, neque pro ratione febris ad extimas expanso. At dicet quis, si calor videbatur mitis, saltem pulsus extabant frequentes admodum, vt inde aucto vsu, velociùs mouerentur. Neque hoc est necessariò, quia in humorum malitia, depressa natura, non tantùm calor videbitur mitis; sed & pulsus etiam satis quieti, & tunc cum grauibus accidentibus cauete, ne vos tenuitas febris decipiat, ægrotante haud multò pòst emoriente. Scribit Hippocrates *in Coacis. Mœrores cum silentio, & auersationes hominum leuiter eos interficiunt*, quasi velit innuere mitiorem videri statum ægrotantis eo tempore, cùm tamen interna dispositio sit praua: neque tunc febres sunt leues ex propria natura, sed ex naturæ oppressione, ob id referrem ego in ætatem distulisse mortem ad vigesimam, non in leuem febrem, vt ait Galenus *in comment.* dum ita habet. *Sed nunc quidem hæc febricitans acuiè ad diem vigesimumprimum se sustinuit, fortasse, quia modice febricitaret.* De his febribus loquutus est Galenus *lib. 1. de differ. febr. cap. 1.* quando scribit. *Febrium alias esse manui mordaces, alias mites; alias non mordaces quidem, sed post insurgentes; Alias verò acutas, sed quæ manui succumbant*, qualem fuisse hanc crediderim; desumpsit verò hanc febrium diuisionem ab Hippocrate 1. *in 6. epidem.* Quare quantopere fidendum esset huic febri pater. Neque quis subiiciat, quod à multis fieri obseruaui, non apparuisse exanthemata: ergo febris non erat mali moris, quoniam superuenientia non sunt eadem. Est quidem verum dicere. Sunt exanthemata in febre acuta: ergo & est mali moris: sed non è conuerso, quia varia sunt superuenientia, vti apertissimum est, & ex Galeno *in lib. de cris.* habetur. Memini vidisse præter alios, quos possem vobis recensere, iuuenem filium Illustrissimi Comitis Arcimbaldi, qui cùm hyemali tempore ceciderit in aquam è nauicula, quam conscenderat, vt animum venatione recrearet, detinuit hic per multas horas vestimenta aqua frigida plena. Itaque paucis interpositis diebus, meatuum ingenti constipatione facta, quam prohibuisset, si statim sanguis fuisset extractus, incidit in febrem mali moris, quæ ita mitis videbatur, vt & coctio in vrinis appareret, neque exanthemata eruperint, neque vnquam delirium passus est, vt miraretur Siluaticus doctiss. eo tempore in hoc almo Tycinensi Gymnasio Medicinam ordinariam primo loco profitens cum stipendio mille scutorum, quomodo scilicet, æstuante intus corpore, vrinæ nihilominus essent tam boni coloris, quæ tamen solent in iis casibus variari. Verùm, tales fiunt cùm putredo est circa cor, aut virtus ita languet, vt non aggrediatur coctionem, quo tempore non est mirum non fieri in genere venoso ebullitionem, & per consequens vrinas apparere boni coloris, & ægrotantis conditionem satis bonam, cum qua tamen ægrotantem celerrimè de medio tollit, vt recensito euenit die decimoquarto à morbi principio. Quare non est mirum, si in hac non fiat mentio, neque de vrinarum prauitate, neque de exanthematibus,

cùm

cùm ſine his non deſinat nihilominus eſſe febris mali moris. Quòd febris eſſet magni momenti, ex iis elicitur, quæ refert contigiſſe in nona, qua delirauit, & multùm, rursúmque dicit rediiſſe ad mentem, & tacitam fuiſſe. Si febris erat mitis, quomodo accidentia erant ſæuiſſima? Latet hîc anguis in herba, vt vulgò dicitur, & ob hoc omnia diligenter perpẽdere par erat ab initio, ne febris lenitas deciperet. Et enimvero, ſi vrinas tantùm inſpexiſſemus, hæ neque erant bonæ, neque malæ, ſolam cruditatem denotantes. Si febrem, mitis ad tactum apparebat: ſi ex magnitudine ſymptomatũ, elicitur morbi magnitudo, quis non iudicaſſet talem? Vidi non raró, & credo omnes medicinam profitentes obſeruaſſe; ſæpiſſimè morbos incipere ſenſim, qui videntur non eſſe, poſteà ſtatim inualuiſſe: vrinas fuiſſe commutatas, & lethalia ſigna apparuiſſe. Hac de cauſa debent adoleſcentes diligenter perpendere, an omnia inuicem ſibi reſpondeant: ſi quis enim ægrotet, ſitiat, noctu vigilet, inquietus ſit; tamen febris videatur leuis, maius periculum, quia eſt ex iis, quæ concluſæ dicũtur, non apparẽtes, quod frequentiſſimum eſt in febribus malignis: ideo enim dicũtur malignæ, quia intus latitat malitia humorum, veluti ſunt homines quidam noſtri temporis, quorum faciem ſi ſpectes, videntur eſſe quantiuis pretij, opera fallunt, & Deus nos liberet ab iſtorum manibus, ſic febres huiuſmodi, & ne longiùs petamus exemplum, ecce mulier hæc in nona die multũ delirauit, cùm tamen vſque ad nonam mitiùs affligeret, & mirum in ſeptima nihil noui eueniſſe, & diſtuliſſe augmẽtum vſque ad nonam: At erat ſpecies quædam humoris, qui veluti tardiùs, acriùs affligere ſolet, nimirum melancholicus: ſunt enim periculoſi admodum morbi illi, qui ab humore melancholico ortum ducunt, aut ratione longitudinis, aut ratione ſymptomatum, quia efferatur multum. Neque propterea melior erat iſtius ægrotantis conditio, quia ad mentem redierit: nam dicit fuiſſe tacitam; ita vt varietas humorum, ſymptomatum varietatem faceret: nimirum mota bile ſuſcitabatur vehemens delirium, & intenſiuè tale, ſed ipſo humore facilè reſoluto, viſa eſt rediiſſe ad mentem, ſed erat tacita adhuc remanente terreo. Verùm illud in re Medica obſeruatote: videlicet, cùm quibus diebus morbus deberet remitti, grauior ægrotantis fit ſtatus, malè eſt actum cum ipſo: eſt enim ſignum virtutem cedere, & per conſequens morbum eundo acquirere vires. Hæc habuit nouam, non bonam. Hic dies eſt contemplabilis, & quidquid alij ſentiant, qui nolunt eſſe nec iudicatoriam, nec indicatoriam, iudicat ſæpiſſimè, ſi non vt decimaquarta, tamen & id efficit, hoc non negante Galeno *lib.* 2. *de diebus decret. cap.* 8. dum ait. *Concidunt eis nonus, quintus, & tertius:* Subdit. *Plurimos, quidem nonus iudicat.* Neſcio an clariùs dici poſſit. Præterea idem Galenus *lib.* 3. *de diebus decret. cap.* 8. Sic ſcribit. *Iam verò & nonus inter duos decretorios ſeptimum, & vndecimum medius, vel non factum in ſeptimo die iudicium, vel vndecimo futurum ipſe ſibi vindicat: ſi igitur criſis quæ futura eſt vndecimo, aliquando fit nono die: ergo inter indicatorios eſt deputandus.* Hippocrates 3. *lib. prognoſt. comment.* 31. ad verbum habet. *Sed quia hic nequaquam decretorius eſt, ad nonum, aut vndecimum deuenit indicatio.* Hic ſine dubio, dum

demonſtrat

demonstrat diem decimum non esse decretorium, dicit nonum talem esse. Quid plura. Hippocrates *sect.* 4. *Aphorism. text.* 36. nonne propterea sudores esse bonos dicit nono die, quia hi sudores indicant morbos. Ex his constat apertissimè nonum diem esse ex iudicatoriis. Est & indicatoria, quia si non iudicat, saltem indicat quid futurum sit in subsequentibus pro ipsius dispositione. Ad rem igitur venientes dicimus non nisi fuisse malè ominandum, cùm decimaquarta die fuerit deterior huius ægrotantis conditio: nam eo die deterrima habuit accidentia, cùm spiritus eidem fuerit rarus, & magnus. Tria sunt, vti aliàs dictum est, quæ magnum habent momentum ad salutem. Pulsus constans, respiratio libera, & appetentia inculpata. Crederem ego, neutrum istorum adfuisse. Non respiratio libera, quia decimaquarta habuit magnam, & raram per interuallum. Sunt qui disputant super modo loquendi Hippocratis, verùm finite hos disputare, dum vos ei quod magis vrget incumbatis; & certum habebitis idem esse spiritum rarum, ac per interuallum factum, nisi addatis per magnum interuallum, quod Galenus *in comment.* euidenter declarat, dum ait: *Spiritus rarus, quod est perinde, ac per internallum.* Subdit: *Atque sanè videtur deinceps idem dixisse.* Fortè ergo; aut, vt raritas augmentum indicaret per interuallum addidit, ac si dixisset per magnum admodum interuallum; est enim interdum consuetum, vt magnum relinquatur, solúmque vsurpetur per interuallum, id autem non semper erat, sed modò habebat rarum, modò breuispirans erat. Docuit iam Galenus in superioribus breuispiros fieri ægrotantes à frigiditate natiui caloris. Itaque, etiamsi haberet spiritum magnum, & rarum, quotiescunque vinceret natiui caloris frigiditas, erat breuispira, id est, habebat spiritum rarum, & paruum, sed vtcunque esset, spirationem non habebat liberam. Neque dicerem potuisse bene se habere ad oblata. Primum, quia mœror, si quid aliud appetentiam deiicit, etsi non febricitent homines; sed multò magis febre superueniente, quæ sua natura partes coctioni destinatas labefactat non leuiter, & multò magis malignitate præsente. Prætereà, qua ratione parum bibebat, eadem ratione parum comedebat. Ergo, neque ad cibum bene se habere poterat: sed neque pulsum constantem fuisse est credendum, cùm præter extremorum refrigerationem, quæ virtutem opprimit, fuerit pariter breuispira, quo tempore calorem extingui certum est: neque eo tempore potest esse virtutis robur. Quòd si æger in superioribus recensitus ab Hippocrate, grauissimè affectus, superauit morbum præter expectationem, quia tria illa habebat antedicta, meritò hic, cui omnia hæc deerant, debebat mori, præsertim cùm in dies ingrauesceret magis morbus: nam subdit Hippocrates,

c *Decimoseptimo aluus irritata, turbata deiecit*] Fuerit modò hac die irritata, quia natura tentaret aliquam euacuationem moliri, vt se à sarcina eximeret, vti solet frequentissimè in diebus decretoriis, aut fuerit irritata arte, quia scilicet iniectus sit clyster, quod verisimile est, si aluus erat adstricta: illud erat certum deiecisse, sed pauca, & erant turbata: nam quemadmodum aderat materia biliosa, ita irritabat præ sui acredi-

ne,

ne, & quæ excernebantur erant turbata, id eſt, verterem ego, aliquem dolorem afferebant ſedi, vel inteſtinis, ita ſumerem ego, & ſi apud Galenum turbari aluum idem ſit ac moueri, ac ſequi euacuationem, quia modus loquendi Hippocratis eſt diuerſus, cùm aluus irritata, deiecit turbata: iſtud verbum *turbata* aliud ſignificat hoc in loco, vt dixi. Itaque tentabat natura, ſed non poterat perficere malignè habens. Et, quod maximum eſt, potus pertranſibant. Hîc attendite Hippocratis dictum, quia rem magni momenti ſignificat: nam ad quid dicere, *pertranſibant*, nonne, & aliis pertranſeunt? verùm ſic ſcribit, vt ſignificet reſolutionem virtutis retentiuæ. Vult igitur dicere, pertranſiſſe potum, cùm biberet, vt videretur in puteum deſcendere, quod ſymptoma etiam à vulgo obſeruatur, & habetur vniuerſaliter pro funeſto ſigno. Prouenit hoc à duplici cauſa, vel à flatibus, vel à ſiccitate. A flatibus, etiam ſanis contingere poteſt, & ſi in ægris propter hoc fiat, non admodum eſt periculoſum. At, ſi fiat à ſiccitate lethale eſt ſine dubio, tum *ex Coacis*, tum *ex epidem. Ex Coacis*, quia *lib.2.text.28.comment.2.* hæc habentur: *Quibus inter bibendum ſtrepitus auditur, & murmur quoddam fit in ſiccis, & qui ægrè deglutiunt tuſſiculoſo ſpiritu, lethale in acutis, quibus refrigeratio accidit.* Huic ægrotanti accidit acutè laboranti, & refrigeratæ, cùm haud multò pòſt facta ſit muta, & breuiſpira. Ergo in hac erat hoc ſignum lethale. Rem ita eſſe confirmant hiſtoriæ *ex 7.epidem. text.6.* deſumptæ. De Cydis filio ita ſcribitur. Et cùm biberet deſcendentis in ventrem, & pectus, ſonitus, qualis & Cattadi. Legitur autem hæc Hiſtoria *eodem lib. text.11.* Propinqua iam morte, inquit Hippocrates, exigui ſudores, multi, & cùm biberet, ſonitus in thoracem, & ventrem deſcendentis, ambo obierunt. Habet doctiſſimus Valleſius *in comment. ad hiſtoriam*, ſic: *Hoc ſignum vidi ego in multis moribundis, atque, haud ſcio, an viderim in vllo eorum qui ſuperuixerint, certè in vno tantùm eorum, qui acutè ægrotarent, & id accidens acutæ febri ſuperueniſſet.* Redditque huius ſymptomatis cauſam. *Cauſam verò eſſe cenſeo eius accidentis, quòd corruptis iam facultatibus naturalibus, pondere, & propria fluxilitate feratur, veluti inde mortuum corpus, atque ob id ſonitum edat.* Accedit etiam ſonitus edendi alia de cauſa, quòd moribunda corpora flatum iam admittunt intra naturales cauitates, qui ingreſſu humoris, qui non ſugitur paulatim à naturalibus inſtrumentis, ſed propria natura incidit, verberatus edit ſonitum. Has ob cauſas ego hoc ſignum in peſſimis pono. Itaque dicerem ego ſic. In moribundis adſunt flatus propter imbecillitatem caloris, ſed & adeſt reſolutio partium: at non in omnibus id contingit. Quare ſi quis acutè laborans cum hoc ſigno conualeſcet, illud ſignum fiet à flatibus tantùm, non à reſolutione, & ſiccitate, quo tempore ſine dubio irreparabilis eſt morbus, quia tunc exſiccatus eſt etiam œſophagus, qui ſuo munere non amplius fungitur, & ob id multis in locis Coacarum reponitur inter funeſta ſigna, vt non immeritò, & huic idem contigerit, cui omnia euidenter tendebant ad perniciem, cùm nihilominus deliraret, & augeretur multò magis delirium, aucta cerebri intemperie, & ita erat delirium auctum,

vt nihil omninò saperet, id est, vt omninò mente esset capta, ita vt nihil omnino assumeret: nam multos videmus, qui etsi delirent, tamen quod porrigitur assumunt: obseruabitis enim aliquando delirantes auidè admodum conuertere se ad porrectum cibum, vt porrigenti obuiam ore eant: est quidem hoc malum, verùm multos seruatos videbitis: At nihil omninò assumere deterrimum est, & illud quod obseruatur ab Hippocrate *in Coacis lib.3.text.23.comment.*1.quando ait: *Deliria circa necessaria, pessima. Quæ ex his exacerbantur, lethalia sunt:* nam cùm quis delirat malum quidem, quia partium principum læsionem denotat, sed delirare, circa necessaria, ita vt omninò respuant, quæ virtutem possunt sustinere, illud est pessimum vt signum, & vt causa. Primo modo, quia grauiter læsam esse mentem significat, & omnes principes facultates, quæ quò plures læsæ sunt, eò maius periculum denunciant. Secundo modo, quia cùm res vitæ necessarias non admittat, non tantùm causis morbificis opprimuntur, sed eorum etiam egestate, & indigentia resoluuntur, sine quibus vita conseruari non potest. Quare in vniuersum periculi vis in his pendet ex humoris malignitate, facultatum plurium grauiore offensione, cerebri maiore alteratione, & rerum vitæ necessariarum negligentia. Et quò magis exacerbantur hæc dicta, eò perniciosiùs habent: nam grauium signorum perseuerantia, & exacerbatio fatiscentem naturam, & morbum ingrauescentem ostendunt, vnde magis confirmatur mortis præsagium. Quibus sic stantibus non sine causa subdit Hippocrates.

f *Cutis distenta, & arida fuit.*] Nonne habuit euidentem causam, cùm & adureretur à febre, & exsiccaretur ab alimenti defectu; scabra enim, & exardescente cute, siccum, calidúmque morbum esse colligimus, consequitúrque hoc non tantùm incendium, vt in hac, sed etiam aliquando viscerum marcidam quandam dispositionem, & quamuis vigesimo die, postquam multùm est loquuta, quod perseuerantiam delirij manifestabat, redierit ad mentem. Hoc non fuit ex bonis, sed non rarò morti propinquis euenire consueuit, vt notat doctissimus Vallesius: multi enim, antequam moriantur, videntur meliùs habere, & non semel obseruaui ego, multos delirantes haud multò ante mortem, rediisse apud se, vt Dei Optimi Maximi beneficio, potuerint commodiùs animam disponere, misericordiam peccatorum suorum efficaciter petentes, quod ab omnibus exoptandum est. Quod autem esset infida alleuatio, & potiùs extrema virtutis imbecillitas, non amplius pugnantis aduersus causam morbificam, constat ex sequentibus, cùm vix ad mentem redierit, quod paucis interpositis horis vocem amisit, & facta est breuispira. Neque hic pluribus opus est, ad probandum, an id proueniat propter affectionem tantùm musculorum voci inseruientium, an propter extremam virtutis prostrationem, cùm euentus comprobet rem ita fuisse, eadem die sequenti decedente, scilicet vigesimoprimo, non potente natura ampliùs vim morbi sustinere. Ex quibus colligimus, an sit fidendum iis febribus, quæ cùm mitissimæ videantur esse, annexa tamen habent grauissima accidentia, vt hanc febrem fuisse facile constabit cuique. Itaque tandem miserrimè consumpta

obiit,

obiit, non tantopere productura vitam, nisi firmas habuisset vires. Hæc historia vult omnes oculatos,sed præ cæteris iuuenes, qui de hoc debent esse solliciti, quo sibiipsis à primis diebus famam parent. Tandem,vt sui moris est,Hippocrates recenset,quæ per totum morbum passa est,vt vnusquisque videat,quàm graui morbo tentaretur,& quomodo non posset ab hoc morbo euadere.

g *Huic erat spiritus magnus,& rarus perpetuò. Nihil sentiebat, semper cooperiebatur. Aut multùm loquebatur, aut tacebat perpetuò. Phrenitis.*] Non erat spiritus rarus,& magnus perpetuò, sed vtplurimum, aliter non fuisset breuispira,verùm est,quòd cùm deliraret, quibus spiritus talis est, possumus dicere semper habuisse, quia semper delirauerit. Quòd si fuit breuispira, illud erat, aliquando deficiente natura, sed tamen eadem insurgente, iterum spiritus talis reddebatur. Est autem hæc vox ambigua: nam in longum,latum, & profundum, multa thoracis distentio magnum spiritum facit, dicitur etiam talis, quia plurimùm spiritus semel trahitur, plurimùm semel excluditur, id quod phreniticis,& aliis delirantibus contingit: verùm hoc non frequenter faciunt,sed interpolatè, quando scilicet mens est occupata in alicuius rei inspectione, vt sæpissimè contingit iis, qui aliqua re delectantur, qui toto eo tempore ferè spiritum retinent, posteà cogente necessitate respirationis,multùm trahunt spiritus,& etiam excludunt vnica vice. In febricitantibus cum delirio, quia æstuant thoracis partes, respiratio illa perpetuò magna est, & ita singulis motionibus plurimum thorax distenditur. Dicitur magna respiratio, quia semel multùm,& longiore motione efflatur: magna etiam, quia thorax ampliatur, atque distenditur. Et tandem dicitur magna,quia longioribus interuallis redditur. Concludamus,vt finem imponamus, omne vitium respirationis delirio copulatum esse lethale. Quod posteà nihil sentiret erat ex perniciosis,& denotabat nihil amplius deesse ad omnem ruinam; semper cooperiri cerebri affectionem significabat ex melancholia, perinde & esse loquutam. Posteà fuisse tacitam, effectus erat melancholici humoris,qui aliàs aliter insurgebat.

Phrenitis. Non simpliciter phrenitica fuit, sed mistam habuit affectionem ex bilioso,& melancholico humore, aliàs altero præualente. Vt hæc apertiora fiant,ponamus, quæ super hac Historia habet Galenus *lib.2. de difficult. respirat. cap.*8. vbi ad verbum hæc leguntur super expositione istius historiæ sic: *In ipsa autem Dealcis vxore, vtplurimum quidem delirium exuperat,rarò verò exuperatur : verùm verba paulò anteà, quando exponebam, quid significet :* per tempus, *adscripsi. Nunc affectiones ipsas pugnantes referam; sequuturus & hîc sermones ab Hippocrate prolatos. Nulla itaque dolorosa affectio huic mulierculæ accidisse videtur, præualuit autem perfrigeratio, marcescente insita caliditate : ex eo enim, quod est scriptum de ipsa. Febres ad manum tenues, extremarum frigiditas. Hoc ostenditur,& ex eo,quod per omnem morbum contegebatur ait. Quin & ex mœrore initium sumpsisse, his consentit. Inquit enim febris cum horrore ex mœrore corripuit. Sed & ipsa febris cum horrore iuxta eandem causam*

facta est. Et sanè etiam hoc, quod potus ventrem penetrent, ac percurrant, neque paruo tempore consistentes, maximum signum est innatam caliditatem extinctam esse. Quin & cutis arida nihil aliud est, quàm resiccata. Deperit autem vna cum eiusmodi siccitatibus innatus calor. At verò, quòd hæc omnia in ipsa facta sint, ipsa dictionum sequela ostendit. Decimaseptima enim, inquit, irritationes à ventre turbulentæ, posteà verò ipsi potus percurrebant, neque consistebant, omnino nihil sentiebat, cutis aridæ circuntensio. Rationabiliter igitur per omnem morbum magnus, & rarus spiritus præualuit, intercedebat autem aliquando etiam breuis, ad perfrigerationes consequens. Mentionem autem faciam etiam nunc ipsius dictionis, velut anteà iam adscripsi. Decimaquarta spiritus rarus, & magnus per tempus, & rursus breuispira. Vigesima sermones multi, rursus sedata est, taciturna, breuispira. Vigesimaprima mortua est, huic ad finem spiritus rarus, magnus. Hic igitur delirium perfrigerationem superabat, & propterea rarò quidem breuispira, per omnem autem morbum longispira seruata est. Hæc Galenus *loco suprà adducto.* Ex quibus elicitur paucissimis verbis ferè totus præsentis Historiæ sensus. Reliquum modò est, vt aliqua addamus ad curationem spectantia.

Curatio.

IN hac curatione facienda, illud primum ante oculos erat ponendum, an verè mœror prouenisset ex mensium retentione, an ex alia causa. Si nullus erat defectus in puerperio, siue in mensibus, sine dubio partes supernæ erant euacuandæ, sanguine ex brachiis animosè detracto: verùm illud addere oportet, quod vos animaduertere debetis, non omninò esse credendum mulieribus, quia multoties ipsæ negant esse defectum, & tamen re vera est. In plethorica igitur muliere non mediocris est sufficiens euacuatio, quoniam sæpissimè tenuiori euacuato, relinquitur crassior, & terreus, à quo melancholici producuntur effectus. Præterea neque peccatum erit sanguinem semper in muliere extrahere ex infernis partibus, quia etsi sint, hoc supposito, euacuatæ pro indigentia; tamen reuellitur sanguis ille ab vtero, & prohibetur vaporum tetricorum transmissio ad supernas partes. Quòd si mulier affecta, sit ex eis, quibus iam naturaliter propter ætatem retinetur euacuatio, multò magis ad hanc euacuationem est confugiendum, & sine timore; & obseruabitis maximum sequi iuuamentum, quod testatum esse Oribasium aliàs à me dictum est. In hac igitur quomodocunque esset ad tutiorem curationem solui venas infernas curassem, iterato sanguine misso, inspecta sanguinis qualitate, vt si niger esset, & impetuosè flueret, copiosiùs extraheretur ex Galeni documento *in cap. de curatione quartanæ.* Aluo adstricta existente, expediebat clysteribus vti. Semper in mulieribus in decocto decoquite quæ flatus discutiant, & vtplurimum cauete à dulcibus, quæ ex melle conficiuntur. Id non est perpetuò verum, quia non omnes mulieres æqualiter afficiuntur ab iis, quæ ex melle conficiuntur: verùm vtplurimum infesta mulieribus sunt, quæ

ex melle constant: vel poterat præscribi medicamentum blandum, quod reciperet lenitiui ad ℥.j.diaphœn.ʒ.ij. pulu. s. citri ℈.j. cum saccaro factis bolis. Vel in potione vti manna ad ℥.iij.dissoluta cum decocto sem.citri, & absinthij, ad hoc vt fieret amara, & hoc commodè poterat euacuare, & blandè,quod attendendum est in humore melancholico. Neque inutile extitisset infusum senæ,cui dissolutum fuisset mel rosaceum solutiuum, & syrupus de fumo terræ. Quoniam verò citissimè ad alterantia erat veniendum, ob id ex vsu fuissent sic parati, qui reciperent fumum terræ, cichorium,oxymelitis portionem cum aquis refrigerantibus,deobstruentibus citra calorem, & obsistentibus maleficæ qualitati, aut decoctis ex iisdem,quæ sine dubio,vt minùs grata,sunt magis efficacia, & vtilia. Ad reuellentium genera erat deueniendum, quo retraherentur à capite humores, si fieri posset, nunquam prætermissis alexipharmacis interiùs assumptis,exteriùs cordi adhibitis. Capiti perfusiones vtiles, oxyrrhodina. Vigiliis, etsi multa veniant in vsum, præ cæteris mihi arridet papaueris syrupus:exterius vnguentum populeonis. Sunt, qui vrgente delirio, venam frontis secant: medicamentum vtile tempestiuè adhibitum, scilicet euacuato benè corpore, & non delata materia ab infernis partibus, quia tunc plus attrahimus,& hac de causa magna adhibenda cautio est,veluti etiam in applicatione pulli columbini, vel gallinacei, vel catuli, suturæ coronali admotis. Hoc medicamentum, quemadmodum commendatur cum ratione, quia dissipat materiam in caput delatam, & firmius reddit: ita etsi intempestiuè applicetur, non parum nocet in augenda capitis intemperie, & præsertim in muliere, quia aliquando; & sæpissimè foueri potest affectio ab vtero, quo tempore cauti sint Medici expedit, affectuum causas expendentes: loquor vobiscum adolescentes, vt scilicet morbi originem attendatis, & terminum *ad quem* expendatis, & non simpliciter terminum *à quo*.Inter cætera debebatis esse solliciti de victus ratione,& statim præparare, quæ humectantem haberent vim,quoniam, vt vidistis in Historia,vniuersum corpus exsiccabatur,& omnem adhibere diligentiam, vt alimentum assumeret, quod quemadmodum est necessarium, ita quam difficile. In hunc vsum veniunt quæ in modica quantitate plurimum nutriunt,de quibus in aliis.Si nihil obstitisset, transacta decimaquarta potuisset præparari aliquod leue medicamentum purgans ex fumo terræ,cum decoctione senæ ad ʒ.ij. ad euacuandam materiam adustam,& melancholicam,cum portione syrupi rosati solut. inspecta semper virtute, quam si suspectam habebitis, vsus clysteris erit tutior, præsertim cùm his commodè euacuetur corpus, vt multis contingit. Ventriculum fouere expediebat,quod semper in febribus facite.Et quando curationem instituitis mulieribus, bene, & diligenter perpendite, an ventriculus sit imbecillus ex se,an per consensum ab vtero, quod frequentissimum est: frustra enim tunc ventriculo subuenimus, nisi habeatur ratio termini *à quo*,videlicet vteri. Multa in hunc vsum veniunt, veluti conserua absinthij,diacuminum,aromaticum rosaceum,diarrhodon Abbatis. Morsuli ex floribus citri, nux myristica, & morsuli hunc in modum concinnati,

℞. galangæ, macis ana ℨ. ß. cinnamomi electi ℨ.ij. caryophyllon ℈.j. cardamomi, nucis moscatæ g.vij. pelliculарum stomachorum gallinarum infusarum in vino maluatico, & exsiccatorum ℨ.j. saccari ad pondus omnium, & secundùm artem fiant morsuli, vel vtatur in puluere, aspergendo fercula. Aliud commendatur in hunc modum. *℞. specierum diagalangæ, specierum aromatici rosati an. ℨ. j. specierum diacaryophyllati, & diarrhodon Abbatis ana ℨ j. pulueris stomachorum gallinarum præparatorum ℨ. j. cum pasta aconiorum fiat electuarium.* Verùm in huiusmodi febribus cauere oportet ab his tantisper, dum sint ab ea immunes. Exterius hoc, vel simile præparatur. *℞. granorum lauri nigellæ, rutæ ana ℨ.ij. coquantur in vino aromatico vehementer, & coletur, deinde coquatur cum oleo communi, ad consumptionem vini integram, ita vt remaneat solùm oleum, & ex eo fiat inunctio.* Si magis placet ceratum. *℞. Bdellij, ammoniaci ana ℨ.ij. ceræ, resinæ, laudani ana ℥.ß. caryophyllon, squinanti, baccarum lauri, cardamomi ana ℨ.j. fiat secundùm artem ceratum, & ori ventriculi admoueatur.* Nec improbatur in ventriculi imbecillitate huiusmodi morsulus. *℞. specierum diagalangæ ℨ.j.ß. specierum plirisarcoticon ℨ.ß. rosarum, spodij ana ℈.j.ß. cum saccaro dissoluto in aquis absinthij, & maioranæ, fiat confectio.* Hæc, & alia multa à practicantibus habentur, veluti *ceratum ex pulu. mastichis, florum lambruscæ, & cum modico pul. nucis moscatæ, cera & resina parare ceratum.* At certè credo ego, parum, aut nihil posse iuuari mulieres, quæ ex consensu vteri sit afficiuntur, & ob id eam partem tunc respicere expedit, extracto sanguine, si vitio mensium fiat affectio. Si propter flatus ab imbecillitate vteri genitos: Cerata ex caragna, tacca nacca, galbana supra vmbilicum positis his: discutiunt enim flatus, & roborant vterum. Si tandem hæc fiant in muliere sterili, omnia irrita sunt, nisi concipiat. Hoc non semel vidi, & modò habeo præ manibus nobilem mulierem, quæ habitu est sanguineo, & in victus ratione satis liberalis. Facta est melancholica, quia non concipit, & tamen domestici ipsius non aliud sibi ipsis persuadent, quàm iuuenem hanc esse dæmoniacam, & habent, qui hanc opinionem confirment, & tamen adhuc nihil iuuamenti attulerunt, neque imposterum sentiet ex his commodum, nisi concipere contingat, quod non est difficile vtrisque iuuenibus existentibus. Erat hîc in ciuitate Papiæ mulier nobilis, quæ nunquam concepit, nisi post decimumoctauum annum à sponsalibus, & septem filios edidit, cùm singulo anno posteà vtero gestaret, & sana facta est omninò cùm antea morbosam haberet sanitatem. Obseruate vos hæc in curatione sterilium, ne ex leui mulierum affectione conueniatis cum vulgi opinione, putantes qui morbi sunt naturales, eosdem incognitam habere causam. Et hæc satis.



ΑΡΡΩΣΤΟΣ ἑκκαιδέκατος.



Ν Μελιβοίῃ νεανίσκος ἐκ πότων καὶ ἀφροδισίων πολλῶν πουλὺν χρόνον θερμανθεὶς, κατεκλίθη. φρικώδης δὲ, καὶ ἀσώδης ἦν. ἄγρυπνος. καὶ ἄδιψος. ἀπὸ δὲ κοιλίης τῇ πρώτῃ. πολλὰ κόπρανα διῆλθε, σὺν περιρρόῳ πολλῷ. καὶ τὰς ἐπομένας ὑδατόχλοα πολλὰ διῄει, οὖρα λεπτὰ, ὀλίγα, ἄχροα. πνεῦμα ἀραιὸν, μέγα, διὰ χρόνου. ὑποχονδρίου ἔντασις ὑπολάπαρος. παραμήκης ἐξ ἀμφοτέρων, καρδίης παλμὸς, διὰ τέλεος ξυνεχής. οὔρησεν ἐλαιῶδες. παρέκρουσεν ἀτρεμέως. κόσμιός τε καὶ ἥσυχος. δέρμα καρφαλέον καὶ περιτεταμένον. διαχωρήματα πολλὰ, καὶ λεπτὰ, ἢ χολώδεα, λιπαρά. ιδ΄, πάντα παρωξύνθη. παρεκρούσθη. πολλὰ παρέλεγεν. κ΄, ἐξεμάνη, βληστρισμός. οὐδὲν οὔρει μικρὰ ποτὰ κατείχετο. τῇ κδ΄, ἀπέθανε. φρενίτις.

ÆGROTVS XIV.



Dolescens Mælibeæ ex nimio potu, & venere diu calefactus [a] *decubuit, horrebat, & erat fastidiosus, insomnis, nec sitiebat. Aluus primo die multa stercora deiecit, cum multa offusione. Sequentibus diebus multa diluta, quæ bilem referebant: vrinæ tenues, paucæ, decolores.* [b] *Spiritus rarus, & magnus per interuallum. Hypochondrij contentio submollis, ex vtrisque oblonga:* [c] *perpetua cordis palpitatio:* [d] *reddidit vrinam oleosam. Decimo, delirauit modicè, modestúsque, & tacitus erat, cutis arida, & distenta. Deiectiones vel multæ, & tenues, vel biliosæ, & pingues. Quartodecimo, desipuit, cuncta exacerbata sunt, multùm delirauit. Vigesimo, insaniuit, sese iactauit, nullam vrinam reddidit, modicum potionis continebat. Vigesimoquarto, obijt. Phrenitis.*

COMMENTARIVS.



ONQVERIMVR non raro, nostris temporibus non æquè vitam prorogari, ac præteritis, quasi pro certo habeamus, sic ferre præsens tempus, vt veluti omnia orta occidunt, & aucta senescunt, ita id citiùs

tiùs eueniat, quia sensim ad nihilum redigatur mundus, & ideò corpora imbecilliora nascantur, quàm vetustis illis temporibus, hìncque celeriùs vitam finiant, vix ad mediocrem ætatem peruenientes. At nonne patet euidenter vanum esse in hoc referre culpam? cùm nos nobismetipsis iudicia faciamus, praua vtentes victus ratione, quæ sanitatis caput est. Bone Deus! si vix attingunt pubertatem, quòd cum mulieribus copulari appetunt, & ita exoptant, vt venere immodicè vtentes plurimi, sensim eorum copora colliquari animaduertamus. Aliis mictus sanguinis superuenit: catharri ad mortem concomitantes. Podagræ continuò affligentes, neque ob hoc vitæ mutatio in meliùs, cùm videamus podagricos vino, & venere plùs iusto deditos, ita vt omnem adhibeant curam, vt praua victus ratione, sibi ipsis infelicitatem vi quadam comparent. Quibus sic stantibus, & verissimis, sequitur necessariò, vt ex præpropero coïtu non tantùm corpora gignentium, quæ nondum ad perfectum augmentum peruenerant, valde vehementer debilitentur? verumetiam, quod magis est, proles reddatur imbecillior, & hac de causa breuiorem vitam viuunt, cùm in his imperfecta fiat coctio: actiones non sint firmæ, facultas animalis languescat, & tandem fiant senes, & morbosi ante senectutem. Hoc est breuitatis vitæ causa. Ob moderatam victus rationem, quam vtplurimum veteres seruabant, tutiùs validiore medicamento purgabantur, dicit Galenus *in lib. 2. de fracturis*, vbi proponens helleborum album pro medicamento, non difficilè purgatos hoc validissimo remedio, quia erant in victu temperantes. Videre modò iuuenes nostri temporis, quòd nihil mediocre efficiunt. Modò inualuit vsus, quo multi incautè perimuntur, dicam meliùs, abusus, vt quacunque hora, assumant puluerem hyosciami Peruuiani, dicti vulgò *Tabacco*. Quantum autem huius medicamenti abusus noceat, experiuntur multi, veluti & largior potio aquæ ardentis. Verùm sinamus hos in peccato suo mori, postquam medelam adhibere est impossibile, & veniamus ad hunc adolescentem, qui & ipse potest incautis iuuenibus vtilitatem afferre, si bene animaduertant, quæ de ipso scribuntur. Appellat igitur Hippocrates hunc adolescentem duabus credo de causis. Primò, vt denotet quàm intempestiuè deliquerit in venere, præsertim immoderatè eadem vtens. Secundo verò, vt ob oculos ponat vim morbi ex quo sublatus est, & citissimè. Hoc quidem certissimum est facilè febribus acutis corripi iuuenes; verùm magis resistere, quàm senes: quòd si eorum virtus concidat, multò grauior causa arguitur; quia, quemadmodum magna causa existimatur, quæ vehementem imprimit calorem in sene, ita maxima quæ iuuenem citò deprimit: oportet enim prauam inueniat, & malignam humorum dispositionem, aut partes internas corpus gubernantes, ita prauè affectas, & debilitatas, vt morbificæ causæ succumbere sit coacta. Huic certè si ipsius vitam intimiùs examinemus, non fuit difficile mori, dum tot erroribus commissis in vino, & venere erat paratus iam ad quamcumque aduenientem causam. Facultas animalis sine dubio malè habebat, nam vinum partes neruosas ferit, neruos resoluit: est enim leuis epilepsia. Naturalis non poterat fungi munere suo; quia, vti

aliàs

aliàs est dictum, hæc resoluit ventriculum; quo fit, vt non proba sequuta coctione, incommoda sequantur, de quibus experientia est testis: auctoritates Galeni confirmant, quod in hoc etiam constat ex alui excrementis, & quomodo vitalis non concurrebat in tanta spirituum resolutione. Itaque non est mirandum, si omnibus facultatibus ad perniciem concurrentibus tam citò conciderit adolescentis virtus. Addamus posteà perseuerantiam in erratis: nam & hoc multos præcipites agit, qui etsi minùs benè habeant; tamen negligunt, neque desistunt peccare in victu; quo fit, vt tandem grauiore facto morbo præcipitent. Hic, non statim decubuit, etsi non benè haberet, quod detrimentum attulit non aspernendum, nam si non neglexisset leuitatem morbi, non ita grauiter fuisset affectus: verùm, & veneri, & vino nihilominus indulgens, & prauè viuens, lethaliter est affectus, deteriore putredine genita. Indicat hoc, modus loquendi Hippocratis dum ait, postquam

[a] *Decubuit, horrebat:*] Nam horror malitiam indicat humorum: neque enim putandum est fuisse initium accessionis, sed vellicato ore ventriculi ex abundantia prauorum humorum id symptoma fiebat: & hoc multò magis manifestat fuisse fastidiosum, & insomnem, cùm neque dormiant ægrotantes quibus os ventriculi est malè affectum, vt puto vnumquemque experiri. Sed cur non sitiebat, si erat insomnis, cùm vigiliæ fiant à bile, quæ sitim inducit. Propter quid ægrotantes non sitiant iam in superioribus dictum est sæpiùs: verùm in hoc non extitisse sitim crediderim euenisse, neque à delirio, neque à resolutione virtutis, neque à destillatione à capite decumbente, sed à copia cruditatum in ventriculo existentium, quæ continuò ori humidum suppeditabant: nam cùm ventriculum ex commissis erratis euidenter labefactatum haberet, vt verisimile est, repletum quammaximè fuisse non est inconueniens dicere: neque quia anteà multùm potasset, & præcipuè vinum, potuit siti carere; quoniam multo magis accenduntur, & eo magis, cùm venere immodicè esset vsus, quæ corpus exsiccat non parum. Aliud igitur non potuit esse, quàm copia crudorum humorum in ventriculo existentium. Hoc ita esse, confirmat euacuatio per aluum facta, quæ erat, *multa*, copiam indicantia, sed primo erant solùm *stercoracea* ex voracitate genita; verùm *cum multa offusione*, dicerem, cum multa obscuritate, veluti solent esse, quæ adusta excernuntur, vergentia ad nigrum, adustionem denotantia, & hæc primo die, neque mirum talia apparuisse, quia nondum erat aluus mota, sed solent prima excrementa esse semper duriora: verùm, si alui motio perseuerat, sine dubio liquidiora apparent, tum quia cruda, tum quia minùs retenta, non possunt à calore indurari. Perseuerauit euacuatio alui, etiam sequentibus diebus, verùm alia non recenset, quia nihil habuit notatione dignum, non prætermisit tamen recensere excrementorum qualitatem, ex quibus elicitur internarum partium dispositio: nam fuisse imposterum cruda, quæ excernebantur, significabant ventrem inferiorem non bene habere: dum bilem repræsentabant incendium internum, & non dicit, vt solet: *biliosa*, sed *bilem repræsentantia*, vt sciatis fuisse mista biliosa

liosa cum crudis humoribus, sed præualuisse biliosa, dum ait, repræsentasse bilem. Erat hæc euacuatio non omninò damnanda à principio, nisi euentus aliter suasisset, cùm in cruditatum copia appetenda sit alui motio, sublata per hanc humorum redundantia: sed, cùm nihil iuuaretur, erat deterior, quàm si non esset facta, & præsertim interna inflammatione existente, quo tempore dãnatur alui motio ab Hippocrate 2. *in* 1. *prorrhet. text.* 28. *in cuius comment.* hæc habet Galenus. *In hepatis quidem inflammatione vitiosum esse symptomaticè erumpentem aluum, in alio verò quodam bonum. Verùm in omnibus & bonum, & malum fit cum propriis limitationibus: sunt autem hæ. Si ab euacuatione æger meliùs habeat.* Quòd si *in Coacis* videtur contrarium sentire, dum inquit. *Quibus extumescunt hypochondria, alui adstrictio mala, maximè ijs, qui longo morbo contabescunt, & quibus venter solutus est.* Intelligenda, & concilianda contradictio sic. Alui adstrictio aliquando sequitur hepatis inflammationem cum robusto viscere, tunc minus malum, si aluus adstringatur, & eo tempore reddantur excrementa, qualia *in prorrheticis* ab Hippocrate describuntur, scilicet similia excrementis caprarum, quæ propterea appellabat Galenus *in loco adducto σπειρώδεα*, in spiras circunducta. Aliquando insequitur hepatis robusti inflammationem. Si verò hepar sit imbecillum, tunc inutile est aluum sisti, præsertim, si humorum extet corruptio, quia retenta hæc caput afficere possunt, & alias partes cum ægrotantis detrimento. In hoc aluus non erat mota operante natura, sed potiùs propter colliquationem, & ingentem humorum corruptionem, quo fit etiam, vt nihil sit intus ægrotans, vt euentus confirmat. Vrinæ respondebant, cùm essent tenues, sed quomodo poterant non esse tales, crudo existente morbo, aluo mota, quo fiebat, vt diuersa materia ad aluum, vrina esset pauca. Iam ex Hippocrate *in Aphorism.* didicimus paucam mistionem esse aluo mota, & sic è conuerso. Quod scribit fuisse decolores, vult dicere fuisse aqueas, non tantùm substantia, sed & colore.

[h] *Spiritus erat rarus, & magnus per interualla.*] Iam dictum est, quid sit spiritus rarus & magnus. Per sequentia verba intelligit hepatis inflammationem, neque propterea variata est respiratio, quoniam inflammatio non adeò erat vehemens, quia si fuisset validior delirio, non habuisset spiritum qualem describit, vt in textu Hippocrates ponit, verba Galeni desumpta *ex lib.* 2. *de diffic. respirationis cap.* 8. sic habent. *At verò distentionem circa ileum ex vtrisque lateribus fortassis putauerit, aliquis paruum, & densum spiritum efficere. Verùm per ea, quæ de ipsa scripsit, rationabiliter ostendit ipsam à delirio esse victam: neque enim simpliciter dixit. Erat autem circa ileum distentio, sed apposuit. Submollis: ostendens, quòd non fuerit, cum magno tumore. Molle enim, quod hoc loco Hippocrates λαπαρὸν dixit, vacuum significat. Ex eo verò, quod oblonga dixit, contrarium ostendit, ei, quod ipse dixit sæpe, ileo reuulso. Cùm enim à septo transuerso tenditur, tunc quidem reuellitur, ac totum occultatur ad thoracem tractum: cùm verò ab aliqua sita particula, tunc sanè oblonga ipsa tensio apparet. Non est enim quicquã ante situm, quod ipsum occultet, velut in thorace sunt tum co-*

stæ,

sta spuria, tum ipsum pectus. Non solùm igitur ex his palam est, quòd parua omnino fuerit affectio circa ileum ad difficilis spirationis generationem, sed & ex eo, quod Hippocrates de ipsius dolore nihil adscripsit: non taciturnus. Si quidem dolorosum fuisset, cùm hic ipsi mos sit, vt nihil huiusmodi rerum negligenter prætereat. Si quidem igitur hæc ipsa omninò erant parua: neque enim tumor aliquis magnus erat in ipso, neque dolor, neque septum transuersum premebat, sed secundùm ventrem totum extendebatur, delirio verò contra nihil deerat. quo minus, & maximum, & grauissimum esset; pro ratione vtique ab ipso penitus superata est affectio circa ileum, & ob id per omnem morbum respiratio magna & rara sit facta & propterea Hippocrates vtriusque simul meminit, nempe & speciei difficultatis respirationis, & affectus circa ileum. Habet autem dictio hoc modo. Spiritus rarus, magnus per interuallum. Ilij distentio submollis. Vt ne quis negligenter prætereat sermonem, sed ex ordine consequentes inter se duas legens affectiones, contrariam difficilis spirationis speciem operari solitas, consideret causam cur perfectè quidem superet delirium, vincatur autem distentio circa ileum. Hactenus Galenus. Ex quibus euidentissimè apparet longè grauiorem fuisse affectionem capitis, quàm affectionem hypochondriorum, ob hoc habuisse spiritum, qualem descripsit.

c *Perpetua cordis palpitatio*] Habeo in cœnobio quodam istius ciuitatis Monialem palpitatione cordis laborantem perpetua, quæ adhuc viuit, cùm iam agatur annus quintus, & fortasse amplius, ex quo ægrotat, & aliquandò ita augetur affectio, vt videatur mors præ foribus. Cessat accessio; verùm non cessat continua affectio, & mirum dictu, quomodo sentiatur cor velocissimè moueri, præcipuè in accessione. Huic salutaris est venæ sectio ex pede, ad ℥. *ij*. vel *iij*. ex quo conieci habere fomitem ab vtero: etsi iam credibile sit factum esse affectum per essentiam ex longo vsu, humore in pericardio existente, cùm alleuetur quidem, non tamen integrè curetur. Galenus dicit, palpitationem cordis patientes, non pertransire quinquagesimum annum, & videntur veluti colliquari, vt de simia refert *lib. 5. de locis malè affectis cap. 2.* quæ ex palpitatione cordis emaciata obiit, repleta ambiente cor tunica humoris multitudine, quæ, ne attolleretur impediebat. Non dissimilem casum recenset Schenchius ex mente Trincauellij. Ibi dicit vidisse se iuuenem sacram, & Religiosam, quæ cùm vehementem pateretur cordis palpitationem, interdum in syncopem, interdum verò consentiente cerebro cum corde, in morbum comitialem & vehementem cadebat, à qua nunquam integrè curari poterat, & in ætate iuuenili tandem mortua est. Eundem finem habituram hanc Religiosam pro certo habeo, quia ad id est redacta; vt, cùm è lecto surgit, linquat animo, & sæpissimè in eo sit, vt spiritum emittat. Ad summum grauissimus est affectus, & quammaximè periculosus, quia pars affecta, vt præ cæteris principatum habens, non diu noxam; etsi leuem sustinere potest. Itaque si hic veram habebat palpitationem, non est mirum si tam citò, febricitans obierit, & potuit originem trahere à venere, potu, & excandescentia. An modò intelligat veram cordis palpitationem, an

oris ventriculi læsionem, quod cor abusiuè nuncupatur, nondum certum est: nam ventriculus palpitat, non ratione suiipsius, sed propter arteriam magnam, quæ à corde portenditur in longum ventriculi, cuius causa tantopere compatitur cor in ventriculi oris læsione, & ego in multis persensi hunc motum, qui in aliquibus tam euidens est, vt si tangamus os ventriculi, manus eleuetur. Itaque possemus intelligere fuisse oris ventriculi palpitationem, arteria magna pulsante propter auctum calorem, qui refrigerio indiget: nam admoto oleo rosaceo, persentit commodum ægrotans iam dicta. Si Galenum legamus, ipse vertit per cordis palpitationem, hypochondriorum palpitationem; sed per hypochondrium simpliciter intelligimus ventriculum, hepar, lienem, & septum transuersum, & ob id etiam potuisset intelligi per hypochondrium os ventriculi, quatenus in hac parte continetur: sed si intelligamus hypochondrium sine alio addito, semper Galenus intelligit dextrum hypochondrium, in quo continetur hepar: neque hucúsque quod legerim animaduerti Galenum per cordis palpitationem intellexisse hypochondriorum palpitationem, nisi hoc loco. Quòd si Galeni versionem sequamur, vt decet, ne iurare in verba præceptoris videamur, sine dubio, perpetua illa cordis palpitatio indicat hypochondrij dextri inflammationem, quam tamen leuem fuisse verisimile est, cùm dicat fuisse contentionem submollem: neque enim erat tanta inflammatio, quæ tumorem faceret euidentem, & dolorem. Aut dicamus illam hypochondrij perpetuam palpitationem potuisse euidens minari delirium, vt *ex 1. prognost. text. 28.* habetur. Si verò pulsus in hypochondrio insit, perturbationem significat, aut delirium, in quem sensum non esset inutile accipere hac in parte, cùm delirauerit. Galenus *in comment.* scribit per pulsum apud aliquos legi palpitationem, vt tale accidens sit propter spiritum flatuosum. *Apud aliquos legitur pulsus, vt significet inflammationem, aut motum magnæ arteriæ, qui innotescit*, inquit, *antequam tangatur, interdum ægro duntaxat: aliquando etiam deforis intuentibus.* Verùm, vtcunque esset, hoc non erat signum bonum, quia arteria maior, reponitur inter partes principalissimas, veluti est venter, iecur, septum transuersum, & propterea quæcunque harum partium affectiones, sunt maximè timendæ, vt non immeritò dicat Galenus significare perturbationem, aut delirium. Perturbationem, quia in huiusmodi casibus perturbantur etiam Medici ex superueniente accidente. Delirium verò compatiente cerebro. Itaque, vtcunque legatur, indicabatur grauis affectio, quia debent esse partes, quæ necessariæ sunt ad vitam, immunes ab omni affectu, vti *multis in locis* notat Galenus.

[d] *Reddidit vrinam oleosam*], aucto morbo, magis æstuantibus internis partibus, de quibus vrinis iam satis aliàs dictum est cum Galeno *in prognost.* Illud verò, quod additur,

[e] *Delirauit modicè*,] non est intelligendum de leui delirio: nam iuuenem esse taciturnum, & modestum maximum est, quia est maximus recessus à naturali statu, & hoc habetur ex Galeno *lib. 2. prorrhet. text. 9. Ex modesto*, inquit, *& composito homine ferox responsio mala; ita è conuerso*;

propterea

propterea scribit. *Neque enim alterius rei gratia in decimæ diei enarratione, ea quæ ad mores adolescentis pertinent adscripsit: vt verò, ne putaremus, propterea quod scripsit, delirauit sensim, simplex quoddam, & vulgare esse delirium, ob id sanè infert. Erat autem moderatus, & taciturnus, per quæ omnia vehementiam deliry indicauit.* Ego propterea dicerem ideò visum fuisse vehementissimè delirasse, cùm omninò esset à seipso dissimilis, & cùm soleant adolescentes esse viuaciores sua natura vtplurimum, si in morbis sint taciturni, etiamsi videatur leue delirium quoad actiones, dicitur tamen vehemens, quo ad recessum, & consuetudinem, quia non sunt soliti esse adeò modesti iuuenes tempore sanitatis. Addamus, quòd, etsi ob morbi vim debuisset validè delirare; tamen virtus anteà adeò ex venere immodica, & potu erat debilitata, vt vehementiùs moueri aduersus causam morbificam non posset: præterea etiam, neque caput tantopere poterat affici larga per aluum facta euacuatione; etiamsi esset colliquatio potius; tamen tunc dicitur grauissimum delirium, quodcunque etiam leue, quando aluo mota fit, quo tempore propter reuulsionem deberet esse caput immune ab omni affectu, & hac ratione leue delirium, est graue in aluo mota: non æquè in aluo adstricta, cùm eo tempore non difficilè eleuentur vapores ad caput, cùm aliam non habeant viam. Neque mirandum cutim habuisse aridam in tam larga euacuatione de qua *suprà* cum Galeno dictum est, *in antecedenti Historia.*

Erant deiectiones multæ,] non tantùm ob copiam, sed potiùs propter resolutionem facultatis retentricis, *tenues*, quia præter morbi cruditatem, tales solent esse in largioribus euacuationibus, *biliosæ*, magis æstuante corpore, quia in principio dicebat, repræsentasse bilem: *pingues*, propter colliquationem. Euacuationes omnino inutiles, cùm non adesset nec conferentia, nec tolerantia, postquam hac præcessa euacuatione in deterius labebatur, vt demonstrat ægrotantis status in die decimoquarto, quo die omnia apparebant coctioni contraria, dum ipse Hippocrates ait omnia antedicta fuisse deteriora, &, quod magis est, affectio capitis inualescebat, dum ait multùm delirasse. Hoc præ ceteris exprimit, vt sciatis non esse parui momenti, partis principis insignem læsionem. Neque alleuatio sequentibus diebus, sed interius torrebatur, & in dies grauiùs habebat, dum vigesimo die aucta est affectio capitis, quæ à primo apparebat leuis, tandem inualuit ita, vt insaniuerit. Si apparuissent signa coctionis anteà, hæc omnia fuissent indicia crisis bonæ, verùm quia nullũ signum bonum, propterea iudicium erat ad mortem. Supprimi vrinam, aliquando crisim denotat, aliquando prænunciat haud multò pòst futuram mortem, veluti cùm adsunt signa exitialia, vti in præsentia, in quo omnia euidenter tendebant ad mortem certam: neque enim erat inflammatio quæ impediret vrinæ transitum. Ergo erat aut propter delirium, aut propter resolutionem facultatis, & aliam non putarem fuisse: de his loquitur Galenus *in lib. 1. de locis malè affectis c. 1.* Recensebo casum memoria dignum, etsi non pertineat ad præsentem Historiam. Vir quidam Montanus plurimam cicerum copiam ingurgitauit: erant quidem cocta, sed sine iure

assumpsit. Factum est, vt repleto ventriculo sint transmissi ad intestinum rectum, ibique congestis, & intestino repleto, tantam intestino faciebant compressionem, vt vesicam obturando, scilicet ipsius collum, suppressa sit omnino vrina, ita vt doleret acerbè, & conquereretur vehementissimè. Itaque inuenta causa, non potuimus non nisi ridere, compatientes tamen, & statim iniectis clysteribus emollientibus, euacuato ex parte intestino emisit vrinam, & iteratis sanatus est omnino, & sequenti die discessit à xenodochio. Vos iuuenes animaduertite supprimi etiam omninò vrinam à repletione venarum hæmorrhoïdalium, propterea in huiusmodi casibus non est abs re interrogare, an sint assueti huiusmodi euacuationi. Veniamus ad textum. Dicit

[f] *Modicum potionis continebat.*] Videbitis sæpissimè ægrotantes, qui ad extremum sunt redacti, sensim nutriri, & etiamsi exhibeantur alimenta facilis distributionis, & in modica quantitate, tamen illud aut difficilè degluriunt, aut assumptum iterum reddunt, quia facultas attractrix non amplius suo munere fungatur. Quando ad id sunt ægrotantes redacti, non difficile est præsagire quid sit futurum de illo ægrotante. Quòd si vigesimo die hæc omnia fiebant, non poterat ampliùs vitam prorogare, & eam ob rem concludit meritò vigesimoquarto die obiisse. Ea enim erat capitis affectio, vt non posset à virtute diutiùs sustineri. Capitis affectionis grauitatem significat per verbum illud, *Phrenitis.*

Curatio.

SI in manus mulierum incidisset ægrotans hic, sine dubio, quò maior erat debilitas, eò maiorem exhibuissent alimoniam, & citissimè suffocassent, vt solent, etiam Medicis vtplurimum nescientibus. Erat maxima adhibenda cautio, cùm ex venere immodica debilitatus, mitissimè esset pertractandus, & præcipuè quod spectat ad venæ sectionem. Debetis in his casibus diligenter virtutem examinare, & benè perpendere, an expediat ad id remedij genus deuenire: nam si morbum, & ætatem spectemus, nihil erat, quod retardaret: restabat tantùm, vt virtus præsens, & futura expenderetur, & ita deliberare. Itaque si ego huiusmodi casum præ manibus haberem, pulsu explorato, si validum inuenirem in iuuene non vererer sanguinem mittere, in morbo vrgente; quia si esset tertiana, aut morbus non valdè vehementer vrgens, priùs reficerem virtutem per duos dies, posteà si essem coactus, sanguinem extraherem. At in morbo vrgente, veluti in tali febre, in angina, pleuritide, & id genus aliis, nisi omnino depressam haberem virtutem, non pertimescerem remedium, sed tamen leuiter pertractarem, & ita, si morbus requireret euacuationem, vt dico, solùm vt vnum detraherem, vt iteratò posset mitti, inspecto ægrotantis statu: diligentes tamen estote, & accurati, benè perpensa virtute. Vnum erat, quod etiam poterat prohibere, quominus sanguis extraheretur, videlicet alui motio, quia ex Hippocratis decreto interdicitur sanguinis missio aluo fluente 4. *lib. acut. comment.* 117. & 1. *lib. ad Glaucum.*

Hanc

Hanc Hippocratis, & Galeni ſententiam ſeruant aliqui, tanquam axioma in re Medica,exiſtimantes nullo modo aluo fluente ſanguinē eſſe mittendum. Verùm limitanda eſt propoſitio hæc cum eodem Hippocrate & Galeno, qui non omnino interdicit euacuationem ſanguinis aluo fluente, aliquibus præmiſſis. Habet Hippocrates *lib.3.prorrhet. comment.49. Quæ ex naribus cum ſurditate, & ignauitate, parua eſt ſtillatio ſanguinis, difficilè quippiam habet. Vomitus his confert,ventriſque perturbatio.* Hunc textum dum exponit Galenus, hæc addit: *Diſtinctio autem eſt quibuſdam morbi principio, ſi vires valentes,vel ſanguinis redundantiam habeant,vel pituitæ,vel alterutrius bilis. Nam, ſi valenter excernant ,ſanguiniſque redundantiam habeant, quòd ſectione venæ, non vomitu, vel ventris perturbatione indigeant, neminem latet.* His verbis videtur limitare ſententiam *Acutorum, & 1.ad Glauc.*Vt rectiùs id intelligatis,ſcire debetis euacuationem per aluum aliquando ſequi hepatis efferueſcentiam,aliquando autem imbecillitatem.Si à prima pendeat cauſa,debet Medicus attendere quodnam commodum ſequatur ex euacuatione illa, ſi morbus ſenſim diminuitur, & tandem aufertur, quid aliud quàm naturæ curanti gratias agere: at ſi primo die, vel altero fluente aluo, nihilominus efferueſcat corpus ex hepatis incendio,cum pulſu valido,ſine dubio nulla interpoſita mora, antequam virtus deprimatur debetis ſanguinem mittere, etiam fluente aluo, quia & reuellimus, & iecoris æſtuantem diſpoſitionem emendamus, & teſtari poſſum me ſæpiùs hoc medendi modo eſſe vſum cum felici ſucceſſu. Verùm neque detrahere expedit, quantum præſens morbus exigit,futuram virtutem attendentes, ſed ſenſim, & paulatim euacuare.Hoc ſi obſeruabitis,etiam fluente aluo ſanguinem aliquem miſiſſe,non propterea peccatum eſſe,confiteri eritis coacti, quod colligitur ex Hippocrate & Valleſio 7.*epid.hiſtoria,text.*42.*in hiſtoria Oneſianactis.* Niſi res ſit cum illis Æſculapiis, qui nunquam peccant in medendo,immò ipſis exceptis, alij omnes Medici aberrant à via. Inuenietis quoſdam, qui dicunt,ſi ego non eram vocatus ſtatim, non erat remedio locus. Alij verò habent peculiare remedium,quo omnes ſine dubio morbi euincuntur.Vos verò vnam ægroti ſalutem attendite,& Deus Opt. Max.conſulet vobis largiter, etiam non animaduertentibus. Ego quidem in iis, qui fluore alui tentantur,non tam timidè venam ſoluendam curo, modò in principio ſim vocatus, ſi robur viſceris adſit cum calore. At cauete,ſi alui fluor ab imbecillitate originem ducat,aut partis principis, aut ventriculi, vel inteſtinorum.Eo tempore,etſi morbis requirat, contraindicantia ſunt euidentia. Si verò non, poteſt, & tutò ſanguis mitti. Perinde fit in dyſentericis affectionibus,in quibus aliquando ſanguis mittitur, & præſertim,quando ſanguis copioſè excernitur, & medicamenta ſoluentia dantur, vt quotidiana teſtatur experientia, & etiam cogitur Medicus ad ea deuenire,ne materia ſurſum rapta, grauiora inducat ſymptomata, quod non rarò obſeruatum eſt, tormina facta, deliria concitata, neque ſedata, quouſque clyſteribus, aut aliis medicamentis materia ad aluum eſt delata; & vos id obſeruabitis diligenter,quia erit cum veſtro commodo,&

ægroti

ægroti vtilitate. Hæc, quæ dicta sunt hucusque, nescio an adaptari possint huic ægrotanti, cui sine dubio partes coctioni destinatæ erant labefactatæ, & ob id, primò erat roborandus ventriculus, ne tantopere relaxaretur: neque enim istius ægrotantis euacuatio erat ex feruore, sed ex imbecillitate. Ventriculum igitur foueri iussissem opportunis remediis, & hepar, vt commodiùs munere suo fungi possent. In hunc vsum veniunt multa externa, & interna. Externa, vt emplastrum de crusta panis, oleum è nuce moscata, & id genus alia. Interna fuissent ex vsu, quæ possent simul ventriculum roborando etiam virtutem sustinere, in quem vsum probantur morsuli hunc in modum concinnati. ℞. *pulpæ turturis assæ, phasiani, turdorum, aut perdicum pro diuitibus, aut carnis vituli pro pauperibus, ana ℥. iij. Nucleorum pistaccorum pineorum, seminum peponum ana ℥. ß. sandali rubri, coralli rubri ana ʒ. ß. saccari opt.* ℔. ß. *aquæ florum citri q. s. dissoluatur saccarum, & secundùm artem fiant morsuli, quibus mane, & sero potuisset vti per horam ante cibum.* Quòd si his peractis minùs visæ essent partes roboratæ, neque propterea ad sanguinis euacuationem deuenissem, nisi fuisset extractus ex venis hæmorrhoïdalibus, quia in virtute imbecilla tutiùs agimus sanguinem mittentes ex inferioribus venis. Syrupus poterat parari qui resisteret maleficæ qualitati, & attemperaret: verùm fuisset tutior curatio per stillatitium paratum in hunc modum. ℞. *cichoreacea cum pul. margaritarum dissoluto succo limonum, cum folijs auri, & omnibus his repleto pullo extraxissem aquam vitreis organis, & aromatizato, dedissem ℥. iiij. cum ℥. j. succi cichorij depur. & tantundem acetositatis citri.* Quibus sic peractis, neque prætermisissem clysteres abluentes ex lacte chalybeato, ex aqua hordei, & similibus. Hypochondrium fouissem oleo rosaceo, succo cichorij, cum modica portione aceti; sic enim prouisum fuisset hypochondriorum palpitationi, sæpius etiam eadem fouendo iis medicamentis, quæ possent materiam flatuosam resoluere, & eadem roborare, vt fouendo hypochondria decocto ex sem. anisorum, absinthio, floribus chamæmeli, anethi, cum oleo absinthij, & chamæmeli. Si verò aderat cordis palpitatio, præter epithema, quod fit ex speciebus cordialibus, & aqua melissæ. Hoc etiam commendatur, quod ℞. *olei nenupharis citrinæ ℥. ij. pul. florum nenupharis ʒ. ij. Sandalorum, corallorum rub. sem. acetosæ ana ℈. j. margarit. ligni aloës, ossis de corde cerui. ana ℈. ß. camphoræ g. iij. ceræ albæ lotæ aqua nenupharis citrinæ q. s. pulverizentur pulverizanda, & fiat vnguentum molle, quo inungatur tota regio cordis.* Quo tempore etiam sic palpitat cor, commendatur cucurbitula è directo cordis per horam admota, & quammaximè laudant, veluti non mediocris vtilitatis. Reuulsiones ad arcendam capitis affectionem, de quibus iam aliàs. Neque est quòd proponamus venæ sectionem in fronte, quia hæc euacuatio commendatur, quando affectio firmata est in capite, nulla existente à partibus subiectis euaporatione. Etiam oxyrrhodina capiti admota ex vsu fuissent ad reprimendos vapores, & nisi aluus immodicè fluxisset; vesicantia poterant admoueri. Et tandem conuenienti victu instituto finem imponemus huic Historiæ. Imprimis cùm esset cutis arida

victus

victus humidus conueniebat tum ratione febris, tum ratione ſiccitatis. Itaque contuſa carnis, aut pulli gallinacei, aut perdicum poterant exhiberi: ſuccus farris, oua recentia ſorbilia, ſuccus carnis aſſæ, aqua carnis. Pectus inungi poterat oleis amyg. dul. & liliorum alborum ad remorandam ſiccitatem. Et tandem cùm res ad euidentem perniciem deueniſſet, & non eſſet remedio locus, animam debebat componere, vt quemcunque Chriſtianum decet, & poſtquam corpus erat redactum ad extremum, ſaltem cauere, ne animæ detrimentum faceret. Hæc ſint dicta ſatis pro expoſitione hiſtoriarum primæ, & tertiæ conſtitutionis, quæ à Galeno ponuntur, donec meliora inueniamus. Et ſit laus Deo.

FINIS.





CONSPECTVS

RERVM ET VERBORVM, quæ in his Commentariis continentur.

A.

Ado

E.

Fœtuum

I.

L.

Lingua

Eius

S.

Infidus.

FINIS.